
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XX
F
6
NAPOLI

CODEX
THEODOSIANVS
CVM PERPETVIS COMMENTARIIS
IACOBI GOTHOFREDI

Viri Senatorij & Iuriſconſulti huius ſæculi eximij.

PRÆMITTVNTVR CHRONOLOGIA ACCVRATIOR,
Cum Chronico Hiſtorico, & Prolegomenis:

Subijciuntur Notitia Dignitatum, Proſopographia, Topographia, Index Rerum, & Gloſſarium Nomicum.

OPVS POSTHVMVM;

DIV IN FORO ET SCHOLA DESIDERATVM,
recognitum & ordinatum ad vſum CODICIS IVSTINIANEI,

OPERA ET STVDIO ANTONII MARVILLII ANTECESSORIS Primicerij in Vniuerſitate Valentina.

TOMVS SEXTVS.



LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS-ANTONII HVGVETAN,
& MARCI-ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXV.

Cum Priuilegiis S. Cæſ. Maieſt. & Regis Chriſtianiſſimi.



IN HOC TOMO
LIBER DECIMVS-SEXTVS
CONTINETVR;

In quo agitur de iis quæ pertinent ad Perſonas & Res Eccleſiaſticas.

INDEX

INDEX LEGVM NOVELLARVM IMPP.
Theodosij, Valentiniani, Martiani, Maioriani, Seueri & Anthemij, per seriem litterarum digestus.

CODICIS



CODICIS THEODOSIANI
LIBER DECIMVSSEXTVS.
QVI TOTVS EST
DE REBVS ECCLESIASTICIS:

Supplementi seu Paratitli vice ad hunc de rebus Ecclesiasticis librum referri quoque possunt octo Tituli sequentes: è lib.2. tit. *de Feriis:* è lib.4.tit.*de Bonis Clericorum & Monachorum*:tit.*de manumissionibus in Ecclesia*: ex lib.9.tit. *de Sepulchro violato*.tit.*de Maleficis & mathem.* tit. *de raptu vel matrimonio sanctimonialium virginum vel viduarum*: tit. *de his qui ad Ecclesias confugiunt*: ex lib.10. tit. *de locatione fundorum iuris Templorum.* Meminit huius libri 16.Hincmarus Remensis, *epist*.4. *cap*.6. *Decimussextus*, inquit, *liber Legum: quibus, vnà cum sacris Canonibus, sanctamoderatur Ecclesia.*

HVIVS LIBRI TITVLI.

DE FIDE CATHOLICA.
TITVLVS I.

I. Cod. Ivst. I. Vbi Tribonianus auctiorem fecit Titulum, *De summâ Trinitate, & Fide Catholica: & vt nemo de eâ publicè contendere audeat.* Porrò in vetustis exemplaribus, & quidem Vesontino, *hic Titulus* est *secundus* huius Libri.

PARATITLON.

Fides Catholica, *Rubr.* Secta Catholica, *l.*5. *infr. de Episcop.* & *l.*42. 44. & *l.vltim. infr. de hæretic.* (vnde & Christiani Catholici, *l* 2. Catholicæ Ecclesiæ, *l.*3. & *l.*6. 48. 54. *infr. de hæretic.* & *l.*31. *infr. de Episcop. l.*1. *supr. de annonâ*: & absolutè

Catholica, *l.4. de Episcopis, Eccl. & Cler. l.2. ne ſanct. Bapt. iter.* Iudicium Catholicæ Religionis, *l.28. infr. de hæreticis:* Catholica Religio, *l.6. infr. de hæretic.* Catholica diſciplina, *l.9. infr. de hæretic* Catholica Communio, *l.46. infr. de hæretic.* Catholica lex, *l.1. de Episcopis: l.1. infr. de hæret.* Catholica ſanctitas, *l.4 11. infr. de hæretic.* Catholica veneratio, *l.38. infr. de hæret.* Sanctiſſima lex, *l.18. infr. de Episcopis:* Sancta lex, *l.5. de Episcopis: l.51. de hæretic.* Sanctiſſima Religio & in perenne ſeruandæ Chriſtianæ legis ſecretorum reuerentia: *l.9. de Seanicis:* ſacratiſſima Religio, & Chriſtianæ legis reuerentia, *l.4. eod. tit.* Inſtitutio diuina, *l.45. de hæreticis:* his verbis à Valentiniano Iuniore, *l.2. infr. ne ſanctum Baptiſm.* definitur: *Nihil aliud præcipi volumus, quàm quod Euangeliorum & Apoſtolorum fides, & traditio INCORRVPTA ſeruauit, ſicut & lege Diuali parentum noſtrorum, Conſtantini, Conſtant I, Valentiniani decreta ſunt.* A Theodoſio M. Imp. Sic, *l.2. hoc tit.* definitur: *Quæ ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam & Euangelicam doctrinam, Patris & Filij & Spiritus Sancti vnam Deitatem, ſub parili Maieſtate, & ſub pia Trinitate credit* Item: *Quæ vnius Maieſtatis atque Virtutis Patrem & Filium & Spiritum ſanctum confitetur: vnius gloriæ, claritatis vnius, nihil diſſonum profanâ diuiſione faciens: ſed Trinitatis ordinem, Perſonarum adſertionem, & Diuinitatis vnitatem credens: l.3.* Trinitatis parem ſibi congruentem ſanctitatem, *l.58 infr. de hæretic.* Quæ, ſeu Catholicæ Religionis cultor eſt, qui *Omnipotentem Deum, & Chriſtum Filium Dei vnum nomine confitetur, Deum de Deo, lumen de lumine: qui Spiritum ſanctum (qui id, quod ex ſummo rerum Parente ſperamus, accipimus,) negando non violat; apud quem intemerata fidei ſenſu, viget incorrupta Trinitatis indiuiſa ſubſtantia, quæ Græci adſertione verbi ὁμοία rectè credentibus dicitur: d. l.6. infr. de hæretic.* Quam Religionem & Diuinum Petrum Apoſtolum Romanis tradidiſſe, idem Imp. Theodoſius M. ait *l.2. hoc tit.* & Nicænam fidem eſſe adſerit, *l.3. hoc tit.* & *d. l.6 infr. de hæretic.* Ad quam ideò ſibi ſubditos populos *d.l.2.* reuocat: Exemplo Pontificis Damaſi & Petri Alexandriæ Episcopi, viri Apoſtolicæ ſanctitatis religionem à Petro inſinuatam tum ſequentium; vt & *l.3.* exemplo variorum, quos ibi recenſet, per Orientem Episcoporum Hanc itaque Religionem ſequentes, & Chriſtianorum Catholicorum nomen amplecti, *l.2.* & Episcopis, horum quos expreſſit communioni ſociatis, id eſt communicantibus, Eccleſias tradi iubet *d.l.3.* Cæteros verò hæreticos iudicat *l.2.3.* atque adeò ab Eccleſiis obtinendis hæreticos Episcopos expelli iubet *d. l.3.* Conciliabulum eorum Eccleſias vocari vetat, *l.2.* Verùm hâc parte alia & peruerſa mens Valentiniano Iuniori aliquando in breue tempus fuit, *l. vltim hoc tit.* vbi dicam Et hæc de Fide Catholicâ, & Edictis Imperatorum, quibus ea inculcata: atque adeò de Canone Fidei; Antiquitati hac parte quis locus? vid. *l.3. infr. de Religione:* Quis præ omnibus legi diuinæ? vid. etiam *leg.27. de Episc.* vel inſtitutioni diuinæ? *l.45. infr. de hæret* Quis præceptis Apoſtolorum in rebus Fidei? *d.l.2. hoc tit. l.2. ne ſanct. Bapt.* & in his quæ diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectant, *l.27. infr. de Episcop.* Quis vetuſtati, & Canonibus priſtinis Eccleſiaſticis? vid. *l.45. infr. de Episc.* Quæ *Traditionis* authoritas? vid. *l.2 ne ſanct. Bapt.* Quæ Conciliorum vis & authoritas? *l. vlt. hoc tit.* Quid Concilium? *d.l. vlt.* ſeu Synodi, *l.15.23. de Episc.* Sanctiſſimi cœtus Antiſtitum, *l. vlt. infr. de hæret.* Episcoporum iudicium, *l.2 . quor. appell.* Conuentus Sacerdotalis, *l.45. de Episc.* Syuodorum aliæ Oecumenicæ, aliæ Diœceſeon *hoc Codice* memorantur: Synodi Diœceſeos fit mentio *l.23.45. de Episc.* de qua accipio & *leg.20. quor. appellat.* Memorantur hæ: Nicæna, *l.3 infr. de Religione: l.6. de hæret.* Epheſina, *l. vlt de hæret.* Ariminenſis, *l. vlt. hoc tit. l.15. de Episc.* Conſtantinopolitana, quâ Fides Ariminenſis Concilij firmata, *l. vlt. de Fid. Cath.* Concilium 70. Episcoporum in Africâ, cuius mentio Anno D.369. *l.20. quor. appellat.* Synodus Diœceſeos, ad quam directa eſt *lex, qui mos eſt, hoc tit.* His adde Collationem Carthaginenſem, inter Catholicos & Donatiſtas Anno D.411. quò pertinet *lex 3 de Relig.* & *lex 55. de hæretic.* Quandoque etiam Principes Edicta de Vnitate emisêre, vt *l.2. infr. de Relig.* quibus ſcilicet vna Catholica veneratio, vna ſalus eſſe iubebatur, *l.38. infr. de hæret.* eiúſque formula ab his præſcribebatur, *d.l.38. l.2.3. hoc tit.* Cæteri verò, hæretici iudicari iubebantur, *d.l.2. hoc tit.* Veneratione etiam, ſeu ob reuerentiam Chriſtianæ Religionis, & vt à Paganorum contemptu ea vindicaretur, Principes nonnulla ſubinde ſanxêre: in quibus & illud à Valentiniano Sen. conſtitutum, *l.1. hoc tit.* ne homines Chriſtianæ Religionis ad Templorum Gentilitiorum cuſtodiam apponerentur: de quo mox, vt & *in Paratitl. de Religione.* Tandem de Sacramentis Fidei Catholicæ; de Baptiſmate & Euchariſtia, vid. *ſupr. tit. de Seanicis,* & *infr. ne ſanct. Baptiſma iter.* & *tit. de hæretic.* de Litania, vid. *l.30. de hæret.* de Feriis, vid. *tit.8. ſupr. lib.2.*



DE FIDE CATHOLICA.

¶ *De* CVSTODIBVS *Templorum Gentilitiorum Christianis non apponendis Valentiniani constitutio.*

¦ I. * Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Symmachum P. V.″

QVISQVIS Iudex,″ seu Apparitor,″ ad custodiam Templorum″ homines Christianæ religionis adposuerit, sciat, non saluti″ suæ, non fortunis esse parcendum. Dat. xv.″ Kalend. Dec. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS. [365.]

NOTÆ.

* Abest *hæc lex* à *Cod. Iust.* vtpote Paganorum templis & ritibus tum omninò abolitis. Memorat eam quoque Baronius, Anno 365 *n* 43. Iungendæque illi videntur *lex* 8. *supr. de Pœnis* : & *lex* 8 *supr. de Pistoribus.*

″De hoc *Symmacho* P.V. Romæ (Epistulographi patre) Aproniani in Præfecturâ vrbanâ successore, eóque Gentili seu Pagano, iam alibi sæpè dixi : vid. *Prosopogr.*

″Nota, Iudices sub Præfecturâ Vrbis constitutos, id est, Rectores Prouinciarum : Fortè etiam ipse Præfectus Vrbi hâc voce inuoluitur.

″id est Officialis, Iudicis seu Rectoris Prouinciæ.

″*Templorum*, Paganorum scilicet, de quo mox.

″id est, vitæ suæ.

″*Si huic legi* iungendæ sunt *duæ illæ* quas dixi, *leges*, tum emendandus hic dies fuerit, & reponendus *XVIII. Kalend. Febr.* Quid quod mense Nouembri & Decembri huius Anni Valentinianus, *huiusce leg.* Auctor, non Mediolani, verùm Parisiis constitisse docet *lex* 13. *supr. de annonâ & tributis* : *lex* 3 *supr. de Metallis* : *lex* 11. *supr. de Numerariis* Sed & Ammianus Marcellinus *lib.* 26. & 27.

COMMENTARIVS.

CVSTODES, TEMPLIS Gentilium, (de Custodibus Ecclesiarum, vid. *l.* 25. *infr. de Episcopis* :) Christianæ Religionis homines à Iudicibus eorúmve Apparitoribus, adponi hac constitutione (quæ data est ad Symmachum Præfectum Vrbis Romæ Epistolographi patrem, vt *suprà*) vetat Valentinianus Senior : idque sub grauissimâ pœnâ : Nempe (vt vel Titulus, sub quo *lex* hæc posita est, ostendit) ad vindicandam hac parte venerationem Catholicæ & Christianæ Fidei. Constitutionis istius vim vt adsequamur, de Custodibus istis initio videndum est. Igitur *Custodes Templorum* hic non sunt Æditui, seu *ἱεροφύλακας*, quales olim adpositi ad curam Templorum, seruandis ibi rebus sacris, vindicandísque iis à furibus, propter opes ibi reconditas, & delubra, simulacra, & supellectilem Templorum ibi repositam : Quorum alioqui custodum & excubitorum frequens mentio, etiam apud Tertullianum, Iustinum, *epist. ad Diognetum* : Cyprianum, *ad Demetrianum* : Arnobium *lib.* 6. & in iure, *l.* 17. *ff. de alimentis legatis*, *l. Seruos* 35. *ff. de liberali causâ* : Firmicum. Cuiusmodi Hierosolymis vigilas Custodes (ὑπηρέται) Templa asseruando erant : vid. *Act.* 5. *vers.* 22. 26. *Marci* 14. 65. *Ioan.* 6. *c.* 32. 45. 18. *vers.* 3. 12. 22. 29. *vers.* 6. Custodes Ecclesiarum & sanctorum locorum, *l.* 26. *infr. de Episcop.* Verùm, quod rectè vidit C. Baronius, custodes hîc sunt milites appositi Templis Gentilium custodiendis, aduersus vim scilicet & impressionem, impetúmque ab his arcendum. Nempe enim, cùm Valentinianus Imperator principatus sui initio, cultus sui religionísque libertatem Paganis tribuisset, quod docet vel lex *eius* 9. *supr. de maleficis & mathem.* Christiani ipsi, qui sub Iuliano recenter admodum miris modis vexati attritíque fuerant, id ægrè ferentes, in Deorum templa alicubi acceptas iniurias vindicare, inque ea inuolare, ritúsque Gentilitios disturbare, annisi videntur, & quidem intra Præfecturam Vrbis Romæ. Quâ de re cùm suas Pagani querelas ad Magistratus pertulissent, ex Officialibus illi suis seu Apparitoribus custodes ad vim arcendam admouere. Sic & Romani Præsides diebus festis, quia non erat magnus populi conuentus ad Templi custodiam, ne quid ibi contra mores Iudæorum tentaretur, cohortem mittere soliti, quam *σπεῖραν* vocat *Ioannes* 18. *v.* 3. *τάξιν* Iosephus *Antiq. Iud... cap.* 4. de quo vid. & *lib.* 5. *cap.* 15. Quod & ipsum interim argumento est, non de æditui, qui *ἱεροφύλακας*, hîc agi : hi quippe non à Magistratibus, neque ex Apparitorum cohorte, verùm à Sacerdotibus ipsis & ex *ἱερατικῷ* ordine adpositi : vel etiam à testatoribus destinati, qui Templa extrui, ædificari iussissent. Et factum illud, de custodibus inquam adpositis non damnat Valentinianus : Nam & in commune, qui, vel æqualitate inolitâ, vel vltrò, cultus sui religionísque libertatem aliquibus constare, eósque ex æquo agere vult, nequicquam agit, nisi idem modis omnibus vim arcet, amouétque : quò alioquin etiam spectat *lex* 9. 12. 20. 21. 25. 26. 27. *infr. de Iudæis* : custodibus etiam, si opus, & excubitoribus adpositis. Quod egregio exemplo haud ita pridem factum alicubi me coram memini. Illud tantùm improbat Valentinianus Imp. quod Christiani ad custodiam Templorum Gentilitiorum adponerentur. Magistratus scilicet tempore magnam adhuc partem Gentiles, & Romæ quidem, atque intra Præfecturam Vrbis positi, cuiusmodi Symmachus ipsemet erat, cui *hæc lex* inscribitur, Præfectus Vrbi, idémque Epistolographi pater, cùm sat alioquin militum & Officialium Genti-

lium in Officio suo seu cohorte haberent, quibus hanc delegarent Templorum custodiam, Christianos quoque, & vel potissimùm, alicubi ad id delegêre: non quod Templorum securitati seu tuitioni ita melius consultum putarent: verùm (quod tum ex *Rubrica huius tituli*, tum ex seueritissima *huius legis* sanctione colligo) quod in contemptum Fidei Catholicæ Christianæque Religionis, & cum plenâ eius iniuriâ, inuidiáque Christianorum res hæc verteret: quorum auersam ab omni superstitionis afflatu vel contagio mentem cùm nossent, eius tamen inquinamento eos ita quodammodo obiiciebant. Fieri enim non poterat, quin huiusmodi Custodes Templorum, vbi non DEVS non CHRISTVS inuocabatur (vt apud Christianorum sectas, licet inter se in aliquo dissentientes) sed vana numina, imò dæmonia, colebantur, inclamabantur: vbi non castæ religiones, verùm funesti ritus exercebantur, victimæ cædebantur, thura adolebantur, visu ipso, prospectu, auditu, afflatu, incestarentur, déque contaminatis ita contaminarentur. Imò fieri vix poterat, vt non aliquo interim, tot inter Ministros sacrorum discursantes, officiúmque peragentes, contactu piaculóve inquinarentur, conspurcarentúrque. Quod certè Valentiniano ipsimet illi, cuius *hac lex* est, cùm priuatus adhuc ageret, contigisse memorat Sozomenus *lib.6. histor. Eccl. cap.6.* cum Iulianum Tribunus ipse Numeri cuiusdam Palatini, qui proximè Imperatorē *custodiæ* & præsidij causa sequebatur, ad Templum deduxisset: ibi enim à Sacerdote (*ἱερέα* vocat Sozomenus *d. loco*: Theodoretus *lib.4. cap.5. νεωκόρον*) *lustrali aquâ* adspersus, non id tātùm Iuliano ineorām ægrè tulisse, verùm etiam ilicò vindicasse, atque ideò in exilium missus, memoratur. Igitur de eo quod dixi perlatæ querelæ à Christianis ad Valentinianum Imp. quòd sibi eâ re, Christianæque fidei & disciplinæ, atrox iniuria contumeliáque fieret: quæ funestis impiisque Gentilium sacris, non dico consensum vel conscientiam suam commodare, sed ne sensus quidem suos è tam propinquo contaminari patitur. Hinc adeò Tertullianus, quod huc proximè facit, *cap.11. de Corona militis*, militiam armatam in Christiano in vniuersum damnatam cupiens, militiæ huius vsum ad absurdum ita deducit: *Et excubabit*, inquit, *pro Templis, quibus renunciauit?* Neque dubito, perlatam hanc querelam ad Valentinianum Imp. à Liberio Episcopo Romano, atque à Synodo Romanâ, quæ eo ipso anno habita fuit, quo *hac lex* data est, *Valentiniano & Valente COSS.* Quare etiam directa seu emissa hæc constitutio ad Symmachum Præfectum Vrbis Romæ: Pariter vt *lex 8. supr. de Pœnis*, (quæ *huic ipsi* coniungenda videtur, seu eiusdem constitutionis pars, ad eundem Symmachum P. V. data est, & ad eundem finem collineat: nam & ibi prohibentur Christiani ludo gladiatorio pœnæ loco addici. Nempe, cùm ludi isti, non-ludi, aboleri in totum nondum possent, Christianos saltem his addici noluit Valentinianus: quia Christiana disciplina ludos hos, publicásque huiusmodi voluptatis hostias, auersaretur, oculósque manúsque Christianorum hoc cruento spectaculo pasci, fœdari, communicari, non pateretur, de quo dixi ad *l.1. supr. de Gladiatoribus*. Igitur Christianos iis corporibus seu ministeriis aptari noluit Valentinianus, quibus vel sensa eorum manúsque feritatis vel superstitionis alicuius gentilitiæ specie pollui incestari possent, quásque disciplina Christiana auersatur. Aliter atque si de ministerio innoxio ageretur, vbi nulla Christianæ Religionis iniuria, nullus talis metus subest: Quare Christianus quoque, innoxius, etsi obnoxius valdè, pistorum corpori, quod annonæ Vrbis Romæ seruiebat, pœnæ loco addici potuit: quod ab eodem Valentiniano *l.8. supr. de Pistoribus*, quæ ad eundem Symmachum P.V. data est, imò & his duabus pariter coaßanda videtur, constitutum est. Hæc, inquam, Valentinianus Imperator, ne *ministerij* etiam alicuius specie, vel *pœnæ* obtentu, Christiani incestarentur, polluerentur. Quantominus igitur in Christianis vltroneum quemcunque seu spontaneum ritus alicuius Gentilitij participatum, communionem, *μετοχὴν* & *ἑτεροζυγίας* idem tulerit? De quo alibi.

Illud adhuc monendum, videri cui posse Symmachi locum *lib.1. epist.40.* ad Agorium Prætextatum huc pertinere. Huic certè proximum id saltem; *Conuenit inter Sacerdotes vt in CVSTODIAM CIVIVM publico obsequio traderemus CVRAM DEORVM: Benignitas enim superioris, nisi cultu teneatur, amittitur: Ergo multo tanto ornatior, quàm solebat, cælestibus factus est honor.* Verùm non ita est: locus enim ille est de cura & custodia Sacrorum reíque diuinæ, vt ea nonnisi ciuibus Romanis mandaretur, non verò peregrinis: hâc enim ratione Benignitatem Deorum prouocandam, si cultu & cura vitium retineretur. De hac eadem cura & officio, & quidem stati mensis, vide eundem *epist.45. lib.1.*

¶ Illud hîc semel monendum; *Templorum* appellatione, hoc æuo, Gentilium templa indicari, vt præter *hanc legem*, docet insuper *lex 3. supr. de operib. publ. d.l.112. supr. de Decurion.* & *tit. de Pagan. Sacr. & Templ. infr.* ac nominatim *l.3.4.8.16.19. illius tit.* & *l.2.3. infr. de Apostatis*: adeò quidem, vt *Templorum cultus* pro cultu Gentilitio vsurpetur in *d.l.112.* quæ data est Anno Domini 385. de quo dicam *infr. tit. de Paganis, Sacr. & Templis: ad Rubr.* Et hæc de custodibus Templorum. Nam de Custodibus Ecclesiarum, vt dixi, est *lex 26. infr. de Episcop. & Clericis.* ¶ Exemplum igitur iam tenemus, vindicatæ Fidei Christianæ à contumelia eorum, quibus Religionis suæ libertas seu ἐθελοθρησκεία conceditur.

¶ THEODOSII M. *Edictum, de Fide Catholica.*

II. * Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA. Edictum ad" Populum Vrbis Constantinop.



VNCTOS populos, quos" Clementiæ Nostræ regit temperamentum," in tali volumus Religione versari, "quam Diuinum" Petrum" Apostolum tradidisse Romanis," religio vsque nunc" ab ipso insinuata declarat: Quámque Pontificem Damasum sequi" claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis: *Vt, secundum Apostolicam disciplinam, Euangelicámque*

que

quæ doctrinam, Patris & Filij & Spiritus sancti vnam Deitatem sub parili Maiestate, & sub pia Trinitate credamus. ¶ Hanc legem sequentes, *Christianorum Catholicorum*" nomen iubemus amplecti: Reliquos verò dementes væsanósque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere: nec" conciliabula eorum *Ecclesiarum* nomen accipere:" diuina primùm vindictâ, post etiam motus" nostri, quem ex cœlesti" arbitrio sumpserimus, vltione plectendos. Dat. III. Kalend. Mart. Thessal. Gratiano v. & Theodosio I. AA. COSS. [380]

NOTÆ.

* *Lex* I. *Cod. Iust. de summa Trinitate & Fide Catholica.* Iungenda etiam est huic *l. lex* 25. *infr. de Episcopis.* Memorat *hanc leg.* Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 4. Rectéque eadem relata à C. Baronio in Annales Ecclesiasticos, *Anno D.* 380. *n.* 18. Eum ipsum quoque indicare mihi videtur idem Theodosius M. *l.* 7. *infr. de hæreticis.*

"Idem Edictum eodem fine emissum quoque *ad Eutropium PP.* vt videlicet per eum cunctis populis innotesceret: vt ostendit *dicta lex* 25. *infr. de Episcopis*: quomodo scilicet eius *leg.* Inscriptio habet in *Cod. Iustin. l.* 1. *Cod. de crimin. sacril.*

"De hoc Relatiuo, *Quos*, vide *Commentarium.*

"*imperium* Cod. Iust. *Temperamentum* hic est vel temperatum, clemens, ciuiléque imperium; sic vt Clementiam suam ostentare voluerit his verbis Imp. cui consentire videtur Sozomeni narratio: vel in genere regimen, imperium, quomodo habet *Cod. Iust.* ita, scilicet Imperator *orbem temperare* dicitur; vid. *Gloss. Theod.*

"*Diuum.* Cod. Iust.

"*ἢ παῦλος* additum, in quibusdam MSS. Basilicorum: Quod à Theodosio hîc non additum. Irenæi sanè verbis, quæ mox consignabo, conuenit.

"Romæ constitutus. Ita è Veteribus Patribus multi graues Scriptores, etsi nonnulli hodie quoque ambigant: de qua quæstione historica peculiares extant libelli.

' Hâc voce indicantur Vrbis Romæ ciues & incolæ, atque adeò Ecclesia Vrbis Romæ.

"*Vsquenunc*, rectè vid. *Gloss. Theod.* pro quo in *Cod. Iust. vsque adhuc*: eodem semper sensu, id est, ad præsens vsque tempus: Orosius dixit, *lib.* 7. *cap.* 29. vsque ad nunc.

"& vsque nunc continuata.

"*Hoc est, vt*, &c. ita *Cod. Iust.* vinculo orationis addita maioris, claritatis ergo.

"*Parili*: vid. *Gloss. Theod.* & *Symmachum.* In *Cod. Iust. pari.*

"Symmachus quoque quantumlibet Paganus, quadriennio tantùm post *hanc leg.* Anno D. 384. *lib.* 10. *epist.* 34. hoc *Catholicorum* nomine Christianos designat.

"Hic vers. *nec conciliabula*, omissus *Cod. Iust.* quia in totum & abscisè conciliabula Hæreticorum prohibita.

"nomine censeri.

"*Motus nostri.* Elegantius hoc, quàm quod Cod. Iust. *animi nostri*: vid. *Gloss. Theod.*

"Non putem Theodosium M. hæc de se dicere, quales multæ hyperbolæ, & insanæ formulæ his constitutionibus occurrunt: veluti *Cœleste Oraculum*, *Numen nostrum*, &c. quæ cumulata habes in *Principe.* Verùm his verbis intelligere mihi videtur, *Dei arbitrium*, & sic regulam & formulam iuris diuini.

COMMENTARIVS.

NORMAM seu Regulam & CANONEM seu Typum Catholicæ Fidei, populis sibi subditis, Imperij videlicet Orientalis, ac nominatim populo Vrbis Constantinopolitanæ, hoc Edicto suo præfert Theodosius M. Anno D. 380. secundo Imperij sui anno. Quo quidem Edicto populos sibi subditos ad Catholicam Fidem reuocatum it, duplici ratione. Primò quidem *παραδειγματικῶς* reuocat his primùm, ad exemplum Ecclesiæ Romanæ: dein duobus insignium maximè & præcipuorum tum in Occidente, tum in Oriente Episcoporum, & principe quidem loco, Pontificis Romani exemplis & præiudiciis, qui Religionem Catholicam tum sequebantur, tuebanturque, prælatis. Secundò, explicitè seu *κατηχητικῶς*, propositâ *ἐκθέσει* seu formula Fidei, Apostolicæque & Euangelicæ doctrinæ, quam & Basilius hoc tempore passim vrget, veluti *epist.* 72. *ἔκθεσιν* inquam, de sacrosancta Trinitate, quâ breuiter plerisque hæresibus præscribitur: Cui similes duas alias accuratas de SS. Trinitate *ἐκθέσεις* idem Imp. Theodosius M. proposuit *l.* 3. *prox. infr.* & *l.* 6. *infr. de hæreticis*: quæ cum hac omninò concinunt & conferendæ sunt. In quarum etiam postrema quartum insuper præiudicium proponit Imp. Nicenæ Fidei scilicet, quam & à Maioribus traditam, & diuinæ Religionis testimonio atque adsertione firmatam addit. Quam Nicænæ fidei auctoritatem Theodosius M. *hâc leg.* non præfert: fortè quod ea apud hæreticos exosa tum maximè esset: vt proinde Theodosius studio ab eâ abstinuisse hîc inter initia nunc videatur. Atque hæc quidem breuis huius constitutionis seu huius Edicti continentia est.

¶ Quod quidem Theodosij M. Edictum, non tantùm cum Interpretibus Codicis Iustinianei ordine inspecto, filiam primogenitam rectè dixeris, vtpote quæ prima omnium *eo Cod.* occurrat, quæque ideò variis & singularibus Repetitionibus, Commentariis, dotata fuit: verùm etiam cum Card. Baronio rectè, *Auream sanctionem, piúmque & salutare Edictum* nuncupaueris: Cui similis alioquin altera eiusdem Theodosij M. posterior aliquanto, imò gemina, occurrit, *d. l.* 3. *prox.* vbi simili, quem dixi, more quorundam Episcoporum in Fide sanorum exempla aduocat, & proponit: Catholicámque Communionem ab his designat, *ἐκθέσει* Fidei primo loco propositâ, mox & Nicænæ Fidei, vt dixi, præiudicio addito.

¶ Et hæc quidem nostra inter initia Imperij sui à Theodosio M. emissa fuit; vti prima semper præcipuáque inter curas Principum, de rebus diuinis cura & sollicitudo esse debet: quò populos scilicet suos, sicubi, si quando à fide Catholica deuios, ad veram traduxisse velint Religionem: & in summam, quod Theodosius Iun. ait, *l.* 3. *Cod. de Fide Cathol.* *ἀρέσκει τῇ βασιλείᾳ τοὺς ὑπηκόους περὶ τῆς εὐσεβείας ὑπομιμνήσκειν.* Hoc exemplo igitur Theodosius M. Imp. (vt Historicam nunc *huius leg.* causam ingrediamur:) cùm videret, Orientem cui ipse præerat, hæresibus contaminatum, & per quadraginta iam totos annos, sub Arrianis Imperatoribus, (Constantio, inquam, & Valente) præualidas, ac nominatim Constantinopolitanum populum, in varias distractum sectas & sententias, sic vt Ecclesia ab Arrianis teneretur, (vt ex Sozomeno *lib.* 7. *cap.* 5. aliisque, sed & Marcellino, *in Chronico, his ipsis COSS.* liquet;) Theodosius, inquam,

inquam, Chriſtianiſſimus & Catholicus Imp. cùm hæc videret, hæc inter Imperij ſui primordia, Arrianam potiſſimùm hæreſin peſſundatam cupiens, viceuerſa Catholicis Orthodoxis Eccleſias reſtituturus (quod etiam mox factum ab eo, vt paulo pòſt dicetur) ab ipsâ priùs Vrbe Regia, Conſtantinopoli inquam, huic malo mederi inſtituit: vnde velut ex acropoli ſeu capite exemplum in cætera deriuaretur, quod Sozomenus etiam *hanc leg.* memorans diſertè prodit. Et verò hanc ad rem obſeruandum, eodem exemplo ſcriptum & emiſſum hoc Edictum *ad Eutropium Præfectum Prætorio*: quò idem per eum cunctis iam populis ſub ditione ſua agentibus innoteſceret: vt diſcimus ex *Cod. Iuſtin. l. 1. Cod. de crim. ſacril.* quæ *hoc Codice* poſita eſt *l. 25. infr. de Epiſcopis*: ſine Inſcriptione, *huic* coniungenda venit.

¶ Igitur aureo hoc, pio & ſalutari Edicto Theodoſius M. populos ſibi ſubditos ad fidem Catholicam reuocatum iuit: tum Primò, exemplis Eccleſiæ Romanæ: Secundò duobúſque inſuper in Orbe Chriſtiano Epiſcoporum: tum Tertiò ἐκθέσει fidei ipſius, propoſitis. Idque emiſſo Edicto ex Vrbe Theſſalonicenſi: vbi videlicet ab Acholio Ep. hoc ipſo Anno 380. baptizatus fuit, teſte Socrate, *lib. 5. cap. 6.* & Sozomeno *lib. 7. cap. 4.* etſi poſterior hic temporis characteriſmum haud adeò apertè præferat, atque ab eo in Fide confirmatus fuit: Exemplo etiam Illyrici, quod Arij opinionem nunquam amplexum fuerat, verùm in antiqua Fide ab Apoſtolis tradita, ſuique Concilio Niceno confirmata, ſemper ſteterat: Quem etiam Acholium ipſemet Theodoſius M. velut optimum συνεργὸν ad Fidem Catholicam ſtabiliendam ſibi obtigiſſe gauiſus eſt, vt tradit Sozomenus, *lib. 7. cap. 4.* Vt proinde Acholio iſti Epiſcopo Theſſalonicenſi aureum hoc Edictum acceptio ferre minus dubitem, pariter vt Anno proximo, *legem 4. ſupr. de quæſtionib.* & octennio poſt, *legem 14. infr. de hæretic.* & *legem 2. ſupr. de nuptiis*: ſeu *l. 5. ſupr. de Adulter.* iuncta *l. 5. Cod. inceſtis nuptiis.* Sanè Ambroſius quoque *in epiſt. ad Sacerdotes, & omnem Clerum pleb. Theſſalonicenſium*: de obitu, vita, virtutibus, & conuerſatione huius Acholij ſcripta, eum *Sanctum Virum* vocat, & *MVRVM FIDEI, gratiæ & ſanctitatis*: Eundémque *ſequente epiſt.* ad Anyſium ſucceſſorem eius *ſcripta*, pluribus commendat. Quin & ad eundem *tres* extant Baſilij *epiſtolæ*, quibus fidem eius deprædicat: vbi notandum Ἀχόλιος vocari, pariter vt nuncupatur à Socrate, *lib. 5. cap. 6.* Theodoreto, *lib. 4. cap. 9.* Sozomeno *lib. 7. cap. 4.* Neque omitti oportet, quod Ambroſius ſcribit, eum precibus ſuis effeciſſe, vt Gothos de partibus Macedoniæ fugaret victores, ſæuiente lue & ardenti peſtilentia perturbatos, regreſſóſque poſteà pacem rogaſſe vt viuerent. Et erat, vt dixi, Acholius Theſſalonicæ Ep. Theſſalonica verò hæc, vt id quoque adiiciam, totius Illyrici Metropolis erat, vt Theodoretus *lib. 5. c. 16.* oſtendit, non modò Macedoniæ, quæ & ipſa Macedonia tamen in Illyrico fuit. Baronij enim lapſus eſt, cùm Socratem hac parte erroris arguit, & Theſſalonicam, non in Illyrico, verùm in Macedonia ſitam fuiſſe ſcribit. Idque etiam confirmat non parum *l. 33. ſupr. de Annon. & tribut.* ¶ Sed toto cœlo errat Alciatus, eúmque ſecuti, qui exiſtimant hoc Edictum latum aduerſus Macedonianos; quibus vel ipſa temporum ratio refragatur: Macedoniani quippe Anno demum proximo 381. in Concilio Conſtantinopolitano damnati fuêre, vt dicam *ad legem prox.*

¶ Nunc ſubiiciamus Sozomeni verba, *lib. 7. cap. 4.* de hoc Edicto, vbi & cauſam eius promulgandi memorat, cúique id ad Populum Vrbis Conſtantinopolitanæ emiſſum fuerit; videamúſque adeò quibus verbis eius ſententiam Scriptor iſte expreſſerit: Ἔγνω, inquit, τὰ περὶ τὴν ἕω σαλεύοντα, ὡς καὶ τοὺς λαοὺς εἰς διαφόρους αἱρέσεις μεμερίσθαι, καὶ μάλιστα ἀνὰ τὴν Κωνσταντινούπολιν: λογισάμενος δὲ ἄμεινον εἶναι προαγορεῦσαι τοῖς ὑπηκόοις ἣν ἔχει περὶ τὸ θεῖον δόξαν, ὡς μὴ βιαζόμενος ἀκούσιν ἐπιτάττοι παρὰ νόμον θρησκεύειν, ΝΟΜΟΝ ἐκ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗΣ προσεφώνησε τῷ ΔΗΜῼ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΠΟΛΕΩΣ: σαφῶς γὰρ ᾔδει ὡς αὐτὸ πρὸς ἀκρόπολις τῆς πάσης ὑπηκόου καὶ ταῖς ἄλλαις πόλεσι δῆλον ἔσοιτο ἐν τάχει τὸ χρῆμα. ἐδήλου δὲ διὰ ταύτης βούλεσθαι πάντας τὴν ἀρχαίαν θρησκεύειν, ὡς ἐξ ἀρχῆς Ῥωμαίοις παρέδωκε Πέτρος, ὁ κορυφαῖος τῶν Ἀποστόλων, ΕΦΥΛΑΤΤΟΝ δὲ τότε ΔΑΜΑΣΟΣ ὁ Ῥώμης Ἐπίσκοπος, καὶ Πέτρος Ἀλεξανδρείας, μόνους τε τοὺς ἰσότιμον Τριάδα θεὰν θρησκεύοντας, Καθολικὴν τὴν Ἐκκλησίαν ὀνομάζεσθαι: τοὺς δὲ παρὰ ταῦτα δοξάζοντας αἱρετικοὺς προσαγορεύεσθαι, καὶ ἀτίμους εἶναι καὶ τιμωρίας προσδέχεσθαι: vbi inter cætera notandum quod ait, Theodoſium, ad *hanc leg.* deſcendiſſe, *conſiderantem fore conſultius, vt ipſe prius ſuam de Religione confeſſionem ſubditis ſuis ederet, ne opprimere videretur eos, ſi repente Religionem ſuſcipiendam præciperet, nulla lege circumſcriptam.* Quæ fortè pertinent ad explicationem verborum iſtorum *huius legis*: *Clementia noſtra TEMPERAMENTVM.*

His ita breuiter præmiſſis, de continentia huius Edicti, de Theodoſij M. inſtituto, déque iis, ad quos id emiſſum, quo ſuaſore, & vnde, ſeu ex quo loco, ad illuſtrationem Inſcriptionis & ſubſcriptionis. Nunc accuratius de *huius leg.* continentia videamus. Igitur, cùm in immenſa, tum temporis, Orientis, & Eccleſiarum Orientalium confuſione difficile foret inter lacus contritos qui aquam non haberent, intelligere, vbi fons ſignatus & hortus ille concluſus eſſet, Theodoſius M. populis ſuis ſeu ſubditis non tantùm Catholicæ Fidei formulam, ſeu ἔκθεσιν in genere proponendam duxit: verùm initio exemplum Eccleſiæ Romanæ præferendum, his verbis: *In tali volumus Religione verſari, quam diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, Religio vſque nunc ab ipſo inſinuata declarat*: Quibus verbis, non tantùm Romanis ſemel traditam Religionem teſtatur, verùm eandem ita traditam, vt deinceps ad hanc diem in tradita ſemel Religione perſtiterint: id enim eſt quod indicat his verbis, *VSQVE NVNC ab ipſo INSINVATA declarat.* Inſinuatum eſt, quod traditum ſemel, deinceps in ſinu cuſtoditum habetur, ſeruatúrque.

¶ Secundo loco Theodoſius M. hoc Edicto populis ſuis proponit, ſequendum exemplum & authoritatem duorum inſuper in orbe Romano Epiſcoporum, qui videlicet tum inter Epiſcopos clari maximè, rectámque fidem ab Apoſtolis & Euangeliſtis traditam ſeruabant; ac nominatim à Diuino Petro Romanis traditam & inſinuatam: quam Damaſus Vrbis Romæ & Principalis & Virginis Eccleſiæ, quæ hæreſes ſemper reſpuit, Epiſcopus tum, ſequebatur. Cui & Petrum Alexandrinum, ceu fide quoque coniunctum, & dignitate proximum ſociat, inſigni elogio ſuperaddito, cùm eum *Virum Apoſtolicæ ſanctitatis* vocat, tacitâ, vt videtur oppoſitione Damaſi & Romanæ Eccleſiæ, quæ ab Apoſtolo fundata fuit, ſicut Alexandrina à Marco Euangeliſta: quò pertinent mox illa, *Apoſtolicam diſciplinam, Euangelicámque doctrinam.*

¶ Et

§ Et causam istorum exemplorum præferendorum iuata auctoritatem earum Ecclesiarum reddit, nempe quod hi Episcopi Apostolicam Religionem ab Apostolo Petro Romanis traditam, insinuatam, & Euangelicam doctrinam sequerentur, & vt etiam Socrates rectè expressit, ἀφύλακτον ὄντα, quod, inquam, in fide illibati manerent, & Apostolicum Euangelistarum depositum illæsum seruarent; cùm non sic se rum haberent res Orientis, vt disertè scribit Basilius *epist.1. in addit.* Alioquin quid opus erat, normam & regulam ipsam Catholicæ Fidei populis suis tam solicitè præscribere, his verbis: *Vt secundum*, &c. & quidem Apostolicam & Euangelicam, si Theodosius velut Regulam vnicam & Canonem, Ecclesiam Romanam, & hæc duo Episcoporum Lumina, hanc ξυνωρίδα Ecclesiæ ostendere voluisset? Satis enim fuisset, populos ad eos remitti, vel ad alterutrum, & quidem ad Damasum potissimum, si id *centrum communionis* vt loquuntur, agnosci eâ re voluisset, velut à cuius nutu res Christiana tum penderet? Verùm non ita res est: Exemplum enim huius ξυνωρίδος à Theodosio M. clarè præferri videmus, eò quod duo Episcopi illi, Summates, & in his omnium Princeps Pontifex Romanus, hoc cœlo hoc sæculo, veræ Religionis lumen & Apostolicam Euangelicámque doctrinam præferrent, tuerentúrque. Denique παραδειγματικῶς, velut duo exempla, maximè visibilia & in conspicuo posita. Et potissimùm quidem Pontificis Romani, & Ecclesiæ Romanæ: Idque prisco iam instituto. Sic enim & iam olim quoque Irenæus Lugdunensis, de ipsamet sanctissimâ in Fide Ecclesia Romana: *Huius*, inquiebat, *EXEMPLO prauam omnem disciplinam profligamus.* Et rationem subiicit eandem com hoc Edicto, *aduersus hæreses lib.3. cap.3.* vt Latina interpretatio habet: *Sed quoniam valdè longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successionem, maxima & antiquissima, & omnibus cognita, à Gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundata & constituta Ecclesia, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus Fidem, per successiones Episcoporum peruenientem VSQVE ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam præterquam oportet colligunt: Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam; hoc est eos qui sunt vndique fideles: in quâ semper ab his qui sunt vndique, conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio.* Quibus postremis Irenæi verbis respondet egregiè Symmachi locus *lib.4. epist.28.* de vniuersali ad Vrbem Romam conuentu. *Tibi*, inquit, *proficiscentium Romam maior facultas, primò, quia in COMMVNE IMPERII CAPVT VNDIQVE GENTIVM CONVENITVR: tum, quod Clementissimum Principem in hâc parte degentem varia omnium desideria vel necessitates sequuntur.* Vt & Herodiani locus *lib.1. cap.12.* ἅτε πολυανθρωποτάτης οὔσης καὶ τοὺς ΠΑΝΤΑΧΟΘΕΝ ὑποδεχομένης. Hæc inquam duo loca velut παράλληλα Irenæi verbis notanda sunt. Neque absimile est, quod Gregorius Nazianzenus *Oratione 32. p.517.* Constantinopolitanam Vrbem non tantùm, τῆς οἰκουμένης ὀφθαλμὸν γῆς καὶ θαλάσσης ὄντα κράτιστον, verùm etiam ἑῴας τε καὶ ἑσπερίου λήξεως οἷον σύνδεσμον, ΕΙΣ ΗΝ ΤΑ ΠΑΝΤΑΧΟΘΕΝ ἄκρα συντρέχει, καὶ ὅθεν ἄρχεται ὡς ἐμπορίου κοινοῦ τῆς ΠΙΣΤΕΩΣ. Quibus addendus & Marcellini locus *lib.16.* vbi de Constantij Romam Aduentu. Ad rem. Eodem sensu & exemplo, Tertullianus *aduersus hæreticos* scribens *cap.36.* inter cæteras Ecclesias Apostolicas, Romanæ quoque auctoritatem præfert Africanis: *Vnde nobis quoque*, inquit, *AVCTORITAS præsto est.* AVCTORITAS, id est, illustre præiudicium & exemplum. Eodem sensu Cyprianus dixit: *Eos esse Romanos, ad quos perfidia non possit habere accessum.* Eodem prorsus exemplo, atque eâdem semper ratione, biennio ante hoc Edictum (vt rectè supputat Emin. Baronius *Anno D.378. num.6.*) D. Hieronymus in Syriâ Antiochenæ Diœceseos seu Patriarchatus versans, cùm Ecclesia Antiochena in tres diuisa partes esset, & (vt ipsemet *epist.57.* ad eum ipsum Damasum Episcopum seu Pontificem Romanum scribit) vetusto inter se Oriens populorum furore collisus, indiscissam *Domini* Tunicam minutatim per frusta discerperet, ipse verò Hieronymus à Schismaticis hæreseos Sabellicanæ appetitus cum Episcopo Antiocheno communicaret, duas ad Damasum Epistolas, putà *epist.57. & 58.* scripsit, quò videlicet is sibi significaret, apud quem in Syria communicare deberet, & vt ipsemet etiam loquitur, *Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam, consulendam sibi* censuit, *quod* scilicet *profligato à sobole mala* (id est, ab Oriente) *patrimonio, apud Occidentales solos incorrupta Patrum SERVARETVR hæreditas.* Denique *quòd TVM in Occidente sol Iustitiæ oriretur: in Oriente autem Lucifer, qui ceciderat, supra posuisset thronum suum.* Imò idem simili prorsus ratione & exemplo, quo Theodosius M. hoc Edicto, ad eorundem Damasi & Petri Alexandrini exemplum prouocandum sibi duxit, *epist. ad Marcum Presbyterum tomo 3. fol.143. Hæreticus*, inquit, *vocor*, ὁμοούσιον *prædicans Trinitatem, Sabellianæ impietatis arguor, tres subsistentes veras, integras, perfectásque personas indefessa voce pronuncians: si ab Arianis, meritò: si ab Orthodoxis, qui huiusmodi arguunt fidem, Orthodoxi esse desierunt: aut si iis placet, hæreticum me CVM Occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc est cum DAMASO PETROQVE condemnent. Quid vnum hominem, exceptis sociis criminantur?* Qui Hieronymi locus huic Edicto planè geminus est: nam & exemplo pariter seu auctoritate vtriusque & Damasi & Petri simul sese tuetur. Quomodo idem, *Apologia 3. aduersus Rufinum*, eosdem duos πρωταγωνιστὰς vocans, *Iungamus dextras, animos copulemus, & DVOS Orientis atque Occidentis πρωταγωνιστὰς alacri sequamur incessu:* Theophilum Alexandrinum indicans, & Anastasium Ep. Romanum: quos & paulò post nominat & componit, vtrumque etiam Papam appellans: Sed & *aduersus Vigilantium* eodem respexit: *Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti? quid Apostolicæ sedis?* Similiter Ambrosius in *Prolegomenis libri 1. de Spiritu sancto: Quantos ergo & Constantinopoli, quantos postremo toto die in orbe mundasti? Non mundauit DAMASVS, non mundauit PETRVS, non mundauit Ambrosius, non mundauit Gregorius: nostra enim seruitia, sed tua sunt Sacramenta.* Idem Ambrosius *epist.83.* in aliâ re: *Post Ægyptiorum supputationes, & Alexandrinæ Ecclesiæ definitionem, Episcopi quoque Romanæ Ecclesiæ, meam adhuc expectant sententiam, quid existimem de die Paschæ.* Similiter & Sozomenus, *lib.6. cap.15. Cùm Apollinariorum hæresim ad multos serpere DAMASVS Episcopus Romanus, & PETRVS Ep. Alexandrinus certiores facti fuissent, primos omnium Concilio Romæ conuocato, eam alienam esse ab Ecclesia Catholica PRONVNCIASSE.* Quibus & similia vide apud Rufinum *lib.1. c.20.* Imò & iam olim ita iuncti Romanus & Alexandrinus Episcopi: Athanasius *epist. de Synodis Arimin.*

min. & Seleuc. Διωρίσατο γὰρ δύο γενέσθαι ἐμπροσθεν πολὺ τῆς ἑβδομήκοντα καθελέσθαι τὴν Σαμοσαθέα : τούτων ὁ μὲν τῆς Ῥώμης, ὁ δὲ τῆς Αλεξανδρείας ἦν Ἐπίσκοπος. His igitur tot similibus exemplis Theodosius M. quoque ad Damasi Ep. Romani & Petri Alexandrini fidem & communionem hoc Edicto subditos suos reuocare instituit. Quem eundem morem secutus & Theodosius Iun. *l. vltim. infr. de his qui super Relig. contend.* vbi aliorum iam exempla aduocat seu præfert : secutus & Marianus Imp. *l. quicunque* 8. §. 2. *Cod. de heret.* ibi, *& sicut Athanasius & Theophilus & Cyrillus sanctæ recordationis Episcopi Alexandrinæ ciuitatis credebant* ; idque non tantùm Alexandrinæ, & Ægyptiacæ Diœcesi, verùm etiam *diuersis*, id est, omnibus aliis prouinciis. Imò, eundem quoque morem secutus idem Theodosius M. Edicto suo ad Cynegium PP. quod refert Baronius Anno D. 388. *num.* 95. secuti, Honorius *l. 45. infr. de hereticis* : Valentinianus III. *l. 62. eod.* Imò eundem retinuit idem Theodosius M. *d. l. 3. infr. eod.* prælatis exemplis PROBABILIVM multorum per Orientem Sacerdotum, quod probam scilicet fidem illi tum sequerentur, seruarent, conseruarent, δοκίμων. Et vt Sozomenus disertè *legem* illam commemorans ait, *lib. 7. cap. 9.* τούτους γὰρ καὶ Βασιλεὺς ἐπῄνεσεν, ἰδὼν καὶ συγγενόμενος, καὶ δόξαν ἀγαθὴν περὶ αὐτῶν ἐκρίνετο, ὡς τὰς Ἐκκλησίας ὀρθῶς ἀγόντων. Igitur ob emendatæ vitæ famam, & personatum grauitatem. *Probabilis* vox, cùm de rebus & actionibus passim vsurpetur, dicitur & de personis : (quo sensu Græci δοκίμους vocant,) vt *eâ leg.* 3. ita & *l. 2. supr. de Scenicis* : & *l. 4. infr. de Episcopis*. Sic & apud Symmachum *lib. 5. epist.* 37. Probabiles Viri : & *epist.* 80. *lib.* 2. Probabilis amicus : & similes aliæ plures locutiones. Sic igitur liquet Damasum Pontificem, sic Petrum Alexandriæ Episcopum Apostolicæ sanctitatis Virum, vt principalium Ecclesiarum Sediúmque toto orbe primatum Episcopos, & probabiles, tum maximè Sacerdotes δοκιμωτάτους, & Damasum quidem inter omnes Summatem, Apostolica sanctitate cæteris hoc æuo prælucentem à Theodosio M. inata alia pro exemplari Fidei Catholicæ propositum. De quo alioquin Damaso hâc parte aliunde quoque argumenta suppetunt : & de Petro quoque Basilij *epist.* 320. Gregorij Nazianzeni *oratio* 24. εἰς τοὺς Αἰγυπτίους ὁμολογητάς. Vincentius Lirinensis *fine Commonitorij*. Etsi scimus alioquin, Basilij aliquando per hæc tempora querelas, vt de cæteris Occidentalibus, ita & de Damaso ipso, quasi Orientalium Ecclesiarum statum tum miserrimum ad curam suam minùs reuocantibus. Quam ego litem meam nunc non facio. Ex superioribus igitur iam patet, quo more, quo exemplo, Theodosius M. exemplum Romanæ Ecclesiæ Damasique & Petri Alexandrini in Fide sequendum hoc Edicto inter alia proposuerit : Quo sanè sensu Catholicæ Fidei *Canon* hic dici quoque potest : quomodo Acholius, quod *suprà* vidimus, ab Ambrosio, *Murus Fidei* vocatur : & Gregorius Nazianzenus *epist. 28 seu 58. ad Simplicium hereticum*, Basilium disertè vocat, τὸ τῆς πίστεως ἔρεισμα, τὸν τῆς ἀληθείας ΚΑΝΟΝΑ, καὶ χαρακτῆρα τῆς Ἐκκλησίας. Et ita quidem historicâ huius Edicti enarratione defuncti sumus : vbi quinque certè illustria, ad Romanæ Sedis prærogatiuam, apertè continentur : nempe Primò, Petrum Apostolum Apostolicam Romanis doctrinam tradidisse. Secundò, Traditam semel ab eo Religionem Romanis VSQVE TVNC insinuatam mansisse, custoditéque habitam. Tertiò, Ad Ecclesiæ Romanæ Fidem & exemplum prouocatum, reuocatósque populos & Christianos : vnde Basilica quoque Damasum *Petri successorem* hîc faciunt : Δάμασος ὁ καὶ διάδοχος αὐτοῦ δείξεις. Quartò, Summam inter Episcopos, Pontificis Romani dignitatem & authoritatem ab antiquo semper fuisse, atque ideò ad eius Fidem & Communionem potissimùm prouocatum, vtpotè qui traditam Romanis Religionem à PETRO, insinuatámque SEQVERATVR. Quintò, Tandem notandum quod de ipsomet Damaso Pontifice Romano hîc dicitur. Ad cætera quæ ad *huius leg.* illustrationem facere possunt, transeamus. Primò, notandum (quod strictim supra indicauimus,) coniungendam eum *hâc leg.* esse *legem 25. infr. de Episcopis* : cuius sententia eò pertinet, quinam *Pastores* Ecclesiis præficiendi sint, vt quidnam eorum muneris sit, quàm rerro culpabiles qui muneri suo non satisfacerent, vt ad *eam leg.* pleniùs ostendetur. Nempe, eiusdem Principis curæ fuit, & rectam Fidem populis suis, seu subditis, insinuare ; & de Pastoribus qui eam populis proponerent, inculcarent, curam gerere, vt ad Fidem Catholicam stabiliendam fidi ἀγαθοὶ συνεργοὶ essent, καὶ περὶ πᾶσαν ἱερωσύνης ἀρετὴν πεπαιδευμένοι, quod in Acholio sibi obtigisse, huius constitutionis vtpote suasore, rogatore, Theodosius sibi gratulatus est.

Secundò obseruandum, apertissimum esse Theodoreti lapsum, *lib. 5. cap. 2.* qui *hanc leg.* Gratiano tribuit, eò quod eius quoque nomen Inscriptio præferat : cùm tamen, quod apertè docet eadem Inscriptio, *Edictum ad populum Vrbis Constantinopolitanæ*, & Subscriptio, *Dat. Thessalonicæ*, præter rem ipsam, Theodosio M. ea accepto ferenda sit. Quibus accedat & Sozomeni auctoritas : Quod rectè quoque obseruauit Doctissimus Blondellus, *de Primatu, p.* 198. Et certè, vt id addamus, Theodoretus apertè *hanc leg.* miscuit cum Gratianeâ *l. 5. infr. de heret.* Sed & eiusdem error est, cùm *hanc ipsam leg.* memorauit : & in eo quidem etiam, quod iussas ait Ecclesias his tradi, qui Damaso communicarent : τοὺς θείους οἴκους παραδοθῆναι τοῖς τὴν Δαμάσου κοινωνίαν προαιρουμένοις : cùm tamen, vt vidimus, historicâ narratione retenta, Damaso Petrus quoque hîc societur. Etsi idem tamen, eiusdem Damasi elogium conuenienter *huius leg.* sententiæ, haud malè expressit : ἀξιεπαίνῳ βίῳ κοσμούμενος, καὶ πάντα λέγειν καὶ πράττειν ὑπὲρ τῶν ἀποστολικῶν δογμάτων αἱρούμενος : *laude dignâ vita decoratum*, ait ; *& quiduis dicere & facere pro dogmatibus Apostolicis paratum*. Quæ postrema verba ita interpres vertit : *quoad eius fieri poterat, doctrinam Apostolicam tutatum esse*. Idem etiam rectè sententiam *dictæ legis 25. infr. de Episcopis*, quam eum *hac* coniungendam modò docui, expressit vel adumbrauit : τοὺς δὲ ἀρίστους ποιμένας ταῖς θείαις ποίμναις ἀπέδωκε προστάξας. Attamen in cæteris turbidè multa hac parte Theodoretum narrare Baronius quoque iam rectè omninò obseruauit.

Tertiò notandum, hoc Edictum, velut monitorium & præparatorium, secutam esse hoc ipso Anno mense Decembri traditionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ Catholicis, Arrianis ereptæ, à Theodosio Constantinopoli iam constituto ; vt testatur Socrates, *lib. 5. cap. 7. in fin.* Sozomenus *lib. 7. cap. 5.* Philostorgius, *lib. 9. c. 19.* Marcellinus, *in Chronico, his ipsis COSS.* de quo dicam *ad legem prox.* & *l. 6. infr. de de hereticis*.

Quod postremum caput *huius leg.* attinet, duo ibi continentur. Primum Catholicos respicit : *Posterior* sanctio est in Hæreticos. Nempe Theodosius M. *hanc legem* sequentes *Christianorum Catholicorum* nomen amplecti iubet ; vbi malè Basilica,

silica, Χριστιανῶν Καθολικῶν ὄνομα: Christianorum scilicet Catholicorum ideò, quia & Hæretici *Christianorum* nomine censebantur, teste Basilio *ep 71.* Porrò *Christianorum Catholicorum*, id est, Orthodoxorum: *Catholici* pro Orthoxis: *Catholica* (inquit Augustinus *epist.48.*) *quod totum veraciter tenet.* Optatus *lib.2. Catholica quod sit rationabilis, & vbique diffusa.* Hoc sensu idem Augustinus, *epistola 152. Catholicas Transmarinas, Catholicas Africanas* vocat. Idem *in Genesim, cap.1. Ecclesia Catholica dicitur ex eo, quia vniuersaliter perfecta est; & in nullo claudicat, & per totum Orbem diffusa est.* Hoc sensu, Hilarius Episcopum sese *Ecclesia Catholica Vrbis Romæ* nuncupat. Hoc sensu, Episcopi subscripti testamento Gregorij Nazianzeni, *Catholicos* sese huius, vel illius Ecclesiæ vocant. Cyrillus in 18. *Catechesi*: Καθολικὴ καλεῖται, διὰ τὸ κατὰ παντὸς εἶναι τῆς οἰκουμένης ἀπὸ περάτων γῆς ἕως περάτων, καὶ διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελλειπῶς, ἅπαντα τὰ εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα. Nempe cum hæretici quoque Catholicos sese venditarent, & ratione temporis, & ratione loci (quæ propria est alioquin huius vocis significatio) tertio iam significatu ea vox elata pro Orthodoxis: Et verò ita passim Patres & Imperatores eam vocem vsurpant: Alij omnes notiones in vnum cumulant.

¶ Quod *sanctionem* huius legis attinet, eâ Theodosius M. Quatuor tum de hæreticis prædicat, odiúmque in eos sciiè testatur, tandem & vindictam iisdem comminatur. Primò, *Dementes scilicet & Vesanos* eos vocat. Secundò, *Infamiam* hæretici dogmatis sustinere eos iubet, de quo ad *tit. de hæreticis*: Sanè & Sulpitius Seuerus, *lib.2. histor. sacræ, pag.435. 449.* non semel *hæresis infamiam*, ait. Tertiò, *Conciliabula* eorum, Ecclesias vocari non oportere. Quartò, Tandem præter diuinam vindictam, suam etiam *vltionem* comminatur. Quæ vt per se alioquin clara sunt, ita ex aliis Legibus, *tit. de hæreticis*, facilè illustrari possunt.

Duo errores refutandi supersunt: Prior est vulgaris eorum, qui ex his verbis, *Cunctos populos*, ineptè colligunt, etiam hodie αἱρεσιῶται multi, omnes populos vt olim, ita & hodie Imperatori de iure subesse. Quos vt vel sensus communis refutat, ita hæc vel ipsa *lex*. Primò quidem videmus ex Inscriptione, Gratianum & Valentinianum Theodosij M. in Imperio consortes fuisse: quibus singulis sua portio in Imperij diuisione cessit: & Theodosio quidem *huius leg.* Auctori Oriens. Secundò hunc errorem refutant vel illa, *Cunctos populos quos Clementia nostra regit temperamentum*: vbi vox QVOS suum Antecedens restringit. Imò quamlibet abessent, tamen vt dixi cuncti populi *hâc leg.* non alij forent quàm qui Theodosio M. suberant, id est, Imperij Orientalis: hæc enim vt dixi pars Imperij Theodosio cesserat. Itaque tantùm abest, totus *Orbis* his verbis indicetur; vt contrà, ne totus quidem *Orbis Romanus* intelligatur; vt delirium patiantur nescio qui insani Politici, qui Imperatorem totius Orbis, quantus quantus, Imperatorem iure esse hinc colligunt, & hodie passim volunt. Rectè sanè & totus Orbis, in Euangelio pro orbe Romano toto effertur: & Antoninus, quo tempore solus Imperium Romanum obtinebat, sese κόσμου κύριον venditabat, in *l. ἀξίωσις, π. ad leg. Rhod.* Sed neque κόσμος ibi est Orbis totus, verùm Romani Imperij orbis, & vt loquitur Tertullianus, *tota Romanitas, de pallio, cap.4.* Denique rectè Chrysostomus *ad Psalm.44. in fin.* τὰ μὲν τῶν βασιλέων ὀνόματα, ὅσα τῆς οἰκείας ὅριον ἔχει τὴν ἰσχύν: ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς οὐκ ἂν δύναιτο νομοθετεῖν Πέρσαις, οὐδὲ ὁ Περσῶν Ῥωμαίοις. Quare nugari deinceps desinant Interpretes *Codicis Iustiniani*, & Politici illi, qui in hanc vnam, quam dixi, quæstionem hîc fermè sese diffundunt: imò, si Deo placet, in illam, *Quinam status alicuius loci teneantur.*

Est & error Mercerij 2. *Opinion. vltim.* cùm *hâc leg.* tres veræ & Catholicæ Religionis notas exprimi ait: Prima equidem hîc designatur, *Antiquitas*, Apostolica scilicet & Euangelica, nam & hæc vera Antiquitas est, ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς, vt Sozomenus ipse loquitur in *huius leg.* interpretatione. Item secunda, *Constantia* scilicet in Fide seruanda, & sequenda, Religione semel tradita & insinuata ab Apostolis. Tertia nota hîc nusquam apparet, vel indicatur, *Vniuersitas*, inquam; nam & quid *Catholicorum* appellatione hîc intelligendum sit? iam ostendimus: & res ipsa id refutat: Orbem enim & quidem Orientem hæretici hoc tempore fermè implebant, vti sub Constantio Imp. totus fermè Orbis sese Arianum viderat, & miratus fuerat.

¶ THEODOSII M. *altera constitutio, de Fide Catholica.*

III. * Idem AAA. ad Auxonium" Proc. Asiæ."

EPISCOPIS tradi omnes Ecclesias mox" iubemus, qui vnius maiestatis adque virtutis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum confitentur, eiusdem gloriæ, claritatis vnius: nihil dissonum profanâ diuisione facientes, sed" Trinitatis ordinem," personarum adsertionem, & diuinitatis vnitatem: Quos constabit communione" Nectari" Episcopi *Constantinopolitanæ* Ecclesiæ, Timothei" necnon" intra Ægyptum *Alexandrina* Vrbis Episcopo" esse sociatos: Quos etiam in *Orientis* partibus, Pelagio" Episcopo Laodicensi, & Diodoro" Episcopo Tarsensi: in *Asia* necnon Proconsulari, adque Asiana Diœcesi, Amphilocio" Episcopo Iconiensi, & Optimo" Episcopo Antiocheno: in *Pontica* Diœcesi Helladio" Episcopo Cæsariensi, & Otreio" Meliteno, & Gregorio" Episcopo Nyseno:" Terennio" Episcopo Scythiæ, Marmario" Episcopo Marcianop. communicare constiterit: Hos ad optinendas Catholicas Ecclesias ex communione & consortio probabilium" Sacerdotum oportebit admitti. ¶ Omnes autem qui ab eorum, quos commemoratio specialis" expressit, fidei communione dissentiunt, vt manifestos hæreticos ab Ecclesiis expelli, neque his penitùs posthac obtinendarum Ecclesiarum Pontificium" facultatémque

que permitti, vt veræ ac Nicenæ fidei Sacerdotia casta permaneant: nec post euidentem præcepti nostri formam malignæ locus detur astutiæ. Dat. III. Kalend. Aug. Heracl. Eucherio & Syagrio COSS. [381.]

NOTÆ.

* Abest *hæc lex* à *Cod. Iust.* prælatâ *superiore leg.* velut nobiliore & sufficiente. Sed & Socrates decretum seu Canonem Constantinopolitanum memorans, designatos *hâc leg.* Episcopos illic inseruit *lib. 5. c. 8.* exceptis Thraciæ Episcopis, Terentio & Martyri. Meminit autem eius Sozomenus, *lib. 7. cap. 9.* & Facundus, *lib 4. p. 122. 163.* vbi partem eius memorat verbis tamen mutatis. Meminit rursum *lib 11. cap. 3.* Extat ea quoque apud Baronium *Anno 381. num. 74.*

[a] *Auxonium* hunc Proconsulem Asiæ intelligit Symmachus *lib. 3. epist. 53.*

[b] Ad Diœcesim ergo Asianam propriè pertinet *hæc lex*: in qua hæ octo prouinciæ fuêre; Pamphylia, Lydia, Caria, Lycia, Lycaonia, Pisidia, Phrygia, Pacatiana, Phrygia salutaris. Item Hellespontus & Insulæ.

[c] Quod etsi hactenus iussum, *l. 6. infr. de hæret.* nondum tamen executioni traditum fuerat.

[d] Trinitatis ordo est secundùm Trium Personarum assertionem: seu Diuinitatis Vnitas est, *hâc leg.* seu Vna Deitas sub pia Trinitate, *l. Cunctos populos*, *supr.* Trinitatis indiuisa substantia, quæ Græci assertione verbi *ὁμουσίου* rectè credentibus dicitur *l. 6. infr. de hæret.* hoc ipso Anno.

[e] quidam mallent *communioni*, sed & hoc ferri potest.

[f] *Nectarium* Episcopus Constantinopolitanus: qui in Synodo Constantinopolis. hoc ipso Anno 381. Episcopus constitutus: vide Sozomenum *lib. 7. cap. 8.* Theodoretum, *lib. 5. cap. 8.* Socratem, *lib. 5. cap. vltim. lib. 6. cap. 18.* Marcellinum, *Chronico, his COSS.* decessit Cæsario & Attico COSS. Anno D. 397. Eius mentio fit & *l. 3. infr. de Episcop. iud.* Ad hunc extant Gregorij Nazianzeni *epistola* quatuor potà 51. 52. 226. 227. vt & *Oratio ad eundem, pag. 721.* Cæterùm *huic legi* subscriptus dies *III. Kal. Aug. Eucherio & Syagrio COSS.* id est, Anno D. 381. ostendit, Gregorium Nazianzenum iam hoc tempore Episcopatu Constantinopolitano sese abdicasse, & Nectarium ei suffectum, qui Gregorius adhuc Kalendis Ianuariis huius Anni Episcopus erat; vt docet subscriptio Testamenti ipsius.

[g] *Timotheum* Episcopus Alexandrinus, Petri (de quo *super. lege*) successor: vid. Socratem, *lib. 6. cap. 2. & 8.* De eodem vid. *l. 3. infr. de Episcop. iudicio.*

[h] quidam ita inuertunt, *necnon Timothei*, quo nil opus, sic & infrà mox, *in Asiâ necnon Proconsulari.*

[i] *κ. Episcopi*, nisi *suprà* reponas *Timotheo.*

[k] *Pelagius* Episcopus Laodicensis, iam ab Anno D. 360. vid. Philostorgium *lib. 5. cap. 1.*

[l] *Diodorus* Episcopus Tarsensis. Eius meminit Sozomenus, *lib. 7. cap. 8.* Socrates *lib. 5. cap. 8.*

[m] *Amphilocius* Episcopus Iconiensis, ad quem Basilius scripsit librum *de Spiritu sancto 2. Tom. Paris. p. 142.* Item Epistolas Canonicas tres, *p 757.* & aliam de *differentia ciborum*, *pag 780* De hoc vid. Theodoretum *lib 4 cap. 14.* Sozomenum *lib. 7. cap. 6* Idem iste, ad quem scribit Gregorius Nazianzenus *epist. 159. 160. 161. 162. 163.* & è decem epistolis quas Morellus eduxit, *epist. 140. 141.* Meminit eius in testamento suo, cui & subscripsit. Eius opera quæ reperiri potuerunt nuper edidit Fr. Combesius, vbi vide eius elogia.

[n] *Optimus* Episcopus Antiochiæ (in Pisidiâ scilicet) vt docet Socrates, *d. lib. 5. c. 8.* & Theodoretus *lib. 5. cap. 8.* ad eum extat etiam Basilij *epist. 317.* Huius nomen omisit Sozomenus *d. cap. 9.*

[o] *Helladius* Episcopus Cæsariensis.

[p] *Otreius* Melitenus: ad quem extat *Epistola* Basilij 316. eius meminit & Cyrillus Monachus *in Actis S. Euthymij.*

[q] *Gregorius* Episcopus Nyssenus.

[r] *κ. Nysseno.*

[s] *κ. Terentius*: vt in *Cod. Aniciensi.* Et disertè *Terentium* Episcopum Tomorum vocat Sozomenus, quæ Metropolis est Scythiæ: & ex eo Nicephor. *lib. 12. cap. 13.* Meminit quoque eius Facundus *lib. 4. p. 163.* vbi *huius legis* meminit & quædam inde recitat. Malè quoque in vulgaris exemplaribus Synodi Constantinopolitanæ *Gerontius* vocatur. Porrò hoc loco verba ista supplenda videntur ex Sozomeno, *in Thracia*: similiter vt Ægyptiacam, Orientis, Asianam & Ponticam Diœceses enumeratas videmus.

[t] *Marmarius* Episcopus Martianopolitanus: *Martyrium* vocat Sozomen. *lib. 7. cap 9.* & Facundus: Hic Concilio Constantinopolitano subscripsit, vt Mœsiæ secundæ Metropolita, quæ vna est è sex Prouinciis Thraciæ Diœceseos.

[u] Superius scilicet.

[v] *Probabiles* Sacerdotes, *δόκιμοι*: de quo mox.

[w] *Pontificium* pro potestate, pariter vt *l. 1. supr. de bon. matern. l. 3. infr. de Episcop. aud. in fin. l. 2. infr. de Apostatis*: de quo vide Glossarium, Alciatum, Carrionem, 1. *emend.* 9.

[x] al. *Potestatémque*: imò & sine copula, *potestatem*: vide Carrionem *d. loco*; qui hanc vocem ex Glossemate irrepsisse censet; & vero à MS. suo id abesse ait.

[y] in nonnullis malè, *verò.*

[z] in *Vet. Cod.* pro *ac Nicenæ*, scriptum *agnita*: malè.

[&] id est Sacerdotes; atque adeò huius loci hic sensus est, *vt non alij Sacerdotes sint, quàm fidei Nicenæ sectatores.*

[z] Eodem die data ex eadem Vrbe Heraclea, *lex 6. supr. de sepulchr. violat.* itémque *lex 87. supr. de Decurion.*

COMMENTARIVS.

FIDEM CATHOLICAM, & hac constitutione, per Asiam nominatim Proconsularem ab Hæreticis, & quidem Macedonianis vindicat Theodosius M. hic enim Auctor est *huius leg.* non verò Gratianus, aut Valentinianus, vt nonnulli perè minùs *hanc legem* laudant, vel etiam Gratiani tantùm vocant; quod Salmasio quoque excidit, *de Primatu Papæ, p. 45. 46.* Fidémque adeò Catholicam amplectentibus Ecclesias tradi iubet, pari quo superiore Edicto; propositâ tamen priùs Fidei Catholicæ formulâ super Sacrosancta Trinitate, quæ Christianæ Fidei formula est, quâque hæresibus fermè præscribitur: cuiusmodi duæ similes eiusdem Theodosij formulæ seu *ἐκθέσεις* de Trinitate extant *l. cunctos populos 2. supr. hoc tit.* & *l. 6. infr. de hæretic.* Dein & exemplis *Probabilium* Sacerdotum (de qua voce ad *leg. 2. supr. hoc tit.*) seu Episcoporum per Orientis Præfecturam fidem Catholicam tum amplectentium: *ἵνα δόξα κυρωθῇ ἀεὶ αὐτῶν ὑπηρέτα ὡς τῆς Ἐκκλησίας ἐνωθεῖς ἀγῶνι*, vt Sozomenus disertè: de quo more iam ad *d. l. 2. supr.* Enumeratione, recensúque horum Episcoporum, iuxta Concilij Constantinopolitani Oecumenici præscriptum, & per quinque Diœceses Orientis facto. Quin imò & *decreto* seu *Canone* 2. Concilij Constantinopolitani, *hâc lege*, prorsus confirmato. Nempe Constantinopolitana Synodo Oecumenicâ secundâ, quæ hoc Anno habita fuit, (imò & finita hoc ipso mense Iulio,) *Macedoniani* hæretici, inter alios, nominatim condemnati fuêre: quorum pars maior, teste Socrate, *lib. 5. cap. 8.* ex ciuitatibus Hellesponti, (quæ modò Asiæ Proconsularis, modò Asianæ Diœceseos Prouincia erat,) fuit. Hinc igitur hæc lex *Proconsuli Asiæ* inscribitur. Quæ sanè potissimùm Diœcesis ab hæreticis variis subinde infestata (sub Theodosio M. quoque & Arcadio,) quod ex Epiphanio videre licet.

Itaque

Itaque & *lex* 22. 28. *infr. de hæreticis.* Proconsulibus Asiæ pariter inscriptæ.

¶ Theodosius M. igitur, decreto Synodi Constantinopolitanæ σύμψηφος Subscriptor & Approbator (vt Socrates *fine d.cap.*8.ait)& ipse *Macedonianam* per Asiam hæresim, aliásque profligare instituit, his ab Ecclesia mox expelli iussis, inuicem Ecclesiis bis tradi iussis, qui fidem Nicænam amplecterentur, quique cum *vndecim* Episcopis *hâc leg.* memoratis communicarent. Quam ipsam Ecclesiarum Orthodoxis traditionem sine superioris anni Constantinopoli iam peregerat: vt docet Socrates *lib.*5 *cap.*7.Sozomenos *lib.*7.*cap.*5. & Marcellinus *Chronico*: quod ad *superiorem legem* ostensum est. Imò quam Ecclesiarum traditionem initio huius anni ante Synodum Constantinopolitanam per Orientis Præfecturam fieri iusserat: *l.*6. *infr. de heret.* sed non pari vbique successu. Itaque & hæc tecentandæ huius constitutionis per Diœcesim Asiæ causa fuit.

¶ Cæterùm hanc *legem* ipsam memorat, imò transcribit Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 9. his verbis: καὶ τὰ μὲν ὧδε τῇ συνόδῳ ἔδοξε, καὶ ὁ Βασιλεὺς ἐπεψηφίσατο, καὶ νόμον ἔθετο, κυρίαν εἶναι τὴν πίστιν τῶν ἐν Νικαίᾳ συνεληλυθότων, παραδοθῆναι δὲ τὰς πανταχοῦ Ἐκκλησίας τοῖς ἐν ὑποστάσει τριῶν προσώπων ἰσοτίμων καὶ ἰσοδυνάμων μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ὁμολογοῦσι θεότητα πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος: τούτους δὲ εἶναι τοὺς κοινωνοῦντας (1.) Νεκταρίῳ ἐν Κωνσταντινουπόλει. (2.) ἐν Αἰγύπτῳ δὲ Τιμοθέῳ τῷ Ἐπισκόπῳ Ἀλεξανδρείας. (3.) ἐν δὲ ταῖς ἀνὰ τὴν ἕω Ἐκκλησίαις, Διοδώρῳ τῷ Ταρσοῦ, καὶ Πελαγίῳ τῷ Ἐπισκόπῳ Λαοδικείας Συρίας. (4.) Παρὰ δὲ Ἀσιανοῖς Ἀμφιλοχίῳ τῷ προεστηκότι τῆς ἐν Ἰκονίῳ Ἐκκλησίας. (5.) ἐν δὲ ταῖς περὶ τὸν Πόντον πόλεσιν, ἀπὸ Βιθυνῶν μέχρι Ἀρμενίων, Ἑλλαδίῳ τῷ Καισαρείας τῆς Καππαδοκῶν Ἐκκλησίας Ἐπισκόπῳ καὶ Γρηγορίῳ τῷ Νύσσης, καὶ Ὀτρηΐῳ τῷ Μελιτηνῆς. (6.) ἐν δὲ ταῖς περὶ Θρᾴκην καὶ Σκυθίαν πόλεσιν Τερεντίῳ τῷ Τομέων, καὶ Μαρτυρίῳ τῷ Μαρκιανουπόλεως: τούτους γὰρ καὶ Βασιλεὺς ἐπαινέσας ἰδὼν καὶ συγγενόμενος καὶ δόξαν ἀγαθὴν περὶ αὐτῶν ἐκράτει: ὡς κατ᾽ Ἐκκλησίας Εὐσεβοῦς ἀγόντων. Quo loco Sozomenus non vnâ ratione ab *hâc leg.* abit. Primò, Nam & est vbi ordinem Episcoporum inuertit, vt cum Diodorum Tharsensem ante Pelagium Laodicensem nominat; Cùm Gregorium Nyssæ ante Otreium Melitenæ. Secundò, Est vbi Episcopum omittit, in Asia scilicet Optimum Episcopum Antiochenum. Tertiò, Est vbi aliquid vtiliter addit: cum videlicet Ponticæ diœceseos seu ciuitatum limites describit à Bithynia ad Armeniam vsque, ἐν δὲ ταῖς περὶ τὸν Πόντον πόλεσιν, ἀπὸ Βιθυνῶν μέχρι Ἀρμενίων. Item cùm *fine leg.* hæc addit, ἐν δὲ ταῖς περὶ Θρᾴκην καὶ Σκυθίαν πόλεσιν: quæ hîc absunt & desiderari videantur. Similis est & eadem fine altera, sed prior Theodosij Magni hoc ipso Anno constitutio, nempe *lex* 6. *infr. de hæretic.*

¶ Atque hæc quidem de ipsa *huius legis* sententia. Sed enim ad eam obseruanda compluria.

¶ Primò Constantinopolitanum Episcopum Nectarium primo loco, & quidem ante Alexandrinum hîc memorari Theophiloque præferri. Et hoc verò iuxta nuperam definitionem eiusdem Concilij Constantinopolitani, *cap.*3. quo πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, post Romanum statim Episcopum Constantinopolitano Episcopo tributa fuêre, submoto io tertium & quartum locum Alexandrino & Antiocheno: Quem ordinem seruat quoque Theodosius Iun. *l.*6. *supr. de patrocin. vicor.*

¶ Secundò notandum, cùm per *quinque Diœceses* in sequentibus decurrat *hâc leg.* Theodosius M. singularúmque Episcopos designet, attamen nulli diœcesi Ep. Constantinopolitanum adscribi: *Nectarij*, inquit, *Ep. Ecclesiæ Constantinop.* Quomodo & Sozomenus Νεκταρίῳ ἐν Κωνσταντινουπόλει, nullâ Diœcesi adscriptâ: Nempe peculiaris eius ratio habita propter honoris summi prærogatiuam & primatum post Romanum Pontificem Concilio CSP°. tributum. Neque ideò tamen malè Socrates *lib.*5. *cap.*8. qui Nectario Thraciam quoque in Concilio Constantinop. cessisse ait: καὶ κληροῦται Νεκτάριος μὲν τὴν μεγαλόπολιν, καὶ τὴν Θρᾴκην. Reuera enim hæc eius Diœcesis fuit: peculiari licet insuper & ἐξαιρέτῳ priuilegio donatus esset: de quo mox plura.

¶ Tertiò, ex *hâc lege* liquet, finitum iam Concilium Constantinopolitanum hoc tempore fuisse. Et sanè eius Concilij Canones disertè præferunt diem πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν Ἰουλίων: id est, *septimum Iduum Iuliarum.* Ex hoc verò *huius leg.* characterismo patet perperam ad *hanc legem* trahi narrationem de congressu Theodosij cum Amphilochio, & exinde *legem* quam memorat Theodoretus *lib.*5. *cap.*16. & ex eo Menologium 23. *Nouembris*: biennio enim demum post *hanc legem*, Arcadius Augustus (cuius ibi mentio fit) à Patre creatus est.

¶ Quartò obseruandum, quinque Diœceses, quæ per Præfecturam Prætorianam Orientis erant, *hâc leg.* memorari: putà Ægypti, Orientis, Asiæ, Ponticæ, Thraciarum. Quot vid. Diœceses etiam ciuiles in ea Præfectura erant, vt disertis verbis testatur *Notitia Imperij.* Idque ipsum rursum, iuxta formam & formulam prædicti Concilij Constantinopolitani, cuius *Canon secundus* ita habet: τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν Ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις Ἐκκλησίαις μὴ ἐπιέναι, μηδὲ συγχέειν τὰς Ἐκκλησίας, ἀλλὰ κατὰ τοὺς Κανόνας, (1.) τὸν μὲν Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπον, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ μόνον οἰκονομεῖν. (2.) Τοὺς δὲ τῆς Ἀνατολῆς Ἐπισκόπους, τὴν Ἀνατολὴν μόνον διοικεῖν: φυλαττομένων τῶν ἐν τοῖς κανόσι τοῖς κατὰ Νικαίαν πρεσβείων τῇ Ἀντιοχέων Ἐκκλησίᾳ. (3.) καὶ τοὺς τῆς Ἀσιανῆς Διοικήσεως Ἐπισκόπους, τὰ κατὰ τὴν Ἀσιανὴν μόνην οἰκονομεῖν: (4.) καὶ τοὺς τῆς Ποντικῆς, τὰ τῆς Ποντικῆς μόνον; καὶ τοὺς τῆς Θρᾳκικῆς, τὰ τῆς Θρᾳκικῆς μόνον οἰκονομεῖν, id est; *Qui sunt super Diœcesin Episcopi, ad Ecclesias extra suos terminos sitas ne accedant; neque confundant Ecclesias: Sed secundum Canones, Alexandriæ quidem Episcopus, quæ sunt in Ægypto tantum administret: Orientis autem Episcopi, Orientem solum gubernent (seruatis priuilegiis, quæ Antiochenæ Ecclesiæ Nicænis Canonibus tributa sunt.) Et Asianæ Diœceseos Episcopi, Asianam Diœcesin tantùm gubernent: Necnon & Ponticæ Diœceseos, ea tantùm quæ ad Ponticam Diœcesin pertinent: Et Thraciæ, ea tantùm, quæ Thraciæ sunt, administrent.* Quem Canonem Socrates *lib.*5. *cap.*8. ita expressit indiculo Episcoporum qui in *hâc leg.* indicantur, ex eâ eò simul translato: Πατριάρχας, inquit, κατέστησαν, διανειμάμενοι τὰς ἐπαρχίας, ὥστε τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν Ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις Ἐκκλησίαις μὴ ὑπερβαίνειν: Τοῦτο γὰρ πρότερον διὰ τοὺς διωγμοὺς ἐγίνετο, ἀδιαφόρως. Et mox: Diœceses seu Patriarchatus enumerat: Primò, καὶ κληροῦται Νεκτάριος μὲν τὴν Μεγαλόπολιν, καὶ τὴν Θρᾴκην: Secundò, τῆς δὲ Ποντικῆς Διοικήσεως, Ἑλλάδιος, ὁ μετὰ Βασίλειον Καισαρείας τῆς Καππαδοκῶν Ἐπίσκοπος, Γρηγόριος ὁ Νύσσης (ὁ Βασιλείου ἀδελφὸς) Καππαδοκίας δὲ καὶ αὕτη πόλις, καὶ Ὀτρήϊος ὁ τῆς ἐν Ἀρμενίᾳ Μελιτηνῆς, τὴν Πατριαρχίαν ἐκληρώσατο: Tertiò, τὴν Ἀσιανὴν δὲ λαγχάνουσιν Ἀμφιλόχιος ὁ Ἰκονίου καὶ Ὄπτιμος ὁ Ἀντιοχείας τῆς Πισιδίας. Quartò, τὰ δὲ κατὰ τὴν Αἴγυπτον Τιμοθέῳ τῷ Ἀλεξανδρείας προσνενέμητο: Quintò, τῶν δὲ κατὰ τὴν Ἀνατολὴν Ἐκκλησιῶν τὴν διοίκησιν τοῖς αὐτῆς Ἐπισκόποις ἐπέτρεψαν. Πελάγιος δὲ τῆς Λαοδικείας καὶ Διοδώρου τοῦ Ταρσοῦ, φυλάξαντες τὰ πρεσβεῖα τῇ Ἀντιοχέων Ἐκκλησίᾳ, ἅπερ τότε παρόντι Μελετίῳ ἔδοσαν. Est hic *Serrarius*

locus solemnis, quique in plerisqoe & cum *hâc leg.* & cum *Canone* x. Constantinopolitsno coouenit: es quibus duobus simul iunctis suam ipse natratiooem instituit. Sed non voum est, in quo Socrates fallitur, vel abertat: Primò, cùm hac constitutione Episcopos, quorum communiooem Theodosius amplectendam ptoponit, ad decrerum Syoodi Constantinopolitani ira trsosfert, quasi id illius Synodi foret. Secuodò, cùm Terentij Episcopi Scythiæ, & Marmarij Marciaoopoleos non meminit. Tertiò, cùm ordinē *hâc leg.* obseruatum in recensendis Diœcesibus, & Episcopia, immutat. Quattò, cùm id indicar, ac si tum ptimum Episcopi illi fermē (qui *hâc lege* designantut) à Synodo constituti fuerint; cùm à Synodi instituto id slieoum sit, & vno Nectatio excepto, qui in ipsa Synodo ordinstus est, cæteros ante Synodum Ecclesiis suis præfuisse res docest. Contrs tectè illud Socrares, cùm à Synodo Constantinopolitanâ *Patriarchatus* distioctos eo *secundo Canone* scribit, qui scilicet antea confusi fuetant: Quicquid contra Card. Baronius *Anno* 381. *num.* 76. 77. Illud ferte oon possum, Socrarem ita à noooullis perstringi, quasi is crasso errore Ponticæ Diœceseos tres Patriarchas seu Primates adsignauerit; Asianæ duos: Orientis tres: eique hallucioationi occasionem præbuerit hæc Theodosij M. constitutio, quæ in hunc Theodosij Iuo. nepotis ipsius *Codicem* relata est. Quod à Socratis mente alienissimum est. Mens quippe eius *probabiles* tantùm Sacerdotes, esimiósque in Fide Catholicâ Episcopos (iuxta *huius leg.* recensum) memorare per singulas Orieoris Diœceses & Patriarchatus: non quasi toræ singulis parerent. ¶ Ad rem: Illud in recensu Diœceseon Orientis notsndum, post quatuot Diœceses designatas, Ægypti, Asiæ, Orieotis, Ponticæ, Probsbilésque in iis Sacerdotes, duos postremos è quintâ *Thraciarum* videlicet proponi, ipsius tamen Diœceseos nomine hîc non expresso: quod hîc tamen suppleodum videatnt, argumento quoque *Canonis Constantinopol.* vt & Sozomeni, qui ipsi nomioatim hanc quintam *Thraciarum* Diœcesin nominant: καὶ τὰς inquit canon τῆς Θρακικῆς τὰ τῆς Θρακικῆς μόνον οἰκονομεῖν: ἐν δὲ ταῖς περὶ Θρᾴκην, καὶ Σκυθίας πόλεσι: cuius Diœceseos duos *probabiles* Sacerdotes ad imitsndum hîc proponit Theodosius: nempe *Terentium Episcopum Scythia, & Marmarium Ep. Marcianopoleos.* Duæ scilicet hæ inter alias Thraciarum prouinciæ fuēre: *Scythia*, vbi Tomi, & *Mysia*, vbi Marcianopolis erat. Et quidem in Scythiâ, Terentius Tomorum Episcopus fuit, quomodo à Sozomeno vocatur: Tomorum inqusm, quæ Metropolis Scythiæ erat: vnde, vrbe non designatâ, hîc *Scythia* tantùm Episcopus vocatur: quod nempe omnibus Scythiæ Ecclesiis præesset, vt testantur alibi Sozomenus & Theodosius. Vnde iam patet, lapsum Virum doctissimum, cùm scripsit *hâc* Theodosij *leg.* nullam mentionem fieri Episcoporum Thraciæ Diœceseos: Quod falsum esse clara *huius leg.* verba osteodunt. Vti falsum non minos, quod ait ex ipso *Concilio* Constantinopolitano, Thraciæ Diœceseos Episcopos etiamnum eam Diœcesim liberè iuréque Metropolitico tenuisse, ac rexisse quosque suam prouinciam: verùm per vsurpationem magis quàm *Canonum* auctoritatem, Constantinopolitanum Thracicam Diœcesim sibi vindicasse potiùs videri, quam iure datum possedisse. Neque enim ideò, quod *Canone Concilij* Thracia Diœcesis ab Episcopo Constaotinopol. separatè, & quidem postremo loco, memoratur: vt & *hâc leg.* duo Thraciæ Episcopi, non Diœcesis illa fuit sub Constantinopolitano; quod certè disertè Socrates ait: sed postremo loco & separatim recensetur, vt ita quinque Diœceseon nomina soo ordine proponantur: inter quas postrema fuit Thracia, vt etiam testatur *Notitia Imperij.* Quare non dubium, Thracicam Diœcesim iam hoc tempore cessisse Constaotinopolitano.

¶ Obseruaodum & illud, *Asiam Proconsularem & Asianam Diœcesim* hîc coniungi, próque vnâ è quinque Orientis Diœcesibus designari: quoad communionem videlicet Ecclesiasticam: cum aliàs Asia Proconsularis, & Asiana Diœcesis duo Diœceses distinctæ esseot: de quibus *Eunapius*, & *Notitia Imperij.* Sed in Politiæ Ecclesiasticæ ratione, Asiana Diœcesis vndecim prouincias, nempe Proconsulari connumeratâ, complectebatur, teste Theodoreto *lib.* 5. *cap.* 28.

¶ Duo adhoc ad *hanc leg.* quæri possunt. Primum cur Episcopi Antiocheni *hâc leg.* vt & apud Sozomenum, nulla mentio fiat, cùm tameo Socrates eius meminerit. Nempe hæc causa est, quia Meletius Episcopus Antiochenus paulò post Synodum clausam mortuus fuerat, cui Flauianus pee factiosos quosdam substitutus fuit, cuius electioni Catholici refragati sunt: vnde de nouo schisma in Ecclesiâ Antiochena obortum. Igitur cum Theodosius *hâc leg.* Catholicorum Episcoporum exempla prælata vellet, Aotiochenæ præferre non potuit, vtpote cuius communioni Catholici communicare nollent. Quare non debuit doctiss. Salmasius *de Primatu Papa*, *p.* 46. hanc *leg.* ibi sternens, post illa, *quos etiam in Orientis partibus*, hæc verba inserere, *Meletio Antiocheno Episcopo.*

¶ Alterum, quod quæritur est, vtrum Asiana Diœcesis, itémque Pontica, suos & peculiares Diœceseon *Exarchos*, seu Patriatchas hoc tempore habuerint. Quod nonnulli duobus argumentis negant. Primum, quòd apertis verbis Synodo Chalcedonensi *Anno D.* 451. Esarchi harum Diœceseon vt & Thraciæ sedi Constantinopolitanæ subiiciantur, atque adeò Patriarchicum ius in alios non hsbuissent. Hoc quidem verum. Sed secundò iidem aiunt, etiam antequam Sedi Constantinopolitanæ subiicerentur, Exarchos harum Diœceseon Patriarchicum ius non habuisse: Et vtuotur prædicto *Can.* 8. *Constantinopolitano*, in qoo non vni Exarcho tribuitur regimen totius Diœceseos, Asianæ aut Ponticæ, sed pluribus, neque vllâ prætogatiuâ cuiquam ex illis tribuitur: Proinde Metropolitanos omnes earum Diœceseon αὐτοκεφάλους fuisse. Vtuntur & suprascripto Socratis loco eandem in senteotiam. Potuissent & *hâc leg.* vti in esodem. Nsm & in eâ nullus certus Patriarchatus cuiquam per eas Diœceses attributus designatur. Verùm certior est eorum sententia, qui censent Ponticæ Diœceseos Patriarcham Cæsariensem Episcopum fuisse, Asianæ Ephesioum. De Cæsariensi liquet Basilij Magni exemplo, qui Nicopolitanum in Armeniâ minore Episcopum constituit, vt testatur *Epistola* 190. & 292. qui in eadem Armenia Satalorum Episcopum dedit, aliáque Patriatchica iura exercuit, quæ ipse memorat *Epistola* 187. qui denique expressè *epist.* 291. Ponticæ Diœceseos Episcopos Cæsaream ad Synodum de more conuocauit. Id ipsum comprobatur & exemplo Helladij Basilij successoris, vt discere licet ex Sozomeno, *lib.* 8. *c.* 6. idem & exemplo... pij post Helladium, vt discere licet es Photij Bibliotheca *cap.* 51. De *Ephesino* Episcopo totius Asianæ Diœceseos Patriarchâ es illis quoque coostat, quæ narrat idem Sozomenus *eod. loco.* Atque hoc est illud

illud Πατριαρχικὸν δίκαιον, quod Synodo Chalcedonensi ademptum posteà conatus est restituere Timotheus Alexandrinus, vt narrat Euagrius, *lib.* 3. *cap.* 6. ἀποδίδωσι δὲ τῇ ἐφεσίων καὶ τὸ Πατριαρχικὸν δίκαιον, ὅπερ αὐτῆς ἀφῄρηται ἡ ἐν Χαλκηδόνι Σύνοδος. De *Thraciâ* equidem facilè adsentiar, nullum ei hoc tempore alium Exarchum præfuisse præter Constantinopolitanum: cuius vt eò redeam exemplum *hac leg.* proponitur: eisque non communicantibus Ecclesiæ adimi iubentur. Ad eum sanè ipsum Nectarium extat *epistola*, inter *orationes* 46. Gregorij Nazianzeni, quâ conqueritur Arrianos, Macedonianos, Eunomianos, Apollinaristas, maximè Ecclesias tum collegisse: eúmque hortatur, vt apud Imperatorem id agat, quò hæc illis, & postremis maximè, licentia adimatur.

¶ VALENTINIANI Iun. *constitutio: quâ* ARRIANIS, *non minus quam Catholicis, coëundi potestatem tribuit.*

IV. * Imppp. VALENTINIANVS,'' Theodosius & Arcadius AAA. ad Eusignium PF. P.

DAMVS copiam colligendi'' his, qui secundum ea sentiunt, quæ temporibus Diuæ memoriæ Constantii, Sacerdotibus conuocatis ex omni Orbe'' Romano, expositáque fide, ab his'' ipsis qui dissentire noscuntur, Ariminensi'' concilio, Constantinopol. etiam confirmata,'' in æternum mansura decreta sunt: Conueniendi etiam, quibus'' iussimus'' patescat arbitrium: Sciturus his, qui sibi tantum'' existimant colligendi copiam contributam,'' quòd si turbulentum quippiam contra Nostræ Tranquillitatis præceptum faciendum esse temptauerint, vt seditionis auctores, pacísque turbatæ Ecclesiæ,'' etiam maiestatis, capite ac sanguine sint supplicia luituri. Manente nihilominus eos supplicio, qui contra hanc dispositionem nostram obreptiuè, aut clanculò supplicare temptauerint. Dat. x. Kalend. Febr. Med. Honorio NB. P. & Euodio COSS. [386.]

NOTÆ.

† Abest *hac lex* à *Cod. Iust.* velut improbata. Pars eius relata est in *legem* 1. *infr. de his qui supr. Relig. contend.* Meminit eius & Ambrosius *epist.* 32. *ad ipsummet Valentinianum* huius legis Auctorem, scribens, & *epist* 33. & Sozomenus, *lib.* 7. *cap.* 13. & Rufinus *lib.* 2. *cap.* 16. & Gaudentius *in præfat. sermon. ad Beneuolum.* Extat apud Baronium *Anno* 306. *num.* 4.

''Iunior scilicet Iustinæ Filius, Gratiani frater.

''Ad hunc *Eusignium P. P.* extant præter alias complures constitutiones *hoc Codice*, nouem Symmachi epistolæ postremæ *lib.* 4. ita quidem vt sub Valentiniano Iun. eum in dignitate positum fuisse ostendat, *epist* 68. & disertè quidem Præfectum Prætorio Italiæ, *epist.* 69. (vbi etiam Aquileiensis Vrbis meminit) & *epist.* 70. 71. 73. De eo plura in *Prosopogr.*

''*Colligendi*, id est coëundi, cœtus celebrandi: de qua voce dicam ad *legem* 36. *infr. de hæreticis*: vide & *Glossarium Theodosianum.*

''*Oecumenicum* Concilium Ariminense videri vult: verum quidem est ad Ariminense Concilium inuitatos Sacerdotes ex omni Orbe Romano: verùm de eo mox.

''id est Catholicis.

''De *Ariminensi* Synodo est quoque *lex* 15. *infr. de Episcopis*: vbi adhuc dicam.

''Possis &, *confirmato.* Sed nil opus.

''id est Catholicis.

''seu, indulsimus.

''Hinc excerpta est *d. l.* 1. *infr. de his, qui supr. Relig. cont.*

''duntaxat, *d. l.* 1.

''*Contributum*, pro simplici, *tributum*, *hic*, & *l.* 16. *supr. de proximis*: *l.* 20. *de Palatinis*.

''*scil.* ac *læsæ etiam Maiestatis.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI IVNIORIS, aduersa Fidei Catholicæ constitutio isthæc est: quâ *Arrianis* conueniendi seu coëundi in Συνάξεις & Ecclesias, non minus quàm Catholicis Orthodoxis, potestatem facit: Contrà; molientibus aliquid, velut seditionis auctoribus, pacísque turbatæ, læsæque Maiestatis reis, pœnâ capitis indictâ; parrhisiastico & *Irenice*, si Deo placet, hoc Edicto: In quod multis inuehitur Ambrosius, expressis in id epistolis duabus, putà *epist.* 32. & 33. & *Oratione ad populum Mediolanensem*, quæ inter has duas epistolas media iacet: Eiusdémque etiam constitutionis meminit Rufinus, *lib.* 2. *cap.* 16. Gaudentius, *in præf. sermon.* &c. Et Sozomenus, *lib.* 7. *cap.* 13. eam vertit & contraxit his verbis: παρεκάλυψε, inquit, ἀδεῶς συνιέναι τοὺς ὁμοίως δοξάζοντας τοῖς ἐν Ἀριμίνῳ καὶ μετὰ ταῦτα ἐν Κωνσταντινουπόλει συνελθοῦσι: τοὺς δὲ ἐμποδὼν γινομένους ἢ ἐναντία τῷ νόμῳ βασιλέως δογμάτι θανάτῳ ζημιοῦσθαι.

¶ Sed vt Ambrosij aduersus hoc Valentiniani præceptum constantia summa fuit, in renuendâ Ecclesiâ, quam Arrianis tradi Imp. iusserat; ita quoque memorabile est, quod Rufinus, Sozomenus, & Gaudentius (& hic quidem ad ipsummet Beneuolum scribens) prodidêre, Beneuolum Magistrum memoriæ, seu scriniis memoriæ præsidentem: (τὸν ἐπὶ ταῖς γραμματείων τῶν θεσμῶν τεταγμένον,) cuiúsque muneris erat *leges* scribere, quamlibet altioris dignitatis spe à Valentiniano Iun. inuitatum, officio suo decedere satius duxisse, quàm vt manum *huic legi* dictandæ supponeret: Exemplo prorsus laudabili. Quo magis mirari subit, non iam dico conscientiæ fiduciam, (quod à nonnullis proditum) verùm summam potiùs eorum oscitantiam,

tantiam, qui huic Theodosiano *Codici* conficiendo manus admouerunt. Hi quippe, cùm eas tantùm constitutiones hunc in *Codicem* referre debuissent, quæ in foro & quotidianis aduocationibus (vt ipsemet alioquin Theodosius loquitur, & præscribit *Nouellâ suâ, de huius ipsius Codicis auctoritate*) sequendæ essent, impias haud ideò minus *leges* eò retulêre plures; partim hæreticâ schismaticâve prauitate imbutas (vt præter *hanc legem* fidem facit quoque *lex* 15. *infr. de Episcopis*: quæ & ipsa de Ariminensi Synodo est, vt & *l.6. infr. de his qui supr. Relig.*) partim verò superstitionis Gentilitiæ vestigia præferentes, veluti *l.1.2.9. supr. de Maleficiis: l.4.5. supr. de sep. viol. l.1. infr. de Paganis.* Et religiosior certè fuit hac parte Iustinianus, siue Tribonianus, qui eas constitutiones omnes à suo *Codice* abesse voluit: Quicquid huius sit; nos hæc certè hodie, atque his similia, vt historica, & quidem Ecclesiastica, seruata nobis summoperè gratulamur, non minùs quàm hæreticorum quorundam scripta: de quo prolixè nuper *in Prolegomenis nostris ad Philostorgiam.* Atque eâ re gratia his habenda, quomodo Asterius aliâ in re *homil. Ruben. vltim. p.62.* πολλὴ χάρις αὐτοῖς ἐς πλεῖστος τυγχάνουν. Et facessant proinde Fr. Balduini suspiciones, *lib.2. de Instit. Histor. p.123.* & in *lib.3. Victoris Vtic. p.165.* quasi hæc *lex* expungenda sit, ceu mala fide & insidiosè hunc in *Codicem* Theodosianum intrusa. Facessant eiusdem querelæ, de nostris nuperisque *huius Codicis* Editoribus; qui eam ceu labem non expunxerint. Et crassus est eiusdem error Theodosio M. quoque *hanc leg.* adscribentis, qui non vidit, Theodosij M. nomen *huic legi* inscriptum, non quia is eius auctor esset, verùm pro more tum recepto, quo omnium ex æquo Principum nomina constitutionibus inscribebantur, qui simul imperarent, etsi vnum tantum ex his Authorem haberent, de quo affatim *in Prolegomenis Theodosianis.*

¶ Porrò *lex* hæc vti dixi lata fuit à Valentiniano Iuniore, Iustinæ matris impulsu, quod ex Ambrosio quoque clarum. Imò & Gothorum consilio præsidióque, qui tum Ariani erant, & in Comitatu frequentes: quod *ex oratione* Ambrosij *in initio* colligere mihi videor & *epist.33.* De Iustina, Rufini locus *lib.2. cap.15.* huc pertinens consignandus venit: *Interim Iustina mater eiusdem, Arianæ hæreseos alumna, impietatis suæ venena, quæ viuente viro suppresserat, filio facilè decepto fidenter aperuit. Igitur apud Mediolanum posita, conturbare Ecclesiarum statum, comminari Sacerdotibus depulsionis exilia, nisi Ariminensis Concilij decreta, quibus fides Patrum temerata fuerat, renouareat. Quo bello, Ecclesiæ murum & turrim validissimam pulsabat Ambrosium, cum minis, terroribus, atque omni oppugnationis genere fatigans, primum sibi aditum debellandæ rimabatur Ecclesiæ. Sed quamuis illa Iezabel spiritu pugnaret armata, resiliebat tamen Ambrosius Heliæ virtute repletus & gratiâ. Ipsa autem in Ecclesiis garrire, strepere, animare, & inflammare ad discordiam populos, sed quòd minus res ex sententia cederet, iniuriam putare, & pro hoc apud filium conqueri. Vnde adolescentulus pro contumeliæ inuidia, quam falsò conflauerat mater, accensus, armatorum globum ad Ecclesiam mittit, confringi ianuas, oppugnari Sancta, Sacerdotem pertrahi atque in exilium mitti protinus iubet. Sed tanta fuit perseuerantia fidelium populorum, vt animas potius amittere, quàm Episcopum mallent.* Quæ ipsa omnia, & alia adhuc ex *prædictis* Ambrosij quoque *Epistolis*, eiusdémque *oratione* colligere licet; vt & illud, scilicet tumultum huius causâ etiam sanctis diebus hebdomadis vltimæ Antepaschalis obortum. Fortè etiam *huius leg.* partem constituerit id quod Ambrosius memorat *epist.32. Imò etiam dedisti leges, Ne cui esset liberum aliud iudicare.* Et mox: *Cùm legat per tot prouincias vno momento esse mandatum; vt quicunque obuiauerit Imperatori, feriatur gladio: quicunque Dei templum non tradiderit, protinus occidatur.* Et mox: *Qui cum tenuerint Fidei veritatem, aut proscribantur, aut necentur; quod lex de Fide lata decernit.* Item, *Per Ecclesias iubentur eiici Catholici Sacerdotes; resistentes, gladio feriri; Curiales proscribi omnes nisi mandatum impleuerint.*

¶ Sanè quidquid *hâc leg.* nunc voluerit Valentinianus Iun. Quicquid idem Ariminensis Synodi decreta *in æternum mansura*, hâc lege dicat: nunquam tamen deinceps ea probata; & idem mutatâ in melius sententiâ, biennio pòst, eam antiquauit; Theodosij Magni videlicet consilio: & quidem, vt existimo, *lib.15. infr. de hæretic.* vbi dicam. Et insignis quoque extat locus ex incerto Authore apud *Suidam*, vbi verba recitantur Theodosij, quibus Valentinianum (in Illyricum & Thessalonicam profugum) ad Catholicam fidem, antequam aduersus Max. Tyrannum moueret, traduxit. Sed & Rufinus *lib.2. cap.17.* ait, Valentinianum, matre defunctâ, fidem Catholicam, quam ipse violauerat, restituisse, simul & regnum, Tyrannide (Maximi scilicet) depulsâ.

¶ Interim *de Ariminensi* Concilio, quod *hâc leg.* firmatur, cuius historia alioquin nota est (& de quo rursum agitur *l.15. infr. de Episcopis*:) obseruanda quatuor ex *hâc lege.*

Primò, quod ait Valentinianus Iun. conuocatos Sacerdotes ex OMNI Orbe Romano ad Concilium Ariminense, Nempe Oecumenicum id iam haberi vult: verum quidem est de Orientalibus quoque eò cogendis agi apud Theodoretum *lib.2. cap.18.* & Socrates certè *lib.2. cap.29.* Episcopos quosdam Orientis ibi fuisse testatur: verùm ex Occidentalibus fermè Synodus illa coacta: vide Athanasium *de Synodis*, Socratem, Sozomenum, vnde & *Occidentalium formula* pro Ariminensi apud Philostorgium *lib.4. cap.12. lib.5. cap.1. lib.7. cap.6.* vbi vid. quæ dixi.

Secundò notandum, quod *hâc leg.* dicitur, Etiam Catholicos fidei Ariminensi cõsensisse: id enim sibi volunt hæc verba: *Expositâque fide ab his ipsis qui dissentire noscuntur.* Quod sanè pertinet ad ea, quæ secundo loco Arimini facta: De quo plenè Seuerus Sulpitius, *lib.2 sacræ historiæ:* vbi ait; *Post vim adhibitam Legatis Catholicorum fidem ibi conscriptam verbis fallentibus inuolutam, quæ Catholicam disciplinam perfidiâ latente loqueretur, paulatimque plerosque Catholicorum partim imbecillitate ingenij, partim metu Principis, partim tædio peregrinationis euictos, dedisse se aduersariis, factâque semel inclinatione animorum cateruatim in alteram partem concessum, donec ad viginti vsque Catholicorum numerus imminutus est, imò Fœgadium ex hoc numero ad extremum euictum: itémque Seruationem Tungrorum Episcopum sub conditione, si quid minus pleno fide expositâ editum esset, ipsi professionibus suis adderent: Quod etiam factum; sicque neutra pars vicisse se penitus, aut victam putare potuit; quia Fides ipsa pro Arianis, professiones verò posteà adiecta pro Catholicis erant: atque hoc modo Concilium bono initio, fœdo exitu consummatum est.* Ambrosij quoque locus huc pertinet ex *lib.1. de Fide: cap. 9. Hoc & in Ariminensi Concilio habuit prima confessio, & post Ariminense Concilium secunda correctio Confessionum, epistola ad Imperatorem Constantium missa testatur, correctionem*

secunda

secunda concilia confitentur. Idem Ambrosius *dict. ep32.* quâ hanc Valentinian. constitutionem exagitat. *Hoc scriptum est in Ariminensi Synodo, meritòque Concilium illud exhorreo, sequens tractatum Concilij Nicani, à quo me nec mors nec gladius poterit separare.* Et pòst: *Factum est etiam sub Constantio Augustæ memoriæ Imperatore paternæ dignitatis herede: sed quod benè cœpit, aliter consummatum est. Nam Episcopi sinceram primò scripserant fidem; sed dum volunt quadam de Fide intra Palatium iudicare, id egerunt, vt circumscriptionibus illa Episcoporum iudicia mutarentur. Qui tamen inflexam statim reuocauêre sententiam, & certè maior numerus Arimini Nicani Concilij fidem probauit, Arriana decreta damnauit.* Vt proinde tria iam momenta, seu tres Confessiones hac parte circa Ariminense Concilium obseruandæ sint.

§ Tertiò notandum, quod *hac lex* ait: Fidem propositam in Ariminensi Concilio Constantinopoli posteà confirmatam fuisse: de quo etiam fidem faciunt, præter Athanasium *de Synodis*, Sozomenus, *lib.4. cap.22.* & Socrates, *lib.2. cap.32. p.604.* & *cap.33. p.606.* & Philostorgius, *lib.4. cap. vltim. in fin.* de quo vide & Baronium *Anno 359. num.79. ad* 105. 106. Nempe sub Constantio coactum hoc Concilium Constantinopolitanum: (ne quis alioquin Oecumenicam secundam hîc indicari falsò putet.) Quo quidem Concilio, κατ' πρόσταγμα βασιλέως, seu Imp. Constantij mandato, ipsis Kalendis Ianuariis Anno 360. formula Ariminensis firmata, de Filio Patri simili secundum scripturas, sublato οὐσίας, vt ibi nomine: imò & aliquo ei addito, vt testantur Athanasius *de Synodis*, Socrates *d.lib.2. cap 32. p.604.* & *cap.33. p.606.* Sozomenus *d.lib.4. cap.23. in princ.* nempe ὑποστάσεως quoque nomine damnato, vt Philóstorgius quoque scribit *lib.10. cap.2.* iuxta Athanasium, Socratem, Sozomenum: de quo ad *Philostorgium* dixi.

Quartò notandum, Concilium illud Ariminense à Valentiniano Iun. *hâc leg.* firmari. Quod etiam Ambrosius, non tantum *d.epist.32.* (cuius verba modò protuli) indicat, verùm expressè ratione illa quàm dixi: *Istáne ergo LEGEM quisquam sequatur, quâ firmatur Ariminense Concilium, in quo creatura dictus est Christus?*

In *hâc leg.* tandem obseruanda capitis & sanguinis pœna, quæ in specie *huius leg.* imponitur, non quasi hæreticis, verùm ceu *tumultus auctoribus*: De quâ alioquin sanguinis pœna in hæreticos quandoque statuta, *suo tit. infr. de hæreticis*, & quidem ad *leg.9.*



DE EPISCOPIS, ECCLESIIS ET CLERICIS.

TITVLVS II.

I. COD. IVST. II. *De Sacrosanctis Ecclesiis: & de rebus, & de priuilegiis earum.* In *Veter. Cod.* hic *Titulus* est primus.

PARATITLON.

I. EPISCOPI, (de quibus agitur *l.10.11.12.22.23.27.31.32 33.35.37.39. hoc tit.*) qui & Sacerdotes, *l.31.35.43. hoc tit.* & *l.3.4. supr. de Fid. Cathol.* Ecclesiæ Catholicæ Sacerdotes, *l.45. infr. de hæretic.* (vnde & *Sacerdotium* pro Episcopatu, *l.35.44. hoc tit.* & *l.3. in fin. supr. de Fid. Cathol. leg.1. ne sanctum Baptisma:*) quanquam & Sacerdotum appellatio complectebatur quandoque omnes Ecclesiasticos, Episcopos scilicet Presbyteros & Diaconos, Ministris oppositos, vt *d.l.31. hoc tit.* Item Antistites vocantur, *l.11.43.45. l.vltim. hoc tit. l.1. ne sanctum Baptisma: l.20. quor. appell. l.49. supr. de Decurionib.* Catholicæ legis Antistites, *d.l.11.* Sacræ legis Antistites, *l.45. hoc tit. l.1. de Episcop.iud.* Sanctissimi Antistites, *l.28. de hæretic.* Varij *hoc Cod.* numerantur, nominantúrque. De Episcopis, & Ecclesia Vrbis Romæ agitur *l.4.13.14.20.21.45. hoc tit. l.cunctos populos 2. supr. de Fid. Cathol. l.21. supr. de extraordinar. muner.* cui iungenda *lex 30, hoc tit. l.vltim. supr. de malefic. lex 53.62. infr. de hæretic.* FELICI nominatim Episcopo Vrbis Romæ inscribitur *lex 14. hoc tit.* Anno 357. DAMASO *lex 20. hoc tit.* Anno 370. eiusdémque fit mentio *l.cunctos 2. supr. de fide Cathol.* Anno 380. de COELESTINO quoque intelligenda *lex 62. infr. de hæretic.* Episcopo Romano *Pontificis* titulus tribuitur, *d.l.cunctos*, Anno 380. & *Venerabilis Papa* vocatur *d.l.62. infr. de hæretic.* Anno 425. De Priuilegiis, & prærogatiuâ Ecclesiæ Romanæ, & Episcopis & Clericis Romanis, ab Imperatoribus tributis, agitur *l.13. hoc tit.* & *l.21. supr. de extraordin.* De Antistite Vrbis Constantinopolitanæ, eiúsque prærogatiua agitur *l.45. hoc tit.* vbi vid. singularem eius prærogatiuam Theodosij M. de NECTARIO Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopo, *l.3. supr. de Fid. Cathol.* Anno 381. de ARSACIO, Arcadij *l vltim. infr. de his qui supr. Relig.* Anno 404. De ATTICO accipienda est Theodosij Iun. Anno D.421. *lex, omni innouat. 45. hoc tit.* De Alexandrina Ecclesia & Episcopo agitur, *l.42.43. hoc tit. l.vltim. de Episcop. iudicio:* PETRI nominatim

nominatim Alexandriæ Epiſcopi mentio fit cum elogio, *l. cunctos 2. ſupr. de fide Cathol.* Anno 380. TIMOTHEI, *l.3. ſupr. de fide Cathol.* Anno 381. THEOPHILI, *l. vltim. infr. de his qui ſupr. Relig.* Anno 404. De Antiochena quoque Eccleſia agitur *hoc Codice:* nam PORFYRII Antiocheni Epiſcopi mentio fit, Anno 404. *d. l. vltim.*

Memorantur & alij Epiſcopi quidam, Chronopius Epiſcopus, *l.20. quorum appellat.* vbi vid. quæ dico: Cyrus, Afrodiſienſium Epiſcopus, *l. vltim. ne annona & tribut.* Optimus, Ep. Antiochiæ [Piſidiæ] *l.3. de fide Cathol.* Aſclepiades, Cherſoneſitanæ ciuitatis, *l. vltim. de pœnis:* Helladius, Ep. Cæſarienſis, *l.3. de fide Catholica*, Amphilochius Ep. Iconienſis, *d. l.3. de fide Cath.* Pelagius Ep. Laodicenſis *d. l.3.* Marmarius, Ep. Martianop. *d. l.3.* Otreius, Ep. Melitenus, *d. l.3.* Gregorius, Ep. Nyſſenus, *d. l.3.* Terentius, Ep. Scythiæ *d. l.3.* Diodorus Ep. Tarſenſis, *d. l.3.* Artemius, Euridicus, Appius, Geraſimus, in Diœceſanam Synodum coacti, *l. qui mos, hoc tit.*

Quod Titulos eorum attinet; Damaſus *Pontifex* vocatur *l. cunctos populos 2. ſupr. de fid. Cathol.* Papa Venerabilis Ep. Romanus, *l.62. infr. de hæretic.* Reuerentiſſimi Epiſcopi vocantur *l.42. 43. 45. hoc tit. l. vltim. de his qui ſupr. Relig. l. vltim. de Annona: l. vltim. de pœnis.*

De Epiſcopis hæc capita notentur. Primò, quod priuilegia eorum attinet, I. Immunes ij à Curialibus muneribus fuêre, *l.11. hoc tit.* (II.) In Iudiciis accuſari eos prohibuit Conſtantius, *l.12.* ſed apud alios potiſſimùm Epiſcopos, *d. l.12.* Quod & ab Honorio repetitum, *l.41.* (III.) Quemadmodum Epiſcopis & Eccleſiis in commune priuilegia ſua tributa fuêre à Principibus, ita ſpecialiter quibuſdam Epiſcopis, *l. vltim. hoc tit.* vt Romanæ Eccleſiæ, ita Epiſcopo Conſtantinop. *l.45. hoc tit.* & Theſſalonicenſi Eccleſiæ, *l.33. ſupr. de Annona & tribut.* & Cyro Epiſcopo Aphrodiſienſi, *l. vltim de Annona & tribut.* Secundò, quod *Officium* & Poteſtatem eorum attinet, 1. docendi, inſinuandæque Fidei munere functi Epiſcopi, *l.56. ſupr. de pœnis: l.24 infr. de hæretic.* quò refero quoque *legem 25. infr. hoc tit.* Atque hic character Epiſcopi: vt & alter hic, quod ſanctitas loci ignoſcendi gloriam his dereliquerit, *l.31. hoc tit.* (II.) Ab his Clerici ordinati, electi, numerúſque eorum conſtitutus, *l.32.33. hoc tit.* & *l.16. de pœnis.* (III.) Clericorum Iudices item fuêre, & coram his Clerici accuſati, *l.41.47. hoc tit.* (IV.) Ab his Clerici abiecti, & ab Eccleſiæ miniſterio ſegregati, *l.39 hoc tit.* (V.) Muneris quoque eorum erat, probare num extrema ſuffragia petentibus indulgeri deberent, *l.1. de Scænic.* A Clericis & Monachis ſeciùs facta vindicare, *l.16. ſupr. de pœnis:* (VI.) Nonnulla etiam *conſtitutionibus* eorum curæ tributa, quæ alioquin ſæcularis quoque fori erant: Nempe ſub oculis eorum libri improbatæ lectionis, veluti Mathematici concremati, *l. vltim. de Maleſic. & Mathemat.* Manu Eccleſiaſtica, Paganorum ritus & ſolemnia prohibendi ius tributum, *l.19. infr. de Pagan.* itémque Aſyla Eccleſiarum tuendi, *l.4. de his qui ad Eccleſ. confug.* Lenocinia inhibendi, *l.2. ſupr. de Lenonib.* Contrà, Modus Epiſcopis ſubinde aliquando impoſitus: (I.) conuicti vel confeſſi pacis perturbatores, etiam Epiſcoporum vel Clericorum interuentu appellare vetiti, *l.31. quorum appell. non recip.* (II.) Debitores item publicos occultantes Epiſcopi & Clerici pro ipſis teneri iuſſi, *l.1. de his qui ad Ecclеſ.* Notandum quoque ad eos datam non vnam Conſtitutionem, vel ad vniuerſos Epiſcopos per diuerſas prouincias, l.10. *hoc tit.* ad Epiſcopos diœceſeos in vnum coactæ, *l. qui mos, hoc tit.* vel ad ſingulos. Poſtremò notandum, Epiſcopatus conſtitutos ad formam & ordinem Ciuilium Diœceſeôn, vid: *l.3. ſupr. de fid. Cath.*

II. ECCLESIÆ (de quibus agitur *l.4.15.30.31.33.34.38.40 46.47. ſeu vltim.*) quæ & *Catholicæ* adnominantur, *l.3. ſupr. de fide Cathol. l.6.47.54. infr. de hæretic. l.1.31. hoc tit. l.1. ſupr. de Annona & trib.* (& abſolutè *Catholica.*) venerabiles, *l.34.41. hoc tit.* & *l.21.22. ſupr. de extraordin. l. vltim. de patrocin. vicor.* Sacræ Ædes, *l.16.18. de extraordin.* Sacroſanctæ, *l.29.* & *l.33. ſupr. de Annona: l.47. infr. de hæretic.* Item Sanctiſſimum Catholicum & Venerabile Concilium, *l.4* Templa, & Summi Dei Templa, *l.4. ſupr. de his qui ad Ecclеſ.* Ann. 431. Ad harum conſtructionem & reparationem à prouincialibus quid exactum, *l.16. 18. de extraordin.* ſua priuilegia habuêre à Principibus conceſſa, *l.29.30.34. 38.46.47. ſeu vltim. l.21.22. ſupr. de extraordin.* contemplatione Religionis indulta. *l.1. de hæreticis.* Quæ ad eos qui Eccleſiis obtemperant, ſeu inſeruiunt, extenſa; *l.21.22. de extraordinar. l.31. de Epiſcopis.* (1.) Relinquendi namque eis teſtamento, quantumlibet bonorum licentiam Conſtantinus fecit, *l.4.* (2.) Iuga, quæ ad eas pertinerent, à publica functione immunia fuêre, *l.25.* ſeu à capitatione *l.33. ſupr. de Annona & tribut.* (3.) à ſordidis & extraordinariis muneribus, *l.40. hoc tit. l.15.18.21.22. ſupr. de extraord. muner.* quæ recenſentur, *d. l.40.* (4.) Immunes ab annonis & tributis ab initio fuêre, vide *l.1.33. de Annona & tribut.* Canonicam tamen illationem ſeu iugationem poſteà adgnouêre, *d. l.40.* Excepta Theſſalonicenſi Eccleſiâ, quæ ſingulari priuilegio immunis ab annonis

nonis & tributis reddita, *l.*33. *ſupr. de Annona & tribut.* (5.) Sed & Eccleſiæ, quæ in poſſeſſionibus diuerſorum, vicis, vel aliis ſimilibus locis conſtitutæ erant, ſuam capitationem adgnonêre, *l.*33. *hoc tit.* (6.) Ad inſtructionem viæ publicæ quoque & Pontium tenebantur, *l.vltim. ſupr. de itinere muniendo*; etſi aliquando aliter obſeruatum, *l.*40. *hoc tit.* (7.) Noua & tumultuoſa conuenticula extra Eccleſiam celebrari prohibita *l.*37.(8.)In Eccleſiam irruentes grauiter puniti, *l.*31. (9.) vt & priuilegia earum temerantes, *l.*34. (10.) Aduocatos quoque ſuos Eccleſiæ peculiares habuêre, *l.*38. vt & Oeconomos, *l.vnic. de bonis Clericorum*: *l.*3.*de his qui ad Eccleſ.* vbi definiuntur, qui Eccleſiaſticas conſuerunt tractare rationes. (11.) Eccleſiis etiam quandoque vindicabantur Hæreticorum Eccleſiæ, *l.*43. 52. *infr. l.*54.*infr. de hæretic. l.*2.*infr. ne ſanctum Baptiſma*: (12.) Eccleſiis aliena conſecrata, veluti Iudæorum Synagogæ, & earum donaria, reuocari non poterant: ſed inuicem alia præſtabantur, *l.*26. *infr. de Iudæis*. Porrò de perfugio ad Eccleſias, fuit Titulus *ſupr. lib.*9. *de his qui ad Eccleſ. confug.* Poſtremò, de ipſarum Eccleſiarum ſtructura, earum περιβολῇ locíſque circumiacentibus, vid. *leg* 4. *illius tit.* Altarium mentio, *l.*27. *hoc tit.* (vbi veneranda omnibus dicuntor) *l.*15. *de hæretic.* Crucis, *l.*18. *de Iudæis*: *l.vltim. de Pagan* quæ ſancta Crux dicitur, *d.l.*18. & Fidei noſtræ ſignum, *d.l.*18 venerandæ Chriſtianæ Religionis ſignum, *d. l.vltim.* collocatione eius profana loca expiata, *d.l.vlt.* Iudæi vetiti locis ſuis & feſtiuitatibus Crucis ſignum immiſcere & exurere *d.l.*18.*de Iudæis*.

Nunc de *Bonis Eccleſiarum*. Memorantur donaria Eccleſiarum, *l.*57. 64. *de hæretic.* & *l.*25.*de Iudæis*: vbi donaria ſacris myſteriis dedicata dicuntur: quæ quandoque exſpoliatione Iudaicarum Synagogarum contracta, *d.l.*25. Annonæ & poſſeſſiones Templorum quædam ab Imperatoribus Eccleſiis donatæ: *l.*20. *de Paganis*: ex vltimis priuatorum voluntatibus, *l.*4. *hoc tit.* Loca Hæreticorum conuenticulis ſeruientia Eccleſiis quandoque vindicata, *l.*43.52.*in fin* 54.57.65.*de hæret. l.*2.*ne ſanct. Baptiſma*: De vſu horum in pauperes, vid. *infrà*.

Obſeruandum & illud, lectas in Eccleſiis, etiam Romæ, Conſtitutiones Imperatorum de rebus Eccleſiaſticis: Exemplum in *l.*20.*infr. hoc tit.* quæ ad Damaſum Ep. Vrbis Romæ data eſt. Notandum & illud, obtentu Eccleſiaſtici nominis, publicis functionibus iniuriam fieri non potuiſſe: Exemplum *in l.vlt.de patrocin. vicor*.

Præter Eccleſias ipſas memorantur & Decanica, *l.*30.*de hæretic.* Domus Eccleſiarum, *l.*2 *de hæreticis*, Diaconica, *d.l.*30.*de hæretic.* Fit & SANCTORVM LOCORVM mentio *l.*4.*hoc tit.* (quæ ſcilicet Hieroſolymis, & in vicinis Palæſtinæ locis erant, ſub Comite Orientis, *d.l.*26.) quorum Cuſtodes quidam fuêre, *d. l.*26. eóſque ab omnibus muneribus immunes, *d.l.*26. Erant & Martyria, *l.vltim. ſupr. de ſepulchr. viol.* ſeu Apoſtolorum & Martyrum ſedes, *l.*6.*eodem tit de ſepulchr. viol.* Idque Conſtantinopoli (in quibus Corpora humari Theodoſius M. prohibuit, *d.l* 6.) vt & in priuatorum quoque poſſeſſionibus, *d.l.vlt.* De SEPVLCHRIS *ſuo tit. lib.*9.

III. CLERICI (de quibus agitur *l.*1.2.3 5.6.7.8.9.10.11.13.14.15.16.17.18.19.20. 21.24.19.30.31.32.33.34.36.37.38.39.41.44.46.47. *ſeu vltim.*) à quibus *Clericatus* dicitur, *l.*19 36.44. (qui & dicitur profeſſus ſacræ Religionis, *l.*39. Votum Chriſtianæ Religionis, *l.*16. meritum eximiæ ſingularíſque virtutis, *d.l.*16 Cultus diuinæ reuerentiæ: item Via diuinæ cultionis, *l.*49.*ſupr.de Decurionib.*) Catholicæ Religionis cultus, *l vltim. ſupr. de Maleſic.* Dicuntur & obſequia Clericatus, *l.*84.*de Decurion.* Religio ſacroſancta, *l.*46 *de Decurionib.* Religio, abſolutè, *l* 123. *in princ.ſupr. de Decurionib.* Religioſum diuini cultus obſequium, *l.*121.*de Decurion.* Dicuntur & *Chriſtiani* pro Clericis, *l.*4.5.50.123. *ſupr.de Decurionib. l.*2. *de poſtliminio*. *l.*11. *de Piſtorib.* Chriſtianitas pro Clericatu, *l.*123. *de Decurionib.* Diuino cultu occupati, & ſacroſanctis myſteriis ſeruientes, *d.l.*123. *de Decurionib.* Animi eorum diuina obſeruatione deuincti, *l.*104. *d. tit. de Decurionib.* Diuinis miniſteriis mancipati, *l.*99. *de Decurionibus*. Dicuntur item Clerici ad Eccleſias tranſire, *l.*7. *de cohortalib.* Diuino cultui miniſteria Religionis impendere, *l.*2. *hoc tit.* Catholicæ Religionis Clerici, *l.*36. *hoc tit. l.vltim. ſupr. de Maleſic.* ſeruire Eccleſiis, *l.*104. *de Decurionib.* Seruientes Eccleſiis, *l.*29. *hoc tit.* Sacratiſſimo Numini ſeruientes, *l.*16.*ſupr. de luſtr. collat.* Obtemperantes Eccleſiis, *l.*30. *hoc tit.* & *l.*22. *de extraordin. l* 49 *de Decurion.* Obſequium iuge Eccleſiæ deputantes. *l.*21. *hoc tit.* Eccleſiaſtici, *l.*5.20.21. *hoc tit.* & *l.*49. *in med.ſupr. de Decurionib.* Probabilem ſæculo diſciplinam agentes, *l.*44. *hoc tit.* probabilis vitæ ſtudium, *l.*7.*de cohortalib.* Erant hi non tantùm in Ciuitatibus, verùm etiam in oppidis, vicis, Caſtellis, Municipiis, *l.*16.33. *hoc tit.* vt & in poſſeſſionibus diuerſorum, *d.l.*33.

Horum varij Gradus, Officia, miniſteria, *hoc Codice* recenſentur hoc ordine; poſt Epiſcopos, de quibus *ſuprà*, Presbyteri, *l.*24.41.*l.*121.*ſupr.de Decurionib. l.*10.*ſupr. de fid.*

teſt. Epiſcopis proximi (vnde Presbyteri faſtigium, *d. l.* 121. proximum Presbyteri vocabulum nomini Epiſcoporum, *l.* 5. *infr. de hæretic.* ſuperior locus illis inter Clericos tribuitur, *l.* 10. *ſupr. de fid. teſt.* Presbyteri Curiales vel ſubſtituto dato, vel facultatibus Curiæ ceſſis, Curiâ liberantur, *l.* 163. *ſupr. de Decurionib.* vid. & *l.* 49. *eod.* citra iniuriam quæſtionis teſtimonium dicebant, *d. l.* 10. *de fid. teſt.* Hactenus Sacerdotes; at ſequentes dicuntur Miniſtri, *l.* 31. Catholicæ Eccleſiæ Miniſtri, *d l.* 31. Chriſtianæ legis Miniſtri, *l* 41. nempe Diaconi, *d. l.* 24. 41. *hoc tit.* & *l.* 49. 121. *ſupr. de Decurionib.* (qui & *Diacones* dicuntur, *d l* 49. *&* 163.) vnde & miniſterium Diaconi, *d. l.* 121. Inter Diaconos verò Archidiaconus quidam erat, cuius meminit Maiorianus *Nouell.* 1. *verſ. ſi qua ſanè: &* 2. Diaconatus Curiâ liberabat, *l* 49. 163. *de Decurionib.* vbi definitur, cui bona cedant. Et hi quidem tres Chriſtianæ Legis primi Clerici erant, vt vocantur *l.* 13. *de Iudæis:* vide & *leg.* 24. *hoc tit.*

Sequuntur inferioris loci Chriſtianæ Legis Miniſtri, *l.* 41. putà (1.) Subdiaconi, *l.* 14. *hoc tit.* & *l.* 49. 163. *de Decurionib.* qui & *Subdiacones* dicuntur hybridâ voce *d. l.* 49. merè Græcâ Hypodiaconi, *l.* 7. *hoc tit.* An verò hic Gradus Curiâ liberaret, & qua conditione? vide *d. leg.* 49. *&* 163. (2) Exorciſtæ, *d. l.* 24. *hoc tit.* & *l.* 121 *ſupr. de Decurion.* (3) Lectores, *l.* 7. & *l.* 24. *hoc tit.* & *d l* 163. *ſupr. de Decurionib. l.* 19. *de hæretic.* qui & Lectores diuinorum Apicum, *d. l.* 7. *hoc tit.* hi verò ante Subdiaconos nominantur, *d l.* 7. & *dict. l.* 163. poſtponuntur verò *d l.* 24. de quo ad *d. l.* 7. *infr. hoc tit.* Lectores ex Curialibus facti ad Curiam omninò retrahebantur, *l.* 161. *ſupr. de Decurionib.* (4) Oſtiarij, *dict. l.* 24. *hoc tit.* (5) Cuſtodes Eccleſiarum, vel ſanctorum locorum, *l.* 26 *hoc tit.* (6) Iuuenes, *l.* 10. *hoc tit.* (7) Copiatæ, *l.* 15. *hoc tit.* & *l.* 12. *ſupr. de Veteranis: l.* 1. *ſupr. de luſtr. collat.* Et hi ſunt Clerici, ſed quibus Clericorum Priuilegia non deberi dicitur *l.* 163 *de Decurion.* (8) Fuêre & Clericorum numero Parabolani Alexandriæ, *l* 42. 43. *hoc tit.* (9) De Oeconomis, *ſupr.* dixi, ex *l.* 3. *ſupr. de his qui ad Eccleſ.* ex *l. vnic. de bon. Cleric.* Eccleſiaſticis tandem vicini, Continentes, *l* 20. *hoc tit.*

De *Clericis* hæc capita notentur. Primò, Character Clericorum & Officium eſt, non diuitiis ſtudere, verùm votum eorum, ſi verus eſt cultus, adiuuare pauperes, & poſitos in neceſſitatibus, *l.* 5. *de luſtrali collat.* animos eorum diuina obſeruatione deuinctos non decet patrimoniorum deſideriis occupari, *l.* 104 *de Decurion.* pro addictis ſupplicio intercedere & appellare, *l.* 16. *de pœnis: l.* 57. *de appell.* Contrà; Reos vindicare per vim & vſurpationem prohibitum, *l* 15. 16. *de pœn. l.* 57. *de appell.*

Secundò notandum eſt de eorum *Ordinatione:* Nempe ſtatuitur, coaptandos eos, non vulgari conſenſu, neque quibuſlibet petentibus, *l.* 6. *hoc tit.* neque citra modum, *d. l.* 6. verùm ab Epiſcopis ſunt electi, ordinati, *l.* 32. *hoc tit. l.* 16. *de pœnis:* in defunctorum ſcilicet Clericorum locum ſubrogati, allecti, *l.* 3. 6. *hoc tit.* ſæpè tamen totius populi vocibus expetiti, *l.* 49 *ſupr. de Decurionib. l.* 7. *de cohortalib.* Non Decuriones, vel ex Decurionibus geniti, *l.* 3. *hoc tit.* (de quo plenè ad *tit. de Decurionib. lib.* 12. *tit.* 1. quibus ex municipibus proſapia eſt, *l.* 6. (alioquin ad Curiam reuocari poſſunt, *l.* 19. 21. *hoc tit.* intra decennium, *d. l.* 19. ſeptennium, *d. l.* 21.) non plebeij diuites, *l.* 17. non facultatibus idonei, *l.* 3. non eos, quorum ſubſtantia 300. ſolidorum exuberat quantitatem, ex Valentiniani III. mente, *Nouell. inter Theodoſianas* 41. non muneribus publicis obeundis opportuni, *l.* 3. quibus ea eſt opulentia facultatum quæ publicas facilè functiones queat tolerare, *l.* 7. non obnoxij publicis, priuatiſque rationibus, *l.* 32. ſed fortunâ tenues, *d. l.* 3. & muneribus ciuilibus non obſtricti, *d. l.* 3. Ex Monachorum etiam fermè numero, *l.* 32. *hoc tit. l.* 16. *in fin. de pœn.* Numerus etiam Clericorum cuiuſque vici certus iudicio Epiſcopi ordinandus relinquebatur, *l.* 33.

Tertium caput eſt de *Priuilegiis* Clericorum: ſua igitur, ſpeciatim Clericis Eccleſiæ Vrbis Romæ, priuilegia quædam conceſſa à Conſtantino M. Clericis, vt docet *lex* 14. *hoc tit.* quæ à Conſtantio confirmata, *l.* 13. *hoc tit.* In commune, hæc Clericis priuilegia collata, 1. Immunes vt eſſent à muneribus omnibus ciuilibus, Curialibus, perſonalibus, publico laboris actu conſtitutum, *l.* 2. 9. 11. 16 24. 36. *hoc tit.* & *l.* 13. *infr. de Iudæis:* vt ad Curiam ſeu Curialia munera deuocari non poſſent, *l.* 7. *hoc tit.* à nominationibus ad Curiam, ab omnibus ſuſceptionibus, *l.* 1. *hoc tit.* quod aliquando ita reſtrictum fuit, ſi nihil in totum poſſiderent, ac patrimonio inutiles eſſent: *l.* 11. A Curia tamen non liberabat Clericatus, niſi vniuerſis patriæ debitis perſolutis, *l.* 99. *de Decurionib.* niſi ceſſo patrimonio Curiæ, *l.* 59. 104. 121. 123. 163. 172. *eod tit. de Decurionib.* vel niſi ſuffecto idoneo, *l.* 59. 115. *eod.* veluti filio, *d l.* 123. eique patrimonio ceſſo, *d.* 59. 115. *&* 163. (2) A Tributis pariter, collationibus, fiſcalibus penſitationibus ſeu *Cenſu* immunes fuêre Clerici, ex Conſtantij *lege* 10. *&* 14. (etſi alia poſtea eidem aliquando mens fuit, *l.* 15. *hoc tit.*) Itaque deinceps *legibus* cautum, obſeruatúmque niſi Clericis vicani, & in priuatorum

uatorum possessionibus essent; hi enim capitationem suam adgnoscebant, *l.* 33. (3) Item Clerici Negotiantes (de quibus sunt *hoc Codice* Nouem Constitutiones, *l.*8.10.14.15.36. *hoc tit.* & *l.*5. 11. 16. *supr. de lustrali collat.*) à *Lustrali* seu Auraria collatione immunes fuêre *d.l.*8.10.14.15.36.*hoc tit.* Certum tamen intra modum negotiantes, *l.*15.36. *hoc tit.* vide & *suprà tit. de lustrali collat.* Quæ etiam negotiatio vltimùm Clericis prorsus interdicta à Valentiniano Tertio *Nouella* 12. *seu vltim.* (4) Denique à muneribus sordidis immunes fuêre Clerici, *l.*10. 14. 15. à Parangariis, *l.*10. 14 & à Metati onere, *l.*8. *supr. de Metatis.* Coniuges quoque quorumdam Clericorum (qui scilicet ante Clericatum matrimonium contraxerant, de quibus agitur *lex* 10.14.44. *hoc tit.* & *l.vnic. supr. de bon. Clericor.*) à censibus immunes fuêre, *d.l.*10.11.*h.t.* vt & eorum filij (de quibus *l* 9.10 11.14.) qui & *Affectiones* dicuntur *d.l.*11. qui & ideò in Ecclesia perseuerare debebant, *d.l.*9. Item eorum ministeria, *l.*10. seu mancipia, *l.*8.& homines, *l* 14.à censibus, *l.* 10. & lustrali collatione immunes erant, *d.l.*14.*hoc tit.*

Verùm, 1. *Militia* Armatæ obnoxij per Clericatum militiâ non liberabantur, *l.*13. *supr. de Veteranis.* (2) Vt nec Curiali conditione ideò liberarentur; de quo iam *suprà* aliquid: inque eo argumento occupatæ sunt *quindecim leges* titul. *de Decurionibus.* (3) Pistrino item Clericus non liberabatur, *l.*1.1. *de Pistoribus.* (4) Officialis si militiâ functus ad Clericatum confugeret, facultates eius cursui publico vindicabantur, *l.*46.*de cursu.* (5) Suariâ functione Clericatus non liberabat nisi patrimonio suo Corpori Suariorum Clericus cederet, *l.*8. *de Suariis.*

Clericis vicissim hæc interdicta fuêre (1.) Viduarum ac pupillorum domos adire prohibiti, *l.*20. (2.) vetiti extraneas mulieres sibi sub consortio sororiæ appellationis adsciscere; sed tantùm matres, filias, Germanas, seu eas, in quibus nihil sæui criminis æstimari fœdus naturale permittit) *l.*44. (3.) Ex extraneorum item, quibus se priuatim sub prætextu Religionis adiunxerint, liberalitate quicquam adquirere, *l.*20.*hoc tit.* (4.) Nihil ex Diaconissæ bonis consequi *l* 27. quæ *lex* tamen reuocatur *l.*28. Et hæc de Episcopis & Clericis. Atque ideò de viris. Quibus adde, quæ de bonis Clericorum & eorum successionibus *titulo* peculiari habentur *de bonis Clericorum*, vt & quæ de Oeconomis Ecclesiarum continentur *eod.tit.* Tandem & quæ de Aduocatis Ecclesiarum *sup.*diximus.

IV. Sequuntur nunc Foeminæ seu mulieres vitæ solitariæ deditæ, vt vocantur, *l.vnic. de bonis Clericorum & Monach.* & quidem Virgines Sanctimoniales, de quibus occurrunt *hoc Codice* septem Constitutiones: putà omnium antiquissima (1.) Constantij Anno 354.*lex* 1. *supr. de raptu vel matr. Sanctim.* Ad quam dixi. (2.) Iouiani Anno 364.*lex* 2. *eodem tit.* (3) Valentiniani Sen. Anno 368.*l* 4 *de Censibus*: Anno 370. *lex* 6. *de censu*: Anno 372. *lex* 22. *hoc tit. de Episcopis.* (4.) Theodosij M Anno 394. *lex* 12. *de Scanicis.* (5.) Honorij Anno 420. *lex* 3. *seu vltim. de raptu vel matrim. Sanctim.* E quibus omnium prima putà Constantij *lex* 1. *de Raptu* pertinet ad Virgines Vrbis Romæ, & per Præfecturam Vrbanam: *lex* verò 3. *de Raptu*, ad Italiæ: *lex* 22. *de Episc.* ad Epyti nouæ: *lex* 4 & 6. *de Censu*; ad Galliarum: *lex* 2. *de Raptu*, & *lex* 12. *de Scanicis*, ad Orientis.

Dicuntur verò & Sanctimoniales, *Rubr. tit. de raptu vel matrim. Sanctim.* Virgines absolutè, *l.*22. *de Episcop.* Virgines sacrosanctæ, *l.*1. *de Raptu.* Sacratæ, *leg.*2. *eodem tit.* Dicatæ Deo Virgines, *l.*3. *eod.* & *l.*12. *de Scanicis*: in virginitate perpetuâ viuentes *l* 4. *de Censu*: quæ se sacræ legis obsequio perpetuò dicarunt, *l.*6. *eodem tit. de Censu.* Hæ verò habitu peculiari publicè vsæ; vt docet *dict. l.*12. *de Scanicis*, quem *ea leg.* vsurpare prohibentur Mimæ, & quæ ludibrio corporis sui quæstum faciunt. Earum virginitatem labefactare capite sancitum, *l.*2.*de raptu Sanct.* deportatione, siue & bonorum proscriptione, *l.*3.*eod tit.* accusatione omnibus permissa, *d.l.*3.siue quis eas raperet inuitas, *l.*1.2.3. *de raptu*; siue quis eas ambiret & attentaret matrimonij iungendi causâ: *dict. l.*2. 3. etsi rapta postea consensetit, *d.leg.*1. A capitatione quoque plebeia immunes erant, *l.*4 6.*de Censu* Harum capiatelis etiam occursum *l.*22. *hoc tit.* scilicet prohibitæ & ipsæ aliquid consequi ex liberalitate mulierum.

De Vidvabvs sanctimonialibus solitariæ vitæ deditis, est quoque *lex* 1. *supr. de raptu vel matrim. Sanctim.* & *lex vnic. supr. de bonis Clericorum & Monach.*

De Diaconissis est *l.*27.28. *hoc tit.* (vbi & *Vidua* simpliciter vocantur) pariter, vt quidem existimo, *l* 1. *supr. de de raptu vel matrim. Sanctim.* Ætas earum definita iuxtà Apostolum, 60.annorum: *d.l.*. De *Extraneis* mulieribus quas Clerici sub sororiæ appellationis obtentu sibi adsciscere prohibentur, agitur *l.*44 *hoc tit.* Tandem vetitæ fœminæ instinctu persuasæ religionis crinem tondêre, *l.*27. *hoc tit.*

De Politia & Disciplina Ecclesiastica præter nonnulla iam superiùs adspersa, vt & de causis Ecclesiasticis hæc notentur. *Primò* Canones Ecclesiasticos, pristinos & vetustatem obseruandam inculcari, *leg.* 45.

hoc tit. (2.) Si quid dubietatis emergeret, in Conuentu Sacerdotali id tractatum, id eſt in Synodis Prouinciarum & Diœceſeon; idque per Illyricum nonniſi ex ſcientia Ep. Conſtantinopolitani *d.l.*45. (3.) De *Foro* Eccleſiaſtico ita habendum: Cauſas Eccleſiaſticorum & Eccleſiaſticas, ſeu negotia Eccleſiaſtica, in quibus de diſſenſionibus ageretur, coram Epiſcopis, in locis ſuis, & ſuæ Diœceſeos Synodis audiri debuiſſe: *l.*12.23.35.41. *hoc tit. l.*1. *infr. de Religione:* Cæteras verò ad vſum publici iuris pertinentes coram Iudicibus ſæcularibus agitatas, *d.l.*23. & *d.l.*1. veluti cauſas criminales, *d.l.*23. & *l.vltim. hoc tit.* (4.) Depoſitus ſemel ab officio Epiſcopus ad Eccleſiam vel Epiſcopatum redire ſeu aſpirare denuò non potuit: *l.*35. & 39. *hoc tit.*

Tandem *huiuſce tituli* Conſtitutiones ad hæc capita referri poſſunt: I. de *vetuſtate*, déque *Canonibus Eccleſiaſticis* prouinciæ cuique & Eccleſiæ ſeruandis agitur *l* 45. (2) De *munere & officio* Epiſcopi, *l.*25. *hoc tit.* (3.) de *Ordinatione* Clericorum, *l.*3.6.17.19.21.32.33. (4) de *Parabolanis*, agitur *l.*42.43. (5) de *Diaconiſſis*, agitur *l.*27.28. (6.) de *Moribus* & *honeſtate* Clericorum, *l.*20.22.27.28.37.44. (7) de *Priuilegiis*, immunitate, opibus, defenſione Eccleſiarum, Epiſcoporum & Clericorum, *l.*1.2.4.7.8.9.10.11.13.14.15.16.18.24.26.29.30.34.36.38.40. (8.) de *Foro* Eccleſiaſtico & depoſitione Epiſcoporum & Clericorum, *l.*12.23.35.39.41. *vltim.* (9.) de *Irruentium* in Eccleſias pœnis, *l.*31. Vnica tantum *lex* hoc *titulo* fugitiua videtur; putà *lex* 5.

De PAVPERVM quoque cura hæc notanda. (1.) Multæ in pauperum vſum quandoque adiudicatæ: *l.*20. *quorum appellat.* (2.) Alimenta his è publico data, *tit. de alim. qui inop. par.* (3.) Diuitiis Eccleſiarum pauperes ſuſtentati, *l.*6. *hoc tit.* (4.) Quæſtus quoque Clericorum negotiantium pauperibus proderant: *l.*10.14. *hoc tit.*

¶ *De* IMMVNITATE *Clericorum Catholicorum à muneribus ciuilibus; Conſtantini M. conſtitutio.*

1. * Imp. CONSTANTINVS A." ......

HÆRETICORVM" factione," comperimus, Eccleſiæ Catholicæ Clericos ita vexari, vt Nominationibus" ſeu ſuſceptionibus aliquibus, quas publicus mos expoſcit, contra indulta † ibi priuilegia, prægrauentur. Ideóque placet, ſi quem Tua Grauitas" inuenerit ita vexatum, eidem alium ſubrogari, & deinceps à ſupradictæ" religionis hominibus huiuſmodi iniurias" prohiberi. Dat. Prid. Kalend. Nou. Conſtantino A. III." & Licinio III. Cæſ. COSS. [313.]

NOTÆ.

* Abeſt *hæc lex* à *Cod. Iuſtin.* velut Hiſtorica ſeu temporaria. Habet eam Baronius *Anno* 313. *num.* 4. Concordant porrò *huic legi* eiuſdem Conſtantini M. *lex* 2. & 7. *hoc tit.*

" Rectori Prouinciæ *hæc lex* inſcripta fuit, vt docent illa *Tua Grauitas*. Et verò ad Ælianum Proconſulem Africæ datam eam exiſtimo.

" An Donatiſtæ hic indicantur? De eo mox.

" Iniuriâ, *l.*7. *hoc tit.* ſacrilego liuore, *l.*2. *hoc tit.* inuidia, *l. vlt. hoc tit.*

" De Nominationibus ad publica munera, & de ſuſceptionibus Annonarum & Tributorum, *ſuis titulis ſuprà*, *lib.* 12. *de Decurionibus*: & *tit. de Suſceptoribus*.

† Quando hæc priuilegia indulta? Sanè, non diu eſt, cùm id factum eſſe potuit, hoc ipſo Anno 313. ſiue enim primùm Anni ſuperioris 312. Conſtantinus M. Chriſtianam fidem publicè amplexus eſt.

" *ταχέως.*

" Hæc verba videri poſſint non quidem Semi-Chriſtianum redolere, verùm recenter ſaltem Chriſtianum factum: Niſi putemus hanc *legem* datam ad Magiſtratum Gentilem.

" Iniuriæ ſpecies eſt, & verò dicitur, vbi quis ad munera ciuilia contra indulta ſibi priuilegia nominatur.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. ſeptem ordine *hoc tit.* Conſtitutiones occurrunt, de Eccleſiæ Catholicæ priuilegiis, *l.*4. de Clericorum Ordinatione, *l.*3.6. eorumdémque priuilegiis, *l.*1.2.5.7. Hæc *lex* eſt de IMMVNITATE Clericorum: à Nominationibus & Suſceptionibus Immunes ſcilicet, & à muneribus aliquibus perſonalibus, Eccleſiæ Catholicæ Clericos eſſe iubet Conſtantinus M. Quam etſi inter hæc Chriſtianæ Religionis à ſe ſuſceptæ initia ediderit, anno videlicet 313. menſe Octobri extremo, anteriora nihilominus ſuper eo ipſo priuilegia proceſſiſſe iam indicat his verbis, *contra* INDVLTA *ſibi priuilegia.*

Huiuſcemodi ſanè *legis* ſuæ meminit Conſtantinus *in epiſt. ad Epiſcopos Numidiæ*, quam Pithœus extulit, quámque Baronius *Annalibus ſuis* indidit, *Anno Domini* 316. *num.*64. Euſebius verò nominatim, *hiſtoria Eccleſ. lib.*10. *cap.*7. Conſtantini *legem* ſeu Epiſtolam de Immunitate Clericorum Eccleſiæ Catholicæ ad Anulinum Proconſulem Africæ memorat: & hæc quidem exinde inter alia: ὅθεν ἐκείνους τοὺς εἴσω τῆς ἐπαρχίας τῆς σοὶ πεπιστευμένης ἐν τῇ Καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ ᾗ Καικιλιανὸς ἐφέστηκε, τὴν ἐξ ἑαυτῶν ὑπηρεσίαν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ θρησκείᾳ παρέχοντας, οὕσπερ κληρικοὺς ἐπονομάζειν εἰώθασιν, ἀπὸ πάντων ἁπαξαπλῶς τῶν λειτουργιῶν βούλομαι ἀλειτουργήτους διαφυλαχθῆναι:

λαχόντας· ὅπως μὴ διά τινος πλάνης, ἢ ἐξολισθήσεως ἱεροσύλου ἀπὸ τῆς θεραπείας τῆς τῇ θειότητι ὀφειλομένης ἀφέλκωνται, &c. Quæ alioquin ipsissima verba sunt, quæ continentur *proximâ l.2.* Hanc ipsam verò primámque Constantini *legem* memorat Anulinus Proconsul Africæ, cum libellos Donatistarum sibi datos hoc Anno ipso 313. 17. Kalend. Maias, ad Constantinum mitteret, epistolâ suâ, quam refert Augustinus *epist.68. ad Ianuarium*, & habent Acta collationis Carthagin. *die 3. num.* 216. & 220. *Scripta cœlestia Maiestatis vestræ accepta atque adorata, Cæciliano, & his qui sub eodem agunt, quique Clerici appellantur, deuotio paruitatis meæ insinuare curauit, eosdémque hortata est, vt vnitate consensu omnium factâ, cum omni omninò munere, indulgentiâ Maiestatis vestræ, liberati esse videantur Catholici, custoditâ sanctitate legis, debitâ reuerentiâ diuinis rebus inseruiant.* Vbi vides, quomodo Anulinus breuiter summam Constantineæ constitutionis relatione suâ proponat: vt apparest omnino, eandem illam esse, cum eâ quam Eusebius memorat. Verùm paucos post dies, addit Anulinus, extiterunt quidam, adunatâ secum populi multitudine, qui Cæciliano contradicendum putarent, libellis datis quibus susceptus dies XVII. Kalend. Maias Karthagine, quihúsque Catholicæ nomen sibi illi vindicabant, quos ad Comitatum Constantini dirigi impendio postularunt. Eos verò, Anulinus, manente in statu Cæciliano ad Constantinum direxit. Exinde Synodus Romæ habita iussu Constantini inter Catholicos & Donatistas hoc ipso mense 5. Nonas Octobris, vbi Cæcilianus absolutus, Donatistæ verò condemnati fuêre: quam mox-mox secuta hæc *lex* nostra, quâ Constantinus priorem constitutionem suam, hæreticorum factione interturbatam, confirmatam iuit. Vt omninò mihi videatur, hæc *lex* lata ad illam Anulini relationem, & approbandæ Synodo Romanæ. Nunc de ipsamet *lege*.

¶ Sex igitur ex *hâc leg.* & ad *eam* obseruentur. Primùm de hâc Clericorum immunitate à nominationibus, & muneribus ciuilibus, plenè dictum iam *supr. tit. de Decurion.* & *tit. de Susceptorib.*

Secundò obseruandum, Constantinum, nonnisi *Catholicæ* Ecclesiæ Clericis hæc priuilegia, hanc immunitatem indulsisse, voluisséque competere: quod & ipsum primâ illâ omnium constitutione disertè expressum fuerat, ἐν τῇ Καθολικῇ, inquit, Ἐκκλησίᾳ τῶν Χριστιανῶν ἱερεῖς. Idemque etiam repetitum tertiâ eiusdem Constantini constitutione, *l.2. infr. de hæreticis.* Videatur & *lex* 2.4. *in fin.* imò & *lex* 1. *supr. de annonâ & tributis.* Sic & idem Imp. plenissimam testamenti factionem passiuam nonnisi Catholicis Ecclesiis tributam voluit: *l.4. hoc tit.*

¶ Tertiò obseruandum, *hæreticos*, cùm ipsis eadem priuilegia, quæ Catholicis, non competerent, subinde factionibus suis, vt hæc *lex* loquitur, sacrilego liuore, vt *lex prox.* 2. per iniuriam, vt *l.7. infr.* διὰ ἐξωλισθήσεως ἱεροσύλου, vt habent Græca apud *Eusebium*, id apud Magistratus egisse, vt ne Ecclesiæ Catholicæ Clerici priuilegiis sibi indultis, immunitatéque illâ perpotirentur. Id quod sæpè & subinde ab hæreticis factum tentatúmque. Exemplum apud Basilium quoque *epistola* 264. vbi de Vicario quodam Ponticæ, si non hæretico, saltem hæreticorum fautore; τοῖς μὲν ἡμῖν ἐχθροῖς δοθῆ ἡ φίλοις τιμίων, ἡ πάντες μὲν μὴ φωσὶ τὰς ἱερατικοὺς τῆς ἐν Καισαρείᾳ ἐκκλησίας παρέδωκε τῇ βουλῇ ἐν ᾗ Σεβαστείᾳ ἐκαθέσθη πολλὰς ἡμέρας φυλοιφερῶν, καὶ τοὺς μὲν ἡμῶν κοινωνοῦντας βουλῆς ὀνομάζων, καὶ καταδικάζων τῇ ὑπηρεσίᾳ τῶν δημοσίων· τοὺς δὲ πρὸ ὀλίγου προσκειμένους, ταῖς μεγίσταις τιμαῖς ἀξιῶν.

Quartò, ex his quæ initio dixi, si vera ea sunt, apparet, *Hæreticorum* appellatione Schismaticos quoque Donatistas hîc intelligi: Nam vt maximè Hæretici propriè loquendo à Schismaticis seiungi, separari soleant, & verò discernantur etiam ab ipsomet Constantino *d. l.1. infr. de hæreticis*, cuiusmodi sanè erant Donatistæ; attamen & ipsi quandoque *hæreticorum* appellatione veniunt. Videlicet *l.4. infr. ne sanctum Baptisma.* Et tuentur hanc interpretationem quoque *lex* 7. & *l.34. infrà.*

¶ Quintò notandum, Sozomenum quoque *lib.1. cap.9.* meminisse huius immunitatis à muneribus publicis à Constantino M. Clericis tributæ, his verbis: παρῆκε δὲ καὶ τῶν μίζων τοῖς τῷ Βωμαίων ἀνὰ τὴν ὀρησκείαν αἰδεῖς, τοῖς μὲν γὰρ παράξῃ κληρικοῖς ἀτέλειαν ἁπάσαις ἀπεῖναι.

¶ Monendum postremò, vel ex *hâc leg.* vt & ex *sequentibus quatuor constitutionibus*, vt omittam alias, liquere satis de Zosimi calumniâ, asserentis Constantinum circa Ann. D. 324. primùm Christianæ Religioni operatum, de quo ad Philostorgium iam.

Libet etiam ad clariorem & distinctum *huiusce legis* intellectum, breue Chronicon subiicere de *legibus* à Constantino latis Anno D. 313. super Immunitate Clericorum à muneribus publicis.

1. *Ante mensem Aprilem*, eodem, vt puto, fermè tempore, quo Maxentij caput in Africam missum fuit, Constantinus primam constitutionem, ex vrbe Mediolano; ibi enim tum erat Constantinus, ad Anulinum Proconsulem emisit pro Cæciliano & Clericis eius: quam refert Eusebius *lib.10. cap.7.* & ex eo Baronius *Anno* 314. Sed malè: cuius etiam meminit Anulinus relatione suâ ad Constantinum, quæ extat apud Augustinum *epist.68. ad Ianuarium*, & in Actis *Collat. Karthaginiensis, die 3. num.* 216. 220. Quam etiam indicat ipse Constantinus *hâc leg.* 1. mense Octobri extremo.

2. *Mense Aprili.* Post paucos dies, quàm Anulinus constitutionem seu epistolam superiorem Constantini Cæciliano, & Clericis sub eo constitutis insinuasset; Donatistæ liuore moti, libellos obtulerunt Karthagine, Anulino *XVII. Kal. Maij* quibus huic immunitati intercedebant, Ecclesiæque Catholicæ nomen sibi vindicabant: Quos libellos Anulinus, manente Cæciliano in statu suo, ad Constantinum direxit. Testis Anulini relatio apud Augustinum *epist.* 68. cuius relationis & ipse Constantinus meminit *epist. ad Miltiadem & Marcum*, apud Eusebium *lib.10. cap.5.*

3. *Mense Octobri.* Synodus ad libellum seu preces Donatistarum Romæ Constantini iussu habita fuit 6. Nonas Octobris, inter Cæcilianum & Donatistas: vbi Donatus damnatus & Cæcilianus innocens pronuntiatus est, teste Optato, *lib.1. c.10. p.11.12.* Augustino *post collat. contra Donat. cap.33. & epistolâ* 152. & alibi.

4. *Extremo iam die eiusdem mensis Octobris* lata hæc *lex* 1. quâ Immunitas illa Clericorum Catholicorum confirmatur, aduersus hæreticorum, Donatistarum, factionem.

¶ *De* IMMVNITATE *Clericorum ab omnibus omninò muneribus; Constantini M. constitutio.*

II. * Idem A. Octauio" Correctori Lucaniæ & Brittiorum."

QVI diuino cultui ministeria religionis inpendunt (id est, hi qui *Clerici* appellantur,) ab omnibus omninò muneribus excusentur: Ne" sacrilego" liuore quorundam," *à diuinis obsequiis auocentur.* Dat. XII. Kalend. Nou. Constantino A. V. & Licinio Cæs. COSS. [319.]

INTERPRETATIO. *Lex hac speciali ordinatione pracipit, vt de Clericis non Exactores, non Adlectos" facere quicunque sacrilegâ ordinatione prasumat, quos liberos ab omni munere, id est, ab omni officio, omníque seruitio iubet Ecclesia deseruire.*

NOTÆ.

† Abest *hac lex* à *Cod. Inst.* velut similes plures alias habens. Extat apud Baronium. *Anno* 319. n. 30.
" *x. Octauiano:* vt est quoque in Editione *Tilliana*, & *Quartana*: Eidem Octauiano hoc ipso Anno inscribitur *l. 1. supr. de filiis mil. appar.* vbi perperam editum *Optauianum.*
" Cuius sedes erat Regium; vt docet subscriptio *d. l. 2.* his verbis. *Acc. Regio.*
" Rectè hoc habet: pariter vt in Græca Epistola, quam mox subiiciam: ὅπως μὴ: neque mutandum in *nec*. Ratio scilicet hîc continetur.
" Ita quoque *l. 40. inf. in fine.*
" Hæreticorum scilicet, vt *l. 1. supr.* & *l. 7. infr.* & *l. vlt. infr.*
" De *Adlectis* dixi ad *legem* 12. 13. *supr. de suscept.* & ad *leg.* 13. 18. *infr. de extraord.* Adlecti, sunt qui Gallis, *Esleus.*

COMMENTARIVS.

DE IMMVNITATE Clericorum à muneribus omnibus ciuilibus est hæc Tertia iam, sed *hoc titulo* Secunda Constantini M. constitutio: eáque nominatim per Lucaniam & Brittios: Tertia inquam: Differt enim hæc protsus ab Epistola illa Constantini M. ad Anulinum Proconsulem Africæ de immunitate Clericorum, quam ad *l. 1. supr.* retuli. Nam & septem annis ante hanc, illa lata fuit, & ad alium Magistratum emissa est, & ad aliam terrarum partem spectat. Nempe illa data est Ann. 315. vel fine Anni 312. hæc verò, Anno. 319. Illa *Anulino* inscripta, hæc *Octauiano*: illa ad *Africam* spectat, hæc ad *Lucaniam & Brittios*. Verum tamen est, eadem vtrobique verba occurrere: Τὺς, inquit, τὴν ἐξ ἑαυτῶν ὑπηρεσίαν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ θρησκείᾳ παρέχοντας (οὕσπερ Κληρικοὺς ἐπονομάζειν εἰώθασιν) ἀπὸ ΠΑΝΤΩΝ ΑΠΑΞΑΠΛΩΣ ΤΩΝ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΩΝ βούλομαι ΑΛΕΙΤΟΥΡΓΗΤΟΥΣ διαφυλαχθῆναι: ὅπως μὴ διά τινος πλάνης ἢ ἐξολισθήσεως ἱεροσύλου ἀπὸ τῆς θεραπείας τῆς τῇ Θεότητι ὀφειλομένης ἀφέλκωνται): Quæ ipsissima verba sunt *huius leg.* Sed neque Sozomen. *l. 1. c. 9.* hanc *legem* speciatim indicauit: verùm aut generaliorem, aut antiquiorem, aut sanè quascunque tandem Constantini constitutiones de immunitate Clericorum.

¶ Ex *hâc* interim, & *superiore lege*, itémque *l. 7. infr.* vt & *Eusebianâ* illâ (de qua modò diximus) Epistolâ liquet, quàm enixo Constantini studio opus fuerit ad firmandam semel hanc Clericorum Catholicæ Ecclesiæ immunitatem à muneribus ciuilibus: quæ tamen hac æquissimâ ratione, quæ hîc expressè redditur, nixa; *Ne* scilicet, *Clerici à diuinis obsequiis auocentur*: vt hæc *lex* nominatim ait, itémque *superior illa*, quam memorat Eusebius *Epistola*, & apud Augustinum Anulinus *epist. 68.* Neque absimilis ratio redditur à Theodosio Magno *l. 26. infr.* in custodibus Ecclesiarum & Sanctorum locorum: *Quis enim*, inquit, *eos capite censos patiatur esse deuinctos, quos necessariò intelligit supra memorato obsequio mancipatos.* Ex hâc porrò ratione liquet, immunitatem munerum personalium hîc intelligi, non verò immunitatem patrimonialium: de quo *infr. ad l. 8. 10. 11. &c.*

¶ *Clericorum* interim *hâc leg.* definitio notanda est, quæ & ipsa totidem verbis continetur in *Eusebianâ*, quam modò retuli: Nempe *Clericorum* nomen, quod commune erat Ecclesiæ totius & Christianorum omnium, vsus & auctoritas Ecclesiæ proprium & ἐξαιρετὸν fecit, eorum qui diuino cultui ministeria Religionis impendunt, vt hæc lex loquitur: qui electi sunt τῆς διακονίας seu ministerij sacrique Ordinis, quíque in Clerico ministerio dicuntur constituti à Cypriano: vid. & Hieronymum, cuius verba referuntur 12. *q. 1. c. duo sunt genera* 7. Sic *Papa* quoque nomen, quod commune erat omnium Episcoporum, idem vsus & auctoritas *Primi* iam olim inter omnes Episcopi proprium fecit.

¶ *De* ORDINATIONE *Clericorum in curiarum & ciuilium munerum praiudicium non facienda; Constantini M. constitutio.*

III. * Idem A. ad Bassum PF. P."

CVM Constitutio † emissa præcipiat, *Nullum deinceps Decurionem, vel ex Decurione progenitum, vel etiam instructum idoneis facultatibus, adque obeundis publicis muneribus opportunum, ad Clericorum nomen obsequiúmque confugere: sed eos decetero, in defunctorum*

functorum dumtaxat Clericorum loca, subrogari, qui fortuna tenues, neque muneribus ciuilibus teneantur obstricti: Cognouimus, illos etiam inquietari, qui ante Legis promulgationem Clericorum se consortio sociauerint: Ideóque præcipimus, his ab omni molestiâ liberatis, illos" qui post Legem latam obsequia publica declinantes ad Clericorum numerum confugerunt, procul ab eo corpore segregatos, Curiæ Ordinibúsque restitui, & ciuilibus obsequiis inseruire. PP. XV. Kalend. Aug. Constantino A. VI. & Constantio Cæsare COSS. [320.]

NOTÆ.

* Abest & *hac lex* à *Cod. Iust.* velut historica & temporaria. Extat apud Baronium *Ann.*320. *num* 20. Concordat altera eiusdem Constantini M. constitutio putà *lex* 6. & *lex* 17. *infr.*

† Non extat hæc constitutio Constantiniana, cuius tamen sententia hîc prolixè memoratur.

"Illos tantum.

COMMENTARIVS.

ORDINARI QVINAM & QVANDO in numerum Clericorum debent, vt *anteriore* iam aliqua constitutione, ita & *hâc* rursum definit Constantinus M. ita tamen (quæ huius constitutionis ferendæ causa fuit, post priorem illam) vt ne constitutionis illius vis in præteritum trahatur: Nempe vt cæteroquin, quæ *lex* in futurum quid iubet, in præteritum indulget. ¶ Igitur vis superioris illius, & huius constitutionis, eò pertinet in summam, vt ne obtentu Clericatus, Resp. & Curiæ paulatim viris & viribus destituantur. Scilicet tot partim immunitatum à Constantino M. tributarum illecebris accensi proculdubio quamplurimi, partim etiam Ecclesiarum diuitias donationibus crescere videntes, (Nam hoc illud est seculum, quo Ecclesia diuitiis abundare potissimùm cœpit) certatim quique vt immunitatibus poterentur, séque adeò muneribus publicis subducerent, vel etiam Ecclesiarum diuitiis sustentarentur, Clerici fiebant. Atque illud incommodum adeò Constantino Principe inualuit, vt tertia insuper Constitutione, ci intercesserit, nempe *l.* 6. *infr.* quæ huic gemina germana est.

¶ Duo itaque *hâc leg.* constituuntur. Primò Decuriones, & Decurionum filios, itémque diuites, in Clericorum numerum cooptari, Constantinus Magnus vetat: Sed fortunâ tenues tantùm & muneribus ciuilibus non obstrictos. Quæ eadem, vt dixi, sententia est eiusdem Constantini, *l.* 6. *infr.* eadémque de diuitibus sententia est: *l.* 17. *infr.* Quomodo & *Can.* 13. Concilij Sardicensis cautum, vt *in constituendis Episcopis diligentissimè tractetur, si fortè diues postulatus fuerit;* vt & de Decurionibus, sub quodam tamen temperamento, *l.* 19. & 21. *infr.* cuiusmodi prope similes extant *l.* 49. 59. (quæ coniungenda *legi* 17. *hoc tit.*) 99. 104. 115. 121. 123. 163. 171. *supr. de Decurionib.* quibus omnibus posteriorum Constantino Impp. constitutionibus, Decuriones ad Clericatum admittuntur, sub certa quadam *lege*, quâ ipsi Curiæ consulitur. Vnam igitur & perpetuam legem hanc sibi dixit Constantinus, ne Clericatus obtentu, Reipubl. fraus fieret. Quò pertinet *hâc lex* cum *similibus*, pariter, vt ne publicis aut priuatis rationibus fraus fieret: *l.* 32. *infr. hoc tit.* vbi dicam.

¶ Eodémque pertinet & alterum illud, quod *hâc leg.* continetur his verbis: *in defunctorum duntaxat Clericorum loca:* & *d. l.* 6. *infr.* aduersus effrænem videlicet Clericorum numerum: Nempe Constantinus, vt *hâc leg.* ita & *d. l.* 6. modum huic rei quoque adhibuit: putà, vt ne in defunctorum locum alij Clerici allegerentur, seu subrogarentur passiuitùs, aut incondito effrænique numero.

¶ De TESTAMENTI *Factione passiuâ plenissimâ Ecclesiis Catholicis indultâ; Constantini Magni Edictum Romæ propositum.*

IV. * Idem A. ad Populum."

HABEAT vnusquisque" licentiam, sanctissimo Catholicæ" venerabilique concilio," decedens, bonorum quod" optauit" relinquere. Non sint cassa" iudicia." Nihil" est quod magis hominibus debetur, quàm vt supremæ voluntatis, postquam" aliud iam velle non possunt, liber sit stilus, & licens" quod iterum non redit arbitrium. PP. V. Non. Iul. Rom." Crispo II. & Constantino II. Cæs. COSS. [321.]

NOTÆ.

* *Lex* 1. *Cod. Iust. de SS. Eccles.* Extat & apud Baronium *Ann.* 321. *n.* 17.

"Vrbis Romæ, vt docet prætereà subscriptio legis. *PP. Romæ.*

"*Catholico*, Cod. Iust. *Catholica*, absolutè, pro Catholicæ fidei, seu Religionis, aut Ecclesiæ; de quo mox.

"*Concilium* venerabile & sanctissimum Catholicæ, pro Ecclesiâ: vid. *Commentar.*

"Quale & quantumcunque.

"*Optauerit*, C. Iust. fortè & *optabit*, vnusquisque scilicet decedens, seu testator.

"Vt nonnulli è populo Romano volebant.

"*Iudicia*, pro *vltimis* voluntatibus. Additum porrò hic, *eius*, in quibusdam *Cod. Iust.*

"*Nihil enim*, Cod. Iust. vinculo addito.

"Ad

"Ad hunc locum similia mox afferam loca.
"In relinquendo scilicet & disponendo de bonis suis.
"*Licitum*, Cod. Iust. *licens*, id est, liberum: cuius Comparatiuus magis in vsu, *licentior*, *licentius*. Et ita tamen quoque Martialis *lib. 4. epigr. 8.*

——— *Gressu timet ire licenti.*

Symmachus huius æui Scriptor *lib. 1. epist. 53. Homo licentis otij.*
"Propositum Romæ hoc Edictum, quod ad Populum datum, obserua: de quo mox.

COMMENTARIVS.

De Testamenti factione passiua, vt loqui mos est, Ecclesiarum seu de *Relictis vltima voluntate Ecclesiis*, est hæc plenissima Constantini M. constitutio, quæ in omnium ore est. Neque enim est ea de Testamentis ad quascunque pias Causas, vel etiam de priuilegiis piæ causæ, de quibus alioquin sunt qui Libros singulares scripsêre. Sententia Constantini *hâc leg.* hæc est; licere (1) *vnicuique*, nullo discrimine, (2) *decedenti*, (3) Ecclesiæ *cuicunque* Catholicæ, (4) *quæcunque* tandem bona, (5) *relinquere vltima voluntate.*

Antequam hanc *legem* κατὰ πόδα interpretamur, Quatuor præstrui oportet. Primò quidem, Constitutionem hanc *Constantinum M.* habere authorem, qui primus veneranda Christianorum fide Romanum muniuit Imperium, vt loquitur Zeno *l. Diui Constantini 5. Cod. de Natural. lib.* atque hoc inter alia priuilegia esse quæ Constantinus Ecclesiis detulit, quæ etiam memorant *Scriptores Ecclesiastici.*

Secundò notandum est, Edictum hoc ad *Populum Romanum* missum, & in Vrbe Roma propositum: & sic ad Ecclesias Vrbis Romæ speciatim pertinere. Inde igitur posteà procul dubio Ecclesiæ Romanæ opes in immensum auctæ, ex hac videlicet testandi deinceps in Ecclesiæ fauorem libertate plenissima: Sic vt Constantino iam rectè accepto ferantur bona Ecclesiæ, non tantùm quæ ipse donauit, verùm etiam quæ vt donare liceret, concessit: vt rectè censet Sirmondus *ad Auiti epist. 39.* vbi Auitus ipse ad Gundobadum R. *Quidquid habet Ecclesiola mea, imò omnes Ecclesiæ nostra, vestrum est, de substantia quam vel seruastis hactenus, vel donastis.* Fuit verò & hæc quoque vna inter alias ratio, quibus Constantinus mores populi Romani informatum versúmque iuit: Quod ei in commune propositum fuit hoc toto quadriennio, putà Anno 319. 320. 321. 322. vt ex quamplusibus eius *legibus* discere licet. Quo omni tempore *Syluester* Episcopus Romanus, Bassus verò & Maximus Præfecti Vrbis fuêre: ipse verò Constantinus bello Sarmatico in Pannonia, Mysia, Daciáque illigatus erat: Idque non modò constitutionibus ad Præfectos Vrbi emissis, verùm etiam frequentibus Edictis Populo Vrbis Romæ propositis: cuiusmodi hoc ipsum est: & quidem post Magicas artes, innoxias tamen, vt & Aruspicinam, quia prohibere nondum poterat, ibidem adhuc permissas: sic vt Constantinus hoc tempore in deterius prolapsus ideò dici non possit; quod nonnullis in mentem venit; cùm videamus eum Ecclesiis, & Romanæ nominatim omnium Primæ summæque, tam enixè consulentem.

Tertiò notandum, latam hanc *legem* Anno D. 321. quadriennio ante Concilium Nicænum, nouem annis post Christianam fidem à Constantino primùm susceptam.

Quartò notandum, *Causam* proponendi huius Edicti non eam generalem fuisse, vt Testamenti factio passiua *nunc primùm* Ecclesiis tribueretur: Nam etsi ad Constantini M. fermè tempora vsque, Christianorum Ecclesiæ publicè quicquam ex vltima voluntate capere non possent, non magis quàm Iudæorum vniuersitas, *l. Cod. de Iudæis*: aliáque Collegia, quæ nullo speciali priuilegio subnixa erant, *l. 8. Cod. de hered. instit.* eò quod Christianis coire non liceret, illicitáque eorum Collegia essent (quò lubens referam *leg. 2. ff. de Colleg.*) cùm tamen ex Senatusconsulto Diui Marci temporibus facto, Collegiis fermè & Corporibus quibuscunque aliis relinquere liceret, *l. 20. ff. de rebus dub.* Attamen vt per interualla quædam Christianis Ecclesiis esse licuit, suásque possessiones illæ habuêre, ita statim vbi pax per Constantinum M. Ecclesiæ affulsit Anno D. 312. procul dubio tum vt Ecclesiæ Sanctissima iam Collegia, venerabiliáque Concilia in Orbe Romano facta sunt, ac nominatim *Romæ*, ita & ea decedentium potissimùm liberalitate diuitias in eam certatim influxisse certum est, toto hoc videlicet nouennio, quod ab eo Anno 312. ad Annum 321. quo hoc Edictum emissum est, decurrit.

Quid igitur? *Speciales* quædam huius nunc Edicti proponendi causæ fuisse videntur, & ideò proponendarum ampliationum: nempe quia de quibusdam casibus dubitabatur, vtrum videlicet rectè Ecclesiæ quid relinqueretur, vt ea ipsa *legis* interpretatione patebit. Eius verò dispositionem in sex partes, siue quæstiones resoluo: vt ita meliùs à Saturninis, id est, nusquam receptis vel recipiendis Bartoli, aliorúmque repetitionibus vindicemus.

Primò spectetur generalitas & Ampliatio circa *Personas* quæ Ecclesiis aliquid relinquere possunt; Definit scilicet Constantinus, *vnumquemque* relinquendi licentiam habere: cùm tamen de nonnullis fortè personis tum dubitari cœpisset, & vt quidem existimo, de Mulieribus, Viduis, & Senatoribus. De Mulieribus & Viduis, inquam, eò quòd passim oblationibus Matronarum Ecclesia Romana ditesceret; quod Ammianus Marcellinus *lib. 27.* haud ita multò pòst disertè testatur. De Senatoribus & Senatoriis itidem fortè quæsitum, eo quòd clararum Domorum insignia, vt vocantur *l. 27. infr. hoc tit.* bonáque Senatoria certatim in Ecclesiam Romanam confluerent: quod ferendum minùs videbatur, quin potiùs modum & fibulam huic rei imponi publicè interesse nonnulli rebantur: Et nihilominus tamen Constantino, pro suo in Ecclesiam Christianam tum efflorescentem studio, stat hæc sententia, vt *Vnusquisque* habeat licentiam relinquendi Ecclesiis: non masculi scilicet tantùm, sed & fœminæ: non plebeij tantùm, sed & Senatorij & Illustres: quinimò & Viduæ: à quo tamen recessum aliquando posteà fuit. Nam & Valentinianus Sen. constitutione emissa ad Damasum Episcopum Vrbis Romæ, lectáque in Ecclesiis Romæ, quæ extat *l. 20. infr. hoc tit.* Ecclesiasticis vetuit quidquam ex mulieris liberalitate, videlicet extremo iudicio capere: de quo posteà. Et Valentinianus Iun. vnà cum Theodosio M. vetuerunt, ne viduæ Diaconissæ etiam Ecclesiis quidquam relinquere possent, *d. l. 27.* (quod tamen non recti iudicij ratione factum censet Baronius *Anno 57. num. 72.*) vt multa sui initio bona sunt, quæ processu temporis minùs commoda

moda fiunt : quod tamen postea rursum abrogatum *Nouella Martiani*, vnde desumpta est lex *General. 13. C. de sacros. Eccles.*

Ex his interim soluitur ea Interpretum dubitatio siue quæstio, vtrùm aliàs de iure inhabilis, veluti furiosus, mutus, surdus, filiosfamilias damnatus ad mortem, de statu suo dubitans, infamis, vsurarius, ex *hac* Constantini *lege* ad pias Causas testari possit? Quod negandum est, tum ex historica illa, quam modò dixi, causa; tum ex vulgato axiomate quod *Generalitas legis recipit limitationem de habilitate*, vt loquitur Gloss. *in l. gradatim, §. etsi, ff. de munerib.* Et ita in terminis hic rectè censet Gloss. *in verb. habeat*, & de communi testatur Iason *hic, num. 12. & seqq.* nempe per *hanc leg.* non derogari iuri communi quoad personam testantis.

Secunda Ampliatio seu generalitas *huius leg.* est, de iis quibus relinqui potest; nempe *Sanctissimo & Venerabili Catholica Concilio*, τοῖς ἁγίοις Ἐκκλησίαις, *Catholicis* Ecclesiis & Martyriis; id enim est, quod indicatur *Sanctissimi Catholica & Venerabilis Concilij* appellatione : Nam & ita in Edictis Constantini & Licinij, apud Eusebium *lib. 10. cap. 5.* Σωμάτιον : mox & Σύνοδος vocatur: τοῖς αὐτοῖς Χριστιανοῖς, τουτέστι τῷ σώματι αὐτῶν, καὶ τῇ ΣΥΝΟΔΩ ἑκάστῳ αὐτῶν ἀποκαταστῆναι κελεύομεν.

Vbi vides, Corpus omnium Christianorum & singulas Synodos seu singula *Concilia*, id est Ecclesias cuiusque loci coniungi. *Concilium* nempe est, quodcumque tandem Corpus speciale cuiusque loci : ita quoque *Concilium Deorum* dicitur Tertulliano. Idem *de pudicit. cap. 10.* Concilium Ecclesiæ dixit : *Ab omni*, inquit, *Concilio Ecclesiarum etiam vel harum.* Et, *Concilia ex vniuersis Ecclesiis* : de *Ieiuniis, cap. 13.* Sed & vetus Interpres Terentij Eugraphius, Nundinas loci alicuius *Concilium* exponit. Ita quoque *Concilia Martyrum* in Martyrologio Romano 23. *Iunij* : vbi vide *Baronium* : & apud Brixianum *in sermone habito in dedicatione Concilij Martyrum* : quæ *Martyrum Conciliabula* vocat Hieronymus *epist. ad Heliod.* & in *Epitaphio Nepotiani.* Vt proinde fallantur (etiam Alciatus hic) qui *Concilium* hic pro Synodo Ecclesiastica accipiunt; quos vel *Titulus*, sub quo *hæc lex* posita est, refutat. Contrà, rectè hic Græci, & Basilica *lib. 1. tit. 1.* verterunt ταῖς ἁγίαις Ἐκκλησίαις. Denique *Concilium* est Corpus speciale cuiusque loci : & hic *Concilium Catholica*, pro Ecclesia Catholica : Ita *Concilium Patrum* Symmacho, pro Senatu, *lib. 1. epist. 89.* & Publicum *Concilium*, eodem sensu, *lib. 7. epist. 121.* & *Concilium Latiare*, pro cœtu & auditorio Literatorum, *lib. 1. epist. 9.* Ita *Concilium Nauiculariorum* dicitur, non omnium in Orbe Romano, vel in Imperio Orientis, verùm speciale cuiusque loci, veluti Alexandrinorum, Carpathiorum, *l. 32. supr. de Nauicul.* Quomodo & *Concilium Africa*, alibi. Sic & in veteribus Inscriptionibus, *Concilij* appellatio de Collegio Sacerdotum & Flaminum propriè, in *Corp. Inscript. p. 305. num. 8. 325. num. 15. 321. num. 10. 467. num. 4.* Eodémque sensu, Σύνοδος τῶν Μουσῶν, *pag. 309. num. 1.* Et certè *Concilij* appellationem ideò delegit, suísque Epithetis insigniuit Constantinus ad Populum Vrbis Romæ scribens, & Edicto suo Romæ proposito, vt id opponeret Gentilitiis *Conciliis*, siue ciuilibus, siue sacris, & ad differentiam *Ecclesiæ* generaliter acceptæ, quæ Romæ nonnisi vna erat & Catholica, quæ peculiaria Concilia suo ambitu complectebatur. *Concilij* vox hoc æuo tributa omni cœtui legitimo, vt dictum est ex *Symmacho.*

Neque tamen, quod Tertiò loco hic occurrit, omnibus Ecclesiis seu Conciliis Romæ ius hoc tribuit Constantinus; verùm (quæ *Limitatio* hic notanda est) Conciliis *Catholica* (vt nominatim scriptum hic extat) accepta voce *Catholica* absolutè pro *Catholica Ecclesia & vnione*: pariter vt apud Optatum *lib. 1.* & Tertullianum *lib. de præscript. aduersus hæreticos, cap. 26. Quam Catholicæ in medium proferebant* : & cap. 30. *Et in Catholicæ primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem* : & apud *Augustinum* passim : Nempe licentiam hanc Catholicis tantùm, non Hæreticis, non Schismaticis qui ab vnione Catholica recederent; cuiusmodi in ipsa Vrbe Roma hoc tempore nonnulli erant, veluti Nouatiani; vt ostendit vel *lex 2. infr. de hæretic.* vt cæteroquin idem Constantinus priuilegia Religionis contemplatione indulta, Catholicis tantùm Ecclesiis & Ecclesiasticis prodesse voluit, *l. 1. infr.* & *Cod. Iustin. de hæretic.* veluti Immunitatem ab annona & tributis, *l. 1. supr. de annon. & tribut.* Immunitatem à muneribus publicis, *l. 1. hoc tit.*

Hinc interim patet, non esse, vt initio dixi, hanc Constitutionem de quibuslibet legatis ad pias Causas, non esse de legatis pro salute animæ, vel etiam pro restitutione malè ablatæ rei, non esse de relicto pro amore Dei; de quibus tamen legatorum speciebus ad hanc *legem* multa commentantur Interpretes. Tandem apparet, non esse quoque de Relicto ipsis Clericis & Monachis; quod tamen Viri doctissimi quique cum *hac leg.* confundunt : Etsi verum sit, regulariter & his relinqui hac tempestate potuisse, imò faciliùs iam olim quàm Ecclesiis : hac inquam tempestate; posteà enim hoc ius aliquatenus recisum, *d. l. 20. 22. 27. 28. infr. hoc tit.* Quam in rem quoque sunt solemnes loci Ambrosij *adu. Symmachum*, & Hieronymi *epist. ad Nepotianum.*

Quartò *hac leg.* spectandum venit *Tempus*; quo quid Ecclesiæ donari potest. Ait igitur lex, *decedens relinquere* : Quod Interpretes, qui priuilegia piæ Causæ *hac leg.* contineri putant, & in his Bartolus, accipiunt de eo fermè qui in articulo mortis constitutus quid relinquit : atque adeò anxiè quærunt, Quis dicatur *in articulo mortis relinquere?* & vtrùm eadem priuilegia porrigenda sint ad eum qui in actu moriendi ciuiliter (id est, ingrediendi Monasterium) constitutus est? Item, an ad eum qui è periculo euasit? Tandem an ad eum qui sanus non imminente mortis periculo testamentum condidit, & statim tamen subitò mortuus est? Quæ omnia inania sunt. *Decedens* enim relinquere dicitur, qui in voluntate aliqua, quocumque tandem tempore eam expresserit, decedit; *Decedentis voluntas* est in qua quis decedit, etsi eam ante contestatus sit. Denique omnis *Testator*, dicitur *Decedens*, ex quo confert actum in tempus obitus, *l. cum quis decedens, ff. de leg. 3.* sed & quia frequentiùs decedentes disponunt.

Interim obseruandum, hanc *legem* esse de Decedentium liberalitate, quæ refrænanda nonnullis videbatur, quò liberaliores esse solent Decedentes : non ita superstites; ac præsertim mulieres. Et sanè hanc huius constitutionis causam fuisse docet ratio *huic legi* addita, *Nihil enim, &c.* de qua *fine leg.*

Quinta pars *huius leg.* continet generalitatem & ampliationem, quæ huic Constitutioni inter alias occasionem præbuisse videtur, circa *materiam* seu subiectum : *Quidnam*, & *quantum* Ecclesiæ relinqui possit? Et ait Constantinus, decedentem relinquere posse, *bonorum quod optauerit*,

quæ Ampliatio Inter alias notanda eſt ; *Bonorum quod optauerit*, id eſt cuiuſcunque generis bona voluerit decedens (non Legatarius , qui Alciati error eſt) in quacunque re , vel ſpecie , vt loquitur *lex generalis* 13. *Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* ac proinde etiam Claræ Domus inſignia(da quibus antea) imò & prædia ſeu ſtabilia, vt loquuntur ; ita quidem Conſtantinus : quod etiam in Melchiadis *Can. futurum*, 12. *quæſt.* 1. diſertè dicitur ; nempe Conſtantinum licentiam dediſſe *prædia* Eccleſiis relinquendi : de quo tamen hoc tempore dubium videtur ; multis modum proculdubio huic rei imponi deſiderantibus , ne paulatim alioquin nerui Reipubl. per Immunitatem Eccleſiaſticam conciderent, viribúſque deſtitueretur Reſpubl. *l.* 5. *ff. de muner.* Sanè hodie hanc ob cauſam ab hoc iure receſſum eſt in Gallia ; quandoquidem Immobilia ſeu ſtabilia Eccleſiis vt Collegiis & Corporibus (quas Manus-mortuas vocant, cò quod nihil conferant) non aliter rectè relinquuntur , aut ab his aliter adquiruntur , quam amortizationis ſeu morticinij beneficio à Principe accepto, vel indemnitate Fiſco præſtita per *Financiam* ſeu præſtationem ſemel factam, vel per penſitationem annuam, vel denique *Vicario homine* oblato *viuente, confiſcante , moriente :* horum ſi nihil factum fuerit , Eccleſia fundum ſibi relictum intra annum alienare cogitur. Omiſſo alias Principum conſtitutiones , & aliorum populorum inſtituta prolixè commorare. Notum eſt diſſidium haud adeò vetus inter Paulum V. & Rempubl. Venetam , inter alia , quod huiuſmodi fundorum & Immobilium adquiſitionibus Reſpubl. modum impoſuiſſet.

Sextò occurrit *hac leg. Forma* ſeu modus relinquendi : Ait ſcilicet *lex* indiſtinctè *relinquere:* quocunque ſcilicet titulo , inſtitutionis , legati, fideicummiſſi ; nempe *relinquendi* verbum commune ſeu generale eſt. Sed ferendi non ſunt Interpretes,qui tum ex hac indiſtincta voce , tum ex voce *licentiam* , tandem ex illis , *non ſint caſſa iudicia eius :* item , *liber ſit ſtylus* , item , *licitum arbitrium* , colligunt ſolemnia teſtamentorum *hac leg.* remiſſi in teſtamentis ad pias Cauſas : quod pernegandum eſt. Nam etſi hæc verba videantur ſignificare plenam libertatem , tamen intelliguntur ſeruato iuris ordine , non obſtante generalitate *huius leg.* léxque accipienda eſt de voluntate ſolemni quæ eſt ſecundum *leges :* & ita tenet *hic* Gloſſ. Libera enim quantumuis teſtandi facultas à Principe aliquibus conceſſa, ad iuris euerſionem non porrigitur , ſed illud hactenus efficit , vt qui Inteſtabilis alioquin ipſe erat , vel videbatur eſſe debere, peculiari quadam ratione , teſtandi facultatem habeat : vnde vulgatum illud , *Diſpenſatus ad actum celebrandum , ſub ea forma diſpenſatus videtur, vt ſeruare habeat quæ aliàs regulariter & neceſſariò ad celebrationem actus requiruntur.* Et ita rectè quoque ſenſit Gloſſa ad *hanc leg.* in verb. *Caſſa :* quod Molin. ad alia vtiliter hîc traducit, ad verba, *liber ſtylus.* Similia exempla vide ad *leg.* 6. *Cod. de inoffic. teſt.* & *l.* 2. *Cod. de iur. liber.* Vtrùm autem in ſe vera ſit hæc ſententia , quod in Teſtamentis ad pias Cauſas ſolemnitates iuris Gentium ſufficiant ? videndus Clarus §. *Teſtamentum, quæſt.* 6.

Ac vt ſolemnia Teſtamentorum à Conſtantino *hac leg.* remiſſa non ſunt,ita multò minus ſubſtantialia Teſtamentorum : neceſſaria inquam filiorum inſtitutio , iiſdémque legitimæ relinquendæ neceſſitas : Beneficia ſcilicet Principum & Eccleſiarum ita accipienda ſunt, ne ad iuris euerſionem ferantur , néve competentibus actionibus , veluti querelæ *Inofficioſi* , via claudatur : vt in terminis de libera teſtandi facultate conceſſa,definit *lex* 55. *Cod. de inoffic. teſtam. l.* 6. *eod. tit. l.* 2. *ſupr. de iur. liber. Nouella* Valentiniani *de Teſtament.* 4. *lex vnic ano , Cod. de emancip. liber. lex* 11. *C. Hermogen. de Teſtam.* . Cumprimis eleganter Iuſtinianus in *dict. l.* 45. *Si quando talis Imperialis conceſſio proceſſerit, per quam libera teſtamenti factio conceditur , nihil aliud videri Principem concedere , niſi vt habeat legitimam & conſuetam teſtamenti factionem. Neque enim credendum eſt , Romanum Principem qui iura tuetur , huiuſmodi verbo totam obſeruationem teſtamentorum multis vigiliis excogitatam atque inuentam, velle euerti :* vide & *leg* 34. *in fin. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* ibi , *vltima & iure cognita voluntate* , & *l. cum lege Leonina* 50. *Cod. de Epiſcop. & Cleric.* ibi , *condere ſecundum leges tamen elogia.* Hoc pertinet elegans illud Auguſtini , *de vita Cleric. Quicunque vult , exhæredato filio , Eccleſiam inſtituere, quærat alterum qui ſuſcipiat quàm Auguſtinum. imò, Deo propitio, nullum inueniet.* Cæteroquin beneficia Principum ita interpretanda ſunt , ne ad alterius iniuriam ferantur, *l.* 2. §. 10. 16. *ff. ne quid in loc. publ.* Et hæc de materia *legis*.

Poſtremo loco occurrit *Ratio* diſpoſitionis: cur videlicet Conſtantinus generalem & indiſtinctam hanc Eccleſiis relinquendi licentiam *Decedentibus* fecerit ? Nempe quia nihil magis hominibus debeatur , quàm vt ſupremæ voluntatis , poſtquam iam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium. Quomodo ſimiliter Seneca 4. *de benefic. cap.* 12. de Teſtamentis agens , *Nihil iam ſupereſt quò ſpes porrigatur.* Quintilianus declam. 107. *Non aliud videtur ſolatium mortis,quàm voluntas vltra mortem.* Et (qui hunc locum imitatus videtur) Ambroſius *lib.* 3. *offic. cap.* 9. *In ſupremo fine vitæ poſitos ſuum habere iudicium, vt liberè teſtentur quod ſentiunt , qui poſteà non ſunt emendaturi.* Quam quidem rationem ideò aduocauit Conſtantinus M. vt contrariam dubitandi rationem profligaret : quæ ſuadere videbatur , refrænandas cò magis quaſdam liberalitates, quò liberaliores eſſe ſolent ac penè prodigi decedentes. Et ſanè ſæpè huic rationi locus eſt *iure noſtro* ; & verò in Republ. ſæpè eſſe debet. Atenim hac tempeſtate in caſu præſenti locum eſſe noluit Conſtantinus M. quinimò teſtandi libertatem & fauorem in hoc caſu non minus militare quàm in cæteris cauſis cenſuit. Ita quidem Conſtantinus , & vt de Eccleſia benemeritus , non iniquè; qui & alias rationes locupletandi Eccleſias adinuenit , non tantùm reſtitui iuſſis poſſeſſionibus ad Eccleſias olim pertinentibus,quæ his ſub Diocletiano & Maximiano ereptæ fuerant: de quo extat eius reſcriptum ad Anulinum Proconſulem Africæ apud Euſebium *lib.* 10. *cap.* 1. & Conſtantini ſimul & Licinij *cap.* 5. verùm & vt bona Martyrum , ſi deeſſent hæredes , Eccleſiis darentur: vt liquet ex Authore *vitæ Conſtantini lib.* 2. *cap.* 20. Atenim vbi poſteà ſemel Eccleſia ſatis locuples viſa; cohibita , neque iniuriâ , hæc ipſa variis conſtitutionibus , & populorum inſtitutis licentia fuit.

¶ Di

❡ *De lustrorum* SACRIFICIIS; *déque Ecclesiasticis aliisque ad ea non compellendis, Constantini M. constitutio.*

v. * Idem A. ad Helpidium."

QVONIAM comperimus, quosdam Ecclesiasticos" & cæteros Catholicæ sectæ" seruientes, à diuersarum" religionum hominibus ad lustrorum sacrificia celebranda compelli, Hâc sanctione sancimus, Si quis ad ritum alienæ superstitionis" cogendos esse crediderit eos qui sanctissimæ" legi seruiunt, si condicio patiatur, publicè fustibus" verberetur: si verò honoris ratio talem ab eo repellat iniuriam, condemnationem" sustineat damni grauissimi, quod Rebus publicis" vindicabitur. Dat. VIII. Kalend. Iun." Sirmi, Seuero & Rufino COSS. [323.]

NOTÆ.

* Abest *hæc lex* à *Cod. Iust.* vtpotè sacrificiis omnibus Gentilium, omníque ritu Gentilitio tum prohibitis. Memorat eam quoque Baronius *Anno D.323. num 1.*

"*Helpidium* sub Constantio Præfectum Prætorio, & quidem Orientis, fuisse, iuxta complures *leges* Anni 359. & 360. & Ammianum Marcellinum, *lib.21. p.220.* in gestis Anni 361. testatur Hieronymus quoque, *in vita Hilarionis: Aristenta*, inquit, *Helpidij, qui posteà Præfectus Prætorio fuit, vxor.* Atenim sub Constantino M. Helpidius Anno D.321. agens vicem Præfecti Prætorio dicitur, *l.6. Cod. de ædific. priu.* in aliis constitutionibus Anni 321. 323. 324. 329. nulla dignitas additur. Illud saltem ex *l.4. de Naucular.* & ex *l.1. supr. de Feriis*: colligitur, eum Vrbi Romæ Sardiniæque præfuisse, quandoquidem & *d. l.4.* Portus Vrbis Romæ mentio fit, & *dicta lex 1.* Caralis Præposita dicitur, quæ in Sardinia est. Hoc igitur tempore Helpidium hunc vicarium Vrbis & Italiæ fuisse patet.

"*Cæteri Catholicæ sectæ seruientes*, quinam? Dicam mox.

"*Diuersarum religionum homines* hic sunt Gentiles; quâ re Constantinus δυσφημίαν, & inuidiam vitasse videtur.

"*Secta* apud Ciceronem quoque, vt & hæresis, apud Græcos, de diuersis Philosophorum sententiis, in bonam partem. Its & de quolibet vitæ genere, imò & de religione Christiana effertur à Christianis Principibus hic, & *l.42.44. & 57. infr. de hæretic.* & apud Tertullianum, non *vno loco*: inter cætera *Apologetici cap.46* apud Pontium *in vita Cypriani*, Clemens siue Rufinus Sic & Lactantius *c.1 de opificio Dei*, Constantini coætaneus, *Philosophus nostræ Sectæ*, dixit Eodem sensu, *propositum Christianæ legis* vocat Ammianus Marcellinus *lib.15. p..* Posteà *hæresibus* propriè hæc appellatio tribui cœpit.

"Christiani hæc vox prorsus est.

"*Sanctissima lex*, pro Christiana & Catholica Religione, *hâc leg* vt sancta lex, *l.51. infr. de hæretic.* Eodem sensu in Christiani *epist. ad Melchiadem, & Marcum*, [illegible]. quod Baronius alioquin, perperam accepit.

" Fustuarij supplicij nulla & multa alibi mentio: de quo supplicio dixerunt alij: vid. Paratitlon *de Pœnis.*

"*Condemnationis* vox, pro Multa pecuniaria: de quo vide, quæ alibi dixi prolixè, & *Glossar. Theod.*

"An intelligit ciuitates & vires cuiúsque Reipublicæ, vt coniunctim *Rebuspublicis* hic legamus? An verò res fiscales? Pro illo facit simile exemplum *legis 2. supr. de Indiciis.*

COMMENTARIVS.

AD LVSTRORVM sacrificia celebranda ritúmque Gentilitiæ religionis, Ecclesiasticos, & cæteros Christianæ legi seruientes, à Gentilibus compelli, sub grauissimâ fustuarij supplicij pœnâ, vel grauissimâ multâ, vetat hâc constitutione Constantinus M. Anno Domini 323.

Ad cuius sententiam vt peruenire possimus; illud initio statim in *hâc lege* spectari cupio, *vim* à Christianis arceri, quâ videlicet Gentiles eos ad Lustrorum sacrificia compellebant: Quæ quidem ipsa vis est, quam & deinceps Gentiles, vbi potiores loco sese crederent, in Christianos audere soliti: veluti ad Archierosynam, seu ad Templorum, solemniúmque Templorum curam subeundam, de quo est Theodosij M. *lex 112. supr. de Decurionib.* Item ad Conuiuia & spectacula Gentilitia celebranda, de quo sunt canones Africani: de quibus posteà. Ex quo patet iam, Christianos vltrò ab huiusmodi ritus Gentilitij participatu seu consortio abhorruisse, quos Gentiles huc compellere vel adigere niterentur, vt consacraneos vel ita sibi redderent. Vis puto non nisi inuitis & reluctantibus, at non & volentibus adhibetur.

Secundò, *hâc in leg.* notari oportet, vim hanc Christianis intentatam, in ipsamet fortè etiam Vrbe Româ, Italiáque: quæ alioquin per Occidentem veteris moris & superstitionis tum tenentiores erant: Quod & ipsum ex aliis quoque eiusdem Constantini M. constitutionibus *hoc Codice* discimus, titulo *de Maleficis & Mathematicis*: & titulo *de Paganis, Sacrificiis & Templis*: Helpidium enim, cui *lex* hæc inscribitur, cuique vis huius amoliendæ, iniuriæque vindicandæ, potestas iniungitur, Vicarium, siue Vrbis siue Italiæ, tum fuisse oportet: Nam & is, biennio ante, Anno Domini 321. agens vicem Præfecti Prætorio disertè vocatur *in l.6. Cod. Iust. de ædificiis priuatis.* Sed & *in l 4 supr. de Nauiculariis*, quæ eidem inscribitur, Portus Vrbis Romæ mentio fit: & *lex 1. supr. de Feriis*, quæ ad eundem Helpidium data est, *Caralis* proposita dicitur, quæ Sardiniæ vrbs est. Quo quidem tempore, *Sylvester* Episcopus Vrbis Romæ erat, Osiúsque Cordubensis Episcopus Constantino M. in Pannoniâ, *Sirmij*, vbi *hæc lex* data dicitur, adhærebat: Quorum ideò alterutrius, vel vtriusque suggestioni legem hanc si quis accepto ferat, haud inuitus accedam.

Tertiò, notanda venit huius constitutionis æra, seu temporis characterismus: Lata scilicet ea à Constantino M. *Seuero & Rufino* COSS. id est; Anno Domini 323. vndecim fermè annis, inde ex quo is Christianâ primùm fide animum induit. Quo quidem tempore, etsi res Christiana in dies inualesceret, próque eâ propaganda multa iam Constantinus molitus fuisset, sanxisséque, nondum tamen Gentilitij ritus omnes, nondum sacri-

ficia probibits erant, quod posteriùs factum: Sed & Senatorum Magistratuúmque quamplurimi, vt & Curiæ ciuitatum, Corporatíque fermè tum Gentiles adhuc erant: Vnde eueniebat, vt alicubi præualentes, vim hanc Christianis adhiberent: de quo querelæ ad Constantinum perlatæ: cui ideò intercedere *eâ constitutione* visum.

His ita præstrictis, de ipsiusmet constitutionis sententiâ videamus. Ad *Lustrorum* igitur nominatim sacrificia, imò ad *ritus* similes superstitionis Gentilitiæ, Christianos compelli vetat *hâc leg.* Constantinus M. Vbi disquirendum venit, quænam illa sint *Lustrorum sacrificia*: vnde postcà liquere possit, quonam specioso Gentiles obtentu Christianos ad hæc saltem sacrificia, ad hunc ritum, adactos voluerint: Cur retrò id quoque Christiani, haud secus atque alia ritus Gentilitij, recusauerint, & ipsemet Constantinus id tam enixè prohibuerit. *Lustrorum* igitur sacrificia hoc loco non sunt propriè priuatarum & communium solennitatum lustra, seu priuatæ lustrationis officia, quæ nominalibus lustricisque inter alia diebus adbibita: quorum meminit, præter alios, hoc quoque æuo Symmachus, *lib.* 1. *epist.* 47. *&* 50. Non sunt item hîc ea priuata tantùm lustra, quæ singuli patresfamilias pro frugibus circùm arua, quibus fundi lustrabantur, faciebant, vt auerteretur *mors, labes, nebula, impetigo, pestilitas* (id est pestilentia) quæ legitima horum sacrorum verba fuêre, teste Festo, *in voce Pestilitas.* Quomodo & in veteri Kalendario rustico mense Maio scriptum legimus, SEGETES LVSTRANTVR (quo quidem ipso mense Maio hæc ipsa *lex* data est) vt & mense Aprili, OVES LVSTRANTVR. Imò neque hîc ea lustra accipi oportet, *quæ quinto quoquo* anno Romæ peracto, censu ciuium habito, à Censoribus condita seu facta, *suouetaurili* sacrificio adhibito: nam & ea iamdudum Romæ fieri desierant, vt testatur Censorinus *de die Natali*, qui scribebat Anno D. 240. *cap.* 18. quomodo & Censores ibidem tum desiti, quos instaurare quidam postea, sed frustra, annisi, vt ex eodem Symmacho discimos. Quomodo & lustra *missa* suouetauralibus à Fratribus arualibus legimus in *veteri inscriptione fol.* 121. 522. Quid igitur? Lustrorum sacrificia, hîc sunt publica lustra & solemnia; siue Amburbio, siue Ambaruali *processione*, quæ circa pomerium vrbis agrósque fiebant: ductis etiam olim victimis, dictísque carminibus, die festo conuiuióque solemni: Quæ quidem indicebantur variis causis & occasionibus: Primò quidem, pro fœcunditate agrorum seu pro frugibus: Deinde, inspectis fermè libris Sibyllinis, & lectisternio facto, prodigiis expiandis, & ad pacem Deorum, vt loquebantur, exposcendam. De quo cùm varia suppetant testimonia, Lucani inter alios locus egregius est, *lib.* 1. *v.* 592. *& seqq.* vbi de portentis procurandis, déque Arunte Aruspice agit.

Mox iubet & totam pauidis à ciuibus vrbem
Ambiri, & festo purgantes mœnia LVSTRO,
Longa per extentos pomeria cingere fines,
Pontifices, &c.
Dúmque illi effusam longis anfractibus vrbem
Circumeunt.

Indicebantur & lustra hæc, seu lustrorum sacrificia, ingruente sæuiore aliquo periculo, próque finibus tutandis, cùm pro aris focísque & solo patrio, aduersus hostem aliquem formidandum pugnandum foret, vt ea res populo Romano bene & feliciter eueniret. In quibus lustris seu lustrationibus tædæ sulphurísque & aquæ lustratio interposita, & aquæ aspergine circumlatæ, vt loquitur Tertullianus. Huius generis fuerunt & *Armilustria* olim, quibus exercitus in Campo Martio, lustrali sacrificio facto lustrabatur: quomodo & alia lustrata, veluti Classes, Templa, aræ, imò & Tubæ, à quibus *Tubilustria*: de quibus obuia sunt Veterum testimonia. Duo tantùm hîc loca sternere iuuat de lustrali sacrificio, seu *lustro misso* ob terrorem hostis, vel ob pestilentiam. Prior locus est Capitolini, *in vitâ Marci Imp. p.* 28. *Tantum*, inquit, *terrorem belli Marcomannici fuisse, vt vndique Sacerdotes Antoninus acciuerit, peregrinos* RITVS *impleuerit, Romam omni genere* LVSTRAVERIT, *retardatúsque à bellica profectione sit*, CELEBRAVERIT *& Romano ritu Lectisternia per septem dies.* Subiicit ibidem, *tantam pestilentiam fuisse, vt vehiculis cadauera sint exportata sarracísque.* Posterior locus est Vopisci, *in vitâ Aureliani p.* 215. vbi, in timore quo iidem Marcomanni cuncta vastabant, ingentésque Romæ seditiones erant, pauentibus cunctis, ne eadem quæ sub Gallieno prouenirent, inspectis libris Sibyllinis & Senatusconsulto condito; *Itum est*, inquit, *deinde ad Templum, inspecti libri, proditi versus*, LVSTRATA *vrbs, cantata carmina*, AMBVRBIVM CELEBRATVM, AMBARVALIA *promissa, atque ita* SOLEMNITAS *quæ iubebatur, expleta est.* Sic quoque sæpè apud T. Liuium & Iul. Obsequentem, alíósque legas, lustratam vrbem inspectis libris Sibyllinis. Huc quoque pertinent Pagorum lustrationes, de quibus Siculus Flaccus, *de conditionibus agrorum sub finem: Sed & pagi sæpè significanter finiuntur, de quibus non puto quæstionem futuram, quorum territoriorum ipsi pagi sunt, sed quatenus territoria. Quod tamen intelligi potest vel ex hoc, magistri pagorum quod* [quò] PAGOS LVSTRARE *soliti sunt, vt trahamus quatinus lustrarent.* Cuius loci sensus hic est, territoria pagorum, si de horum finibus quæratur, inde præsumi, æstimari, atque eatenus seu eousque regi ducíque oportere, quò vsque magistri pagorum pagos lustrare, ambaruali sacro seu lustro facto, solent.

Et hæc quidem publicorum lustrorum genera fuêre, de quibus plerisque, vel potioribus saltē, in huius Constantinianeæ *legis* specie actum videtur: Non tantum, inquam, de iis quæ pro frugibus, vel ob pestilentiam labémve auertuncandam facta, vel etiam de pagorum lustrationibus, verùm de iis quoque quæ ingruente hoste formidando celebrata. Quod quidem *huius legis* æra, seu Consulatus illi subnotatus, atque adeò temporis characterismus, haud adeò respuat. Hic quippe Annus ipse, *Seuero & Rufino* COSS. id est, Anno Domini 323. duabus rebus insignis fuit: nam Gothi per neglectos limites eo anno erupêre, vastatáque Thraciâ & Mœsiâ, prædas egêre, quos Constantinus M. repressit, atque inde ludi Gothici Romæ celebrati: de quo Porphyrius *Panegyrico*, Veteres nummi, Kalendarium *Heruagianum*, Auctor *vitæ Constantini*, & Anonymus *Sirmundi*, seu Valesij. Et exortum consectúmque hoc Anno ipso bellum Licinianum: quo & prima victoria à Constantino M. parta mense Iunio, bimestri fermè post *hanc legem.* Vt proinde his etiam occasionibus Romani Italiæque municipia lustrorum sacrificia celebrasse videri possint: pro hostium videlicet illorum strage, contra pro Imperij Romani securitate, próque Constantini Imp. salute & victoriâ.

Ex his quæ modò dicta sunt, in procliui iam conjectura

coniectura fuerit, cur Gentiles eum temporis Christianos, quos aliò, seu ad alia sacrificia, cogere, compellere haud æquè poterant, ad nefandos inquam Gentilitiæ superstitionis ritus, veluti ad Deorum, imò Dæmonum cultum, execrandásque hostiarum immolationes, damnandáque sacrificia; de quo satis constabat, Christianos ab his maximè abhorruisse, eóque perduci nunquam posse; huc saltem, ad lustrorum inquam sacrificia, adigerent, cogíque eos iure posse putarent.

Duplici igitur ratione: Primò quidem, quia hæc lustrorum sacrificia grauioribus seu funestioribus superstitionis ritibus, victimarúmque fortè immolationibus & circunductionibus iam abdicatis, celebrarentur; neque his hostiarum sacrificia *adcommodarentur*: vt proinde nil impedire videretur, quominus Christiani purâ mente atque illæsâ conscientiâ hæc lustrorum sacrificia cum Gentilibus obire possent. Alter obtentus erat publicæ vtilitatis, imò & Imperij, Imperatorúmque, inque hos deuotio, εὐνοίας: Quasi, quod Apuleius dixit, *primâ Apologiâ*, in simili re, *nihil quod ferendæ salutis gratiâ fit, criminosum fit*. Et certè, Constantinus M. ipsemet alia in specie huic sententiæ aliquando subscripsit, ante hanc tamen *legem*, & per quandam συγχώρησιν, cùm suffragia seu remedia innocenter adhibita, atque incantamenta illa actúsque impunita esse voluit, quæ humanis quæsita essent corporibus, quæve proficerent, ne diuina munera & labores hominum sternerentur, *l.3. supr. de maleficis & mathem.* Quam quidem legem mirum, Iustiniano tanto post probatam, coniectámque eam in ipsius *Codicem*: Leoni certè Philosopho ea iure displicuit, quam & ideò abrogauit *Nouella 65*. Neque dubito ipsummet Constantinum ab ea postea recessisse, quomodo idem Aruspicinæ vsum, quem antea toleranerat, abrogauit. Illo igitur potissimùm quem posteriùs dixi colore, Christianos ad lustrorum sacrificia adigendos Gentiles credidêre: Quomodo & aliàs probabilis causa visa semper, retinendi veteris moris, seu ritus, affectus deuotióque erga Rempublicam vel Principem. Quem prætextum in simili quoque specie egregiâ sententiâ damnat Theodosius Iun. *in l. dominico, vltim. supr. de spectaculis*: vbi Dominico die, etiamsi Imperialis officij causa prætenderetur, spectacula edi vetat. *At ne quis existimet, in honorem numinis nostri, veluti maiore quadam Imperialis officij necessitate compelli, & nisi diuinâ religione contemptâ spectaculis operam præstet, subeundam forsitan sibi nostræ Serenitatis offensam, si minùs circa nos deuotionis ostenderit, quàm solebat, nemo ambigat, quod tunc maximè Mansuetudini nostræ ab humano genere defertur, cum virtutibus Dei omnipotentis ac meritis vniuersi obsequium orbis impenditur.* Ergo & hoc quoque obtentu Gentiles Christianos ad lustrorum sacrificia adigebant: sic vt renuentes proculdubio indeuotionis iam seu impietatis in Principem Rémquepublicam arguerent. Contra auersari id quoque Christiani, tum & deinceps, quasi idololatriæ semel initiatum, seu ob originis maculam & reatum: vt omnem aliam μετοχὴν, συμφώνησιν, συζυγίαν, consortium & communionem, si vel minimum superstitionis retinerent, probabili quamlibet maximè causâ niterentur, vtilitatéque publicâ velarentur. Vnde manifesta proculdubio Zosimi calumnia videtur, *lib.5. p.816.* quam etiam retudimus *supr. ad l.vlt. de maleficis & mathemat.* qui sub Honorio Imp. ipsummet Innocentium Episcopum Romanum, in communi periculo metúque Gothico, in sacra quædam Gentilitia pro tutandis finibus Romanis, & auerruncando hoste, consensisse scribit: *Prælata*, inquit, *publicâ salute suæ opinioni*: ὁ ἢ τὴν τῶν πολλῶν σωτηρίαν ἔμπροσθεν τῆς οἰκείας ποιησάμενος δόξης, λάθρα ἐφῆκεν αὐτοῖς ποιεῖν ἅπερ ἴσασιν. Et similis est omninò huic Zosimi calumniæ altera illa *eiusdem lib.5.* quâ Constantinum M. ipsummet, quamlibet Christianum, Aruspicibus aliquandiu, & ad hoc quidem tempus, vsque fidem habuisse scribit: quod etiam nonnulli hodie perperam colligunt ex *l.1. supr. de maleficis*, qui ibi à me refutati. Ex illo interim *Zosimi* locó quoque discimus, Christianorum alioquin, & in his Episcopi Romani, οἰκείας δόξαν, regulariter fuisse, vt à communione Gentilium abhorrerent.

Sequitur, in *hâc lege* videamus, quosnam ad hæc lustrorum sacrificia, Gentiles adactos voluerint, quos contra Constantinus M. eò adigi noluerit: *Quosdam*, inquit lex, *Ecclesiasticos, & cæteros Catholicæ sectæ seruientes.* Et mox: *Eos qui sanctissimæ legi seruiunt.* Enimverò quæri possit, vtrum hæc de Clericis tantùm accipienda sint, quod *titulus* sub quo *hæc lex* posita est, suadere videtur; an verò de omnibus Christianis promiscuè. Id quod postremum reor. Ecquis enim in animum ita inducat suum, solos Clericos à Gentilibus ad lustrorum sacrificia compulsos? Quis contrà credat, Constantinum M. solos Clericos ab hâc iniuriâ immunes voluisse? Nisi quis fortè putet, cæteros Christianos hæc lustrorum sacrificia vltrò cum Gentilibus celebrasse, solos verò Clericos id renuisse. Cui profectò renititur quoque generalis *huius leg.* interdictio, & sub eâ comprehensa ratio: *Si quis*, inquit, *AD RITVM ALIENÆ SVPERSTITIONIS cogendos esse crediderit, eos qui sanctissimæ legi seruiunt.* Quare, *Catholicæ sectæ seruientes*, & *sanctissimæ legi seruientes*, hâc lege sunt quicunque tandem Christianam fidem amplectentes, τηροῦντες, φυλάττοντες: non verò ὑπηρεσίαν παρέχοντες: Quo sanè sensu propriè dicuntur seruientes Ecclesiis, in *l.29. infr. hoc tit.* item sacratissimo numini seruientes, *l.16. supr. de lustrali coll.* Aliud scilicet est, Catholicæ Sectæ vel sanctissimæ legi seruire, id est operari: aliud, Ecclesiæ & sacratissimo Numini seruire, id est ministrare, vt proinde *hæc lex* hoc *titulo* fugitiua videatur; quæque melius in *Titulum* generalem de *Fide Catholica* relata fuisset, non minus quàm *lex 1. eius tit.* quæ eodem pertinet.

Quantopere verò vim hanc Constantinus M. auersatus sit, ostendit sanctio legis, seu *pœna* grauitas, quâ plecti vult eos, qui Christianos ad hæc lustrorum sacrificia compellerent: nempe, fustuario supplicio vilioris conditionis homines affici iubet, honoratos verò grauissimam multam subire: vbi verba hæc, *rebus publicis*, non de fisco accipiam, verùm de rebus publicis cuiusque ciuitatis: nam & ita idem Imperator, biennio post, in specie *legis nulli 2. supr. de iudiciis*, pœnam Reipublicæ ciuitatis inferri voluit. Quod si ita est, tum de ciuitatibus & municipijs Italiæ accipiendus locus fuerit, per quam Helpidius, cui hæc *lex*, vti dixi, inscribitur, Præfecti Prætorio vicem agebat.

Et ita quidem Constantini mentem, Constantinianeique simul sæculi hâc parte disciplinam vel ex hâc constitutione tenemus. Sub quo eodem alioquin Principe, eandem in sententiam, *Canones* quidam occurrunt Concilij Ancyrani, quod decennio ante *hanc leg.* celebratum fuit: Varij nempe Canones ibi extant in Christianos, qui tempore persecutionum non tantum immolassent, verùm & qui vel sacra alia festáque & con-

uſuis cum Gentilibus celebrauerant, *περὶ βίας, μὴ βίας*, vel *ἀπειλῇ κολάσεως*. Sed & *Canon nonus* ibidem ſcriptus eſt aduerſus eos, qui fratres ſuos eò compulerant, ſiue causâ fuerant, vt eò adigerentur, *ἐπαναγκάσαντας, ἢ ἀναγκάσαντας ἀδελφοὺς ὥστε εἰσελθεῖν τῷ ἀναγκασθῆναι*. Vt omittam Canones Eliberinos, qui in hac re multi ſunt, quia de eorum fide multi ambigunt. Sic liquet, eâ tempeſtate, damnatam omnem Gentilitij ritus communionem & participatum, ſeu *ἑτεροζυγίας*, quâ voce inter alias hâc in re vtitur D. Paulus 2. *Corinth 6 verſ.* 14. alluſione factâ ad diſparis generis animalia, quæ non rectè vni iugo ſubiiciuntur. Et certè, huius rei paulò poſt adprimè gnarus Iulianus Imp. è Chriſtiano Geotilis, inter cæteras technas, plagas, laqueos, ſeu inter *πάγας ἀσεβείας σοφιστικῶς ὑποτεθείσας*, quibus Chriſtianos Gentilitiæ ſuperſtitioni inuolueret, id quoque commentus eſt, vt Imperatorij cultus ſpecie, vultus (quæ *Labrata* poſteà dixere) Principum, vt & Labarum, adiectis gentilitiorum numinum ſimulacris, populis inhiantibus proponerentur: Item, vt ad ſe accedentibus, ad ſtrenas, ſeu *ad puncti ſolatia* conſequenda, vel, vt Tertullianus loquitur, cùm liberalitas Imperatoris expungeretur, aceræ priùs tranſeuntibus obiicerentur, thuri adolendo: quòd ſciret is, apud Chriſtianos, Chriſtum abnegare, & vel micam thuris adolere, paria videri. Denique notiſſima Balaami doctrina & inſtitutum, quo ritibus Gentilitiis Iſraëlitas inuoluit: qui ideò apud Deum luctunt: de quo *Numeror.* 25. & 31. *Pſalm.* 106. *Apocalypſ. cap.* 2. Idque in Pergamenâ Eccleſiâ notatum.

¶ Ex his iam apparet, non probandam eſſe Baronij ſententiam, exiſtimantis, Gentiles hoc tempore elatos in Chriſtianos inſolenter egiſſe, atque inuitos ad eiuſmodi luſtrorum ſacrificia pertrahere ſtuduiſſe, occaſione ſanctionis Conſtantinianeæ, *legis*, inquam, 1. *infr. de Paganis*: quâ Conſtantinus Romæ Aruſpicum conſulendorum facultatem fecerat. Perperàm enim omninò id inde colligitur, quaſi ſcilicet viſus fuerit Conſtantinus reſcripto illo à Chriſtiana Religione defeciſſe, & ad relictam auitam ſuperſtitionem rediiſſe. Neque enim *lex* illa Conſtantinianea, vt ad eam prolixè probamus, eſt, Aruſpicinam probantis Conſtantini, ſed eam tantùm Romæ Gentilibus tum adhuc indulgentis: quomodo & *hâc leg.* iiſdem luſtrorum ſacrificia conceſſit: quæ Vrbs Roma vt ſuperſtitionis cæteroquin, ita & Aruſpicinæ retinentior, Conſtantino M. ſeſe contumacem ea parte maximè præbuit.

¶ Tandem, neque huic abſimilis prorſus mos eſt ille, quem Chryſoſtomus proſcribit *Orationib. aduerſ. Iudæos*, Chriſtianorum cum Iudæis iciunantium: imò eorum qui alios adigebant iuriſiurandi præſtandi gratiâ, Synagogas Iudæorum adire quaſi *φοβερώτεροι οἱ ἐκεῖ γινόμενοι ὅρκοι* forent. *orat. περὶ τοὺς Ἰουδαΐζοντας, p.* 369. 370.

¶ *De* ORDINATIONE *Clericorum in Curiarum & Ciuitatum præiudicium non facienda, Conſtantini M. conſtitutio.*

VI. * Idem A. ad Ablauium PF. P."

NEQVE vulgari" conſenſu, neque quibuſlibet" petentibus, ſub ſpecie Clericorum, à muneribus publicis vacatio deferatur: Nec temerè & citra modum populi" Clericis connectantur: Sed cùm defunctus" fuerit Clericus, ad vicem defuncti alius allegetur," cui nulla ex Municipibus" proſapia fuerit, neque ea eſt opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillimè queat tolerare: ita vt, ſi inter ciuitatem & Clericos ſuper alicuius" nomine dubitetur, ſi eum æquitas ad publica trahat obſequia, & progenie Municeps, vel patrimonio idoneus dinoſcetur, exemptus Clericis ciuitati tradatur: *Opulentos* enim *ſæculi ſubire neceſſitates oportet, pauperes Eccleſiarum diuitiis ſuſtentari.* PP. Kalend. Iun. Conſtantino A. VII. & Conſtante Cæſ. COSS. [326.]

NOTÆ.

* Abeſt & *hæc lex* à *Cod. Iuſt.* Extat apud Baronium *Anno* 326. *n.* 85. Concordat *huic legi* altera eiuſdem Conſtantini M. *lex* 3. *ſupr.* & *lex* 17. *infr.*

" De hoc *Ablauio* Præfecto Prætorio ſub Conſtantino M vide Eunapium *in vita Ædeſij*, *pag* 41. & *ſeqq.* vbi genus eius, patriam, potentiam, multis perſequitur: de eiuſdem cæde paulò poſt mortem Conſtantini, idem agit *p.* 45 46. & Zoſimus *lib.* 2. *p.* 692. & Hieronymus *in Chronico.* Plura in *Proſopogr.*

" id eſt, vulgi & populi: vt *l.* 49. *ſupr. de Decurion.* non temerario & præcipiti.

" Ita *l.* 10. *infr. Vt Eccleſiarum cœtus concurſu populorum ingentium frequententur.*

" Hoc ipſum cauetur & *d l* 3. *ſupr.*

" Proba hæc vox, neque mutanda in *eligatur.*

" *Municipes* ſunt Decuriones: vid. Paratitlon *de Decurionib.*

" id eſt, à ciuitate vindicetur.

COMMENTARIVS.

DE ORDINATIONE Clericorum ſententia *huius leg.* eadem eſt, quæ *l.* 3 *ſupr.* nempe partim à Decurionibus & diuitibus ad Clericatum non admittendis; imò ſi admiſſi iam fuerint, ad Ciuitatem retrahendis; tum & de effræni Clericorum NVMERO cohibendo; quò pertinet etiam *lex* 33. *infr.* atque in defuncti nonniſi locum Clerico cooptando. Duo tantum *hâc leg.* ſingularia obſeruentur. Primum eſt, quod *initio legis* continetur, ibi: *neque vulgari conſenſu, neque quibuſlibet petentibus ſub ſpecie Clericorum à muneribus publicis vacatio deferatur.* Nempe eò res iam proceſſerat, vt ſiue ſponte ſuâ, ſiue id agentibus iis ipſis, qui muneribus publicis ſubductos ſeſe cuperent,

cuperent, ad populi Christiani vulgique petitionem passim multi ad Clericatum deposcerentur. Hinc iam discimus, Clericos sæpè ad populi postulationem electos: quod & ipsum testatur *lex 49. supr. de Decurionibus*. Idque etiam ostendit Hieronymus *ad Rusticum Monachum fol.22. cap. Cùm ad perfectam ætatem veneris, & te vel POPVLVS vel Pontifex ciuitatis in Clerum allegerit.* Prælati quoque sæpè ad postulationem electi, de quo *tit. ext. de postulat. Prælatorum*. Quâ re fiebat, vt inconditâ hâc & effræni Clericorum allectione publicis muneribus fraus fieret. Quare id Constantino M. prohibere visum; Non audiendæ scilicet sunt vulgi seu populi voces, si eâ re aut Publico, aut Tertio fraus fiat: quam in rem est quoque in aliâ specie lex..... *Ratio* etiam secundo loco *fine legis* obseruetur elegans: *Opulentos, vid. seculi subire necessitates oportere; pauperes Ecclesiarum diuitiis sustentari.* Vt diuitiæ Ecclesiarum pauperibus sustentandis destinatæ sunt, ita contrà, diuitiæ seculi, seculi quoque necessitatibus seruire debent. Singula singulis, ne alioquin hinc Ecclesiarum diuitiæ, aduersus earum, sic vt dicam, fundationem, pauperibus eripiantur; inde nerui Reipubl. concidant, opulentis quibusque in Clericos allectis. Vnde apparet, Constantinum M. voluisse pauperes tantùm ad Clericatum promoueri, seu ordinari.

¶ *De* IMMVNITATE *Clericorum, etiam inferioris ordinis, à muneribus Curialibus per Numidiam Constantini Magni constitutio.*

VII. * Idem A. Valentino Cons. Numidiæ."

LECTORES" diuinorum apicum," & Hypodiaconi," ceterique Clerici, qui per iniuriam" hæreticorum" ad Curiam" deuocati sunt, absoluantur: & de cetero ad similitudinem † Orientis" minimè ad Curias deuocentur, sed immunitate plenissimâ potiantur. Dat. Non. Februar. Serdicæ, Gallicano & Symmacho COSS. [330.]

NOTÆ.

* Abest & hæc lex à *Cod. Iust.* Extat apud Baronium *Anno 330. num 56.* Concordat eiusdem Constantini M. *lex 1. & 2. supr.* & speciatim adhuc magis *lex 24 infr.*
"Donatus Numida, & Donatistæ per Numidiam quoque fuêre.
"de *Lectoribus* vide & *l.24. infr.* & *l.163. supr. de Decurionib.*
"Ita *Apicum diuinorum Codex* Isidoro *de diuers. offic.* quod refertur in *Concilio Aquisgr.2.*
"*Hypodiaconi*, Subdiaconi, de quibus *leg.24. infr. l.49.163 supr. de Decurion.*
"Factione, *l 1. supr.* Sacrilego liuore, *l.2. supr.*
"Donatistarum, quos pariter *hæreticorum* appellatione designari *l.1. supr.* quæ huic argumento conuenit, dixi.
"id est, Curialia munera.
† Indicatur hic anterior quædam Constantini M. constitutio putà *lex 1. infr. de hæret.*
"An Orientalis Imperij? an verò diœceseos Orientis?

COMMENTARIVS.

IMMVNES à Curia seu Curiæ muneribus (putà nominationibus, susceptionibus) sunt, non tantùm Clerici *Sacerdotes* seu Antistites, *L.1. & 2. supr.* verùm etiam Clerici *Ministri*, nudum videlicet ministerium in Ecclesiâ exhibentes, veluti Lectores, Hypodiaconi, ex hâc Constantini M. constitutione Anno D.330. idque per Numidiam Africæ prouinciam nominatim. Nempe cùm hæretici tot iam Constantini M. constitutionibus repressi, Catholicos Antistites seu Sacerdotes ad Curiam & Curialia munera vocare ampliùs non possent, iidem per Numidiam (proculdubio Donatistæ, quod etiam Baronius indicauit *Anno 330. num.56.*) ministros Clericos ὑπηρέτας attentandos, atque ad Curiam vocandos credidêre: quasi immunitas Clericis præbita à Constantino M. ad Sacerdotes Clericos tantùm pertineret. Et sanè aliquando apertè priuilegiis distincti hâc parte, seu in hoc ipso argumento, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, à reliquis, putà Lectoribus, Subdiaconis, & Copiatis, *l.121.163.172. de Decurionib.* Itaque etiam iam re ipsa effecerant. Verùm Constantinus M. immunitatem, ad hos pariter pertinere vult, per Numidiam nominatim Prouinciam: idque ad similitudinem Orientis, vbi videlicet eâ immunitate ex Constantini proculdubio expresso indulto, citra dubium vllum Ministri quoque Clerici ex æquo fruebantur. Summa igitur *huius legis* hæc esto: Immunitatem à Curiâ ἀδιακρίτως ad omnes ex æquo, maximos, minimos, Clericos spectare, siue Sacerdotes, siue Ministros. Denique ad cunctos Clericos *l.9. infr.* siue sequentes: *l.24. infrà.*

¶ Fuit hæc scilicet, (quod hîc obiter primo loco notandum:) Clericorum distinctio, in Sacerdotes seu in Sacerdotio constitutos, qui & *Primi* dicuntur *d.l.24. infr.* & *l.13. infr. de Iudæis*: Et in *ministros*, qui inferioris loci Christianæ legis Ministri dicuntur, *l.41. infr.* & fortè Christianæ sectæ seruientes, ab Ecclesiasticis diuersi, *l.6. supr.* Sic cùm tres ordines essent Sacerdotum (Episcopi videlicet Presbyteri, & Diaconi) cæteri Ministri seu ὑπηρέται (putà Lectores, Hypodiaconi, & cæteri veluti Exorcistæ, Ostiarij;) ne aliis Scriptoribus testimonium denuntiem, præter *legem 41. infr.* ita certè passim in scriptis Ecclesiasticis ἱερατικοὶ & κληρικοὶ distinguuntur; vt in Synodo Laodicenâ, *cap.4.24.27.30.36.41.42.54.55.* ἱερατικοὶ scilicet sunt, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi: κληρικοὶ speciali significatu cæteri inferioris ordinis & loci Ministri: cùm aliàs κληρικῶν nomine generaliter accepto omnes Ordines Ecclesiasticorum, etiam tres ἱερατικῶν Ordines contineantur. Insignis quoque hic est Optati locus *lib.1.* *Quid*

Quid commemorem, inquit, *Laicos, qui tunc in Ecclesiâ nulla fuerant dignitate suffulti? Quid Ministros plurimos? Quid Diaconos in tertio? Quid Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos? Ipsi Apices & Principes omnium aliqui Episcopi illis temporibus instrumenta diuina legis impiè tradiderunt.* Qui etiam Optati locus pertinet propriè ad Numidiam. Sanè & Gelasius Cyzicenus *lib.2. Actor. Concil. Nic.* (quod quidem Concilium habitum fuit quinquennio ante hanc *legem*) nonnisi tres Ordines ἱερωμένων designat, eosque ὑπηρέτας vocat. Hoc numero sunt Lectores & Hypodiaconi, qui quid fuerint, ipso satis nominis indicio liquet. Sanè Subdiaconi fit quoque mentio *l. vnic. supr. de bonis Cleric.*

Secundò notandum, *hâc* Constantini M. *leg.* vt & Arcadij *l.163. supr. de Decurionib.* Lectores ante Subdiaconos nominati: contra quàm in Gratiani *l.24. infr. hoc tit.* Sanè ita quoque in Ἀρχιερατικῷ quod doct. Habertus edidit, de ordinatione Hypodiaconi agitur statim post *Lectoris* ordinationem. Sic quoque Damascenus *orat. contra Manich.* πρῶτον δὲ τὸ Ἀναγνώστου ἀξίωμα, εἶτα ὑποδιάκονος. Et tamen ὑπηρέται, id est, Subdiaconi ante nominantur in Laodiceno Anno Domini 364. *Canone* 20.21.22.23.24.

¶ Illud quoque tertio notandum, rectè Baronium vidisse, falli eos, qui *hâc lege* Clericos ad secularium Magistratuum tribunalia trahi, verati tradunt, quam interpretationem refellere pluribus nihil attinet.

¶ Tandem obseruetur, id quod toties Hæretici tentauerant, putà Clericos ad Curiam & Curialia munera vocando, id tandem etiam perfecisse Apostatam Iulianum, vt ex historia Ecclesiastica liquet; & docuit *lex 50. supr. de Decurionibus*, itémque *lex 4. supr. de lustrali collation.* vbi dixi.

¶ *De* IMMVNITATE *Clericorum ab extraordinariis collationibus ab onere Metati, Lustralique collatione: Constantij constitutio.*

VIII. * Imp. CONSTANTIVS'' A. Clericis salutem dicit.

IVXTA Sanctionem, † quam dudum'' meruisse'' perhibemini, & vos, & mancipia'' vestra nullis nouis collationibus obligaVit,'' sed vacatione gaudebitis. ¶ Præterea neque hospites suscipietis. ¶ Et * si qui de vobis alimoniæ causa negotiationem exercere volunt, immunitate potientur. Dat. VI. Kalend. Septemb. Placido & Romulo COSS. [343.]

NOTÆ.

* *Lex 1. Cod. Iust. de Episcopis & Clericis.* Extat apud Baronium *Anno 338. n.17.*
''*Constantinus* in *Cod. Iust.* Sed malè.
† Constitutio Constantini M. hic indicatur, quæ alibi non occurrit. Eiusdem vel etiam plurium aliarum similium fit rursum mentio, *l.14. infr.*
''A Patre meo Constantino.
''In Cod. Iust. *meruisti.*
''id est impetrastis, obtinuistis à Patre meo Constantino: id enim sibi vult verbum *mereri*, quod infinitis testimoniis patet. Patrum etiam: vid. interim *Glossarium Theodosianum.*
''id est Colonos.
''*Obligauit*, pro *obligabit*, vt quoque est in *Cod. Iustin.*
* Cætera absunt à *Cod. Iustin.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. nouem ordine Constitutiones sequuntur, de Episcopis & Clericis; de eorum videlicet immunitate, priuilegiis & foro. Hac certè *lege*, siue Constantij ea, siue Constantis est, quæ Epistola est ad Clericos emissa, immunitatis Clericis tributæ tres species continentur & sanciuntur. De Immunitate à muneribus personalibus fuerunt iam superiores Constantini M. Constitutiones, *lex* 1. 2. 7. Quæ quidem immunitas prima est, quæ Clericis tributa fuit. Successerunt posteà aliæ, cuiusmodi sunt tres quæ *hâc leg.* continentur, imò iam autem tributæ sanciuntur. Ad quam quidem *legem*, inter alias Constantini M. filiorum *leges*, pertinet, quod de his Sozomenus scribit *lib.3. cap.16.* vbi de Religionis Christianæ profectu agens: συμπαρέβαινον δὲ εἰς ἐπίδοσιν τούτων καὶ οἱ βασιλεῖς, οὐχ ἧττον ἢ ὁ πατὴρ αὐτῶν τὰς Ἐκκλησίας σπουδάζοντες καὶ Κληρικοὺς καὶ παῖδας αὐτῶν καὶ οἰκέτας ἐξαιρέτοις τιμαῖς καὶ Ἐκκλησίαις γεραίροντες.

¶ Prima igitur immunitas est, vt Clerici eorúmque mancipia, id est, coloni à *nouis collationibus* immunes sint: id est, ab extraordinariis & superindictitiis. Quam quidem immunitatem ab eodem Constantino Clericis tributam hæc *huius legis* verba ostendunt: *Iuxta sanctionem, quam dudum meruisse perhibemini, & vos, & mancipia vestra nullis nouis collationibus obligabit.* Itémque *lex 14. infr. vers. Diui Principis.* Ab extraordinariis igitur nominatim collationibus immunes facti fuerunt à Constantino M. & Constantio Clerici: at nondum ab ordinariis & Canonicis, putà censu possessionum suarum nomine: Quâ parte variè ius constitutum: vid. *l.10.14.15.33. infr. hoc tit.* de quo ad eas *leges*. Imò & agri Ecclesiæ ipsius pendebant tributum, quod idem rursus ostendit *l.15. infr. hoc tit.* & de eo solemnis iam est Ambrosij locus *in orat. de trad. basilicis. Si tributum petit* (Princeps) *non negatur; agri Ecclesiæ soluunt tributum.* Idque etiam agnoscit Papa Vrbanus, 23. *q.8. Can. Tributum.* Sed & Valentiniani epistolam recitat Bellarminus, vbi hæc inter alia extant: *Boni Episcopi tributa pensitant Regibus.* Sed & 11.*q.*1. ex Ambrosio hæc inter alia referuntur, *Si censum Filius Dei,*

Dei soluit, quis tu tantus es, qui putas non esse soluendum?

¶ Secunda Clericorum immunitas est ab onere *Metati*, vt ne hospites suscipere cogantur, fortè exercitu aut Imperatoris Comitatu transeunte: de quo Metati onere fuit *tit.* peculiaris *supr. lib.7.* vbi consule *Paratitlon*, ac nominatim *ibi*, Quinam ab hoc onere excusarentur, seu immunes essent.

¶ Postrema Clericorum immunitas, est Clericorum *negotiantium*, de quâ Clericorum negotiatione sunt in vniuersum *hoc Codice* nouem Constitutiones. Aduersus eam nuper luculentam dissertationem edidit Renatus, de Valle, cui *titulum* fuit *Hipparchus de Religioso Negotiatore. A Lustrali igitur collatione* Clerici negotiantes immunes præstantur *hac leg.* id est, ab ea auri, argentive collatione, quam negotiatores seu mercatores fisco dependunt, de quâ fuit peculiaris *tit supr. lib. 13. tit. 1.* Igitur Clerici, quamlibet negotiantes à lustrali auri collatione sunt immunes, quod *seqq. constitutionibus* modò coarctatum, modò ampliatum fuit; putà *l. 10. 14. 15. 16. infr hoc tit. & l. 1. 5. 11. supr. de lustrali collat.* Nam aliquando nonnisi *Copiatæ* Clerici ab hac collatione immunes fuêre; vt *d. l. 1. supr. de lustrali collat. & l. 15. infr. hoc tit.* quæ sunt Constantij. Aliquando intra certam solidorum quantitatem negotiantes, vt *l. 11. supr. de lustrali collat.* Et sanè ab hac mente est quoque hæc constitutio, pariter vt *lex 36. infr.* quæ immunitatem Clericis alimoniæ seu victus causâ tantùm negotiantibus tribuunt. Et ab eadem mente stat *l. 15. infr.* vbi Clericis Copiatis immunitas hæc tribuitur, si exiguis admodum mercimoniis tenuem sibi victum vestitúmque conquirant. Quod ostendit, nondum eas omnium Ecclesiarum diuitias tum temporis fuisse, vt Clericis omnibus alendis sufficerent.

Quare (quod Secundum) ideò negotiationem alimoniæ causâ Clericos exercuisse, & exercere necesse habuisse; & sic ne cuiquam graues essent, haud veritos, aut erubuisse, industriâ & labore pio victum sibi quærere. Quam horum temporum historiam Baronius prætermittere non debuit; Qui tamen idem, vt & Ciacconius, *in vitâ Iulij Pontificis, pag. 91.* hanc ipsam constitutionem emissam censent in gratiam Spiridionis Ep. Tremitensis in Cypro, ex incerto *vitæ Spiridionis* Auctore apud Metaphrastem, die 12. Decembris: vbi ita Scriptor ille de Constantio: *Porrò autem omnibus quoque, qui sunt partium Ecclesiasticarum, Sacerdotibus inquam & Diaconis, primus lege decernit immunitatem: absurdum esse iudicans, eos, qui Regi immortali attributi sunt ad ministerium, Regi mortali soluere vectigalia.* Notatúrque ad oram illius loci hæc ipsa *lex 8.* Verùm *lex* illa non huc pertinet, sed ad census immunitatem, de qua ad *l. 10.*

¶ Ad Clericos negotiantes redeamus. Quidquid Imperatores eos tulerint, certè Patres olim cùm negotiationis quæstus hic iam illiberalis esset, eos non probabant. Sulpitius Seuerus *lib. 1. sacra histor. Tanta*, inquit, *hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes incessit: inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant. EMVNT, VENDVNTQVE, quæstui per omnia student: at si qui melioris propositi videntur, neque possidentes, neque NEGOTIANTES, quod est multò turpius, sedentes munera expectant, atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quasi venalem præferunt sanctitatem.* Hieronymus *epist. 2. ad Nepotianum, de vita Clericorum, & Sacerdotum: fol. 7. l. c. Negotiatorem Clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge.* Et mox; *Cui nundinæ, fora placent & plateæ, ac Medicorum tabernæ.* Sunt & plura aliorum Patrum his similia, quæ congessit diligentissimè R. à Valle *in Hipparcho*, toto opere, ac nominatim *§. 3. à num. 41.* qui duo tamen superiora loca omisit, neque etiam ad *huius Codicis* leges, quæ in hoc argomento versantur, & sunt numero nouem, vllo modo oculos reflexit. Negotiatio certè vltimùm Clericis interdicta ab Imperatore Valentiniano III. *Nouella 12. seu vltim.* Nos ad priuilegium, quod hîc continetur, redeamus. Ab hoc priuilegio non abludit illud quod datum à Theodorico R. apud Cassiodorum *2. variar. 30.* Rauennati & Mediolanensi Ecclesiæ, de vno Negotiatore adsignato Defensoribus Ecclesiarum illatum, pro expensis pauperum, ab omni Monopolio, Siliquatico, & Auraria pensione immuni. ¶ Tandem præter *leges* Constantij super *ἀτελείᾳ* Clericorum, quæ *hoc tit.* occurrunt, est & illa eiusdem Imp. Anno Domini 348. quæ continetur Edicto, quod ad Episcopos & Presbyteros misit, cùm Athanasium ad Ecclesiam suam remitteret; quam memorat Athanasius *Apol. 2. pag. 600.* τὴν ἀτέλειαν ἣν εἶχον πάλαι οἱ ἀμφ' αὐτὸν Κληρικοί, τούτοις βεβαιοῦσθαι, &c. & expressa in id eiusdem *lex* ad Magistratus Ægypti: quam idem exhibet *pag. 601.*

¶ *De* IMMVNITATE *omnium Clericorum à Curialibus muneribus, & ciuilibus functionibus: déque* FILIIS *eorum: Constantij Constitutio.*

IX. * Idem A. Seueriano Proc. Asiæ."

CVRIALIBVS muneribus, adque omni inquietudine ciuilium functionum exsortes cunctos" Clericos esse oportet: Filios tamen eorum, si Curiis obnoxij non tenentur, in Ecclesiâ perseuerare." Dat. III." Id. April. Limenio & Catullino COSS. [349.]

NOTÆ.

* Abest *hæc lex* à *Cod. Iust.* Extat apud Baronium *A. 349. n. vlt.* fortè hanc *legem* etiam intelligit *lex 12. infr.*

"al. *Achaia*. quam vocem habet *Tiliana Editio*, vbi tamen perperam initium *legis* ea voa occupauit: *Cuiaciana Editio* vtramque lectionem præfert.

"etiam Ministros, vt *l. 7 supr.* etiam Athanasianos, de quo mox.

"Quid his verbis intelligatur, mox dicam.

COMMENTARIVS.

DE IMMVNITATE Clericorum à ciuilibus muneribus, ἀτελείᾳ ἀλειτουργησίᾳ, est hæc quoque Constantij Imp. constitutio: quâ Clericos immunes esse iubet, quicunque tandem illi sint: (etiam Ministros, & inferioris Ordinis: vt *l.7. supr.*) à Curialibus muneribus & ciuilibus functionibus: pariter vt antehac pluribus aliis constitutionibus immunes esse iussi sunt, *l.1.2.7. supr.* Hoc addito tamen, vt Filij eorum in Ecclesiis perseuerent, si Curiis obnoxij non sint. In qua, & ad quam, quinque sequentia obseruanda veniunt.

Primò quidem, hoc Constantij quoque seculo, Clericos, ex Curialibus factos; quod docet quoque *lex 40. supr. de Decurion.* vbi pleniùs.

Secundò, Clericos hac tempestate coniugatos fuisse, nec matrimonium impedimento fuisse Clericatui, sed coniugatos, non minùs quàm cœlibes, ad Sacerdotium admissos, quanquam post susceptum Presbyteratus ordinem, vxorem ducere non liceret: neque ad ministerium Ecclesiasticum admitteretur is, cuius vxor adulterium commisisset. Quod alioquin de Constantini M. temporibus testatur Neocæsariensis *can.1. & 8.* Gangrensis *can.4.* his verbis: *Quicunque discernit à Presbytero qui vxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit*; & famigerata Paphnutij historia. Imò Athanasius, horum ipsorum temporum Scriptor, *in Epistola ad Dracontium*, ait: sese Episcopos, imò & Monachos vidisse, qui ex matrimonio antequam promouerentur ad Sacerdotium, vel statum Monachatus & Continentiæ, contracto, filios genuissent; neque id obstitisse Clericatui, vt liquet vel ex Eusebio, *lib.1. de demonstrat. Euangel. cap.9.* imò & post Clericatum indeptum nonnullis Clericorum matrimonium contrahere licuit, nempe Diaconis, qui cum ordinarentur, in ipsa ordinatione protestarentur velle se habere vxores, nec posse se continere, hi enim si posteà ad nuptias venirent, manebant in ministerio, propterea quòd Episcopus licentiam dedisset: qui verò tacuissent & suscepissent manus impositionem, si posteà ad nuptias venirent, à ministerio cessare debebant: vt *Can.10. Ancyranus*, & *Chalcedonensis 33.* vbi de Psalmistis & Lectoribus, quibus concessum est vxores ducere. De coniugibus alioquin, liberisque Clericorum, occurrunt duæ præterea eiusdem Constantij constitutiones *hoc ipso titulo*, putà *lex 10. & 14.*

Tertiò obseruetur limitatio seu conditio circa filios: *Si Curiis obnoxij non teneantur*: id est, si non patre Curiali nati fuerint. Nempe si filij ante Clericatum patris non Curialis nati sint, à Curiâ & ipsi immunes sunt, & in Ecclesia perseuerant, & Ecclesiasticâ immunitate fruuntur: Si verò nati fuerint Patre Curiali ante eius Clericatum, Curiis obnoxij manent. Quod & alioquin tralatitium est; putà vt filij iam nati insequutâ patris dignitate non fruantur: cuius rei exempla plura profero ad *l.1. supr. de Senator. & glebali collat.*

Quartò notetur, filios hos qui in Ecclesiâ perseuerare *hâc lege* iubentur, eosdem omninò videri cum iis qui *Iuuenes* vocantur, & quidem in eiusdem Constantij constitutione, *leg. proximâ* 10. vbi Clericis pariter iunguntur, eademque immunitate donantur, quibus denique hac tempestate solito pluribus opus erat, vt ad *eam legem* dicetur.

Postremò, videri possit hæc *lex* eò pertinere, quòd Constantius Imperator hoc ipso tempore immunitatem Clericis, qui cum Athanasio communicabant, paulò antè ademptam, hoc ipsomet Anno post Concilium Sardicense restituit, *duabus epistolis*, quas ipsemet refert *Apologiâ secundâ p.600. & 601.* In quarum posteriore Interpres ἀλειτουργησίας contrario sensu *officium* reddidit, cùm eâ voce significetur *immunitas à muneribus*, pariter vt voce ἀτελείας in priore vsus fuerat: Referunt easdem epistolas Socrates *lib.2. cap.18.* Sozomenus *lib.3. cap.20.* & Metaphrastes *in vita Athanasij*. Vnum tamùm obstat, quòd *hæc lex* data dicitur *ad Proconsulem Asiæ*, vel *Achaia*, vt habent alij *Codices*; cùm contrà, Athanasius, & Athanasiani ad Alexandriam Ægypti pertineant: quâ causâ etiam posterior illa Constantij *epistola* ad Nestorium & Præsides Augustamnicæ, Thebaidis & Libyæ (malè ibi Interpres *Africam* vertit) de Athanasianorum immunitate data est. Etsi prior emissa sit ad Episcopos & Presbyteros, imò & populos Ecclesiæ Catholicæ. Verùm dici possit, quod & verum est, per Asiam quoque habuisse Athanasium sibi communicantes, pariter vt per Syriam Cœlem, & Palæstinam hoc tempore ipso habuit, de quo dixi ad Philostorgium *lib.3. cap.12.*

¶ *De* IMMVNITATE *Clericorum & Iuuenum plenissima Constantij constitutio.*

x. * Impp. CONSTANTIVS & Constans" AA. vniuersis Episcopis" per diuersas prouincias.



T Ecclesiarum cœtus concursu populorum" ingentium frequentetur, Clericis ac Iuuenibus præbeatur immunitas: Repellatúrque ab his exactio munerum sordidorum: Negotiatorum dispendiis minimè obligentur, cùm certum sit quæstus, quos ex tabernaculis" adque ergasteriis" colligunt, pauperibus profuturos. Ab" hominibus etiam eorum, qui mercimoniis student, cuncta dispendia esse sancimus. Parangariarum quoque parili modo cesset exactio. Quod & coniugibus" & liberis" eorum & ministeriis, maioribus" pariter ac feminis, indulgemus: Quos à censibus etiam iubemus perseuerare immunes. Dat. VII. Kalend. Iun. Constantinop. Constantio VI." Constante AA. COSS.

NOTÆ.

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* Extat apud Baronium *A. D.*353.*n.*33. Ex hac *lege*, transcripta fermè est *lex* 14. *infr.* vel saltem ad huius instar, illa efformata.

'' *Constantis Augusti* nomen arguit, in subscriptione mendum subesse: Anno quippe 350. iam Constans interfectus fuerat.

'' Cur *hæc lex* Episcopis inscribatur, mox ostendam.

'' Ita *l.6 supr. hoc tit. Nec tamen & intra modum populi Clericis connectuntur.*

'' Pro *tabernis*: quam vocem hic nonnulli substitutam vellent; vt *d.l.*14.*infr.* Quid si legamus *tabernulis*?

'' de his ergasteria & tabernis rursum, *l.*10.*infr.* de his dico plenè ad *leg.*5.*supr. de Metata.*

'' Tmesis hic est, *ab hominibus esse*, pro *abesse ab hominibus*: ita *l.*1. *supr.* ne aperta à contrario. *ab hoc obsequiis esse patiantur*: ita *l.*1. *sup.* ad *leg. Iul. de ambitu*: *Neque aliud inter cæptum ambitum atque perfectum esse arbitretur.* Ammianus Marcellinus *lib.*14. *quantum inter filios Vespasiani fuit.* Sic in *l.*12.§.1. *ff. de iure dot.l.*29 *ff de religione.* Quare vocem *esse*, in *abesse*, non est quod cum nonnullis mutemus.

'' Vt vos in vestris *mercimoniis*, &c. Plautus *Amphitruone.*

'' De liberis Clericorum dixi *supr. lege proximâ.*

'' *ag. maribus*, vt *l.*14. *infr.* & sensus alioquin per se satis id euincit.

'' Consulatus hic vitiosus videri possit, vt suadet non tantùm *Constantis Augusti* nomen in inscriptione adiectum, verùm etiam loci subscriptio: Constantius quippe Anno 353. in Italiâ constitit, non autem Constantinopoli. Proinde referenda *hæc lex*, vel ad anteriorem aliquem annum, putà ad Consulatum *Constantij quartum*, *& Constantis* AA. id est, Anno 346. & sic in ordine *legum*, hic fuerit *πρώτη*. Si id non est, tum *Constans* in inscriptione fuerit *Constans Cæsar* (id est Gallus) non Constans Augustus; atque ita vos *Constantinop.* hic fuerit irreptitia, quæ vox ob concursum sequentis sæpè in vtrumque *Codicem* perperam intrusa. In priorem tamen sententiam potius concedo.

COMMENTARIVS.

De Immvnitate Clericorum est hæc rursum Constantij *lex*: cuiusmodi de Clericorum immunitate *leges*, vt quamplurimæ *hoc tit.* occurrunt, ita octo Constantium auctorem habent, nempe *l.*8.9. *supr.* hæc *lex* 10. & *lex*.11.13.14.15.16. Sic vt, vnicâ tantùm exceptâ, omnes Constantij leges *hoc tit.* sint de hac Clericorum immunitate. De hac sanè omnium maximè sensisse puto Sozomenum, *lib.*3. *cap.*16. cuius verba protuli ad *l.*8. *supr.* ¶ Præ cæteris autem notandæ sunt *hæc lex* 10. & *lex* 14. vt pute omnium plenissimè; & posterior quidem ad huius instar expressa; sic tamen vt hæc *Vniuersis Episcopis* per diuersas prouincias inscribatur, & sic ad vniuersos vbicunque positos Clericos pertinet: illa verò (14. scilicet) *Felici Episcopo Rom.* & ad Clericos diœceseos Romanæ pertineat, pariter vt *lex* 13. eam proximè præcedens. ¶ Porrò huius plenissimæ & generalis immunitatis promulgandæ hæc causa exprimitur, *Vt scilicet Ecclesiarum cætus concursu populorum ingentium frequentaretur.* Nempe crescentibus iam vbique Ecclesiis, numeróque solito pluribus augentibus, quàm antea sub Constantino M. & proficiente in dies Religione Christianæ (ac nominatim Athanasio Alexandriæ restituto, vt ipse testatur *Apologiâ ad Constantium*: etsi his Consulibus Arrianos Ecclesias inuasisse, & Athanasium Alexandriâ expulsum, *farrago* quædam *Alexandrina* præferat;) iam solito pluribus etiam immunitatibus homines ad Clericatum inuitandi visi sunt, præter veteres immunitates: contra quàm aliis temporibus, atque alibi Clericorum numerum coarctari oportuit: *l.*3. 6. *supr.* *l.*33. *infr.*

¶ Prima igitur immunitas hæc est, quæ & *immunitatis* appellatione hic propriè indicatur: quâ intelligenda videatur immunitas à muneribus ciuilibus, de quâ superioribus legibus dictum. Atque hoc eodem sensu accipiendæ quoque videantur illæ *legis* 14. *infr.* *Omnis à Clericis indebitæ conuentionis iniuria & iniqua exactionis repellatur improbitas.* Verùm, cùm rem propiùs intueor, & Constantij studium expendo, sed & extrema vtriusque *legis*, & *huius* inquam, & *d. l.*14. huius *leg.* ibi: *Quos à Censibus etiam iubemus perseuerare immunes*: & d.l.14. ibi, *immunes semper à Censibus, & separati ab huiusmodi muneribus perseuerent*: Quibus immunitatem à censibus tribuit vxoribus, liberis, & ministris Clericorum; his verbis intelligenda omninò est immunitas à *censibus*, quâ possessionum nomine fisco dependuntur. Et id tamen posteà aliquando idem Constantius recantauit, *l.*15. *infr. vers. de his*: quæ est *lex* 3. *Cod. eod. tit.* Sæpéque posteà hæc immunitas à censibus & vectigalibus infracta, non tantùm ab ipsomet Constantio *d. l.*15. verùm & posteà. De huiusmodi certè Clericorum immunitate, & quidem à Censibus *legibus* sancitâ, at sub Valente infractâ, extant duæ Gregorij Nazianzeni *epistolæ*, putà 159. & 166. In priore, vbi de Euthalio condiacono egit: ὃς, inquit, εἰς μείζω τάξιν μετεχειρίσθη ... ἀπογραφικῆς τάξεως: qui locus vt rectè habet, ita & sequentem in modum vertendus est, *ad auri collationem describere eum audet Rectoris officium*: non, vt pessimè Interpres, *expungere ac dignitate abdicare conantur ij, qui rei militari Præfecti sunt*: & in fine Constitutionem Imperatoriam super hac re memorat: μὴ τυγχάνων τῶν δεδομένων τοῖς ἱερατικοῖς παρὰ τῆς βασιλείας τιμῶν. In posteriore *epistolâ*, putà 166. pariter petit, Clericos suos adscriptione seu tributo liberari, τοὺς ἀπογραφῆς (ita rectè) ἐλευθέρωσον: queritúrque, quod cùm Clerici aliis ciuitatibus donentur, ne sibi quidem ministrantes immunes sint. Basilius quoque *epist.*279. ad Modestum PP. Orientis de eâdem immunitate sub eodem Valente Imp. infractâ conqueritur, eámque instaurari petens inter alia scribit: τὰς τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἱερωσύνας Πρεσβυτέρους καὶ διακόνους ὁ παλαιὸς νόμος ἀτελεῖς ἀφῆκεν: οἱ δὲ νῦν ἀπογραψάμενοι, ὡς [ὡ, tollendæ vox ὁ,] λαβόντες παρὰ τῆς ὑμετέρας ... ἐξουσίας πρόσταγμα, ἀπογράψασθαι: πλὴν εἴ τινες πρὸς ἄλλον ἔχον ὑπὸ τῆς ἡλικίας τὴν ἄφεσιν. Et mox: καὶ συγχωρηθῆναι κατὰ τὸν παλαιὸν νόμον τῆς συντελείας τοὺς ἱερατεύοντας. Eámque immunitatem non in præsens tantùm εἰς πρόσωπον firmari petit, verùm etiam in posterum: ἀλλὰ κατὰ τὴν ἐν τῇ ἐλευθέρᾳ ἀπογραφῇ τύπον κοινὴν τινα συγχώρησιν Καππαδοκίας ... ἵνα ὑπὸ τῶν οἰκονομούντων τὰς Ἐκκλησίας τοῖς ἑκάστοτε λειτουργοῦσι τὴν ἀτέλειαν διδῶσι.

¶ Secunda Immunitas est à *muneribus sordidis*, de quibus fuit *titulus supr. lib.*11.

¶ Tertia Immunitas est à *lustrali collatione*; nempe Clerici quamlibet negotiantes, ab ea collatione, quæ à negotiatoribus præstatur, (ea verò est lustralis collatio) immunes sunt: sic vt non tantùm ipsos, verùm & homines eorum seu mancipia (vt vocantur *leg.*8. *supr.*) ἀνδράποδα ab eâ immunia esse velit: Ratione notandu, quod quæstus, seu lucellum quod ex negotiatione Clerici faciunt, id pauperibus profuturum sit: id est,

vt loquitur *lex* 14. in vsum pauperum & egentium ministrare eos oporteat, seu lucrum id Religionis existimetur, vel vt *lex* 5. *supr. de lustrali collat.* ait, *Christianis*, id est, Clericis, *mercandi solertiam exercentibus, si verus cultus eis sit, votum est*, (nam ita lege) *adiuuare pauperes & positos in necessitatibus*. Cui haud absimile est, quod Hieronymus *epist. ad Nepotianum de vitâ Clericorum fol.8. Gloria Episcopi est, pauperum opibus prouidere: Ignominia omnium Sacerdotum est, propriis studere diuitiis*. Nempe hæc fuit Constantij de Clericis præsumptio, eos quæstum hunc omnem pauperibus & egenis ministraturos. Verùm vbi posteà contrarium experientia docuit, iam immunitati huic modus quidam impositus est, vt docebunt complures hoc titulo *leges*, & *lex* 5.11.16. *supr. de lustrali collat.* Tria igitur sub Constantio momenta siue tempora hàc parte notentur. Prima Constantiana, quibus alimoniæ tantùm causa negotiantibus Clericis ac fermè Copiatis, hæc immunitas tributa fuit, vt docuit *lex* 8. *supr. l.*1. *supr. de lustrali collat.* Media Constantiana, quibus plenissima immunitas à lustrali collatione tributa, vt *hæc lex* docet, itémque *lex* 14. *infr.* Extrema Constantiana, quibus ad primam sententiam rediit; vti docebit *lex* 15. *infr.* & *lex* 1. *supr. de lustrali collat.*

¶ Quarta Immunitas est *Parangariarum*, quæ & *Translationes* vocantur, *fine legis* 15. de quibus dicam ad *l.*40. *infr.* Parangaria scilicet sunt operæ & ministeria, quæ præstantur ad translationem fiscalium specierum, de quo dictum fuit plenissimè *supr. tit. de cursu publ. angar. & parang.* Et hæc de ipsis Clericis.

¶ Eædem immunitates tribuuntur & *coniugibus* eorum & *liberis* & *Ministris*, non modò maribus, sed & fœminis. De coniugibus Clericorum dixi iam ad *l.*9. *supr.* & dicam plenè ad *l.*44 *infr.*

¶ Superest videndũ, quinam sint *Iuuenes* illi, qui *initio legis* Clericis iunguntur, quibúsque eædem Immunitates cum Clericis & eadem ratione tribuuntur. *Iuuenes* igitur, (qui *Iuniores* vocantur *cap.*45. *Concil. Altissiod.* & ex eo *cap.*1. *de foro compet.*) vt à Clericis hîc separantur, sed tamen eadem immunitate Ecclesiastica coniunguntur, haud alij sunt quàm ἀκόλυθοι. Nam & ita Fauorinus ἀκόλυθος, ὁ ὑπηρέτης παῖς, & erant, qui ferebant cereos & funalia, vt docet *Nouell.*45. 59. Quare erant, qui ad omne reliquum Ecclesiæ seruitium parati in Ecclesia erant, veluti Mediastini serui in domo patrisfamiliâs. Quamquam in Concilio Altissiodorensi *Iuniores* paulò latiùs accipiuntur pro omnibus inferioris Ordinis Clericis, qui *simplices Papæ* dicuntur in *Nouella* Isaaci Comneni *de sportulis quæ Episcopis debentur pro ordinandis Clericis*. Denique Iuuenes hi erant filij Clericorum, quos tributâ patribus Clericis Curialium & Ciuilium munerum immunitate, Constantius in Ecclesia perseuerare iussit *l.*9 *supr.* id est, ministerium Iuuenis exhibere.

¶ Tandem obseruetur, hanc *legem* de earum numero esse, quas Basilius sub Valente Imp. intelligit *epist.*279. scribens ad Modestum Præfectum Prætorio Orientis, cùm secundum παλαιὸν νόμον Immunitatem Clericorum, Presbyterorum, Diaconorum, à censu seruari postulat: Item, quas Sozomenus indicat *lib.*3. *cap.*16. de quo dixi iam ad *l.*8. *supr.*

¶ *De* IMMVNITATE *à muneribus Curialibus, Filiis Clericorum concessa, Constantij constitutio.*

XI. * Idem AA. ad Longinianum" PF. Ægypti.

IAMPRIDEM sanximus, † *Vt Catholicæ legis Antistites & Clerici, qui in totum nihil possident, ac patrimonio inutiles sunt, ad munera Curialia minimè deuocentur.* Verùm comperimus, pro nullâ vtilitate publicâ perfectione" eos inquietari. Ideóque præcipimus, &" filios eorum, quicumque minus idonei," & intra legitimam ætatem esse repperiuntur, nullam molestiam sustinere. Dat. IV. Kalend. Mart." Constantio A. VII. & Constante A. COSS. [354.]

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* vt & Baronius eam quoque prætermisit.

" In nonnullis *Longinum*. *Longiniani* huius Præfecti Ægypti nulla alibi, quod sciam, mentio occurrit, quod mirum: Proculdubio enim pertinet *hæc lex* ad Athanasium, cúmque eo communicantes, vt proinde in Athanasij rebus eius mentionem fieri oportuerit, (sicut fit mentio, & quidem hoc ipso Anno post, Maximi Præfecti Ægypti *in Apolog.* Athanasij *ad Constantium*.) Videtur autem hic idem Præfectus esse, cui Constantius mandauit, vt frumentum, quod hactenus Athanasio & suis impendebatur, daretur illis qui Arriana saperent, & vt liberum esset contumeliam inferre Athanasio communicantibus. Vt ipse Athanasius *epist. ad Solitar.* scribit.

† Fortè intelligit *l.*9. *supr.* aut similem.

" *Al. vel per functiones*, vel *per factionem*, vt *l.*1. *supr.* quomodo & *per iniuriam*, dicitur *l.*7. *supr.* φιλέχθρως, vt in *Can.*6. *Constantinop.* vel quod præfero *per affectiones*: id est, per affectos & liberos: *affectiones*, pro affectibus, caritatibus, & liberis; *hâc leg.* & *l.*3. *supr. de Naufrag.* de qua voce vide *Glossar. Theod.*

" id est, etiam.

" Data hæc *lex* in Galliâ, & quidem proculdubio Arelate: vide Ammianum Marcellinum, *lib.*14 *p.*25.26. Ex Themistio quoque *orat.*13. *p.*300. clarum, Constantium hoc tempore in Galliis versatum.

COMMENTARIVS.

DE IMMVNITATE à Curialibus muneribus Episcoporum & Clericorum Catholicorum per Ægyptum est hæc Constantij *lex*: ac proinde ad Athanasium, atque cum Athanasio communicantes pertinet; in quos Arriani hac tempestate animos extulêre, subnixi maximè Constantio Imper. *huius legis* authore, quique Edicto præceperat in Athanasium subscribi. Verùm

rùm hic idem Constantius à Legatis Romanis & Italis paulùm emollitus fuit, sic vt in Arbanasianos & Catholicos iam mitiùs consuluerit; atque inter cætera Synodo Mediolanum indictâ, quæ tamen posteà contrarium exitum sortita est: item inter cætera confirmatâ *hâc lege* eâ, quam dixi, Catholicæ legis Antistitum & Clericorum immunitate; ac proinde reuocatâ in vsum pristinâ sanctione, quam obliquè Arriani eluserant. Nempe quos ipsos Episcopos aut Clericos ad munera Curialia deuocare non poterant, atque adeò eos inquietare, *per affectiones* eorum (nam ita hic omninò legendum est) cœperunt: id est, filiis eorum ad Curialia munera vocatis: Cùm tamen filios Clericorum eâdem immunitate iam ipsemet Constantius potiri voluisset, *l. 9. & 10. suprà.*

¶ Limitatio tantùm notanda est, quæ *hâc lege* additur: ita demum Clericos Catholicos, filiósque Clericorum ad munera Curialia vocari non oportere, si vid. nihil possiderent, & Patrimonio mutiles essent, sed minus idonei: Nam si aliquid possiderent, tam ipsos, quàm filios eorum (legitimam intra ætatem constitutos) Curialia munera subire Constantius voluit, quæ fuit Constantij in Catholicos iniquitas.

¶ *De* Foro *Ecclesiastico, &* Exemptione *Episcoporum à foro sæculari: Constantij Epistola.*

XII. * Idem AA. Seuero" suo Salutem.

Mansuetudinis nostræ lege prohibemus, in Iudiciis" Episcopos accusari: ne, dum adfutura," ipsorum" beneficio," inpunitas æstimatur," libera" sit, ad arguendos" eos animis furialibus copia. Si quid est igitur querellarum, quod quispiam defert, apud alios potissimùm" Episcopos conuenit" explorari, vt oportuna adque commoda, cunctorum" quæstionibus," audientia" commodetur. Data Epistula" XV. Kalend Octobr. Acc. Non. Octobr. Arbitione & Lolliano coss. [355.]

Interpretatio." *Specialiter prohibetur, ne quis audeat apud Iudices publicos Episcopum accusare, sed in Episcoporum audientiam perferre non differat, quicquid sibi pro qualitate negotij putat posse competere, vt in Episcoporum aliorum iudicio quæ asserit contra Episcopum debeant definiri.*

NOTÆ.

* Abest *hæc lex* à *Cod Iust.* Extat apud Baronium *Anno 355 num 82.*

"In nonnullis *Consueuro*. An *Seuerus* hic, est *Seuerus Rauennas Episcopus*, qui Concilio Sardicensi interfuit ante octennium, Anno 347. Agapeti in eâdem Sede successor? An verò *Seuerus*, qui biennio post Anno 357. ex Illyrico missus Magister Equitum in Gallias in locum Marcelli, teste Ammiano Marcellino *lib. 16. p. 78.* vide & *lib. 17. p. 96. lib. 18. p. 126.* Illud malo.

"Apud Iudices.

"an *absutura?* Minimè. *Adfutura*, proba hic vox est, *ne dum adfutura, ipsorum beneficio impunitas æstimatur*: vt ita vocem *ipsorum* ad Episcopos referamus. Quanquam suum illud & probum seorsum habere.

"Episcoporum, vt dixi.

"*Beneficio*, id est gratiâ, fauore.

"existimatur, præsumitur.

"id est, temerè in eorum accusationem irruatur.

"id est, accusandos, *vrgendósque* adeò, opprimendos, vexandos.

"ἀνυπόπτως. "Sic & *infr. l. 41.* Clericos nonnisi apud Episcopos accusari conuenit.

"Accusare, volentium.

"*al. Quæstionibus*, id est, querimoniis, accusationibus, conquestionibus, querelis.

"*Audientia* vox hic propria.

"*Epistola* hæc de earum genere est, quæ legis, seu constitutionis speciem constituunt, & vigorem habent, de quibus §. *Sed & quod Principi*, & *ibi* Theophilus: pariter vt *lex 25. infr.* & *lex 8. sup. de Numerariis*: *l. 6. de cohortalibus.* Similis Epistolæ meminit his ipsis Coss. (& in eadem re) Seuerus Sulpitius *lib. 2. Sacra historia.* Epistolæ porrò plerumque character in Inscriptione eius, vox: *Salutem*, vel *Haue.*

"Hinc efformata sententia. *Deinde nemo*, &c. in Caij PP. *epistola ad Felicem, p. 378.*

COMMENTARIVS.

De Foro Episcoporum est hæc Constantij epistula seu constitutio: de Foro inquam Episcoporum, id est, vbi non Episcopi accusari, & querelæ aduersus eos deferri, quique adeò de iis cognoscere possint? Quo alioquin in argumento, de foro, inquam, Ecclesiastico versantur quatuor præterea *hoc Codice* constitutiones: putà Gratiani *l. 23. infr. hoc tit.* Honorij *l. 1. infr. de Religion.* & *l. 41. infr. hoc tit.* & Valentiniani III. *l. vltim infr. hoc tit.* Nos *hanc* nunc tantùm interpretabimur, cæteras suo quasque ordine: & de omnibus tamen sub vno fasce, & sub vnum conspectum, ad *l. 23. infr.*

Hæc est propriè de Episcopis reis: quâ vetat Constantius, *Episcopos* accusari in *iudiciis*, id est, apud Iudices seu Magistratus seculares: Hâc ratione dubitandi, & decidendi additâ, *Ne dum adfutura ipsorum beneficio impunitas æstimatur, libera sit ad arguendos eos* (apud Iudices seculares) *animis furialibus copia*: id est, ne obtentu euitandorum Iudicum Ecclesiasticorum, quasi Episcopis obnoxiorum, omniáque gratiæ aut fauori daturorum, passim accusatores furialésque animi in Episcopos irruant, eósque ad iudicia temerè trahant, nihilque non imputent audeántque: Querelas igitur Constantius ad alios potissimùm Episcopos (id est, suæ prouinciæ vel diœceseos Synodos, de quo *d. l. 23. infr.*) deferri, ab his audiri, dis-

quiri iubet, hac ſpeciali ratione additâ: Quod hæc Epiſcoporum audientia *opportuna atque commoda cunctorum quaſtionibus* ſeu *querelis ſit*. ¶ Sed quid audio? Ergóne indiſtinctè Conſtantius Epiſcopos in Iudiciis, ſeu apud Magiſtratus ſæculares, *κοσμικαῖς ἀρχαῖς* accuſari *hâc leg.* vetuerit? Sanè alia mens fuit Valentiniano Sen. vt docet eius Conſtitutio apud Ambroſium *epiſt.* 32. (de qua *l.* 20. *ſupr. quor. appell.*) Alia Gratiano, *l.* 23. *infr. hoc tit.* qui leuia tantùm Epiſcoporum delicta & diſſenſiones ad Religionis obſeruantiam pertinentia, Morúmque cauſas (vt loquitur Ambroſius *d. epiſt.* 32.) locis ſuis & à ſuæ Diœceſeos Synodis audiri: actiones verò criminales Epiſcoporum, ab Ordinariis extraordinariis Iudicibus vel Inluſtribus Poteſtatibus audiri voluit. Alia pariter Honorio, *l.* 1. *infr. de Relig.* nempe vt cauſas tantùm de Religione Epiſcopi iudicarent: Cæteræ cauſæ apud ordinarios cognitores, vel ad vſum publici iuris pertinentes legibus audirentur. Alia quoque Synodo Conſtantinop. *cap.* 6. *in fin.* Alia denique Theodoſio Iuniori, vt patet ex ſacrâ eius miſſâ ad Synodum Epheſinam per Candidianum, vbi disertè *χρηματικὴν ἢ ἐγκληματικὴν αἰτίαν* agitari vetat in Synodo, imò & *ἐν δημοσίῳ αὐτὴν δικαστηρίῳ*; verùm eius cognitionem ſeruari *κατὰ τὴν μεγαλοπρεπῶν τάξιν*. Quare peculiarem & ſingularem hanc *legem* eſſe oportet. Sed, inquies, eidem Honorio *l.* 41. *infr. hoc tit.* id quoque poſteà viſum verbis peremptoriis, vt Epiſcopi Clericique, *nonniſi* apud Epiſcopos accuſarentur? vbi ad eas *leges* deuentum erit, de iis videbimus. De hâc tantùm Conſtantiana nunc videamus: ſcilicet qui horum temporum, imò huius Anni, hiſtoriam ſpectauerit, qui Conſtantij ingenium nouerit, item qui nouerit hanc *epiſtolam* eo ipſo Anno datam, quo *Conciliabulum Mediolanenſe* habitum fuit, vexatíque fuère miris modis Catholici, ſimul nouerit, quid de ea ſentiendum ſit: Nempe è tribus his vnum, vel temporariam hanc ſeu horum temporum rationi illigatam, vel etiam ſubdolam eſſe, vel denique ad cauſas Eccleſiaſticas & Religionis tantum negotium pertinere.

Primum inquam dici poſſit, in Catholicorum fauorem ad varias Epiſcoporum preces id nunc ita conſtitutum. Nota ſcilicet eſt ſub Conſtantio Catholicorum querela in cauſa Athanaſij, Euſebianis agentibus, quæſtiones habitas de criminibus Athanaſio imputatis, coram Iudice ſcrutati, *ἐπὶ ἐξωτικοῦ δικαστοῦ*, cum ea debuerint *ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ὑπὸ Κληρικῶν νομίμως ἐξετάζεσθαι*; vt eſt in Athanaſij *Apolog.* 2. *p.* 583. vide eundem *ad ſolit. vit. agent. p.* 666. Sed & Hilarius Ep. Pictauienſis, ſupplici libello ad Conſtantium Imp. dato, inter cætera apud eum hoc poſtulat: *Prouideat & decernat Clementia tua, vt omnes vbique Iudices, quibus Prouinciarum adminiſtrationes credita ſunt, ad quos ſola cura & ſolicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religioſâ ſe obſeruantiâ abſtineant, neque poſthâc præſumant atque vſurpent & putent ſe cauſas cognoſcere Clericorum, & innocentes homines variis afflictationibus, minis, violentiâ, terroribus frangere atque vexare. Intelligit ſingularis & admirabilis Sapientia tua, non decere, non oportere cogi & compelli inuitos & repugnantes, vt ſe his ſubiiciant & addicant vi oppreſſi, qui non ceſſant adulterina doctrina corrupta ſemina ſpargere.* Et mox: *Præcipe, vt non ſtudium, non gratiam, non fauorem locorum Rectores grauiſſimis hæreticis præſtent.* Quibus accedat & Patrum Sardicenſium Anno D. 347. id eſt, ante octennium fermè Epiſtola apud Athanaſium, *Apol.* 2. *p.* 582. vbi aiunt, ſeſe preces ſuas apud Imperatorem detuliſſe, vt illorum humanitas Clericos, qui adhuc grauantur, vel affliguntur ſolui iubeat, cōſtituátque: *μηδένα τῶν δικαστῶν οἷς ἀεὶ μόνον τῶν δημοσίων μέλειν φροντίζειν, μήτε κρίνειν Κληρικὸν, μήτε ὅλως τοῦ λοιποῦ φροντίζειν τῶν Ἐκκλησιῶν ἐπιχειρεῖν κατὰ τῶν ἀδελφῶν, ἀλλ' ἵνα ἕκαστος χωρίς τινος βίας καὶ κολακείας εὔχηται καὶ βούληται ζῇν καὶ μεθ' ἡσυχίας καὶ εἰρήνης τὴν Καθολικὴν καὶ Ἀποστολικὴν πίστιν μετέρχηται.* Et illa ipſa tamen Epiſcoporum querela, & hic Hilarij locus eſt, de leuibus tantùm Eccleſiaſticíſque delictis, non etiam de actionibus criminalibus. Sed & peculiares iuſtæque Hilarij & Sardicenſium Patrum querelæ fuerunt, nempe quòd Iudices illi in Catholicos Arrianis paſſim fauerent, & vltra plantam, quod dicitur, euagarentur.

Secundò dici poſſit, Conſtantium ſubdolam hanc epiſtolam, remiſſa Epiſcoporum accuſatione ad Epiſcoporum, qui Mediolani erant audientiam emiſiſſe, eo conſilio, vt hâc ipſâ viâ Athanaſiani opprimerentur: quandoquidem reuera Synodum Mediolanenſem in ſeculare iudicium mutauerat; vt ex Athanaſio *epiſt. ad ſolit. vit. agent.* & Seuero Sulpitio *lib.* 2. diſcere licet; omniaque ibi non iure, ſed ſolidâ vi agebantur.

Tertiò dici poſſit, Conſtantium, cùm videret, poſt Concilium Mediolanenſe, Arrianos, quibus ipſe faueret, ab Athanaſianis in Iudiciis criminum nomine iam ſolito more iuréque accuſari (quando ius & æquum in Conuentu Epiſcoporum ferre non poterant,) huiuſmodi querelas ad Epiſcoporum audientiam remitti voluiſſe, vt ita reuera (quicquid contrà Conſtantius obtendat) illi elaberentur, & adeſſet Epiſcoporum beneficio impunitas. Quam ſententiam firmare videntur illa: *Ne dum adfutura ipſorum* (Epiſcoporum) *beneficio impunitas æſtimatur, libera ſit ad arguendos eos animis furialibus copia.* Quid enim? Primò, *furiales* ne *animos* ſuorum, id eſt, Arrianorum, vocaret Conſtantius, quos omni ope tuebatur? Imò verbis illis Athanaſianos perſpicuè intellexit. Deinde res ipſa clamat: Miſeri nempe Athanaſiani, vbi Epiſcopos ſibi aduerſos, quia iam partium numero, viderent, atque adeò certò ſcirent *adfuturam impunitatem beneficio Epiſcoporum*, atque de Conciliabulo Mediolanenſi id experti modò fuiſſent, eam Synodum videlicet eſſe factionem & violentam graſſationem & Synagogam malignantium (vt eam Hilarius vocauit) vbi Arrianis omnia conceſſa, Catholicis denegata omnia, ſuppreſſáque eorum in dicendo libertas, atque Synodus *ἄπρακτος* dimiſſa, teſte Sozomeno *lib.* 4. *cap.* 10. Porróque ipſi ab Arrianis vexarentur, iniuriis afficerentur; Catholici iuri ſuo abſtinendo, & quidem de grauioribus delictis querentes iudicia implorare fas duxêre, Iudicéſque adiêre, quos inſuper iuris religioſos ſcirent. Et ita quidem alterutra è duabus poſterioribus ſententia *huius legis* veriſſima eſt, illis, quæ dixi, argumentis: De quo certiora adhuc dicere poſſemus, ſi liqueret nobis quiſnam ille liquidò *Seuerus* fuerit, cui hæc *lex* inſcribitur? (quanquam ita ſuſpicer, hunc eſſe Seuerum Rauennatenſem Epiſcop. qui Sardicenſi Synodo interfuit) ſi liqueret etiam non modò de Conſulibus (vt liquet ex Seuero Sulpitio) quibus Concilium Mediolanenſe habitum fuit (putà his ipſis Coss. Arbitione & Lolliano) verùm etiam & de menſe prætereà, atque adeò eius Concilij initio finéque. Quicquid ſit, abſque hâc temporariâ Conſtantij conſtitutione (quam *Manſuetudinis* nomine oſtentat, quámque duabus rationibus & tam enixè munit) foret, ſanè publica Epiſcoporum

rum crimina coram iudicibus agitari debuissent. Negari enim non potest, si generaliter & indefinitè ea accipienda est, nouam hanc esse & insolitam constitutionem iuri derogantem, vt verba eius ostendunt, stántque in contrarium constitutiones aliæ. Simili sanè ratione, quadriennio post, idem Constantius in Ariminensi Synodo de Episcoporum criminibus cognosci voluit, teste Sozomeno *lib.4. cap.16.*

¶ His itaque sic constitutis liquet, quantopere errent ij, qui *hâc leg.* potissimùm nituntur, ad eximendos indiscretim Episcopos iurisdictioni secularis seu iudiciis: cùm hæc *lex* & Arriani Principis Constantij, & Catholicorum odio; contrà in Arrianorum fauorem, emissa fuerit. Et quamcunque tandem sententiam è superioribus amplectamur, liquet eam temporariam, & horum temporum circunstantiæ illigatam esse. Et certè non negem, ea quandoque tempora incidere posse, vt Iudicibus sæcularibus cognitio de Ecclesiasticis detrahi possit, & debeat propter nimiam atrocitatem: viceuersâ, Ecclesiastica cognitio secularibus iudiciis tribui, propter nimiam lenitatem. Imò liquet etiam, quàm nihil *hæc lex* ad Hilarij querelam pertineat, hoc etiam tempore posteriorem. Tandem obseruari cupio, *hanc leg.* esse tantùm & signatè de Episcopis: in Clericis proinde aliis, IVS COMMVNE relictum, vt ij apud Iudices seculares accusari possent.

¶ *De* ROMANÆ *Ecclesiæ Clericis*, *eorúmque* PRIVILEGIIS, *Constantij constitutio.*

XIII. * Idem A. & Iulianus Cæs. ad Leontium."

ECCLESIÆ Vrbis Romæ" Clericis concessa † priuilegia firmiter præcipimus custodiri. Dat. IV. Kalend," Nou. Med. Constantio A. IX." & Iuliano Cæs. II. COSS.

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* Extat apud Baronium *Anno* D.357. *n.*69.

"*Leontius* hic Præfectus Vrbis Romæ erat, vt docet etiam Ammianus Marcellinus *lib.*14. *p.*31. & *lib.*15. *pag.*50. & 51. de quo mox plura.

"*Ecclesia Vrbis Romanæ, & Clericis*, ita operarum vitio editum in *Annalibus* Baronij.

† a quo? mox videbimus.

"Aliæ editiones habent *IV. Id. Nou.*

"Referenda hæc lex ad *Constantium A. VIII. & Iulianum C. I. Consules*: id est, ad Ann.356. mox vt ostendam.

COMMENTARIVS.

ROMANÆ, seu Vrbis Romæ, Ecclesiæ Clericorum Priuilegia iam antea concessa, *hac* rursum Constantij *lege*, vt & *seq.prox.* 14. confirmantur seu firmiter CVSTODIRI iubentur: Concessa, inquam, antea, putà à Constantino M. vt eminere non tantùm, quod nullus ante Constantinum Princeps Christianus extitit, qui hæc Priuilegia concessisse potuerit, verùm etiam exertè ostendit *d.lex* 14. *infr. prox. vers. Diui Princip.* Et hæc tamen priuilegia cum Constantini Priuilegio (quod vulgò *Constantini Donatio* audit) commune nihil habent, vbi vt fertur, Reuerendissimis Clericis, & diuersis Ordinibus Romanæ Ecclesiæ seruientibus conceditur, illud ipsum culmen, singularitatem, potentiam & præexcellentiam habere, cuius amplissimus Senatus gloriâ adornari videtur, id est, quibus Patritij & Consules cæteræque Dignitates Imperiales decorantur. Item, vt quemadmodum Imperialis potentia diuersis officiis Cubiculariorum, nempe & Ostiariorum, atque omnium excubiarum ornatur pulchritudinibus, ita & Sancta Romana Ecclesia decoratur. Item, vt Clerici eiusdem Ecclesiæ mappulis & linteaminibus, id est candidissimo colore decoratos equos equitent, & sicut Senatus calceamentis vtitur cum Vdonibus, id est, candido linteamine illustratis, sic vtantur & Clerici: & ita cœlestia sicut terrestria ad laudem Dei decorentur. Hæc, inquam, Donationis Constantianeæ priuilegia, vt tota historia clerat, ita cum iis, de quibus *hâc leg.* & *seq.* agitur, nihil commune habent.

¶ Quænam igitur illa sunt priuilegia Ecclesiæ Vrbis Romæ Clericis concessa? Nempe immunitates singulari priuilegio indultæ, quæ & *l.*14. *prox. seq.* recensentur. Et habuère igitur tum, quæcunque tandem illa sint, priuilegia illa Clerici Ecclesiæ Romanæ à Principum concessione: CONCESSA enim *priuilegia* hæc *lex* vocat, sed & *l prox.* quæ Felici Episcopo Romano disertim inscribitur, hæc verba occurrunt: *Diui Principis, id est, nostri statuta Genitoris multimodâ obseruatione CAVERVNT, vt iidem Clerici compluribus priuilegiis redundarent.* Eodémque pertinet *l.*21. *supr. de extraord. siue sord. muner. Priuilegia*, inquit, *venerabilis Ecclesiæ, quæ Diui Principes CONTVLERVNT, imminui non oportet. Proinde etiam, quæ* [æquè] *circa Vrbis Romæ Episcopum, obseruatio intemerata custodiet.* Denique vt cæterarum Ecclesiarum Episcoporum & Clericorum Priuilegia hæc, humani prorsus instituti ac Principalis indulgentiæ & Beneficij tum fuêre: ita pariter Priuilegia Ecclesiæ Romanæ Clericorum tum extitêre. ¶ In tantum etiam, vt hæc ipsa Priuilegia Clericis Ecclesiæ Romanæ concessa, hoc tempore nonnulli infirmata voluerint, turbato atque immutato tum Ecclesiæ Romanæ statu, Arianis videlicet in ea præualentibus. Nempe cùm Liberius Episcopus Vrbis Romæ, eò quod in Athanasium subscribere nollet, in exilium à Constantio missus fuisset superiore Anno 355. *Arbitione & Lolliano COSS.* vt disertè scribit Seuerus Sulpitius, Leontio Præfecturam Vrbis administrante: vt disertè quoque Ammianus Marcellinus *lib.*15. *p.*40. cui ipsi *hæc lex* inscribitur: Felix contrà, Romanæ Ecclesiæ Diaconus in locum ipsius suffectus fuisset (cui inscribitur *l.prox.*

l. prox. infr.) fide licet Catholicos, attamen cum Arrianis communicantes. Ob hanc igitur Felicis intruſionem, exulante Liberio, (licèt poſteà idem Felix legitimus Pontifex declaratus fuerit,) viſum tum nonnullis ſtare non poſſe ea priuilegia, quæ Catholicæ Eccleſiæ Romanæ conceſſa olim *ſu'as* fuerunt, vt alioquin *Catholicæ* Eccleſiæ priuilegia ad Hæreticos ſeu hæreticis fauentes non pertineant, vt nonnullæ iam *leges huius tit.* docuerunt, docebitque inſuper *lex* 1. *infr. de hæreticis*, quæ & ipſa Conſtantinum M. authorem habet. Verùm Conſtantio alia mens fuit, vtpote Arrianis obnoxio, quique ideò *hâc leg.* præcipit, *Priuilegia Clericis Eccleſiæ Vrbis Romæ conceſſa firmiter cuſtodiri*; non obſtante videlicet eo; quod Felix ab Arrianis electus & ordinatus, & Arrianos miniſtros Eccleſiæ ſeu Clericos ordinaret, eorúmque communione vteretur, atque Catholici in Eccleſiam, dum intus erat, ingredi nollent, teſte Sozomeno *lib.* 4. *cap.* 10. Socrate *lib.* 2. *cap.* 29. Rufino *lib.* 1. *cap.* 22. Theodoreto *lib* 2. *cap* 17. Athanaſio *in epiſt. ad Sol. vit. agent.* Hieronymo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Acacio.* Et hæc quidem hactenus hoc tempore priuilegia Clericorum Eccleſiæ Romanæ fuerunt: poſteà enim, ex longæ conſuetudinis inſtituto, Clerici Eccleſiæ Romanæ hoc priuilegium habuêre, vt nonniſi apud Epiſcopum Romanum conueniri poſſent, priúſque apud eum conueniri deberent, & tum demum ad ſæcularia iudicia trahi poſſent, ſi iuſtas actoris petitiones Epiſcopus eluſiſſet, vel ad condemnationem deuenire non poſſet. Quod priuilegium bis confirmauit Athalarius Rex, ſæculo fermè poſt, apud Caſſiodorum 8. *var.* 24.

¶ Cæterùm referenda eſt *hac lex* ad Conſtantium VIII. & Iulianum I. Coss. id eſt, ad Ann. D. 356. non ad Ann. 357. Leontius quippe, cui *hac lex* inſcribitur, vt Anno 355. Præfectus Vrbis Romæ fuit, Arbitione & Lolliano Coss. (vt liquet ex Ammiano Marcellino *lib.* 15. *p.* 51. eodémque etiam collato cum Seuero Sulpitio) ac Præfectus Vrbis eſſe perſtitit Anno 356. ita ſanè Anno 357. non Leontius, verùm Orphitus Præfectus Vrbi fuit, vt ex eodem Ammiano Marcellino liquet; itémque ex *l.* 25. *de Gladiatorib. ſupra.*

¶ *De* Romanæ *Eccleſiæ Clericorum priuilegiis : putà* Immvnitate *à muneribus ſordidis & extraordinariis, luſtralique collatione, altera Conſtantij Conſtitutio, ad* Felicem *Epiſcopum Romanum data.*

xiv. * Idem A. & Iulianus Cæſ. Felici Epiſcopo."



Mnis à Clericis indebitæ conuentionis iniuria, & iniquæ exactionis repellatur inprobitas: nulláque conuentio ſit circa" eos munerum ſordidorum. Et cùm" negotiatores ad aliquam præſtationem conpetentem" vocantur, ab his vniuerſis iſtiuſmodi ſtrepitus conquieſcet" (Si quid enim, vel parſimoniâ, vel prouiſione," vel mercaturâ" honeſtati" tamen conſciâ" congeſſerint, in vſum pauperum adque egentium miniſtrari oportet: aut" id, quod ex eorundem Ergaſteriis," vel Tabernis" conquiri potuerit, & colligi, collectum id religionis æſtiment" lucrum.) Verùm etiam" ab" hominibus eorumdem, qui operam in mercimoniis habent ¶ Diui Principis," id eſt, noſtri ſtatuta † Genitoris, multimoda obſeruatione cauerunt, vt Idem" Clerici priuilegiis compluribus redundarent: Itaque" extraordinariorum à prædictis neceſſitas adque omnis moleſtia conquieſcat: Ad parangariarum" quoque præſtationem non vocentur, nec eorundem facultates adque ſubſtantiæ. Omnibus Clericis huiuſmodi prærogatiua ſuccurrat, vt coniugia Clericorum, ac liberi quoque & miniſteria (id eſt, mares pariter ac feminæ) eorúmque etiam filij" inmunes ſemper à cenſibus & ſeparati ab huiuſmodi muneribus perſeuerent. Dat. ix." Id. Dec. Med. Lecta v. Kalend. Ian. aput acta. Conſtantio A. ix. & Iuliano Cæſ. ii. coss. [357.]

NOTÆ.

* *Lex* 2. *de Epiſcopis.* Extat apud *Baronium*, ſed decurtata, duabus tantùm prioribus lineis conſignatis Anno 357. num. 69.

"*Felici Epiſcopo*, Romano ſcilicet qui in Liberij locum ſuffectus fuit, vt ad *legem* ſuperiorem iam monſtrum eſt. De quo mox plura. Sic & Valentiniani *lex* 20. *infr. ad Damaſum Epiſcopum Vrbis Romæ.*

"vide ſimiliter *leg.* 15. *prox. infr.* & *l.* 1. *ſupr. de luſtrali collat.* vbi dixi plenè.

"Eſt qui tenet, *competenter.*

"*conquieſcat* : Cod. Iuſt.

"*Mercatura* & negotiatio honeſtati conſcia Clericis permiſſa : de quo ad *tit. de luſtrali collat.*

"*honeſtatu*, ita nonnulli emendant.

"*conſcia*, ita quoque Cod. Iuſt. quidam emendant *conſonam*, vel *congruam* : malè.

"*ad*, Cod. Iuſt.

"De *Ergaſteriis* his priuatis vid. & *l.* 5. *ſupr. de Metatis* : vbi plenè dixi : *l.* 3. *ſupr. de collat. donatar.* de publicis vide *l.* 9. 42. *ſupr. de oper publ.*

"de *Tabernis*, vid. & l. 10. *ſupr.*

"*Exiſtiment* Cod. Iuſt. *æſtimetur*, ita nonnulli emendant.

"*Verùm* etiam hic poſitum, pro *quinimò* : & ſic licet non præceſſerint illa, non tantùm, Quanquam totus hic locus conturbatus, cui medicinam ægrè faciat quis. Alioquin in *Cod. Iuſt.* abeſt vox ſeq. *ab.* An igitur legendum, *vel etiam ab hominibus*, hoc ſenſu? & quæſtum ex ergaſteriis & tabernis Clericorum religioni deputandum, vel etiam quæſtum collectum ab hominibus eorum negotiantibus. Verùm priori ſententiæ adhæreo, præcedentibus, ita vt feci, parentheſi

parentheſi incluſis. Mox ſanè noua ſententia ſequitur. *Diui Principis*, &c. quæ tamen nullo ſatis commodo vinculo ſuperioribus cohæret.

" *Diui Principis Genitoris mei ſtatuta*: ita *Cod. Iuſt.*

† Conſtantini M. hæc conſtitutio, & fortè non vna: memoratur & *l. 5. ſupr.*

" Et hæc vox confirmat nouam ſententiam ab illis verbis: *Diui Principis*, &c. incipiendam.

" Parangariam.

" *Et filia*, hoc additum *Cod. Iuſt.*

" Verba hæc à *cenſibus*, & *ſeparati*, abſunt à *Cod. Iuſt.*

" ✠. VIII.

COMMENTARIVS.

ROMANÆ Eccleſiæ Clericis paria priuilegia, par immunitas, hac alterâ Conſtantij conſtitutione ad Felicem Epiſcopum Vrbis Romæ emiſsâ, tribuuntur, ſeu iterantur: prima enim fuit eiuſdem proximè præcedens. Imò eiuſdem tertium Edictum ante quinquennium fermè extat *l. 10. ſupr.* quâ in vniuerſum aliarum Eccleſiarum per diuerſas prouincias immunitas conceſſa fuit, ad cuius *legis* inſtar, hæc expreſſa eſt; ſic vt ad eam dicta huc arceſſi poſſint. Quinimò & Patris Conſtantini inſuper exemplo, ac nominatum in Immunitate tribuenda ab extraordinariis muneribus. Cuius Conſtantianeæ conſtitutionis fit etiam mentio ab eodem Conſtantio, *l. 8. ſupr.*

¶ Illud notandum, FELICI Epiſcopo *hanc leg.* inſcribi: Cuius occaſione an hoc tempore iam *Liberius* Sedi ſuæ reſtitutus fuerit, ad hanc *legem* quæritur? Sanè narrat Sozomenus *lib. 4. cap. 4.* Epiſcopos Sirmij congregatos literas ad Felicem & Clericos Eccleſiæ Romanæ ſcripſiſſe, vti Liberium reciperent, & ambo pariter Sedem Apoſtolicam adminiſtrarent, communique conſenſu & concordiâ ſacerdotio fungerentur, atque præterita obliuione delerent: ſiquidem vltimis huius Anni diebus Conſtantium Sirmij fuiſſe docent *l. 3. ſupr. de erog. mil. annon.* & *l. 27. ſupr. de appell.* Sed & Ammianus Marcellinus *lib. 16. p. 78.* Quod ſi ita eſſet, tum huius conſtitutionis recentandæ hæc occaſio ſiue cauſa fuerit, quod reſtituto iam Liberio in Epiſcopatum Romanum à Conſtantio, quamlibet Felice ipſummet Epiſcopatum iam adminiſtrante, dubitari cœpit, verum priuilegia Clericis Romanis conceſſa ad Felicianos quoque pertinerent, non modò ad Liberianos. Hinc itaque *lex* hæc apud Acta quoque lecta fuerit; *apud Acta*, inquam, Ciuilia Romæ Præfecturæ Vrbanæ, *argum. l. 13. ſupr. prox.* quæ & ipſa eodem pertinet, quò hæc. Quod ſi ita eſt, rurſus hîc obſeruandum fuerit, ſi quando extra ordinem duo Epiſcopi eiuſdem Eccleſiæ eſſe permitterentur, iiſdem vtroſque priuilegiis & honoribus eorúmque Clericos fruituros: Quanquàm aliàs *iure Canonico*, neque in vna Ciuitate duo eſſe poſſent Epiſcopi, (vt docet *Can. Nic.* 8. Sozomenus *lib. 4. cap. 15.* Auguſtinus *epiſt.* 110. Pacianus *epiſt. ad Sympronianum.* Ado *in Chronico Ann.* 810.) & ſi quando duo eſſent, vnus Epiſcopi tantùm nomen & honorem ſine re & poteſtate obtineret; id eſt, ordinare non poſſet; vt docet quoque *d. Canon* 8. *Nicanus.* Ita de Meletio conſtitutum in Concilio *Nicano*, teſtatur eiuſdem Concilij Synodica epiſtola, apud Theodoretum *lib. 1. cap. 9.* ſic de Euſtatio conſtitutum in Concilio *Epheſino*, vt docet epiſtola Synodica, inter *acta Epheſini Concilij*, & apud Zonaram & Balſamonem.

¶ Verùm hæc inania ſunt. Imò contrariũ veriſſimum; nempe Liberium hoc tempore Sedi ſuæ nondum reſtitutum fuiſſe. Nam ſi id tantùm *h. l.* ageretur & definiretur, reſtituto quamlibet Liberio, ad Felicianos quoque immunitatem Eccleſiaſticam pertinere, tum id hactenus ſtatueretur, neque immunitatem tam longa pagina retexeretur. Quare veriſſimum, Liberio adhuc deſtituto, *hâc lege*, ne quis dubitaret repetitas has immunitates, & quidem ſigillatim. Et certè cùm *Sirmienſi* demum Synodo Liberius Sedi ſuæ reſtitutus fuerit, nonniſi Anno proximo 358. reſtitutus is fuit, quo ea Synodus habita, cum ibi Conſtantius Imp. ageret. Enimverò, cùm Conſtantius hoc Anno 357. Vrbe Româ digreſſus initio adhuc menſis Decembris Mediolani conſtitiſſet, vt docet *lex 5. ſupr. de Maleficis & Mathem.* & hæc ipſa *lex*; extremo demum menſe Decembri poſt *hanc leg.* Sirmium peruenit, vti docet ſubſcriptio *legis 27. ſupr. de appellat.* Exinde integro Anno 358. & medio fermè 359. Sirmij conſtitit: de quâ alioquin Conſtantij morâ Sirmij, Marcellinus quoque *lib. 16. p. 78.* Ibi igitur conſtituto Conſtantio, & Sirmienſis illa Synodus habita fuit, Anno D. 358. (quæ longè alia eſt ab illâ quæ habita aduerſus Photinum Anno D. 357. vt diſertè ſcribit Socrates *lib. 2. cap. 14* & Sozomenus *lib. 4 cap. 5.* in quibus tamen diſcernendis Baronio aqua hæſit.) Et in illâ verò Synodo Sirmienſi tandem Liberius, Oſiúſque [illegible] euicti fuêre, & exinde iam vterque Epiſcopatui ſuo reſtitutus. Quod ad Ann. D. 358. referendum rectè vidit Baronius, *in Ann. 357. n. 68.* Quod exinde quoque Secundo argumento patet, quod Athanaſius *Apol. 2. p. 165.* & *epiſt. ad Solitar. vit. agent. p. 647.* Liberium poſt biennium exactum in exilio, (& ſic tertio exilij anno) reſtitutum ſcribit. In exilium porrò miſſus Liberius Arbitione & Lolliano Coss. id eſt, Anno D. 355. Seuero Sulpitio *lib. 2. ſacræ hiſtoriæ* teſte; quo tempore Leontius Præfecturam Vrbis adminiſtrabat; ait Marcellinus *lib. 15. p. 40.* ad quem Leontium P. V. extat Conſtantij Imp. conſtitutio Anno D. 356. putà proximè præcedens *lex 13. ſupr. hoc tit.* quâ & ipsâ Eccleſiæ Vrbis Romæ Clericis conceſſa priuilegia firmiter cuſtodiri præcipiuntur. Tertium addatur & hoc argumentum: quod Oſius à Conſtantio Sirmij Anno integro detentus, póſtque eum Arianæ fidei aſſenſus dicitur ab Athanaſio *ad ſolitar. vitam agent. p. 651.* Porrò Conſtantio Sirmij conſtituto, hæc facta ait diſertè Philoſtorgius *lib. 4. hiſtor. Eccl. cap. 3.* pariter vt Sozomenus *lib. 4. cap. 14.* At minus exactè Theodoretus *lib. 2. cap. 17.* hæc Conſtantio Romæ poſito eueniſſe indicat. Cæterùm, quod antea oſtendi, Conſtantius Sirmium venit, poſt hanc demum *legem*. Ergo Liberius non ante Annum 358. Sedi ſuæ reſtitui potuit; non verò Anno 357. quo adhuc hæc *lex*, & quidem fine Anni ad *Felicem* data eſt: Quod ex *hac leg.* Quartum iam & validiſſimum argumentum eſt; Liberium videlicet hoc tempore nondum Sedi ſuæ reſtitutum fuiſſe; verùm pulſo Liberio & in exilio exiſtente *hanc legem* datam ad *Felicem*. Poſtremò certiſſimum, Liberium & Felicem non eodem tempore Sedem Romanam & coniunctim tenuiſſe: quamdiu enim Felix Sedem tenuit, Liberius abdicatus

dicatus fuit: contrà, ex quo Liberius Epiſcopatum reperiit, & Felicem oppreſſit: quandoquidem quod Hieronymus *Chronico*, & Marcellinus aiunt, *victor Romam ingreſſus eſt.*

¶ *Aduerſus* IMMVNITATEM *Eccleſiarum & Clericorum Conſtantij conſtitutio.*

XV. * Idem A. & Cæſ. ad Taurum PF. P.''



N Ariminenſe'' Synodo, ſuper Eccleſiarum & Clericorum Priuilegiis tractatu habito, vſque eò diſpoſitio'' progreſſa eſt, *Vt iuga quæ videntur'' ad Eccleſiam pertinere, à publicâ functione † ceſſarent,'' inquietudine deſiſtente*: Quod noſtra videtur'' dudum ſanctio repuliſſe. ¶ Clerici verò, vel hi quos *Copiatas* recens vſus inſtituit nuncupari, ita à ſordidis muneribus debent immunes, adque à conlatione'' præſtari, ſi exiguis admodum mercimoniis tenuem ſibi victum veſtitúmque conquirent: Reliqui autem, quorum nomina negotiatorum matricula'' conprehendit eo'' tempore quo conlatio celebrata'' eſt, negotiatorum munia & penſitationes'' agnoſcant: quippe'' poſtmodum'' Clericorum ſe cœtibus adgregarunt. ¶ De * his ſanè Clericis qui prædia poſſident, Sublimis Auctoritas Tua non ſolùm eos aliena iuga nequaquam ſtatuet'' excuſare, ſed etiam his'' quæ ipſi poſſident, eoſdem ad penſitanda fiſcalia perurgueri: Vniuerſos namque Clericos, poſſeſſores dumtaxat, prouinciales penſitationes fiſealium'' recognoſcere iubemus: Maximè, cùm in Comitatu'' Tranquillitatis Noſtræ alij Epiſcopi, qui de Italiæ partibus'' venerunt, & illi quoque, qui ex Hiſpaniâ adque Africâ commearunt, probauerint, id maximè iuſtè'' conuenire, vt præterea'' iuga & profeſſionem'' quæ ad Eccleſiam pertinet,'' ad vniuerſa munia ſuſtinenda tranſlationéſque'' faciendas, omnes Clerici debeant adtineri. Dat.'' epiſtola'' Prid. Kalend. Iul. Med. Conſtantio A. x. & Iul. I V.'' Cæſ. COSS. [360.]

NOTÆ.

* Abeſt & *hæc lex* à *Cod. Iuſt.* eam omiſit Baronius *in Geſtis huius Anni* 360 quanquam eam referat *A.* 359. *n.* 53. Hanc perſtringere mihi videtur Valentinianus Sen. *l.* 18. *infr.* prælatâ *l.* 16. *infr.*
''Italiæ. Atque hic idem Taurus eſt, qui Ariminenſi Concilio ſuperiore Anno præfuerat: de eo vid *Proſopogr.*
'' pro, *In Ariminenſi. Ariminenſis* Synodi fit altera *hoc Codice* mentio, *l. vlt. ſupr. de fide Cathol.* vbi dixi. Habita porrò ea Synodus ſuperiore Anno 359. Euſebio & Hypatio COSS.
''*Diſpoſitio* hîc eſt, quod in Synodo inter Patres definitum eſt, vt ab Imperatore poſtularetur: cuiuſmodi diſpoſitiones complures in Conciliis Africanis. Denique diſpoſitio eſt conuentio Synodalis ſuper rogando Imp. atque impetranda ab eo re aliqua; *Sanctio* verò (vt mox vocatur) Imperatoris ad eam reſponſio.
''id eſt. quæ pertinent.
''immunia eſſent.
''id eſt, reppulit.
† Conſtitutio hæc Conſtantij obſeruanda, quæ hic memoratur: neque alibi occurrit.
''Luſtrali, &c.
''Nota, Matriculam negotiatorum certam fuiſſe: vt ita ſciretur, quinam luſtralem collationem præſtare deberent.
''vt ſimiliter, *l.* 14. *ſupr.* dixi plenè ad *l.* 1. *ſupr. de luſtrali collat.*
''An *celebranda?* An *celebrata eſt*, pro *celebratur?* Non: Celebrata eſt; nuper ſcilicet. Nam ita locus hic interpungendus, *matricula comprehendit eo tempore, quo conlatio celebrata eſt.*
''Siliquaticum, luſtralem, &c.
''*&. quique.*
''Poſt nuperam luſtralem collationem.
* *Lex* 3. *Cod. de Epiſcopis.* ''permittet. ''Eorum nomine.
''*tranſlationéſque faciendas recognoſcere iubemus*. ita *Cod. Iuſt.* ex *fin. leg.* cæteris reſecatis. De Tranſlationis autem munere dicam plenè ad *legem* 40. *infr. hoc tit.*
''Conſtantinopoli.
''*Partes* Italiæ, vide *Gloſſarium*: & *Orbis Romani deſcriptionem ex Cod. Theod.*
''Iuſtitiæ.
''*Præter ea*: ita diuide.
''*Profeſſio*: de re ipsâ profeſſâ apud cenſum.
''*Pertinent*, quanquam & *Pertinet* ſuſtineri poteſt, propter ſuperiorem vocem profeſſionem.
''vid. *l.* 40. *infr.*
Data pro Reddita Mediolani, vbi ſcilicet Præfectus Prætorio Italiæ conſiſtebat: at Conſtantius in Oriente verſatur.
''Hæc vox abeſt à *Pariſ.* editione. In *Cuiaciana* & *Tiliana* extat: vide, quæ dixi ad *legem* 12. *ſupr.*

COMMENTARIVS.

DE IMMVNITATE Eccleſiarum & Clericorum eſt hæc rurſum Conſtantij *Epiſtola*, quæ vel eò maximè ſingularis eſt, quod ad Ariminenſis Synodi hiſtoriam, (de qua etiam agitur *l. vlt. ſupr. de fide Cathol.*) atque ad ea, quæ eam Synodum proximè ſecuta ſunt, pertinet, quæ alioquin partim nuſpiam memorantur.

¶ Primùm ex *hâc lege* liquet, in Ariminenſi Synodo non tantùm tractatum habitum de fide, vel etiam de cauſis Epiſcoporum (quod alioquin in eâ tractari voluit Conſtantius teſte Sozomeno *lib.* 14. *cap.* 16.) verùm etiam tractatum habitum in eâ

eâ de Priuilegiis Eccleſiarum & Clericorum, ac nonnulla ſuper his diſpoſita, ad Principem Conſtantium perlata, nempe de Eccleſiis & Clericis in vniuerſum pleniſſima immunitate; etiam à ſolitis & ordinariis functionibus & tributis donandis.

Secundò ex *hâc lege* liquet, Conſtantium hanc Ariminenſis Synodi diſpoſitionem ſanctione ſua ſtatim repuliſſe. Voluit itaque Conſtantius, Eccleſias, etſi ab extraordinariis muneribus & tranſlationibus immunes eſſent (vt ex *fine leg.* etiam liquet;) attamen à Canonicis & Ordinariis immunes non eſſe: quod idem Honorio placuit: *l.80. infr.* vbi dicam pleniùs: Adeò, vt id etiam in Metropolitanis Eccleſiis obtinuerit, veluti Theſſalonicenſi, *l.33. ſupr. de annona & tribut.* De *Clericis* verò hæc Conſtantij mens eſt, vt non tantùm Canonica, verùm etiam extraordinaria agnoſcant, veluti tranſlationem, itémque luſtralem collationem, aliáque negotiatorum munera & penſitationes: quorum eo fine certa quædam matricula confecta fuit, quique poſtmodum Clerici facti operam mercimoniis addixêre. Verùm hanc *legem* hac parte poſteà ipſe vltimo tempore abrogauit, *l.16. infr.* quam hâc proſtitutâ confirmat Valentinianus Sen. *l.18. infr.*

Tertium id obſeruetur, poſt Ariminenſem Synodum, certam Clericorum negotiantium matriculam factam, vt ita negotiatorum penſitationes agnoſcerent. Excepti tantùm Clerici & Copiatæ, exiguis admodum mercimoniis tenuem ſibi victum, veſtitúmque conquirentes: quæ Tertia Conſtantij poſtremáque ſententia hac parte fuit; vt iam notaui ad *leg.10. ſupr.* Sed & Honorij *l.36. infr.*

¶ Quartò obſeruetur, quòd *hâc lege* dicitur, de Epiſcopis, qui ad Comitatum Conſtantij venerunt ex partibus Italiæ, vt & de Epiſcopis qui ex Hiſpania & Africa eodem commeatum. Quod vtique non pertinet ad Legatos, qui ex Ariminenſi Synodo ad Conſtantium miſſi fuêre; & quidem deni à Catholicis, deni ab Arrianis: Hi enim ſuperiore Anno miſſi ad Conſtantium, & quidem à Synodo fuêre, (de quo videndus Seuerus Sulpitius *lib.2. ſacr. hiſtor.*) Atenim hi, quorum *hâc leg.* mentio fit, hoc Anno recenter ad Comitatum Conſtantij commearunt, neque à Synodo miſſi fuêre, verùm Italiæ partibus, item ex Hiſpania & Africa commeantes. Quod cum perpendo, atque nullam *Gallorum* mentionem fieri video, in eam adducor ſententiam, cùm totus iam Orbis ingemuiſſet, atque Arianum ſeſe eſſe miratus eſſet, poſt Ariminenſis Concilij exitum, quod nominatim ſcribit Hieronymus *aduerſus Luciferianos*, atque in Arrianam prauitatem, Italorum, Afrorum, Hiſpanorum plerique, etiam Oſius ille Cordubenſis, conceſſiſſent, atque Arimini geſta confirmaſſent, eo iam nomine Epiſcoporum legationes ex illis partibus ad Conſtantium commeaſſe, & Conſtantinopolim ad Imperatorem concurriſſe: quod etiam teſtatur Seuerus Sulpitius *lib 2. ſacræ hiſtoriæ.* Solæ Galliæ piaculo hæreſis liberatæ fuêre, Hilarij beneficio, vbi frequentibus intra Gallias Conciliis, atque omnibus ferè Epiſcopis de errore profitentibus apud Ariminum geſta condemnata fuerunt, & in ſtatum priſtinum Eccleſiarum fides reformata fuit; qui idem Hilarius alioquin ante Ariminenſe Concilium edito ad Gallos *de Synodis* Commentario, eos à dolis hæreticorum cautos reddidit. Quinimò & iidem Galli fidem ſuam teſtatam Hilario paulò ante reddiderant, idémque de eorum conſtantiâ gratulatur. Hæc igitur cauſa eſt, cur nulli hîc de Gallia Epiſcopi memorentur, vtpote qui in fide ſanâ ſani manſêre. Proculdubio enim & Epiſcopi, quorum *hâc lege* mentio fit, Arriani fuêre, atque hæc *lex* ſeu *Epiſtola* in fauorem Arrianorum emiſſa, obſiſtentium Catholicorum diſpoſitioni ſeu poſtulationi de pleniſſima immunitate concedenda Eccleſiis & Clericis. Et quidem emiſſa hæc Epiſtola *ad Taurum Præfectum Prætorio*, qui ipſi Ariminenſi Synodo Anno ſuperiore, iuſſu Conſtantij, præfuerat, vt liquet ex Seuero Sulpitio *lib 2.* Itémque ex Epiſtola præuaricatorum Epiſcoporum in Synodo Ariminenſi ad Conſtantium, inter Hilarij *fragmenta*, *lib.2. pag.36. 37.* Item ex Hieronymo *aduerſus Luciferianos*: Cuius Tauri Præfecti Prætorio artes commemorat idem Seuerus Sulpitius ad frangendam Catholicorum conſtantiam.

¶ Duo porrò ad *hanc legem* adhuc obſeruanda: Primò, *huic legi* coniungendam videri *legem 2. ſupr. de luſtrali collatione*, quæ hoc ipſo tempore accepta, & ad eundem Taurum emiſſa fuit. Sanè in eodem argumento de luſtrali collatione, de quo, *hac lex* verſatur. Secundò de *Copiatis* obſeruandum; *Primùm*, eos ſeparati *hâc lege* à Clericis; cùm tamen aliàs *Clericorum* numero cenſeantur, Conſtantij conſtitutione ad eundem Taurum P.P. data: putà *l.1. d. tit. infr. de luſtrali collatione.* Secundò recentem eorum vſum hoc tempore fuiſſe. Vt hæc duo ex *hâc lege* obſeruanda ſunt; ita de his quid fuerint in vniuerſum, videndum eſt: *Copiatæ* igitur, quorum *hâc lege*, & *d. l.1. ſupr. de luſtrali collatione*, fit mentio, erant qui occupati infauſtis Defunctorum obſequiis dicuntur, & à Clericis diſertè diſtinguuntur *l.12. ſupr. de Veteranis.* Epiphanius *fine lib.3. aduerſus hæreſes, p.465.* Κοπιαταὶ οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τῶν κεκοιμημένων, Gloſſæ Philoxeni. *Biſpelliones* νεκροθάπται, Κοπιᾶται. Horum officium ita quoque deſcribit Hieronymus *Epiſt.43. Clerici, quibus id officij erat, cruentum linteo cadauer obuoluunt, & foſſam humum lapidibus conſtruentes ex more tumulum parant*: de his vide & *Nouellam Iuſt 59.* Verùm de his pleniſſimè ad *d.l.1. ſupr. de luſtrali collatione*: vbi eorum quoque errorem profligo, qui Clericis eos annumerant; imò cum Iuuenibus, quorum mentio *leg.10. ſupr*, eoſdem ſuſpicati. Vide & Epiphanium *hæreſi 76.*

¶ *De* IMMVNITATE *Clericorum vbicunque conſtitutorum à muneribus perſonalibus & extraordinariis : Conſtantij, circa vltima vitæ ſuæ tempora, Conſtitutio.*

XVI. * Idem AA. ad Antiochenſes.ª

IN quâlibet Ciuitate,ᵇ in quolibet Oppido, Vico,ᶜ Caſtello,ᵈ Municipio, quicumque, voto Chriſtianæ legis,ᵉ meritumᶠ eximiæ ſingulariſque virtutis omnibus intimauerit, ſecuritate perpetua potiatur : *Gaudere enim & gloriari ex fide ſemper volumus : ſcientes, magis Religionibus, quàm officiis & labore*ᵍ *corporis, vel ſudore, noſtram Rempublicam contineri.* Dat. XVI. Kalend. Mart. Antiochiæ,ʰ Tauro Florentio COSS. [361.]

NOTÆ.

* Abeſt *hæc lex* à *Cod. Iuſt.* Canonizata extat 23. q. 8 *cap. in qualibet* 23. ſed perperam ; quod in *Gratiano* emendandum, ſub *Conſtantini & Conſtantis* nominibus. Retulit eam & Baronius *Anno* 361. *num.* 14 15. verum ut habetur in *Decreto*, non (quod par erat) ut hic legitur. Hanc etiam indicare & confirmare mihi videtur Valentinianus Sen. *l.* 18. *inf.* abrogatâ *l. ſupr.* 15 *ſupr.*

ᵇ Nota diuerſitatem Ciuitatis, Oppidi, Vici, Caſtelli, Municipij: *hâc leg.* & *l.* 13 *ſupr. de Deſertor. l.* 3. *ſupr. de conlat. donat.* vbi dixi. Vide & *Orbis deſcript. ex Cod. Theod.*

ᶜ De *Vicanis* Eccleſiis & Clericis agitur quoque *l.* 33. *infr.* ἀγροικοὶ ποροικίας ἢ ἐγχώριοι, *can* 7. *Chalcedon.* quomodo Presbyteri in his ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι, *can.* 13. *Neocæſ.* ἐν ταῖς χώραις *can* 8 *Antioch.* Εκκλησίαι κατ' ἀγρὺς ἢ κώμας Syneſio *epiſt.* 11. κωμῆται, *epiſt* 67. Vide & quæ dicam ad *leg. vlt ſupr. de patrec vicor.*

ᵈ *Caſtella* diuerſa non tantùm à Ciuitatibus, verùm etiam ab Oppidis, Vicis, & Municipiis. In hoc tamen conueniunt, quod in his quoque fuêre Eccleſiæ & Clerici: Iuſt. *Novella* 28. Πιτυοῦς ἢ Σεβαςόπολις ἐν φρουρίοις μᾶλλον ἀριθμοῦνται ἢ πόλεσι: id eſt, *Pityus & Sebaſtopolis inter Caſtra potius quàm Vrbes numeranda ſunt.* Κώμην, qui alioquin *vicus* eſt, ferè ſemper reddit *Noui Teſtamenti* Interpres, *Caſtellum.* Vide Bertet. 1. *Pithan.* 6. *p.* 72.

ᵉ *Religionis*, in Decreto, *d. c.* 23.

ᶠ Eodem ſenſu publici laboris actus, *l.* 36. *infr.* capite cenſi, *l.* 26 *infr.*

ʰ Conſtantius ingraueſcente hyemis magnitudine ex Procinctu Perſico hyematurus Antiochiæ, rediit in Syriam fine Anni ſuperioris, teſte Ammiano Marcellino *lib.* 20 *p.* 191. qui idem geſta ab eo tum & hoc Anno Antiochiæ perſequitur, *lib.* 21. *p.* 199. & 200. vide & Socratem *lib.* 2 *cap.* 34. 35. & 37. vide plura *in Chronico Theodoſ.*

COMMENTARIVS.

IMMVNITAS, à ciuilibus videlicet & perſonalibus muneribus & extraordinariis Clericorum, hoc Conſtantij Edicto ad Antiochenſes ſcripto ſancitur : ita quidem, vt *omnibus* Clericis eam immunitatem tribuat, *vbicunque conſtitutis*, id eſt, non modo, ſi in ciuitatibus aut municipiis, verùm etiam, ſi in oppidis, vicis (de quibus dixi iam in Notis) Caſtellis, (de quibus vide & *leg.* 33. *infr.* & quæ *ibi* dicam,) fuerint. Nempe ſicut Clerici, cuiuſcunque Ordinis & loci hac immunitate fruuntur, perinde atque primi Sacerdotum ſeu Clericorum, *l.* 7. *ſupr.* & *l.* 24. *infr.* ita & in quocunque loco deſeruientes eâdem immunitate frui debent, non habitâ ratione loci, magnúſne ille ſit, aut exiguus. Eadem quippe ſemper Religionis ratio & priuilegium ſubeſt : idem Clericatus fauor, à quo ad officia & labores corporis, vel ſudores, Clericos abduci non oportet : & vt ipſe Conſtantius *hic* profitetur, *Quia magis Religionibus, atque adeò Clericatus miniſterio, quàm officiis & laboribus vel ſudore Reſpublica continetur* : ac ſi diceret, tantùm abeſt hac immunitate Reipublicæ vtilitati quicquam detrahatur, & ſic muneribus publicis ; vt contrà hæc ipſa immunitas Clericis tributa (quo magis diuino miniſterio deſeruire poſſint) Reipubl. plus commodet & proſit: Quinimò addit Conſtantius, quæ religioſum eius animum arguunt ; *ſatius eſſe gaudere & gloriari ex Fide.* Vbi *Fidei* appellatione Conſtantius intelligit, non ipſa Religionis Chriſtianæ myſteria, verùm eius miniſterium & exercitium. Nempe hoc iam ſeculo *Fidei* appellatio ad officia quælibet religioſa trahi cœpit. Quomodo Hieronymus *partem fidei* appellat inſpectionem locorum ſanctorum. Quod igitur Conſtantius profitetur, *gaudere & gloriari ſe velle ex fide ſemper*, non ad puri cultus fideique Catholicæ deuotionem in huiuſce *legis* ſpecie pertinet, verùm ad augeſcentem in dies multitudinem & magnificentiam Eccleſiarum & Eccleſiis deſeruientium, non modò per Ciuitates, Oppida, Municipia : verum etiam per Vicos ipſos & Caſtella. Hoc illud ſcilicet eſt huiuſce ſæculi *gaudium*, hæc propria quædam *gloria.* Nam ſi fidei Catholicæ puritatem ſpectes, nulla fortè tempora magis piaculo hæreſeos inquinata reperias, quando & ipſe Conſtantius à fide Catholica deſciuerat, & totus fermè Orbis Arianum ſe eſſe miratus eſt.

¶ Et hæc quidem eſt *huiuſce legis* ſententia, quam Baronius non adeò cœpit, cùm putauit pro Chriſtiana Religione ipſa in vniuerſum hanc *legem* à Conſtantio emiſſam. Quod arguunt duo, *hâc leg.* Primum enim *meritum eximia ſingulariſque virtutis*, hâc lege : itémque *Votum Chriſtianæ legis* non eſt Chriſtianæ Religionis aut fidei profeſſio, verùm Clericatus profeſſio ſeu πολιτεία & conuerſatio Clericalis, quàm ὑψηλὴ πολιτεία Gregorius Nyſſenus *variis locis* vocauit. Latini Scriptores vocant *ſublimius propoſitum*, (contra Laici diconitur *inferioris propoſiti*, apud Diuum Auguſtinum:) Probabilis ſæculo diſciplina vocatur *l.* 44. *infr.* Imò & *Chriſtiana lex* & *Chriſtianitas*, propriè de Clericatu dicitur, vt etiam alibi docui. Secundò id ipſum euincit; priuilegium, quod *hâc leg.* tribuitur: quod ſanè non omnibus Catholicis Chriſtianis tributum fuit, ſed Clericis tantùm, purà *ſecuritas perpetua* ab officiis & labore corporis & *ſudore*: id eſt, immunitas à muneribus publicis extraordinariis. Hæc enim *ſecuritatis perpetuæ* appellatione intelligenda ſunt. Et verò tandem hace illam

omniò

omninò esse existimo Constantij circa vltima vitæ suæ tempora sententiam & constitutionem, quam Valentinianus Sen. posteà confirmauit, *l.18. infrà.*

Est porrò *hac lex*, pariter vt *lex 33. infr.* eò notabilis, quod ostendit Ecclesias & Clericos fuisse non tantùm in Ciuitatibus, sed & in Vicis, &c. Sic & Vici sua fora habuêre, teste Paulo 4. *sent.6.* suos Magistros literarum, *l.a.* ꝟ. *de vocat.muner.* legata etiam non minùs quam ciuitates capere poterunt, *l.73.* ꝟ. *de legat.* In his qui Clerici essent, eos quidam χωρεπισκόπους aut περιοδευτάς dictos putant, qui Episcopo Ciuitatis respondebant, sub qua vici erant, *d l.33. infr.* Verùm de eo nos accuratiùs alibi.

¶ *De non* ORDINANDIS *Clericis plebeiis diuitibus, Valentiniani Sen. constitutio.*

XVII. * Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Byzacenos."

PLEBEIOS" diuites ab Ecclesia" suscipi penitùs arcemus. Dat. IV. Id. Septembr. Aquil." Diuo Iouiano & Varroniano COSS. [364.]

NOTÆ.

* Abest *hac lex* à *Cod. Iust.* Omissa quoque à *Baronio.* Iungenda illi est *lex 59 supr. de Decurion.* & vt videtur *lex 60. supr. de Decurion.* & *l.9 supr. de petition.* itémque *l.3. supr. de conlat. fund patrim.* Quod tamen non assero. Concordant verò huic *lex 5. & 6 supr.*

"Byzacena Prouincia Africæ fuit, de quâ vide *Orbis Romani descriptionem ex Cod. Theod.*

"*Plebei*, opponuntur Curialibus (de quibus *d l.59.*) *hâc leg.* & *l.3. in princ* ꝟ. *de testibus* : & *l 5 supr de Nauicul.*

"id est, Clericos fieri : pari sensu, *d.l.59. partes eligere Ecclesia*, est Clericum fieri.

"Posteaquam Valentinianus & Valens Palatia sua iam diuisissent, Valentinianus Mediolanum, dein Aquileiam concessit hoc Anno : vide *Consular. Theodosiana.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris quinque de Clericis constitutiones sequuntur. De Ordinatione eorum, est *hac lex*, & *l.21. infr.* de priuilegiis eorum *lex* 18. de vita & honestate, *lex* 20. & 22. Et igitur *hac lex* de ORDINATIONE Clericorum : Nempe, ne promiscuis Clericorum ordinationibus, atque adeò immunitatis Ecclesiasticæ obtentu, munia publica, itémque nerui Reipublicæ attererentur, inter hæc Imperij sui initia Valentinianus Senior enixè prouidendum credidit, *hâc leg.* & *l.59. supr. de Decurion.* (quæ *huic* coniungenda est ceu pars eiusdem constitutionis:) Proinde duo *his legibus* constituit. *Primò*, ne Curiales, Clerici fieri possint, nisi alterutro ex his duobus facto, vel aliquam propinquo pro se Curiæ substituto, eíque bonis suis cessis, vel bonis penes Curiam relictis, quæ sententia est *dict. l.59.* Hoc scilicet remedio Curiis prospectum voluit Valentinianus ; & nihilominus Clericatus voto non intercedere, quod & ipsum Constantio quadamtenus visum fuerat *l.49. supr. de Decurionib.* Cùm antea Constantinus M. Curiales Clericos fieri indistinctè prohibuisset, *l.3. & 6. supr.* & post Constantium Iulianus Apostata Decuriones, qui vt Christiani, id est, Clericatus obtentu munia Curiæ declinauerant, reuocari iussisset, *l.50. supr. de Decurionib.* & *l.4. supr. de lustrali conlat.* quam in rem est *Epistola* Iuliani ipsius ττ. de qua & *paulò post* : Proinde hoc proculdubio Iuliani Apostatæ factum recentandæ huius constitutionis Valentiniano causam præbuit, simul & consulendi Curiis & muneribus publicis. Decurionibus primùm ad Clericatum admissis, sub eo, quod dixi, temperamento, proximè ad Constantij mentem, *d. l.49. supr. de Decurion.* & quidem quod notandum est, emissâ constitutione ad Byzacenos, quæ Africæ Prouincia est Consularis.

¶ *Alterum* est, & quidem huius capitis seu *legis* proprium, quod *Plebeios* diuites ab Ecclesia suscipi, id est, Clericos fieri, non iam sub quodam temperamento, vt Decuriones, sed penitus prohibeat. Quæ & ipsa sententia fuit Constantini M. *d l.3. & 6. supr. hoc tit.* ad quas dixi. Vbi etiam huius rei elegans ratio assignata fuit. De PLEBEIS sub diuitibus nominatim hoc statuit Valentinianus *hâc leg.* ad discrimen eius, quod altero capite de Decurionibus diuitibus statuit *d. l.5.* quæ huic, vt dixi, coniungenda est. *Plebei* scilicet Decurionibus opponuntur *hâc leg.* & *l.3. in princ.* ꝟ. *de testibus*, & *l.5. supr de Nauic.* & sic Plebei erant, qui non Decuriones erant in municipiis.

¶ Alio verò iam fine cautum *canone* 13. *Sardicensi*, ne fortè DIVITES aut Scholastici de foro, aut Administratores, *Episcopi* ante ordinarentur, quàm Lectoris munere & officio Diaconi aut Presbyteri fuissent perfuncti.

¶ *De* PRIVILEGIIS *Clericorum, à Constantio Imp. vltimo vitæ suæ tempore indultis, sub Iuliano verò abrogatis, restituendis: Valentiniani Sen. Constitutio.*

XVIII. * Idem AA." ad Claudium Proc. Afric."

QVAM vltimo tempore Diui Constantl" sententiam fuisse claruerit, valeat: Nec ea in adsimulatione" aliqua conualescant," quæ tunc" decreta vel facta

abrogatâ: de quo insignis extat locus & querela Basilij Cæsariensis *epistola* 179. ad eundem Modestum Præfectum Prætorio, quem suprà laudauimus ad *l.* 10. De Modesto verò hoc, plenè in *Prosopogr.*

¶ *De* Vita, Honestate, Conversatione *Ecclesiasticorum & Continentium: Valentiniani Sen. Constitutio ad Damasum Episcop. V. R. Lecta in Ecclesiis Vrbis Romæ.*

XX. * Imppp. Valentinianvs, Valens & Gratianus AAA. ad Damasum Episc. Vrbis Rom.

Ecclesiastici, aut ex Ecclesiasticis,'' vel qui *Continentium*'' se volunt nomine nuncupari, viduarum,'' ac pupillarum domos non adeant: sed publicis exterminentur iudiciis, si posthac eos ad fines'' earum vel propinqui putauerint deferendos.'' ¶ Censemus etiam, vt memorati'' nihil de eius mulieris, qui se priuatim sub prætextu religionis adiunxerint, liberalitate quacumque, vel extremo iudicio, possint adipisci: & omne in tantum inefficax sit quod alicui horum ab his fuerit derelictum; vt nec per subiectam'' personam valeant aliquid, vel donatione, vel testamento percipere. Quin etiam si fortè post admonitionem legis nostræ aliquid hisdem ex feminæ, vel donatione, vel extremo iudicio, putauerint relinquendum, id fiscus vsurpet. ¶ Ceterùm, si earum qui'' voluntate percipiunt, ad quarum successionem, vel bona, iure ciuili, vel Edicti beneficiis adiuuantur,'' capiant vt propinqui. Lecta in Ecclesiis Rom. IV. Kalend. Aug. Valentiniano & Valente III. AA. coss. [370.]

NOTÆ.

* Abest *hac lex* à *Cod. Iustin.* de causis mox viderimus. Eam verò posteà abrogauit, Martianus Imp. *Nouellâ de testam. Cleric. vltim.* Eandem retulit Baronius *Anno* 370. *num* 117 cuiùque occasione multa obiicit *num* 118.119.120. 121.122.123.

''id est, *ex Ecclesiasticis nati*, liberi Ecclesiasticorum. An verò vnâ voce, *Ecclesiasticis*? Minimè.

''*Continentes* hâc lege qui sint? mox viderimus.

''vide Ambrosium 1 *officior.* 20.

''Si legamus separatim, *ad fines*, & sic, pro *ad domos, ad limina*; tum hic sensus fuerit, Non excusari Ecclesiasticos, aut Continentes, adeuntes domos viduarum & pupillarum, etsi propinqui earum eos eò deduxerint: Si verò legamus, *adfines*, vnicâ voce, quod Viris doctis magis placet, tum hic sensus fuerit, *deferentibus*, id est, accusantibus Propinquis & Adfinibus huiusmodi Ecclesiasticos & Continentes à Iudicibus secularibus puniri & exterminari. Quæ interpretatio & mihi magis placet; eámque etiam probat *l.* 28 *infr.*

''id est accusandos, vt superiore *notâ* dixi.

''Ecclesiastici videlicet, aut ex Ecclesiasticis, vel Continentes.

''Fiduciarij tacitam fidem interponentis, & sic tacito fideicommisso in fraudem sanctionis, de quo *l.* 27. *infr.* & locus Hieronymi *ad Nepotianum*: quem mox proponam.

''*al. quid*, quanquam & hoc retineri potest. Nisi fortè *qui*, pro *aliqui* hic sustineri posse putet quis.

''*inuitantur, admittuntur.*

COMMENTARIVS.

Svspectis Ecclesiasticorum & Continentium moribus, conuersationi, compendiisque seu cupiditati & auaritiæ, & quidem per Diœcesim & Episcoparum Vrbis Romæ, hac insigni Valentiniani Senioris ad Damasvm Episcopum Vrbis Romæ constitutione, Anno D. 370. occurritur. Duo nempe *hac leg.* prohibentur, de quibus mox; vbi priùs egerimus de *Continentibus*, ad quos *hac lex* non minùs quàm ad Ecclesiasticos pertinet.

Continentes, quorum *hâc leg.* mentio fit, Ecclesiasticis vicini sunt, vtpote quibus coniunguntur: quare & Clericis in eadem re ipsa pariter iunguntur in *Concilio Carthag.* Anno 397. *can.* 38. *Cod. Africani*, *Vt Clerici vel Continentes ad Virgines & Viduas, nisi ex iussu vel permissu Episcoporum, non accedant*: vid. & Cresconium, *Breuiario*, *cap.* 255. Continentes igitur dicti, qui priuato perfectioris vitæ studio ducti, voto seuerioris vitæ suscipiendæ, legitimis connubij solatiis seiuncti, ἀποταξάμενοι, cœlibem vitam affectabant, ἐγκρατευόμενοι, id est, *Temperantes.* Hesychius ἐγκράτειαν ἀσκοῦντες interpretatur. Palladius in *Lausiaca*, τὸν τῆς ἐγκρατείας ἢ ἁγνείας ἀναδησάμενοι στέφανον. Cæterùm Continentium alij sese Asceterio dedebant, (quare & hos *Monachorum* appellatione intellexit Hieronymus:) Alij in vrbibus intra ædium priuatarum Sacraria vitam hanc exercebant, excolebant: vid. August. *epistola* 199. Nouell. *Iustin.* 123. Leonis *Nouell.* 33. Alij *Continentes* dictos putant, qui post nuptias, vxore è medio sublatâ, continebant. Ad rem.

¶ Primum *huius leg.* caput spectat Ecclesiasticorum & Continentium conuersationem: Viduarum scilicet ac pupillarum domos adire Ecclesiastici & Continentes vetantur, ad euitandam turpis conuersationis suspicionem: vnde colligere licet Ecclesiasticorum & Continentium quosdam hoc æuo etiam in Romana Diœcesi & alibi, hoc vitio vel laborasse, vel saltem suspicione haud omninò caruisse; sic vt Imperatoria iam authoritate malo huic intercedere opus fuerit: vti Patres quoque intercesêre. Sic Ambrosius *libris Officior.* quos ad Clericos suos scripsit, *lib.* 1. *cap.* 20. *Vidua*

Viduarum ac Virginum domos, nisi visitandi gratia, Iuniores adire non est opus: & hoc cum Senioribus, hoc est, vel cum Episcopo, vel si grauior est causa, cum Presbyteris: Quid necesse est, vt demus obtrectandi locum sæcularibus? &c. Similiter Hieronymus quoque *epist. 2. ad Nepotianum, de vita Clericorum & Sacerdotum*: Etsi & ipse non in totum domo Virginis aut Viduæ Clericum arceat, modum tamen, eodem semper fine, hunc præscribit: *Si propter officium Clericatus, aut VIDVA à te visitetur, aut VIRGO, nunquam domum solus introeas: tales habeto socios, quorum contubernio non infameris: si Lector, si Acolytus, si Psaltes te sequitur, non ornentur veste*, &c. *solus cum sola secretò & absque Arbitro vel teste non sedeas: si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem, maiorem domus, virginem, viduam, vel maritatam: non est tam inhumana, vt nullum præter te habeat cui se audeat credere. Caueto omnes suspiciones, & quidquid credibiliter fingi potest, ne fingatur ante deuita.*

¶ Secundò, prohibentur *hâc leg.* Ecclesiastici & Continentes quicquam *capere*, ex mulierum laicarum quarumcunque (ita enim *hanc leg.* accipio, præter Marciani Impet. mentem; de quo ad *l. 28. infr.*) liberalitate, vel testamento: relicto tantùm eis ex propinquorum successione capiendi iure; quò etiam pertinet Ambrosij locus elegans *serm 7.* de Clericis: *Licet dicere possumus; Nemo nos inuasionis arguit, violentia nullus accusat? Quasi non interdum maiorem prædam a VIDVIS blandimenta eliciant, quam tormenta: Non interest apud Deum, vtrùm vi, an circumuentione quis rei alienæ occupet, dummodo quo pacto teneat alienum.* Et rectum est Baronij iudicium, cùm iam Apostolorum temporibus hæc fierent, prauisque adeò germinibus illis Ager Dominicus inter persecutiones refertus esset, quid factum putandum sit tempore pacis Ecclesiæ sub Christianis Impp. & in ea potissimùm Vrbe, in quam è toto orbe diuitiæ tanquam in mare flumina confluxissent. Has igitur Hæredipetarum horum artes & aucupia *lex* hæc damnat. Damnant horum temporum Scriptores, etiam per eundem Episcopatum Romanum, huius quoque *legis* indicio facto: Et alioquin Ammianus Marcellinus quoque *lib. 27. p. 361. Neque ego abnuo*, inquit, *ostentationem rerum considerans vrbanarum, huius rei* [Episcopatus Romani] *cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere: cum id adepti, futuri sint ita securo, vt ditentur oblationibus Matronarum, procedántque vehiculis insidentes circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò vt eorum conuiuia regales superent mensas. Qui esse poterant Beati reuera, si magnitudine Vrbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam prouincialium viuerent, quos tenuitas edendi, potandique parcissimè, vilitas etiam indumentorum & supercilia humum spectantia, perpetuo Numini verisque eius cultoribus vt puros commendant & verecundos.* Quæ quidem ab Ammiano dici mirandum non esse ipse Baronius fatetur. At certè verbis Ammiani Marcellini fides non videtur deneganda, duplici ratione: Primò, quod Gentilis ipse alioquin adeò candidè & prolixè Episcoporum Christianorum prouincialium puritatem, verecundiam, temperantiam commendare sustinet, vt ne Christianus Scriptor magis potuerit. Secundò, quod hæc *lex* tam apertè in eius sententiam pedibus ire videtur, nisi quod dici posset, nec Damasum nec vniuersum Clerum, sed solùm non paucos in hæc aucupia sese dedisse. Vt vt sit; sanè Ambrosius quoque *libello aduers. relat. Symmachi.* Anno D. 384. (vt alibi probo) huius *legis* (vt pleniùs probabo ad *leg. 27. infr.*) meminit: *Contrà; nobis*, inquit, *etiam priuata successionis emolumenta RECENTIBVS LEGIBVS denegantur, & nemo conqueritur. Non enim putamus iniuriam, quia dispendium non dolemus.* Mox: *Scribuntur testamenta ministris Templorum, nullus excipitur prophanus, nullus vltimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: Soli ex omnibus Clerico commune ius clauditur, nulla legata vel etiam grauium VIDVARVM, nulla donatio, & vbi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præscribitur. Quod Sacerdotibus phani legauerit Christiana Vidua, valet: quod Ministris Dei, non valet. Quod ego, non vt querar, sed vt sciant, quid non querar, comprehendi*, &c. *Sed referunt ea, quæ vel donata, vel relicta sunt Ecclesiæ, non esse temerata.* Hieronymus quoque compluribus locis hæc aucupia describit & perstringit, veluti *epist. ad Nepotianum 2. & 3. & ad Eustochium 22.* Quæ Baronius rectè refossa (vt ipse ait) & in vnum collecta omnibus spectanda *in Annalib.* posuit, vt inde Lector huius legis sanciendæ occasionem intelligeret; & vt sciret Lector se, quod ingenui Scriptoris est, veri amantis historici numeros explere; nec in gratiam hominum vitia reticendo, laudare virtutes. Egregium verò illud Baronij factum: vt mirum planè sit, eundem hanc legem *parum æquam* nuncupare: contra quam etiam iuxta Ambrosium Hieronymus *d. epist. 2. ad Nepotianum, de vita Clericorum & Sacerdotum, fol. 7. & 8.* qui hanc sanctionem commendat: *Pudet dicere, Sacerdotes Idolorum, Mimi, & Aurigæ, & Scorta, hæreditates capiant, Solis CLERICIS ac MONACHIS hac lege prohibetur: & non prohibetur a Persecutoribus, sed à Principibus Christianis. Nec de LEGE conqueror sed doleo cur MERVERIMVS hanc legem. Cauterium bonum est; sed quò mihi vulnus, vt indigeam Cauterio? Prouida seueráque legis cautio: & tamen nec sic refrænatur auaritia. Per fideicommissa legibus illudimus: & quasi maiora sint Imperatorum scita, quàm Christi, leges timemus & Euangelia contemnimus. Sit hæres, sed mater filiorum, id est gregis sui, Ecclesia, quæ illos genuit, nutriuit, pauit: quid nos inserimus inter matrem & liberos?* Quid est igitur quod Baronius hanc Valentinianeam legem, iuxta similes, parùm æquas, neque semel vocet? cum ipse tamen, vt dixi, causam huius legis sanciendæ rectè aperiat; & excrescentem Clericorum & Monachorum cupiditatem coërcendam dicat; in ea potissimùm Vrbe, Roma scilicet, in quam è toto Orbe diuitiæ tanquam in mare flumina confluxissent: Imò & verisimile sibi videri dicat, ipso Damaso id agente, hanc sanctionem editam aduersus diuinorum decretorum contemptores ad demoliendam Clericorum & Monachorum eiusmodi quæstuariam & sordidam officinam, vt qui contemnerent sancta Dei Euangelij præcepta, & pro nihilo ducerent sacros Conciliorum Canones, ipsorúmque Romanorum Pontificum decreta quælibet deriderent; tidem procaces ab ipso Imperatore Valentiniano compescerentur: quem constat in cæteris iura Ecclesiastica sarta tecta seruari voluisse. Valentinianus ipse *consulti* appellatione in *l. 22. infr.* consultam & prouidam sanctionem vocat, vtpote quam hæc tempora omninò exêgere. Sed & hoc ipsum paulò post ad Episcopos quoque & Virgines Deo dicatas extensum fuit, *l. 22. infr.* vt neque videlicet ex mulierum liberalitate quicquam capere possent. Hoc ipsum posteà & de Diaconissis, imò sub seueriore quoque sanctione prohibitum, *l. 27. infr.* seueriore inquam: Nam cum aliæ mulieres,

l. prox. infr.) fide licet Catbolicos, attamen eum Arrianis communicantes. Ob hanc igitur Pelicia intruſionem, exulante Liberio, (licèt poſteà idem Felix legitimus Pontifex declaratus fuerit,) viſum tum nonnullis ſtate non poſſe ea priuilegia, quæ Catholicæ Eeeleſiæ Romanæ conceſſa olim *p[illegible]* fuerunt, vt alioquin *Catbolica* Eccleſiæ priuilegia ad Hæreticos ſeo hæreticis fauentes non pertineant, vt nonnullæ iam *leges huius tit.* docuetuot, docebitque inſuper *lex* 1. *infr. de hæreticis*, quæ & ipſa Conſtantinum M. authotem habet. Verùm Conſtantio alia mens fuit, vtpote Arrianis obnoxio, quique ideò *hâc leg.* præcipit, *Priuilegia Clericis Eccleſia Vrbis Romæ conceſſa firmiter cuſtodiri*; non obſtante videlicet eo; quod Felix ab Arrianis electus & ordinatus, & Arrianos miniſtros Eccleſiæ ſeo Clericos ordinaret, eorúmque communione vteretur, atque Catholici in Eccleſiam, dum intus erat, ingredi nollent, teſte Sozomeno *lib.* 4. *cap.* 10. Socrate *lib.* 2. *cap.* 29. Rufino *lib.* 1. *cap.* 22. Theodoreto *lib.* 2. *cap* 17. Athanaſio *in epiſt. ad Sol. vit. agent.* Hieronymo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Acacio.* Et hæc quidem hactenus hoc tempore priuilegia Clericorum Eccleſiæ Romanæ fuerunt: poſteà enim, ex longæ conſuetudinis inſtituto, Clerici Eccleſiæ Romanæ hoc priuilegium habuêre, vt nonniſi apud Epiſcopum Romanum conueniri poſſent, priúſque apud eum conueniri deberent, & tum demum ad ſæcularia iudicia trahi poſſent, ſi iuſtas actoris petitiones Epiſcopus eluſiſſet, vel ad condemnationem deuenire non poſſet. Quod priuilegium his confirmauit Athalarius Rex, ſæculo fermè poſt, apud Caſſiodorum 8. *var.* 24.

¶ Cæterùm referenda eſt *hæc lex* ad Conſtantium VIII. & Iulianum I. Coss. id eſt, ad Ann. D. 356. non ad Ann. 357. Leontius quippe, cui *hæc lex* inſeribitur, vt Anno 355. Præfectus Vrbis Romæ fuit, Arbitione & Lolliano Coss. (vt liquet ex Ammiano Marcellino *lib.* 15. *p.* 51. eodémque etiam collato eum Seuero Sulpitio) ac Præfectus Vrbis eſſe perſtitit Anno 356. ita ſanè Anno 357. non Leontius, verùm Orphitus Præfectus Vrbi fuit, vt ex eodem Ammiano Marcellino liquet; itémque ex *l.* 25. *de Gladiatorib. ſupra.*

¶ *De* ROMANÆ *Eccleſia Clericorum priuilegiis: putà* IMMVNITATE *à muneribus ſordidis & extraordinariis, luſtralíque collatione, altera Conſtantij Conſtitutio, ad* FELICEM *Epiſcopum Romanum data.*

XIV. * Idem A. & Iulianus Cæſ. Felici Epiſcopo.[b]


MNIS à Clericis iodebitæ conuentionis iniuria, & iniquæ exactioois repellatur inprobitas: nulláque conuentio ſit circa[c] eos muoerum ſordidorum. Et cùm[d] negotiatores ad aliquam præſtatiooem conpeteotem[e] vocaotur, ab his vniuerſis iſtiuſmodi ſtrepitus conquieſcet[f] (Si quid eoim, vel parſimoniâ, vel prouiſiooe,[g] vel mercaturâ[h] honeſtati[i] tamen conſciâ[k] coogeſſerint, io vſum pauperum adque egeotium mioiſtrari oportet: aut[l] id, quod ex eorundem Ergaſteriis,[m] vel Tabernis[n] conquiri potuerit, & colligi, collectum id religionis æſtiment[o] lucrum.) Verùm etiam[p] ab[q] hominibus eorumdem, qui operam in mercimooiis habeot ¶ Diui Principis,[r] id eſt, noſtri ſtatuta † Geoitoris, multimoda obſeruatiooe cauerunt, vt idem[s] Clerici priuilegiis compluribus reduodareot: Itaque[t] extraordioariorum à prædictis neceſſitas adqoe omois moleſtia conquieſcat: Ad paraogariarum[u] quoque præſtatiooem oon voceotur, nec eoruodem facultates adque ſubſtaotiæ. Omnibus Clericis huiuſmodi prærogatiua ſuccurrat, vt cooiugia Clericorum, ac liberi quoque & mioiſteria (id eſt, mares pariter ac femioæ) eorúmque etiam filij[x] inmuoes ſemper à cenſibus & ſeparati ab huiuſmodi muoeribus perſeuereot. Dat. IX.[y] Id. Dec. Med. Lecta v. Kaleod. Ian. aput acta. Conſtantio A. IX. & Iuliano Cæſ. II. COSS. [357.]

NOTÆ.

* *Lex* 2. *de Epiſcopis.* Extat apud *Baronium*, ſed decurtata, duabus tantùm prioribus lineis conſignatis Anno 357. num. 69.

[b] *Felici Epiſcopo*, Romano ſcilicet qui in Liberij locum ſuffectus fuit, vt ad *legem* ſuperiorem iam monſtrum eſt. De quo mox plura. Sic & Valentiniani *lex* 20. *infr. ad Damaſum Epiſcopum Vrbis Romæ.*

[c] vide ſimiliter *leg.* 15. *prox. infr.* & *l.* 1. *ſupr. de luſtrali collat.* vbi dixi plenè.

[d] Eſt qui rentes, *competenter.*

[e] *conquieſcat*: Cod Iuſt.

[f] *Mercatura* & negotiatio honeſtati conſcia Clericis permiſſa: de quo ad *tit. de luſtrali conlat.*

[g] *honeſtatu*, ita nonnulli emendant.

[h] *conſcia*, ita quoque Cod. Iuſt. quidam emendans *conſonam*, vel *congruam*: malè.

[i] *ad*, Cod. Iuſt.

[k] De *Ergaſteriis* his priuatis vid. & *l.* 5. *ſupr. de Metatis*: vbi plenè dixi: *l.* 3. *ſupr. de conlat. donatar.* de publicis vide *l.* 9. 42. *ſupr. de oper. publ.*

[l] de *Tabernis*, vid. & l. 10. *ſupr.*

[m] *Exiſtiment* Cod. Iuſt. *æſtimetur*, ita nonnulli emendant.

[n] *Verùm* etiam hic poſitum, pro *quinimò*: & ſic licet non præceſſerint illa, non tantùm, Quanquam totus hîc locus conturbatus, cui medicinam ægrè faciat quis. Alioquin in *Cod. Iuſt.* abeſt vox ſeq. *ab.* An igitur legendum, *vel etiam ab hominibus*, hoc ſenſu? & quæſtum ex ergaſteriis & tabernis Clericorum religioni deputandum, vel etiam quæſtum collectum ab hominibus eorum negotiantibus. Verùm priori ſententiæ adhæreo, præcedentibus, ita vt feci, parentheſi

parenthesi inclusis. Mox sanè noua sententia sequitur. *Diui Principis*, &c. quæ tamen nullo satis commodo vinculo superioribus cohæret.

"*Diui Principis Genitoris mei statuta*; ita *Cod. Iust.*

† Constantini M. hæc constitutio, & fortè non vna: memoratur & *l.8.supr.*

"Et hæc vox confirmat nouam sententiam ab illis verbis: *Diui Principis*, &c. incipiendam.

"Parangariam.

"*Et filia*, hoc additum *Cod. Iust.*

"Verba hæc *à censibus*, & *separati*, absunt à *Cod. Iust.*

"ϰ. VIII.

COMMENTARIVS.

ROMANÆ Ecclesiæ Clericis parla priuilegia, par immunitas, hac alterâ Constantij constitutione ad Felicem Episcopum Vrbis Romæ emissâ, tribuuntur, seu iterantur: prima enim fuit eiusdem proximè præcedens. Imò eiusdem tertium Edictum ante quinquennium fermè extat *l. 10.supr.* quâ in vniuersum aliarum Ecclesiarum per diuersas prouincias immunitas concessa fuit, ad cuius *legis* instar, hæc expressa est; sic vt ad eam dicta huc arcessi possint. Quinimò & Patris Constantini insuper exemplo, ac nominatum in Immunitate tribuenda ab extraordinariis muneribus. Cuius Constantianeæ constitutionis fit etiam mentio ab eodem Constantio, *l.8. supr.*

¶ Illud notandum, Felici Episcopo *hanc leg.* inscribi: Cuius occasione an hoc tempore iam *Liberius* Sedi suæ restitutus fuerit, ad hanc *legem* quæritur? Sanè narrat Sozomenus *lib.4. cap.4.* Episcopos Sirmij congregatos literas ad Felicem & Clericos Ecclesiæ Romanæ scripsisse, vti Liberium reciperent, & ambo pariter Sedem Apostolicam administrarent, communique consensu & concordiâ sacerdotio fungerentur, atque præterita obliuione delerent: siquidem vltimis huius Anni diebus Constantium Sirmij fuisse docent *l.3. supr. de erog. mil. annon.* & *l.27. supr. de appell.* Sed & Ammianus Marcellinus *lib 16. p.78.* Quod si ita esset, tum huius constitutionis recentandæ hæc occasio siue causa fuerit, quod restituto iam Liberio in Episcopatum Romanum à Constantio, quamlibet Felice ipsummet Episcopatum iam administrante, dubitari cœpit, vtrum priuilegia Clericis Romanis concessa ad Felicianos quoque pertinerent, non modò ad Liberianos. Hinc namque *lex* hæc apud Acta quoque lecta fuerit; *apud Acta*, inquam, Ciuilia Romæ Præfecturæ Vrbanæ, *argum. l.13. supr. prox.* quæ & ipsa eodem pertinet, quò hæc. Quod si ita est, rursum hîc obseruandum fuerit, si quando extra ordinem duo Episcopi eiusdem Ecclesiæ esse permitterentur, iisdem vtrosque priuilegiis & honoribus eorúmque Clericos fruituros: Quanquàm aliàs *iure Canonico*, neque in vna Ciuitate duo esse possent Episcopi, (vt docet *Can. Nic.*8. Sozomenus *lib.4. cap.15.* Augustinus *epist.*110. Pacianus *epist. ad Sympronianum.* Ado *in Chronico Ann.*810.) & si quando duo essent, vnos Episcopi tantùm nomen & honorem sine re & potestate obtineret; id est, ordinare non posset; vt docet quoque *d. Canon* 8. *Nicenus.* Ita de Meletio constitutum in Concilio *Nicæno*, testatur eiusdem Concilij Synodica epistola, apud Theodoretum *lib.1. cap.9.* sic de Eustatio constitutum in Concilio *Ephesino*, vt docet epistola Synodica, inter *acta Ephesini Concilij*, & apud Zonaram & Balsamonem.

¶ Verùm hæc inania sunt. Imò contrariũ verissimum; nempe Liberium hoc tempore Sedi suæ nondum restitutum fuisse. Nam si id tantùm *h. l.* ageretur & definiretur, restituto quamlibet Liberio, ad Felicianos quoque immunitatem Ecclesiasticam pertinere, tum id hactenus statueretur, neque immunitatem tam longa pagina retexeretur. Quare verissimum, Liberio adhuc destituto, *hâc lege*, ne quis dubitaret repetitas has immunitates, & quidem sigillatim. Et certè cùm *Sirmiensi* demum Synodo Liberius Sedi suæ restitutus fuerit, nonnisi Anno proximo 358. restitutus is fuit, quo ea Synodus habita, cum ibi Constantius Imp. ageret. Enimverò, cùm Constantius hoc Anno 357. Vrbe Româ digressus initio adhuc mensis Decembris Mediolani constitisset, vt docet *lex 5. supr. de Maleficis & Mathem.* & hæc ipsa *lex*; extremo demum mense Decembri post *hanc leg.* Sirmium peruenit, vti docet subscriptio *legis 27. supr. de appellat.* Exinde integro Anno 358. & medio fermè 359. Sirmij constitit: de quâ alioquin Constantij morâ Sirmij, Marcellinus quoque *lib.16. p.78.* Ibi igitur constituto Constantio, & Sirmiensis illa Synodus habita fuit, Anno D.358. (quæ longè alia est ab illâ quæ habita aduersus Photinum Anno D.357. vt disertè scribit Socrates *lib.2. cap.24* & Sozomenus *lib.4 cap.5.* in quibus tamen discernendis Baronio aqua hæsit.) Et in illâ verò Synodo Sirmiensi tandem Liberius, Osiúsque *ὁμοούσιον* euicti fuêre, & exinde iam vterque Episcopatui suo restitutus. Quod ad Ann. D.358. referendum rectè vidit Baronius, *in Ann.357.n.68*; Quod exinde quoque Secundo argumento patet, quod Athanasius *Apol.2.p.165.* & *epist. ad Solitar. vit. agent. p.647.* Liberium post biennium exactum in exilio, (& sic tertio exilij anno) restitutum scribit. In exilium porrò missus Liberius Arbitione & Lolliano Coss. id est, Anno D.355. Seuero Sulpitio *lib.2. sacræ historiæ* teste; quo tempore Leontius Præfecturam Vrbis administrabat; ait Marcellinus *lib.15. p.40.* ad quem Leontium P.V. extat Constantij Imp. constitutio Anno D.356. putà proximè præcedens *lex 13. supr. hoc tit.* quâ & ipsâ Ecclesiæ Vrbis Romæ Clericis concessa priuilegia firmiter custodiri præcipiuntur. Tertium addatur & hoc argumentum: quod Osius à Constantio Sirmij Anno integro detentus, póstque eum Arianæ fidei assensus dicitur ab Athanasio *ad solitar. vitam agent. p.651.* Porrò Constantio Sirmij constituto, hæc facta ait disertè Philostorgius *lib.4. histor. Eccl. cap.3.* pariter vt Sozomenus *lib.4. cap.14.* At minus exactè Theodoretus *lib.2. cap.17.* hæc Constantio Romæ posito euenisse indicat. Cæterùm, quod antea ostendi, Constantius Sirmium venit, post hanc demum *legem.* Ergo Liberius non ante Annum 358. Sedi suæ restitui potuit; non verò Anno 357. quo adhuc hæc *lex*, & quidem fine Anni ad *Felicem* data est: Quod ex *hac leg.* Quartum iam & validissimum argumentum est; Liberium videlicet hoc tempore nondum Sedi suæ restitutum fuisse; verùm pulso Liberio & in exilio existente *hanc legem* datam ad *Felicem.* Postremò certissimum, Liberium & Felicem non eodem tempore Sedem Romanam & coniunctim tenuisse: quamdiu enim Felix Sedem tenuit, Liberius abdicatus

dicatus fuit: contrà, ex quo Liberius Episcopatum reperiit, & Felicem oppressit: quandoquidem quod Hieronymus *Chronico*, & Marcellinus aiunt, *victor Romam ingressus est.*

¶ *Aduersus* IMMVNITATEM *Ecclesiarum & Clericorum Constantij constitutio.*;

XV. * Idem A. & Cæs. ad Taurum PF. P."



N Ariminense" Synodo, super Ecclesiarum & Clericorum Priuilegiis tractatu habito, vsque eò dispositio" progressa est, *Vt iuga quæ videntur" ad Ecclesiam pertinere, à publicâ functione* † *cessarent," inquietudine desistente*: Quod nostra videtur" dudum sanctio repulisse. ¶ Clerici verò, vel hi quos *Copiatas* recens vsus instituit nuncupari, ita à sordidis muneribus debent inmunes, adque à conlatione" præstari, si exiguis admodum mercimoniis tenuem sibi victum vestitúmque conquirent: Reliqui autem, quorum nomina negotiatorum matricula" eonprehendit eo" tempore quo conlatio celebrata" est, negotiatorum munia & pensitationes" agnoscant: quippe" postmodum" Clericorum se cœtibus adgregarunt. ¶ De * his sanè Clericis qui prædia possident, Sublimis Auctoritas Tua non solùm eos aliena iuga nequaquam statuet" excusare, sed etiam his" quæ ipsi possident, eosdem ad pensitanda fiscalia perurgueri: Vniuersos namque Clericos, possessores dumtaxat, prouinciales pensitationes fiscalium" recognoscere iubemus: Maximè, cùm in Comitatu" Tranquillitatis Nostræ alij Episcopi, qui de Italiæ partibus" venerunt, & illi quoque, qui ex Hispaniâ adque Africâ commearunt, probauerint, id maximè iustè" conuenire, vt præterea" iuga & professionem" quæ ad Ecclesiam pertinet," ad vniuersa munia sustinenda translationésque" faciendas, omnes Clerici debeant adtineri. Dat." epistula" Prid. Kalend. Iul. Med. Constantio A. x. & Iul. I V." Cæs. COSS. [360.]

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* eam omisit Baronius *in Gestis huius Anni* 360 quanquam eam referat *A.*359.*n.*53. Hanc perstringere mihi videtur Valentinianus Sen. *l.* 18. *infr.* prælatâ *l.*16. *infr.*
"Italiæ. Atque hic idem Taurus est, qui Ariminensi Concilio superiore Anno præfuerat: de eo vid *Prosopogr.*
" pro, *In Ariminensi Ariminensis* Synodi fit altera *hoc Codice* mentio, *l.vlt.supr.de fide Cathol.* vbi dixi. Habita porrò ea Synodus superiore Anno 359. Eusebio & Hypatio COSS.
"*Dispositio* hic est, quod in Synodo inter Patres definitum est, vt ab Imperatore postularetur: cuiusmodi dispositiones complures in Conciliis Africanis. Denique dispositio est conuentio Synodalis super rogando Imp. atque impetranda ab eo re aliqua, *Sanctio* verò (vt mox vocatur) Imperatoris ad eam responsio.
"id est. quæ pertinent.
"immunia essent.
"id est, reppulit,
† Constitutio hæc Constantij obseruanda, quæ hic memoratur: neque alibi occurrit.
"Lustrali, &c.
"Nota, Matricolam negotiatorum certam fuisse: vt ita sciretur, quinam lustralem collationem præstare deberent.
"vt similiter, *l* 14. *supr.* dixi plenè ad *l.*1. *supr.de lustrali collat.*
"An *celebranda?* An *celebrata est*, pro *celebratur?* Non: Celebrata est; nuper scilicet. Nam ita locus hic interpungendus, *matricula comprehendit eo tempore, quo conlatio celebrata est.*
"Siliquaticum, lustralem, &c.
"*&. quique.*
"Post ouperam lustralem collationem.
* *Lex* 3. *Cod. de Episcopis.* "permittet. "Eorum nomine.
"*translationésque faciendas recognoscere iubemus*: ita *Cod. Iust.* ex *fin. leg.* cæteris resecatis. De Translationis autem munere dicam plenè ad *legem* 40. *infr. hoc tit.*
"Constantinopoli.
"*Partes* Italiæ, vide *Glossarium*: & *Orbis Romani descriptionem ex Cod. Theod.*
"Iustitiæ.
"*Præter ea*: ita diuide.
"*Professio*: de re ipsâ professâ apud censum.
"*Pertinent*, quanquam & *Pertinet* sustineri potest, propter superiorem vocem professionem.
"vid. *l.*40. *infr.*
Data pro Reddita Mediolani, vbi scilicet Præfectus Prætorio Italiæ consistebat: at Constantius in Oriente versatur.
"Hæc vox abest à *Paris.* editione. In *Cuiaciana* & *Tiliana* extat: vide, quæ dixi ad *legem* 12. *supr.*

COMMENTARIVS.

DE IMMVNITATE Ecclesiarum & Clericorum est hæc rursum Constantij *Epistola*, quæ vel eò maximè singularis est, quod ad Ariminensis Synodi historiam, (de qua etiam agitur *l.vlt. supr. de fide Cathol.*) atque ad ea, quæ eam Synodum proximè secuta sunt, pertinet, quæ alioquin partim nuspiam memorantur.

¶ Primùm ex *hâc lege* liquet, in Ariminensi Synodo non tantùm tractatum habitum de fide, vel etiam de causis Episcoporum (quod alioquin in eâ tractari voluit Constantius teste Sozomeno *lib.*14.*cap.*16.) verùm etiam tractatum habitum in eâ

eâ de Priuilegiis Eccleſiarum & Clericorum, ac nonnulla ſuper his diſpoſita, ad Principem Conſtantium perlata, nempe de Eccleſiis & Clericis in vniuerſum pleniſſima immunitate; etiam à ſolitis & ordinariis functionibus & tributis donandis.

Secundò ex *hâc lege* liquet, Conſtantium hanc Ariminenſis Synodi diſpoſitionem ſanctione ſua ſtatim repuliſſe. Voluit itaque Conſtantius, Eccleſias, etſi ab extraordinariis muneribus & tranſlationibus immunes eſſent (vt ex *fine leg.* etiam liquet;) attamen à Canonicis & Ordinariis immunes non eſſe: quod idem Honorio placuit: *l.*80. *infr.* vbi dicam pleniùs: Adeò, vt id etiam in Metropolitanis Eccleſiis obtinuerit, veluti Theſſalonicenſi, *l.*35. *ſupr. de annona & tribut.* De *Clericis* verò hæc Conſtantij mens eſt, vt non tantùm Canonica, verùm etiam extraordinaria adgnoſcant, veluti tranſlationem, itémque luſtralem collationem, aliáque negotiorum munera & penſitationes: quorum eo fine certa quædam matricula confecta fuit, quique poſtmodum Clerici facti operam mercimoniis addixêre. Verùm hanc *legem* hac parte poſteà ipſe vltimo tempore abrogauit, *l.*16. *infr.* quam hâc proſtitutâ confirmat Valentinianus Sen. *l.*18. *infr.*

Tertium id obſeruetur, poſt Ariminenſem Synodum, certam Clericorum negotiantium matriculam factam, vt ita negotiatorum penſitationes agnoſcerent. Excepti tantùm Clerici & Copiatæ, exiguis admodum mercimoniis tenuem ſibi victum, veſtitúmque conquirentes: quæ Tertia Conſtantij poſtremáque ſententia hac parte fuit: vt iam notaui ad *leg.*10. *ſupr.* Sed & Honorij *l.*36. *infr.*

¶ Quartò obſeruetur, quòd *hâc lege* dicitur, de Epiſcopis, qui ad Comitatum Conſtantij venerunt ex partibus Italiæ, vt & de Epiſcopis qui ex Hiſpania & Africa eodem commearunt. Quod vtique non pertinet ad Legatos, qui ex Ariminenſi Synodo ad Conſtantium miſſi fuêre; & quidem deni à Catholicis, deni ab Arrianis: Hi enim ſuperiore Anno miſſi ad Conſtantium, & quidem à Synodo fuêre, (de quo videndus Seuerus Sulpitius *lib.*2. *ſacr. hiſtor*) Atenim hi, quorum *hâc leg.* mentio fit, hoc Anno recenter ad Comitatum Conſtantij commearunt, neque à Synodo miſſi fuêre, verùm Italiæ partibus, item ex Hiſpania & Africa commeantes. Quod cum perpendo, atque nullam *Gallorum* mentionem fieri video, in eam adducor ſententiam, cùm totus iam Orbis ingemuiſſet, atque Arianum ſeſe eſſe miratus eſſet, poſt Ariminenſis Concilij exitum, quod nominatim ſcribit Hieronymus *aduerſus Luciferianos*, atque in Arrianam prauitatem, Italorum, Afrorum, Hiſpanorum plerique, etiam Oſius ille Cordubenſis, conceſſiſſent, atque Arimini geſta confirmaſſent, eo iam nomine Epiſcoporum legationes ex illis partibus ad Conſtantium commeaſſe, & Conſtantinopolim ad Imperatorem concurriſſe: quod etiam teſtatur Seuerus Sulpitius *lib* 2. *ſacræ hiſtoriæ.* Solæ Galliæ piaculo hæreſis liberatæ fuêre, Hilarij beneficio, vbi frequentibus intra Gallias Conciliis, atque omnibus ferè Epiſcopis de errore profitentibus apud Ariminum geſta condemnata fuerunt, & in ſtatum priſtinum Eccleſiarum fides reformata fuit; qui idem Hilarius alioquin ante Ariminenſe Concilium edito ad Gallos *de Synodis* Commentario, eos à dolis hæreticorum cautos reddidit. Quinimò & iidem Galli fidem ſuam teſtatam Hilario paulò ante reddiderant, idémque de eorum conſtantiâ gratulatur. Hæc igitur cauſa eſt, cur nulli hîc de Gallia Epiſcopi memorentur, vtpote qui in fide ſanâ ſani manſêre. Proculdubio enim & Epiſcopi, quorum *hâc lege* mentio fit, Arriani fuêre, atque hæc lex ſeu *Epiſtola* in fauorem Arrianorum emiſſa, obſiſtentium Catholicorum diſpoſitioni ſeu poſtulationi de pleniſſima immunitate concedenda Eccleſiis & Clericis. Et quidem emiſſa hæc Epiſtola *ad Taurum Præfectum Prætorio*, qui ipſi Ariminenſi Synodo Anno ſuperiore, iuſſu Conſtantij, præfuerat, vt liquet ex Seuero Sulpitio *l b* 2. Itémque ex Epiſtola præuaricatorum Epiſcoporum in Synodo Ariminenſi ad Conſtantium, inter Hilarij *fragmenta*, *lib.*2. *pag.*36. 37. Item ex Hieronymo *aduerſus Luciferianos*: Cuius Tauri Præfecti Prætorio artes commemorat idem Seuerus Sulpitius ad frangendam Catholicorum conſtantiam.

¶ Duo porrò ad *hanc legem* adhuc obſeruanda: Primò, *huic legi* coniungendam videri *legem* 2. *ſupr. de luſtrali collatione*, quæ hoc ipſo tempore accepta, & ad eundem Taurum emiſſa fuit. Sanè in eodem argumento de luſtrali collatione, de quo, *hac lex* verſatur. Secundò de *Copiatis* obſeruandum; *Primùm*, eos ſeparari *hâc lege* à Clericis; cùm tamen aliàs *Clericorum* numero cenſeantur, Conſtantij conſtitutione ad eundem Taurum P.P. data: purà *l.*1. *d. tit. infr. de luſtrali collatione.* Secundò recentem eorum vſum hoc tempore fuiſſe. Vt hæc duo ex *hâc lege* obſeruanda ſunt; ita de his quid fuerint in vniuerſum, videndum eſt: *Copiatæ* igitur, quorum *hâc lege*, & *d. l.*1. *ſupr. de luſtrali collatione*, fit mentio, erant qui occupati infauſtis Defunctorum obſequiis dicuntur, & à Clericis diſertè diſtinguuntur *l.*12. *ſupr. de Veteranis.* Epiphanius *fine lib.*3. *aduerſus hæreſes*, *p.*465. Κοπιαταὶ οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τῶν κοιμωμένων, Gloſſæ Philoxeni. *Biſpelliones* νεκροθάπται, Κοπιάται. Horum officium ita quoque deſcribit Hieronymus *Epiſt.*43. *Clerici, quibus id officij erat, cruentum linteo cadauer obuoluunt, & foſſam humum lapidibus conſtruentes ex more tumulum parant*: de his vide & *Nouellam Iuſt* 59. Verùm de his pleniſſimè ad *d.l.*1. *ſupr. de luſtrali collatione*: vbi eorum quoque errorem profligo, qui Clericis eos annumerant; imò cum Iuuenibus, quorum mentio *leg.*10. *ſupr*, eoſdem ſuſpicati. Vide & Epiphanium *hæreſi* 76.

¶ *De* IMMVNITATE *Clericorum vbicunque constitutorum à muneribus personalibus & extraordinariis: Constantij, circa vltima vitæ suæ tempora, Constitutio.*

XVI. * Idem AA. ad Antiochenses."

IN quâlibet Ciuitate," in quolibet Oppido, Vico," Castello," Municipio, quicumque, voto Christianæ legis," meritum" eximiæ singularisque virtutis omnibus intimauerit, securitate perpetua potiatur: *Gaudere* enim & *gloriari ex fide semper volumus: scientes, magis Religionibus, quàm officiis & labore" corporis, vel sudore, nostram Rempublicam contineri.* Dat. XVI. Kalend. Mart. Antiochiæ," Tauro Florentio COSS. [361.]

NOTÆ.

* Abest *hac lex* à *Cod. Iust.* Canonizata extat 23.q.8.*cap. in qualibet* 23. sed peperam; quod in *Gratiano* emendandum, sub *Constantini & Constantis* nominibus. Retulit eam & Baronius *Anno* 361. *num.*14 15. verùm vt habetur in *Decreto*, non (quod par erat) vt hic legitur. Hanc etiam indicare & confirmare mihi videtur Valentinianus Sen. *l.*18. *infr.* abrogatâ *l.super.*15 *supr.*

"Nota diuersitatem Ciuitatis, Oppidi, Vici, Castelli, Municipij: *hâc leg.* & *l.*13 *supr de Desertor. l.*3 *supr. de conlat. donat.* vbi dixi. Vide & *Orbis descrip. ex Cod. Theod.*

"De *Vicanis* Ecclesiis & Clericis agitur quoque *l.*33. *infr.* ἀγροικαῖς παροικίαις ἢ ἐγχωρίοις, *can.*7. *Chalcedon.* quomodo Presbyteri in his ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι, *can.*13. *Neocæs.* ἐν ταῖς χώραις *can* 8 *Antioch.* Βουλευταὶ καὶ ἀρχαὶ ἢ κωμαρχαὶ Synesio *epist.*11. κωμῆται, *epist* 67. Vide & quæ dicam ad *leg. vlt supr de patroc vicor.*

"*Castella* diuersa non tantùm à Ciuitatibus, verùm etiam ab Oppidis, Vicis, & Municipiis. In hoc tamen conueniunt, quod in his quoque fuêre Ecclesiæ & Clerici: Iust. *Nouella* 28. Πιτυοῦς καὶ Σεβαστόπολις ἐν φρουρίοις μᾶλλον ἠριθμεῖτο ἢ πόλεσι: id est, *Pityus & Sebastopolis inter Castra potiùs quàm Vrbes numeranda sunt.* Κώμην, qui alioquin *vicus* est, ferè semper reddit *Noui Testamenti* Interpres, *Castellum.* Vide Berter. I. *Pithan* 6. *p.*72.

"*Religionis*, in Decreto, *d.c.*23.

"Eodem sensu publici laboris actus, *l* 36. *infr.* capite censi, *l.*26 *infr.*

"Constantius ingrauescente hyemis magnitudine ex Procinctu Persico hyematurus Antiochiæ, rediit in Syriam fine Anni superioris, teste Ammiano Marcellino *lib.*20 *p.*191. qui idem gesta ab eo eum & hoc Anno Antiochiæ persequitur, *lib.*21.*p.*199.& 200, vide & Socratem *lib.*2 *cap.*34.35.& 37. vide plura *in Chronico Theodos.*

COMMENTARIVS.

IMMVNITAS, à ciuilibus videlicet & personalibus muneribus & extraordinariis Clericorum, hoc Constantij Edicto ad Antiochenses seipro sancitur: ita quidem, vt *omnibus* Clericis eam immunitatem tribuat, *vbicunque constitutis*; id est, non modo, si in ciuitatibus aut municipiis, verùm etiam, si in oppidis, vicis (de quibus dixi iam in Notis) Castellis, (de quibus vide & *leg.*33. *infr.* & quæ *ibi* dicam,) fuerint. Nempe sicut Clerici, cuiuscunque Ordinis & loci hâc immunitate fruuntur, perinde atque primi Sacerdotum seu Clericorum, *l.*7. *supr.* & *l.*24. *infr.* ita & in quocunque loco deseruientes eâdem immunitate frui debent, non habitâ ratione loci, magnúsne ille sit, aut exiguus. Eadem quippe semper Religionis ratio & priuilegium subest: idem Clericatus fauor, à quo ad officia & labores corporis, vel sudores, Clericos abduci non oportet: & vt ipse Constantius *hic* profitetur, *Quia magis Religionibus, atque adeò Clericatus ministerio, quàm officiis & laboribus vel sudore Respublica continetur*: ac si diceret, tantùm abest hac immunitate Reipublicæ vtilitati quicquam detrahatur, & sic muneribus publicis; vt contrà hæc ipsa immunitas Clericis tributa (quo magis diuino ministerio deseruire possint) Reipubl. plus commodet & prosit: Quinimò addit Constantius, quæ religiosum eius animum arguunt; *satius esse gaudere & gloriari ex Fide.* Vbi *Fidei* appellatione Constantius intelligit, non ipsa Religionis Christianæ mysteria, verùm eius ministerium & exercitium. Nempe hoc iam seculo *Fidei* appellatio ad officia quælibet religiosa trahi cœpit. Quomodo Hieronymus *partem fidei* appellat inspectionem locorum sanctorum. Quod igitur Constantius profitetur, *gaudere & gloriari se velle ex fide semper*, non ad puri cultus fideique Catholicæ deuotionem in huiusce *legis* specie pertinet, verùm ad augescentem in dies multitudinem & magnificentiam Ecclesiarum & Ecclesiis deseruientium, non modò per Ciuitates, Oppida, Municipia: verùm etiam per Vicos ipsos & Castella. Hoc illud scilicet est huiusce sæculi *gaudium*, hæc propria quædam *gloria*. Nam si fidei Catholicæ puritatem spectes, nulla fortè tempora magis piaculo hæreseos inquinata repertias, quando & ipse Constantius à fide Catholica desciuerat, & totus fermè Orbis Arianum se esse miratus est.

¶ Et hæc quidem est *huiusce legis* sententia, quam Baronius non adeò cœpit, cum putauit pro Christiana Religione ipsa in vniuersum hanc *legem* à Constantio emissam. Quod arguunt duo, *hâc leg.* Primum enim *meritum eximia singularisque virtutis*, hâc lege: itémque *Votum Christiana legis* non est Christianæ Religionis aut fidei professio, verùm Clericatus professio seu πολιτεία & conuersatio Clericalis, quàm ὑψηλὴν πολιτείαν Gregorius Nyssenus *variis locis* vocauit. Latini Scriptores vocant *sublimius propositum*, (contra Laici dicuntur *inferioris propositi*, apud Diuum Augustinum:) Probabilis sæculo disciplina vocatur *l.*44.*infr.* Imò & *Christiana lex & Christianitas*, proptiè de Clericatu dicitur, vt etiam alibi docui. Secundò id ipsum cuincit priuilegium, quod *hâc leg.* tribuitur: quod sanè non omnibus Catholicis Christianis tributum fuit, sed Clericis tantùm, putà *securitas perpetua* ab officiis & labore corporis & *sudore*: id est, immunitas à muneribus publicis extraordinariis. Hæc enim *securitatis perpetua* appellatione intelligenda sunt. Et verò tandem hanc illam omninò

omninò esse existimo Constantij circa vltima vitæ suæ tempora sententiam & constitutionem, quam Valentinianus Sen. posteà confirmauit, *l.18. infra*.

Est portò *hac lex*, pariter vt *lex 33. infr.* eò notabilis, quod ostendit Ecclesias & Clericos fuisse non tantùm in Ciuitatibus, sed & in Vicis, &c. Sic & Vici sua fora habuêre, teste Paulo 4. *sent.6.* suos Magistros literarum, *l.2. ff. de vocat. muner.* legata etiam non minùs quam ciuitates capere potuerunt, *l.73. ff. de legat.* In his qui Clerici essent, eos quidam χωρεπισκόπους aut περιοδευτὰς dictos putant, qui Episcopo Ciuitatis respondebant, sub qua vici erant, *d l.33. infr.* Verùm de eo nos accuratiùs alibi.

¶ *De non* ORDINANDIS *Clericis plebeiis diuitibus, Valentiniani Sen. constitutio.*

XVII. * Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Byzacenos.″

PLEBEIOS″ diuites ab Ecclesia″ suscipi penitùs arcemus. Dat. IV. Id. Septembr. Aquil.″ Diuo Iouiano & Varroniano COSS. [364.]

NOTÆ.

* Abest *hac lex* à *Cod. Iust.* Omissa quoque à *Baronio*. Iungenda illi est *lex 59 supr. de Decurion.* & vt videtur *lex 60. supr. de Decurion.* & *l.9 supr. de petition.* itémque *l.3. supr. de conlat. fund patrim.* Quod tamen non assero. Concordant verò huic *lex 5. & 6 supr.*

″Byzacena Prouincia Africæ fuit, de quâ vide *Orbis Romani descriptionem ex Cod. Theod.*

″*Plebei*, opponuntur Curialibus (de quibus *d l.59.*) *hâc leg.* & *l.3. in princ ff. de testibus*: & *l.5 supr de Nauicul.*

″id est, Clericos fieri: pari sensu, *d.l.59. partes eligere Ecclesiæ*, est Clericum fieri.

″Posteaquam Valentinianus & Valens Palatia sua iam diuisissent, Valentinianus Mediolanum, dein Aquileiam concessit hoc Anno: vide *Consular. Theodosianu.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris quinque de Clericis constitutiones sequuntur. De Ordinatione eorum, est *hac lex*, & *l.21. infr.* de priuilegiis eorum *lex* 18. de vita & honestate, *lex 20. & 22.* Et igitur *hac lege* de ORDINATIONE Clericorum: Nempe, ne promiscuis Clericorum ordinationibus, atque adeò immunitatis Ecclesiasticæ obtentu, munia publica, itémque necoi Reipublicæ atterentur, inter hæc Imperij sui initia Valentinianus Senior enixè prouidendum credidit, *hâc leg.* & *l.59. supr. de Decurion.* (quæ *huic* coniungenda est ceu pars eiusdem constitutionis:) Proinde duo *his legibus* constituit. *Primò*, ne Curiales, Clerici fieri possint, nisi alterutro ex his duobus facto, vel ioquam propinquo pro se Curiæ substituto, eisque bonis suis cessis, vel bonis penes Curiam relictis, quæ sententia est *dict. l.59.* Hoc scilicet remedio Curiis prospectum voluit Valentinianus; & nihilominus Clericatus voto non intercedere, quod & ipsum Constantio quadamtenus visum fuerat *l.49. supr. de Decurionib.* Cùm antea Constantinus M. Curiales Clericos fieri indistinctè prohibuisset, *l.3. & 6. supr.* & post Constantium Iulianus Apostata Decuriones, qui vt Christiani, id est, Clericatus obtentu munia Curiæ declinauerant, reuocari iussisset, *l.50. supr. de Decurionib.* & *l.4. supr. de lustrali. conlat.* quam in rem est *Epistola* Iuliani ipsius 11. de qua & *paulò post*: Proinde hoc proculdubio Iuliani Apostatæ factum recentandæ huius constitutionis Valentiniano causam præbuit, simul & consulendi Curiis & muneribus publicis. Decurionibus primùm ad Clericatum admissis, sub eo, quod dixi, temperamento, proximè ad Constantij mentem, *d. l 49. supr. de Decurion.* & quidem quod notandum est, emissâ constitutione ad Byzacenos, quæ Africæ Prouincia est Consularis.

¶ *Alterum* est, & quidem huius capitis seu *legis* proprium, quod *Plebeios* diuites ab Ecclesia suscipi, id est, Clericos fieri, non iam sub quodam temperamento, vt Decuriones, sed penitus prohibeat. Quæ & ipsa sententia fuit Constantini M. *d l.3. & 6. supr. hoc tit.* ad quas dixi. Vbi etiam huius rei elegans ratio assignata fuit. De PLEBEIS sub diuitibus nominatim hoc statuit Valentinianus *hâc leg.* ad discrimen eius, quod altero capite de Decurionibus diuitibus statuit *d. l 5.* quæ huic, vt dixi, coniungenda est. *Plebei* scilicet Decurionibus opponuntur *hâc leg.* & *l.3. in princ. ff. de testibus*, & *l.5. supr de Nauic.* & sic Plebei erant, qui non Decuriones erant in municipiis.

¶ Alio verò iam fine cautum *canone* 13. *Sardicensi*, ne fortè DIVITES aut Scholastici de foro, aut Administratores, *Episcopi* ante ordinarentur, quàm Lectoris munere & officio Diaconi aut Presbyteri fuissent perfuncti.

¶ *De* PRIVILEGIIS *Clericorum, à Constantio Imp. vltimo vitæ suæ tempore indultis, sub Iuliano verò abrogatis, restituendis: Valentiniani Sen. Constitutio.*

XVIII. * Idem AA.″ ad Claudium Proc. Afric.″

QVAM vltimo tempore Diui Constanti″ sententiam fuisse claruerit, valeat: Nec ea in adsimulatione″ aliqua conualescant,″ quæ tunc″ decreta vel facta sunt,

ſunt, cùm Paganorum" animi contra Sanctiſſimam Legem quibuſdam ſunt deprauationibus excitati. Dat. XIV. Kalend. Mart. Triu. Valentiniano & Valente AA." COSS.

NOTÆ.

* Abeſt & *hæc lex* à *Cod. Iuſt.* Omiſit quoque eam Baronius.

" *Gratiani* nomen hîc quoque addendum, mox vt oſtendam.

" *Claudius* PC. Africæ. Eidem inſcribitur his ipſis COSS. *lex 11. ſupr. de Piſtorib.* & Anno 369. *lex 6. ſupr. de Legat.* Anno 370. *lex 8. ſupr. de luſtrali.*

† id eſt, *Conſtantij.* Cæterùm de hac Conſtantij conſtitutione, mox viderimus.

" *inani adſimulatione*, id eſt, inani obtentu & ſimulatione.

" id eſt, Valeant.

" ſcilicet ſub Iuliano Apoſtatâ.

" Aduerſus Clericorum priuilegia.

" *Paganorum* nominis, pro *Gentilibus*, prima hæc mentio occurrit, in cuius appellationis cauſas inquiram *infr. tit. de Paganis.*

" Referenda *hæc lex* eſt vel ad Annum 368. id eſt, *Valentinianum & Valentem II. COSS.* vel ad Annum 370. *Valentinianum & Valentem III. COSS.* Fuit enim hoc tempore Proconſul Africæ Claudius, at non etiam Anno 365. item Valentinianus Anno 365. Treuiris non fuit, ſed aut Mediolani, aut Aquileiæ, aut Veronæ, aut Pariſiis. Atenim extremo demum Anno 367 & Anno 368. 369. 370. Valentinianus Treuiris fuit, vt præter *huius Codicis* conſtitutiones teſtatur Ammianus Marcellinus, *lib* 27. *p.* 370. 376 & 377. vide & quæ dicam *ad Rubr. infr. de Paganis.*

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA Clericorum Catholicorum, per Africam Proconſularem nominatim, reſtituit *hâc conſtitutione* Valentinianus Imp. quæ videlicet his Conſtantius Imp. vltimo vitæ ſuæ tempore conceſſerat, à Iuliano verò Apoſtata, & ſub eo, Clericis adempta fuerant: ſub quo videlicet Paganorum animi aduerſus ſanctiſſimam legem quibuſdam deprauationibus fuerant irritati. Vbi ſequentia diſcutienda notandáque veniunt.

Primò ea à Valentiniano valere iuberi, quæ *Conſtantio* vltimo tempore viſa fuerant. Nempe Conſtantij hâc in re inconſtans ſententia fuit, prout ab Arianis & Ariomanitis deprauatus fuit: de quo ad *leges ſuperiores.* Verùm vltimo vitæ ſuæ tempore Catholicis Clericis rurſum conſuluit.

Secundò igitur videndum, quænam illa Conſtantij vltimo tempore ſententia fuerit, quæ hîc firmatur. Inter alia ſcilicet Conſtantius Clericis Catholicis immunitatem ab extraordinariis muneribus à ſe ademptam *l. 15. ſupr.* vltimo tempore reſtituit, *l. 16. ſupr.* Deinde idem Conſtantius *l. 49. ſupr. de Decurionib.* conſtituit, vt Curiales, Clerici fieri poſſent, ceſſis facultatibus: Quæ quidem *lex* ab eo lata eſt bimeſtri fermè ante obitum. Hæc igitur illa extrema Conſtantij ſententia hîc intelligitur.

Nunc tertiò videamus, quid ſub Iuliano Clericis detractum fuerit. De detractis ſanè ab eo Clericorum priuilegiis, imò & annonis, teſtis Socrates, *lib. 5. cap. 5.* Theodoretus *lib. 3. cap. 6.* & *lib. 4. cap 4.* Sozomenus *lib. 5. cap. 5. in princ.* & *lib. 6. cap. 6.* Philoſtorgius *lib. 7. cap. 4.* ad quem iam dixi: Sed & illud nominatim à Iuliano in Clericos factum, quod Clericos è Curialibus olim factos ad Curias reuocauerit: Quod Sozomenus quoque prodit *lib. 5. cap. 5.* καὶ τοὺς ὑπὲρ αὐτῶν κειμένους νόμους ἀνεῖλε, καὶ τοῖς βουλευτηρίοις ἀπέδωκε. Quod non ita accipiendum eſt cum *Baronio, aliiſque*, quaſi Clericos ideò tantùm Iulianus Curiis addixerit, vel vt habet *Nicephori* Interpres, Senatorum munere & miniſterio peruersè fungi iuſſerit: verùm, quòd Clericos, qui è Curialibus Clerici facti fuerant, atque adeò Curialibus muneribus publicâ lege hâc ratione ſeſe ſubduxerant, ad Curias retraxerit, reuocauerit, *ἀνέσπασε* inquit *Philoſtorgius*, pariter vt *Sozomenus*, *ἀπέδωκε.* Et verò ipſamet illa ſuper eo Iuliani conſtitutio extat *l. 4. ſupr. de luſtrali collat.* & *l. 50. ſupr. de Decurionib.* vbi *Chriſtianorum* appellatione Clerici deſignantur. Imò & Iuliani *epiſt. 11.* ad Byzantinos hanc ipſam in rem extat; quæ tota ſic habet: *Τοὺς βουλευτὰς πάντας ὑμῖν ἀποδεδώκαμεν, καὶ τοὺς πατροβούλους, ὅσοι τῇ Γαλιλαίων ἑαυτοὺς ἔδοσαν θρησκείᾳ, ὅσοι ὅπως ἄλλως πραγματεύσαιντο διαδρᾶναι τὸ βουλευτήριον, ἔξω τῶν ἐν τῇ μητροπόλει λελειτουργηκότων.* Verùm hac de re plura ad *dict. l. 4. & 50.* vbi varios errores hâc in re ab Interpretibus admiſſos, pluribus refuto; quídque *πατρόβουλοι*, ibi ſint? clarè oſtendo. Denique Marcellinus quoque *lib. 21. 22.* & *lib. 25.* eò reſpexit ſcribens: *Curiis addictos à Iuliano, ab iis priuilegiis aut origine longè diſcretos*; ſeu *licet priuilegiis & ſtipendiorum numero & originis penitus aliena firmitudine communitos.* Tandem & Libanius videndus, *in funus Iuliani*, *pag. 296.* Quin & idem Iulianus Clericorum immunitatem ab extraordinariis muneribus infregerat, vt puto, *l. 10. ſupr. de extraord. muner.* vbi vide quæ dixi.

Quartò, neque illud prætermittendum, quod hîc dicitur, *Paganorum animos* (ſub Iuliano ſcilicet) *contra ſanctiſſimam Legem quibuſdam deprauationibus fuiſſe excitatos.* Quibus verbis proculdubio Valentinianus *hâc leg.* ad Proconſulem Africæ datâ, intelligit Donatiſtarum factum, à quibus Iuliani animus à Chriſtianâ alioquin Religione ſatis auerſus deprauatus excitatúſque fuit. Notum enim, quomodo Donatiſtæ Iulianum aduerſus Catholicos adierint, eíſque inani ſimulatione fucatáque perfidia obrepſerint; de quo ad *l... infr. de heret.* Atque hæc eſt illa *Inanis adſimulatio*, quæ *hâc leg.* dicitur: Hæ ſunt *deprauationes, quibus excitatus animus Iuliani contra ſanctiſſimam legem*, id eſt, contra Catholicam Religionem. *Sanctiſſima lex* eſt non Clericatus, verùm Catholica fides. Sic & Catholica Lex, *l. 11. ſupr. hoc tit.* & *l. 1. infr. de heret.* Catholica Sanctitas, *l. 4. 11. infr. de heret.* Sancta Lex, *l. 51. d. tit.* & *l. 5. ſupr. hoc tit.*

Igitur Quinto loco, hæc illa iam ſunt Iuliani decreta & ſub eo facta, quæ à Valentiniano *h. l.* per Africam infirmantur: Contrà, hæ illæ ſunt poſtremæ Conſtantij cogitationes, quas idem nunc valere iubet, & in his nominatim, *lex 16. ſupr. hoc tit.* & *l. 49. ſupr. de Decurion.*

§ Quæ cùm ita ſint, apparet de inani coniecturâ eorum qui in *hâc leg.* reponebant loco Conſtantij, *Conſtantini*: digitum quoque intendentium ad ſpec. *l. 1. infr. de Paganis*: quæ ab *hâc leg.* planè aliena eſt.

§ De

¶ De CVRIALIBVS *Clericis, ad Curiam reuocandis, vel non, Valentis constitutio.*

XIX. * Idem AA." Modesto PF. P."

QVICVNQVE ex Curialium natus genere ad Clericatum venerit, & præiudicium" sanguinis cœperit postulari," certi temporis definitione defendatur: vt si in consortio Clericatus decennium quietis" impleuerit, cum patrimonio suo in perpetuum habeatur inmunis: Si verò intra finitos" annos fuerit à Curia reuocatus, cum substantia sua functionibus subiaceat ciuitatis: Obseruando hoc, vt hi quos decennium vindicat," petitione superflua minimè fatigentur. Dat. XVI. Kal. Nou. Hierap." Valentiniano & Valente AA." COSS.

NOTA.

* Est *hæc lex*, à Baronio relata *Anno D* 505.*n*.42. referenda ad Ann. 370.

"Et huic *legi* addendum nomen *Gratiani*: Est autem ea VALENTIS tribuenda.

"*Modestus* PP. Orientis scilicet sub Valente Imp. ad hunc eundem Modestum extat Basilij *epistola* 279. de Immunitate Clericorum, & aliæ plures, puta 274. 275. 276. 277. 278. Meminit quoque eius Gregorius Nazianzenus *in monodiâ Basilij*, seu *Orat*. 20. & Amm. Marcellinus *lib*. 29. *in gestis Ann* 370. *p*. 419. *lib*. 30. *p*. 448. *in gestis Ann. D*. 374. vide plura in *Prosopogr*.

"in editione Tillianâ *praiudicio*; sed hoc commodè retineri potest, imò debet. *Praiudicium* enim *sanguinis* dicitur hîc actio præiudicialis, eadémque status: notúmque est, actionem prius *postulari* & impetrari oportuisse: quod ostendit *lex vnic. supr. de dolo malo*: *l*. 1. *supr. de inoffic. testament. l*. 9. *supr. de infirm. his quæ sub Tyr*. Sic quidem, vt exceptio non impetratæ actionis actori rectè opponeretur, quod posteà abrogatum à Theodosio Iuniore *l. vnic. supr. de omissa action. impetrat*.

"à Curia scilicet vel à Curiæ nomine, aduersus Clericum illum.

"*Decennium quietis*, rectè; quanquam alius fortè malit, *quietus*.

"id est, intra decennium: *Finitos* autem, pro *præfinitos*.

"à Curiâ liberat.

"Referenda *hæc lex* est ad Ann. 370 id est, *Valentinianum & Valentem III. COSS*. Eo quippe Anno Valens huius Constitutionis Auctor, mense Augusto, Septembri & Octobri, imò iam inde à verno tempore eius Anni *Hierapoli* constitit, vt præter *leg. vnic. supr. de iure Ital. Vrbis Constp. l*. 6. *supr. de Tiron l*. 3. *Cod. Iust. de Defensor*. testatur Zosimus, *lib*. 4. *p*. 742. Sed & Modesti (cui *hæc lex* inscribitur) Præfecti Prætorio nomen id ostendit, qui sanè ab hoc Anno demum 370 Præfectus Prætorio extitit: vide quæ dixi ad *l*. 63. *supr. de Decurion*.

COMMENTARIVS.

VALENTIS hæc vnica *hoc titulo* de Clericis Constitutio est: Ex qua apparet, quonam is erga Clericos & Curias animo fuerit. Igitur Curiales Clericos ad Curiam (pariter vt idem Monachos Curiales ad Curiam reuocari voluit, constitutione emissa ad eundem Modestum Præfectum Prætorio, putà *lege* 63. *suprà*, *de Decurionibus*. Quæ fortè hoc ipso Anno data est:) reuocari iubet *hâc lege* Valens, nisi decennium in Clericatu fuerint. Nempe cùm multi Curiales per Orientem ad Clericatum sese contulissent, neque Curiæ indemnitati consultum fuisset, cessis fortè facultatibus ex *Constantij* Constitutione, non modò *l*. 49. *supr. de Decurionibus*; sed & anteriore aliqua, vt *eadem lex* ostendit, atque præiudicio sanguinis ad Curiam reuocarentur, Valens certum tempus constituendum credidit, putà *decennij*, intra quod ij reuocari possent; post decennium non possent. Quomodo & Valentinianus Sen. *l*. 21. *infr. hoc tit*. temporis quoque distinctionem inducit. Arcadius quoque *lib*. 163. *supr. de Decurionibus*: & Theodosius Iun. *l*. 172. *d. tit*... Theodosius M. pariter temporis hâc parte distinctionem attulit *l*. 121 *supr. de Decurionib*. Et posteà tamen non allatam queritur Ambrosius Ann. 393. *epist*. 129. cuius verba refero ad *d. l*. 121.

Praiudicium sanguinis hic leg. est actio, quâ quæritur de alicuius ortu, stirpe, & origine. Aliud enim præiudicium est status, in quo de libertate alicuius quæritur, statúque legitimo; de quo §. *praeiudiciales*, *Inst. de action*. Decennio itaque præiudicium sanguinis excludi obseruandum, in specie *hâc leg*. Septennio in specie *d. l*. 21. *infr. hoc tit*. triennio ex sententia Theodosij M. *l*. 121. *supr. de Decurionib*.

Porrò, vt *hâc lege* Valens, ne Curiales ad Ecclesiam promiscuè transirent, cautum iuit: ita & sub eodem Valente, eadem Patribus & Synodo *Illyriciana* mens fuit, ante hanc ipsam *legem* in Synodicâ ad Ecclesias & Episcopos diœceseos Asianæ, Phrygiæ, Cataphrygiæ, Paeatianæ, referente Theodoreto, *lib*. 4. *cap*. 8. ὁμοίως τε καὶ Πρεσβυτέρους καὶ Διακόνους ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἱερατικοῦ τάγματος, ἵνα ὦσιν ἀνεπίληπτοι πανταχόθεν, καὶ μὴ ἀπὸ τοῦ βουλευτηρίου, καὶ στρατιωτικῆς ἀρχῆς: Nempe vetuêre Presbyteros & Diaconos è Curiâ adsciscì, vel ex officio Magistratuum: id enim sibi volunt illa postrema, στρατιωτικῆς ἀρχῆς (non vt ineptè Interpres *de militam ductoribus*:) Nam & Officialium seu Apparitorum *militia* dicta, de quo consule *Paratitlon de diuers. offic. lib*. 8. Basilius quoque Auctor est sub eodem Valente *epist*. 264. Vicarium Ponticæ quendam, tum quotquot erant, Clericos Cæsareæ, vnâ voce, Curiæ mancipasse: πάντας μὲν μιᾷ φωνῇ τοὺς ἱερατικοὺς τῆς ἐν Καισαρείᾳ Ἐκκλησίας παρέδωκε τῇ βουλῇ, vbi perperam Interpres, *Senatui permisit*, loco *Curiæ mancipauit*. Addit eundem Sebastiæ Orthodoxis communicantes ad Curiam nominasse, publicisque muneribus addixisse: τοὺς μὲν ἡμῖν κοινωνοῦντας βουλευτὰς ὀνομάζων καὶ καταδικάζων τῇ ὑπηρεσίᾳ τῶν δημοσίων, quem & ipsum locum non rectè vertit Interpres. Porrò vt sub Valente Curialibus muneribus attriti Clerici, ita & tributis Presbyteri & Diaconi, pristinâ immunitate abrogatâ:

abrogatâ: de quo insignis extat locus & querela Basilij Cæsariensis *epistola* 279. ad eundem Modestum Præfectum Prætorio, quem suprà laudauimus ad *l.*10. De Modesto verò hoc, plenè in *Prosopogr.*

¶ *De* VITA, HONESTATE, CONVERSATIONE *Ecclesiasticorum & Continentium: Valentiniani Sen. Constitutio ad Damasum Episcop. V. R. Lecta in Ecclesiis Vrbis Romæ.*

XX. * Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Damasum Episc. Vrbis Rom.



CCLESIASTICI, aut ex Ecclesiasticis," vel qui *Continentium*" se volunt nomine nuncupari, viduarum," ac pupillarum domos non adeant: sed publicis exterminentur iudiciis, si posthac eos ad fines" earum vel propinqui putauerint deferendos." ¶ Censemus etiam, vt memorati" nihil de eius mulieris, qui se priuatim sub prætextu religionis adiunxerint, liberalitate quacumque, vel extremo iudicio, possint adipisci: & omne in tantum inefficax sit quod alicui horum ab his fuerit derelictum; vt nec per subiectam" personam valeant aliquid, vel donatione, vel testamento percipere. Quin etiam si fortè post admonitionem legis nostræ aliquid hisdem eæ feminæ, vel donatione, vel extremo iudicio, putauerint relinquendum, id fiscus vsurpet. ¶ Ceterùm, si earum qui" voluntate percipiunt, ad quarum successionem, vel bona, iure ciuili, vel Edicti beneficiis adiuuantur," capiant vt propinqui. Lecta in Ecclesiis Rom. IV. Kalend. Aug. Valentiniano & Valente III. AA. COSS. [370.]

NOTÆ.

* Abest *hæc lex* à *Cod. Iustin.* de causis mox viderimus. Eam verò posteà abrogauit, Martianus Imp. *Nouellâ de testam. Cleric. vltim.* Eandem retulit Baronius *Anno* 370. *num.*117 eiúsque occasione multa obiicit *num* 118.119.120. 121.122.123.

"id est, *ex Ecclesiasticis nati*, liberi Ecclesiasticorum. An verò vnâ voce, *Ecclesiasticis*? Minimè.

"*Continentes* hâc lege qui sint? mox viderimus.

"vide Ambrosium 1 *officior.* 20.

"Si legamus separatim, *ad fines*, & sic, pro *ad domos*, *ad limina*, tum hic sensus fuerit, Non excusari Ecclesiasticos, aut Continentes, adeuntes domos viduarum & pupillarum, etsi propinqui earum eos eò deduxerint: Si verò legamus, *adfines*, vnicâ voce, quod Viris doctis magis placet, tum hic sensus fuerit, *deferentibus*, id est, accusantibus Propinquis & Adfinibus huiusmodi Ecclesiasticos & Continentes à Iudicibus secularibus puniri & exterminari. Quæ interpretatio & mihi magis placet; eámque etiam probat *l.*28 *infr.*

"id est accusandos, vt superiore *notâ* dixi.

"Ecclesiastici videlicet, aut ex Ecclesiasticis, vel Continentes.

"Fiduciarij tacitam fidem interponentis, & sic tacito fideicommisso in fraudem sanctionis, de quo *l.*27. *infr* & locus Hieronymi *ad Nepotianum*: quem mox proponam.

"*x. quid*, quanquam & hoc retineri potest. Nisi fortè *qui*, pro *aliqui* hîc sustineri posse putet quis.

"*muniantur*, *admittuntur*.

COMMENTARIVS.

SVSPECTIS Ecclesiasticorum & Continentium moribus, conuersationi, compendiisque seu cupiditati & auaritiæ, & quidem per Diœcesim & Episcopatum Vrbis Romæ, hæc insigni Valentiniani Senioris ad DAMASVM Episcopum Vrbis Romæ constitutione, Anno D.370. occurritur. Duo nempe *hâc leg.* prohibentur, de quibus mox; vbi priùs egerimus de *Continentibus*, ad quos *hæc lex* non minùs quàm ad Ecclesiasticos pertinet.

Continentes, quorum *hâc leg.* mentio fit, Ecclesiasticis vicini sunt, vtpote quibus coniunguntur: quare & Clericis in eadem re ipsa pariter iunguntur in *Concilio Carthag.* Anno 397. *can.*38. *Cod. Africani*, *Vt Clerici vel Continentes ad Virgines & Viduas, nisi ex iussu vel permissu Episcoporum, non accedant*: vid. & Cresconium, *Breuiario, cap.*155. Continentes igitur dicti, qui priuato perfectioris vitæ studio ducti, voto senerioris vitæ suscipiendæ, legitimis connubij solatiis seiuncti, ἀπεταξάμενοι, cœlibem vitam affectabant, ἐγκρατευόμενοι, id est, *Temperantes.* Hesychius ἐγκράτεια ἄσκησις interpretatur. Palladius in *Lausiaca*, τὴν τῆς ἐγκρατείας καὶ ἁγνείας ἀναδύσασθαι στέφανον. Cæterùm Continentium alij sese Asceterio dedebant, (quare & hos *Monachorum* appellatione intellexit Hieronymus:) Alij in vrbibus intra ædium priuatarum Sacraria vitam hanc exercebant, excolebant: vid. August. *epistola* 199. Nouell. *Iustin.*123. Leonis *Nouell.*33. Alij *Continentes* dictos putant, qui post nuptias, vxore è medio sublatâ, continebant. Ad rem.

¶ Primum *huius leg.* caput spectat Ecclesiasticorum & Continentium conuersationem: Viduarum scilicet ac pupillarum domos adire Ecclesiastici & Continentes vetantur, ad euitandam turpis conuersationis suspicionem: vnde colligere licet Ecclesiasticorum & Continentium quosdam hoc æuo etiam in Romana Diœcesi & alibi, hoc vitio vel laborasse, vel saltem suspicione haud omninò caruisse; sic vt Imperatoria iam authoritate malo huic intercedere opus fuerit: vti Patres quoque intercessêre. Sic Ambrosius *libris Offici.* quos ad Clericos suos scripsit, *lib.*1. *cap.*20.

Vidua

Viduarum ac Virginum domos, nisi visitandi gratia, Iuniores adire non est opus: & hoc cum Senioribus, hoc est, vel cum Episcopo, vel si grauior est causa, cum Presbyteris: Quid necesse est, vt demus obtrectandi locum sæcularibus? &c. Similiter Hieronymus quoque *epist. 2. ad Nepotianum, de vita Clericorum & Sacerdotum:* Etsi & ipse non in totum domo Virginis aut Viduæ Clericum arceat, modum tamen, eodem semper fine, hunc præscribit: *Si propter officium Clericatus, aut VIDVA à te visitetur, aut VIRGO, nunquam domum solus introeas: tales habeto socios, quorum contubernio non infameris: si Lector, si Acolytus, si Psaltes te sequitur, non ornentur veste,* &c. *solus cum sola secretò & absque Arbitro vel teste non sedeas: si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem, maiorem domus, virginem, viduam, vel maritatam: non est tam inhumana, vt nullum præter te habeat cui se audeat credere. Caueto omnes suspiciones & quidquid credibiliter fingi potest, ne fingatur ante deuita.*

¶ Secundò, prohibentur *hac leg.* Ecclesiastici & Continentes quicquam *capere*, ex mulierum largitione quarumcunque (ita enim *hanc leg.* accipio, præter Marciani Imper. mentem; de quo ad *l. 28. infr.*) liberalitate, vel testamento: relicto tantùm eis ex propinquorum successione capiendi iure; quò etiam pertinet Ambrosij locus elegans *serm 7.* de Clericis: *Licet dicere possumus; Nemo nos inuasionis arguit, violentia nullus accusat? Quasi non interdum maiorem prædam a VIDVIS blandimenta eliciant, quam tormenta: Non interest apud Deum, vtrùm vi, an circumuentione quis res alienas occupet, dummodo quo pacto teneat alienum.* Et rectum est Baronij iudicium, cùm iam Apostolorum temporibus hæc fierent, prauísque adeò germinibus illis Ager Dominicus inter persecutiones refertus esset, quid factum putandum sit tempore pacis Ecclesiæ sub Christianis Impp. & in ea potissimùm Vrbe, in quam è toto orbe diuitiæ tanquam in mare flumina confluxissent. Has igitur Hæredipetarum horum artes & aucupia *lex* hæc damnat. Damnant horum temporum Scriptores, etiam per eundem Episcopatum Romanum, huius quoque *legis* indicio facto: Et alioquin Ammianus Marcellinus quoque *lib. 27. p. 362.* *Neque ego abnuo,* inquit, *ostentationem rerum considerans vrbanarum, huius rei* [Episcopatus Romani] *cupidos, ob impetrandum quod appetant, omni contentione laterum iurgari debere: cum id adepti, futuri sint ita securi, vt ditentur oblationibus Matronarum, procedántque vehiculis insidentes circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò vt eorum conuiuia regales superent mensas. Qui esse poterant Beati reuera, si magnitudine Vrbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam prouincialium viuerent, quos tenuitas edendi, potandique parcissimè, vilitas etiam indumentorum & supercilia humum spectantia, perpetuo Numini verísque eius cultoribus vt puros commendant & verecundos.* Quæ quidem ab Ammiano dici mirandum non esse ipse Baronius fatetur. At certè verbis Ammiani Marcellini fides non videtur deneganda, duplici ratione: Primò, quod Gentilis ipse alioquin adeò candidè & prolixè Episcoporum Christianorum prouincialium puritatem, verecundiam, temperantiam commendare sustinet, vt ne Christianus Scriptor magis potuerit. Secundò, quod hæc *lex* tam apertè in eius sententiam pedibus ire videtur; nisi quod dici posset, nec Damasum nec vniuersum Clerum, sed solùm non paucos in hæc aucupia sese dedisse. Vt vt sit; sanè Ambrosius quoque *libello aduers. relat. Symmachi.* Anno D. 384. (vt alibi probo) huius *legis* (vt pleniùs probabo ad *leg. 27. infr.*) meminit: *Contrà; nobis,* inquit, *etiam priuatæ successionis emolumenta RECENTIBVS LEGIBVS denegantur, & nemo conqueritur. Non enim putamus iniuriam, quia dispendium non dolemus.* Mox: *Scribuntur testamenta ministris Templorum, nullus excipitur prophanus, nullus vltimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: Soli ex omnibus Clerico commune ius clauditur, nulla legatur vel etiam grauium VIDVARVM, nulla donatio, & vbi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio multa præscribitur. Quod Sacerdotibus phani legauerit Christiana Vidua, valet: quod Ministris Dei, non valet. Quod ego, non vt querar, sed vt sciant, quid non querar, comprehendi,* &c. *Sed referunt ea, quæ vel donata, vel relicta sunt Ecclesiæ, non esse temerata.* Hieronymus quoque compluribus locis hæc aucupia describit & perstringit, veluti *epist. ad Nepotianum 2. & 3.* & *ad Eustochium 22.* Quæ Baronius rectè refossa (vt ipse ait) & in vnum collecta omnibus spectanda *in Annalib.* posuit, vt inde Lector huius legis sanciendæ occasionem intelligeret; & vt sciret Lector se, quod ingenui Scriptoris est, veri amantis historici numeros explere; nec in gratiam hominum vitia reticendo, laudare virtutes. Egregium verò illud Baronij factum: vt mirum planè sit, eundem hanc legem *parum æquam* nuncupare: contra quam etiam iuxta Ambrosium Hieronymus *d. epist. 2. ad Nepotianum, de vita Clericorum & Sacerdotum, fol. 7. & 8.* qui hanc sanctionem commendat: *Pudet dicere, Sacerdotes Idolorum, Mimi, & Aurigæ, & Scorta, hæreditates capiunt, Solis CLERICIS ac MONACHIS hac lege prohibetur: & non prohibetur a Persecutoribus, sed a Principibus Christianis. Nec de LEGE conqueror sed doleo cur MERVERIMVS hanc legem. Cauterium bonum est; sed quò mihi vulnus, vt indigeam Cauterio? Prouida seueráque legis cautio: & tamen nec sic refrenatur auaritia. Per fideicommissa legibus illudimus: & quasi maiora sint Imperatorum scita, quàm Christi, leges timemus & Euangelia contemnimus. Sit hæres, sed mater filiorum, id est gregis sui, Ecclesia, quæ illos genuit, nutriuit, pauit: quid nos inserimus inter matrem & liberos?* Quid est igitur quod Baronius hanc Valentinianeam legem, iuxta similes, parùm æquas, neque semel vocet? enim ipse tamen, vt dixi, causam huius legis sanciendæ rectè aperiat; & exerescentem Clericorum & Monachorum cupiditatem coërcendam dicat; in ea potissimùm Vrbe, Roma scilicet, in quam è toto Orbe diuitiæ tanquam in mare flumina confluxissent: Imò & verisimile sibi videri dicat, ipso Damaso id agente, hanc sanctionem editam aduersus diuinorum decretorum contemptores ad demoliendam Clericorum & Monachorum eiusmodi quæstuariam & sordidam officinam, vt qui contemnerent sancta Dei Euangelij præcepta, & pro nihilo ducerent sacros Conciliorum Canones, ipsorúmque Romanorum Pontificum decreta quælibet deriderent; iidem proeaces ab ipso Imperatore Valentiniano compescerentur: quem constat in cæteris iura Ecclesiastica satta recta seruari voluisse. Valentinianus ipse *consulti* appellatione in *l. 22. infr.* consultam & prouidam sanctionem vocat, vtpote quam hæc tempora omninò exègere. Sed & hoc ipsum paulò post ad Episcopos quoque & Virgines Deo dicatas extensum fuit, *l. 22. infr.* vt neque videlicet ex mulierum liberalitate quicquam capere possent. Hoc ipsum posteà & de Diaconissis, imò sub seueriore quoque sanctione prohibitum, *l. 27. infr.* seueriore inquam: Nam cum aliæ mulieres,

vt maximè Eccleſiaſticis & Continêtibus aliquid donare vel relinquere *hâc leg.* prohibeantur, non ideò tamen prohibitæ ipſis Eccleſiis aliquid relinquere, quod tamen perperam Viri docti nonnulli putarunt. At Diaconiſſæ, non modò Clericis, verùm etiam Eccleſiis & pauperibus relinquere aliquid prohibitæ, *d l.27.* vel etiam de claræ domus inſignibus, in eos aliquid trāſcribere, quod poſtremum tamen mox abrogatum *l.28 infr.* Neque enim audio Marcianum Imperatorem exiſtimantem *eâ lege* 28. hanc noſtram abrogatam, de quo tamen pleniùs videbimus ad *d l.28.* Sanè Marcianus ipſe poſteà hac parte vt hanc *legem*, ita & *d.l.27. infr.* velut aſperiùs & duriùs latas abrogatas voluit *Nouell. ſua de teſtam. Cleric. vlt.*

¶ Secularis interim iuriſdictionis & poteſtatis in Eccleſiaſticos ſaltem quoad temporalia illorum bona monumentum & argumentum hoc, (ſi quod aliud) illuſtre eſſe videtur: cuius veſtigia, procul ab omni ſtudio, quod abominor, ſectari lubet. Primùm, Imperatorem videmus non ſolùm mores Eccleſiaſticorum ad honeſtatem componentem, ſed & prouidâ ac ſeuerâ legis cautione Eccleſiaſticorum adquiſitionibus fibulam imponentem. Secundò videmus, alteram iam hanc conſtitutionem *hoc titulo, ad Epiſcopum Vrbis Romæ* directam; nempe haud alio exemplo vel ratione, quam vt is operam daret, quo ea *Lex* effectui traderetur, quam & ipſe fortè elicuerat, quod Baronio coniicienti facilè & ipſe accedam. Hæc enim ratio huiuſcemodi Inſcriptionum eſt; atque adeò quod laudabile, vt Clerum ſuum ad huius ſanctionis præſcriptum contineret. Certè, vt poſteà docebit *lex* 22. etiam Epiſcopis ea ſancita eſt, neque hac parte, quicquam præ Clericis alijs Epiſcopi præcipui habuêre. Tertiò videmus, ſanctionem hanc *Lectam in Eccleſiis Romæ*, quod Imperialis poteſtatis, & quidem Romæ argumentum eſſe videtur. Et ſanè quemadmodum *leges* ſeu Orationes *ad Senatum* emiſſas, vel ad ius Senatorium pertinentes, *in Senatu* lectas, nonnullæ *huius Codicis* conſtitutiones oſtendunt; quæ verò ad Iudices & Magiſtratus & ad horum officium ſpectabant, *apud Acta*: Sicut rurſum conſtitutiones, quæ ad ius militare pertinent, *in Principiis* lectæ & aſſeruatæ: Ita *leges* Impp. Eccleſiaſticæ *in Eccleſiis* pariter lectæ (ſicut aliquando eorundem Impp. Icones Imperatoriæ auctoritati oſtentandæ in Eccleſias illatæ, de quo etiam Gregorius *in Regiſtro*,) idque tanquam frequentiſſimo loco: Et epiſtolas Imperatorum in Eccleſiis lectas teſtatur Chryſoſtomus *homil.4. in 2. ad Theſſal.* ed. Comel. *p.1502.* Sanè præter hanc *legem*, lectarum in Eccleſiâ ſiue conſtitutionum, ſiue epiſtolarum Imperatoriarum de rebus Eccleſiaſticis alterum luculentum exemplum ſuppeditat Sulpitius Seuerus *lib.2. Hiſtoria ſacra*, in geſtis Anni 355. *Epiſtolam*, inquit, *ſub Imperatoris nomine emittunt, eo conſilio, vt ſi ea æquis auribus populus recepiſſet, publica authoritate cupita proferrent. Igitur LECTAM IN ECCLESIA epiſtolam populus auerſatur: Dionyſius, quia non eſſet aſſenſus, vrbe pellitur. Statimque eius in locum Epiſcopus ſubrogatur. Liberius quoque Vrbis Romæ, & Hilarius Pictauorum Epiſcopus dantur exilio* Sed & Imp. Theodoſij Iunioris aduerſus Neſtorium *legem* cum Edictis Præfectorum, ſub quibus propoſita, in Eccleſiis lectam ſubſcriptio teſtatur: Ἀνεγνώσθη ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τῶν μοναζόντων ἐν τοῖς ἐρημικοῖς φαρμαθὶ κγ΄. Ἰνδικτιῶνι α΄, ἔτους Διοκλητιανοῦ ρξδ. Sic etiam Conſtantinus Magnus epiſtolam ſuam Athanaſij abſolutoriam & Meletianis comminatoriam, quam ad Eccleſiam Alexandrinam ſcripſit, teſte Theodoreto *lib. 1. cap.26. 27.* iuſſit, εἰς τὸ κοινὸν ἀναγνωσθῆναι, ἵν᾽ εἰδέναι πάντας ἔχοιεν τὴν αὐτοῦ γνώμην, teſte Sozomeno, *lib.2. cap.22.* Itaque erratum eſt Doctiſſimi aliàs Baronij *Ann.370. num.123.* qui negat, vllum exemplum præceſſiſſe, vt Imperatoriæ ſanctiones in Eccleſiis legerentur. Sic quoque in fine *legum Viſigothicarum* legimus, *ſupraſcriptas omnes* (de Iudæis ſcilicet) *Lectas in Eccleſiâ S. Mariæ Toleto ſub die VI. Kal. Febr. Anno primo Eruigij R.* Sanè & Gregorius quoque poſteà Mauritij *leges* etiam iniuſtas viſas publicauit, & ſic Imperatoris iuſſioni hac in re obedientiam præbuit, quod ipſemet teſtatur *l.2. Ind.11. epiſt.61.* Neque illud Baronij mouere debet quod addit, minimè reperiri ab Imperatore *hâc leg.* præceptum, *Vt ea legeretur in Eccleſiis.* Neque enim neceſſe fuit, id nominatim *lege* comprehendi, quod factum apparet; & quia factum apparet, fieri potuiſſe colligitur, & eo quidem magis, quod Damaſo Epiſcopo inſcripta, non alibi, quàm in Eccleſiis legi debuerit. Tandem neque illud admittendum quod Baronius credi vellet, Valentinianum Damaſi miniſtrum hac in re egiſſe: Illud alterum equidem quod ſubiicit, & Damaſum Edictum illud impetraſſe, haud adeò abnuam: verùm prius illud, Baronij diuinationem ſapit. Et tamen ſi vel hoc ipſum largiremur, ſaltem exinde liqueret, authoritate Principis hâc parte Romæ opus fuiſſe, vt ipſe Baronius fatetur, quæ vtique fruſtra adhibetur, vel adhiberi poſtulatur, niſi Eccleſia in Republica eſſet, id eſt, niſi legibus Imperatorum Eccleſia etiam Romana, tum ſaltem in temporalibus teneretur. Poſtremò id magis magiſque euincit huiuſce *legis* ſanctio, & quidem duplex: Primùm enim Eccleſiaſticos viduarum & pupillarum domos contra Edictum adeuntes, *publicis iudiciis deferri & exterminari iubet*, id eſt, coram iudicibus ſecularibus. Secundò, à mulieribus his relicta vel donata, fiſco ſuo vindicari iubet. Sic ſecularium Poteſtatum & Principis eſt iudicium de bonis Eccleſiaſticorum. ¶ Inquies quod & antea perſtrinxi, hanc legem poſteà velut aſperiùs & duriùs latam à Martiano abrogatam, Nouellâ *de teſtam. Clericor. vlt.* verum id: Sed quid tum? Eſto, viſa fuerit tum Marciano aſperior & ſeuerior: Præterquam quod de Martiani iudicio dicere poſſem, hinc ſanè liquet, vſque tum eam *legem*, ſeruatam: Item leges humanas pro temporibus Principes variare, mutare, abrogare potuiſſe. Neque ilicò abrogatio legem abrogatam iniuſtam fuiſſe eo tempore, quo lata fuit, coarguit; cùm ceſſante etiam causâ, quæ *legi* occaſionem dedit, & ipſam *legem* ceſſare, atque abrogari, ius & mos ſit. Illud minimè tolerandum quod Molanus *lib. de piis teſtam. c.34.* cenſet, hanc *leg.* fuiſſe latam *odio in ſacros homines*, moxque abrogatam. Neque enim hîc vllum odium Ordinis Eccleſiaſtici vertitur, verùm frænum tantùm auaritiæ ſacrorum hominum, hæredipetarum, Clericorum & Monachorum iniicitur, quod optimè vidit ipſe Baronius, & nuperrimè Nicolaus le Maiſtre, *lib.2. de bonis Eccleſ. c.1.* ¶ Tandem inquies, quod etiam Baronius notat, Eccleſiaſticis tantùm, non Eccleſiis ipſis, hanc legem ferri. Verum hoc, quicquid alij contra ſentiant. Sed quid inde? Nempe Valentiniano viſum, Eccleſiaſticis modum ponere. Atenim vbi vſus poſteà poſtulauit, non minus Eccleſiis ipſis modus à Principibus quidam impoſitus: quod oſtendet *lex 27. infr.* Denique Principi hac in re vel laxare vel contrahere pro Reipublicæ vſu ſemper licuiſſe videtur.

xxi.* Idem

XXI. * Idem AAA. ad Ampelium PF. V."

HI" qui Ecclesiæ iuge obsequium deputarunt, Curiis habeantur immunes, si tamen eos ante" ortum Imperij Nostri ad cultum" se legis nostræ contulisse constiterit: ceteri reuocentur, qui se post id tempus Ecclesiasticis congregarunt. Dat XVI. Kal. Iun. Gratiano A. II. & Probo COSS. [371.]

NOTÆ.

* Omisit & hanc *legem* Baronius, quæ & à *Cod. Iust.* abest.

"al. *PFP.* malè: Romæ scilicet cuius mentio apud Ammianum Marcellinum *lib. 28. p. 386.* in gestis huius Anni & 369. cuius etiam quatuor decreta in Vrbe Roma memorat. Eidem inscribuntur complures Anni huius constitutiones, & sequentis 372. Sed & Baronius, ex *Cod. Vaticano* refert hoc ipso Anno eiusdem Valentiniani indulgentiam de Vrsicino Schismatico in Episcopato Rom. ad hunc eundem Ampelium Præf. Vrbis, quâ etiam Vrsicino ita indulgentiam præbet, vt ne ad Vrbem Romam, vel ad suburbicarias regiones pedem inferat, ne nequitiæ suæ contagionem conetur infundere.

"Ecclesiastici Clerici, &c.

"ante V. Kalend. Mart. Anni 364. & sic ante septennium: eo enim die & tempore Valentinianus Imperator declaratus fuit.

"*Cultus* hic pro ministerio & Clericatu. Eodem sensu in eodem argumento in Constant. *l. 49. supr. de Decurion.* cultus diuinæ reuerentiæ: item via diuinæ cultionis, pro Clericatu.

COMMENTARIVS.

CVRIALEM Clericum factum ad Curiam reuocari iubet *hâc leg.* Valentinianus Sen. vt & Constantinus M. *l. 3. & 6. supr.* & Valens *l. 19. supr.* In præteritum tamen certo tempore vt aliis constitutionibus conclusa hæc Clericorum ad Curiam reuocatio, veluti *d. l. 19. suprà, l. 123. 162. 163 supr. de Decurion.* ita & hâc Valentiniani & quidem per Vrbem Romam & regiones suburbicarias. Scilicet ante ortum Imperij sui, id est, ante V. Kal. Mart. Ann. 364. & sic ante Septennium Clericos factos à Curiis haberi immunes vult, post id tempus factos ad Curiam reuocari. Verùm de hoc iam pleniùs ad *l. 49. & 59. supr. de Decurion.*

XXII. * Idem AAA. ad Paulinum" præsidem Epyri" nouæ."

FORMA præcedentis consulti † etiam circa Episcoporum Virginúmque" personas, &" circa alias," quarum statuto præcedenti facta complexio est, valeat, ac porrigatur. Dat. Kalend. Decembr. Treu." Modesto & Arintheo COSS. [372.]

NOTÆ.

* Et hanc *legem* in *Codice Iustinianeo* omissam omisit quoque Baronius.

"Huic successit mox Anno sequente Zosimus; vt docet *lex vnica supr. ne Praefectiani*: Item *lex vnica supr. de Stratoribus* emendata eius subscriptione.

"*Epyrus* Valentiniano in Imperij diuisione cessit, vt huius *legis* Inscriptio cum Subscriptione collata fidem facit: itémque *lex vnica supr. ne Praefectiani*: Et sanè Zosimus testatur, *lib. 4. pag. 735.* Valentiniano Illyricum & quidem totum cessisse.

"Epyri duæ: de quo vide *Topogr.* Nouæ fit quoque mentio in *Itiner. Peutinger.*

† Cuius: *legis* 20 *supr.* vt mox ostendam. Hâc interim voce prouidam hanc sanctionem consultámque dicere voluit: de quo ad *d. l. 20. supr.*

"Deo scilicet dicatarum, de quibus vide *supr. tit. de raptu vel matrim. sanctim.* & *l. 4. 6. supr. de Censu.*

"*&.* vt.

"putà Clericos & continentes *d. l. 20.*

"forte *Trid.* id est, Tridenti.

COMMENTARIVS.

TRAHITVR, seu extenditur anterior aliqua constitutio, ad Episcoporum & Virginum personas, hâc Valentiniani Senioris Constitutione: Virginum, inquam, Deo dicatarum & Sanctimonialium, de quibus alioquin fuit quoque *supr. tit. 25. lib. 9. de raptu vel matrim. sanctim.* & *lex 4. 6. supr. de censu.*

¶ Quænam autem illa præcedens constitutio est? Sanè hâc in re obscurâ vel illud saltem ex *hâc leg.* colligere licet, *eâ lege* de Clericis & similibus actum fuisse: Quandoquidem eius *legis* forma ad Episcopos & Virgines Deo dicatas trahitur: Et sic proculdubio à minoribus vel æqualibus, ad maiores & æquales extensio fit. Et sanè ita existimo, intelligi hîc *legem* 20. *supr.* in qua agitur de Ecclesiasticis & Continentibus. Et sic de Ecclesiasticis *eâ leg.* constituta, ad Episcopos quoque *hâc leg.* cum de eo alicubi dubitari cœpisset, porriguntur. Item, quæ de Continentibus viris ibi statuta, ad Virgines pariter Continentes, *hâc leg.* trahuntur. Fuerit itaque *huius legis* hæc sententia; Etiam Episcopos, etiam Virgines Deo dicatas, nihil consequi posse ex liberalitate mulierum, non magis quàm cæteros Ecclesiasticos aut Viros Continentes: de quo ad eam *leg.* 20.

¶ Dices, *legem* 20. ad Episcopatum Vrbis Romæ pertinere, hanc verò ad Epyrum, &

quidem nouam: quare hanc *legem* ad illam trahi non posse? Fateor, emissam illam ad Episcopum Vrbis Romæ, fateor, lectam in Ecclesiis Vrbis Romæ: Sed generalem eius prouidentiam fuisse an, & sic vbique eam seruari voluisse Valentinianum.

XXIII. * Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. Artemio," Euridico, Appio, Gerasimo," & ceteris Episcopis."



Vt mos est" causarum ciuilium," idem in negotiis Ecclesiasticis obtinendi" sunt: vt si qua" sunt, ex quibusdam dissensionibus," leuibúsque delictis, ad religionis" obseruantiam pertinentia, locis suis, & à suæ Diœceseos Synodis audiantur: Exceptis" quæ actio criminalis, ab Ordinariis" extraordinariísque" Iudicibus, aut Inlustribus" potestatibus audientia" constituit." Dat xvi. Kal. Iun. Treu. Valente v." & Valentiniano AA. COSS. [376.]

INTERPRETATIO. *Quoties ex qualibet re ad Religionem pertinente inter Clericos fuerit nata contentio, id specialiter obseruetur, vt conuocatis ab Episcopo diœcesanis Presbyteris qua in contentionem venerint iudicio terminentur. Sanè si quid opponitur criminale, ad notitiam Iudicis in ciuitate qua agitur deducatur, vt ipsius sententia vindicetur quod probatur criminaliter fuisse commissum.*

NOTÆ.

* Abest *hac lex* à *Cod. Iust.* Refert eam Baronius rectè *Anno* 376. *num.*6. Abest quoque ab Aniano. Put.
"de *Episcopis* istis mox.
" *Gerasimo* in veteri *huius Codicis* Chronologia, & in aliis MSS.
"in Synodum aliquam proculdubio tum coacti: de quo mox.
"Loco, *mos est*, reponat quis *Mores sunt*: & sic mox, *iidem* pro *idem* legendum fuerit. Verùm id mihi non placet. Alij reponunt infrà *obtinendus est*: quomodo sanè nonnulli MSS. Anianei habent: Quod de suo etiam testatur Seldenus, *de Synedriis*, *cap.*10. *p* 344 Et ita quoque Baronius habet in *Ann. D* 376. Et id tamen ipsum durïusculum. Fortè rescribendum *eidem*,&c. *obtinendi ius sit.*
"*Ciuiles* causæ hic sunt laicorum causæ & seculares.
"*Obtinere*, est locum habere: vt in illo Concilij Niceni *cap.*6. τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω: vbi rectè Interpres *Antiquè mores obtineant.*
"pro *qua*: Cæterùm exstat hæc sententia, recisis nonnullis in Pij *Epistol.*2.*p.*199.
"malè al. *damnandis sensibus.*
"Disciplinæ Ecclesiasticæ.
"vox hæc non exceptionem à Regulâ propriè denotat; verùm contrarium casum: nam de *leuibus delictis* suprà actum fuit, à quibus nunc *actio criminalis excipitur*, id est separatur, distinguitur.
"putà, Rectoribus Prouinciarum, Proconsulibus, Vicariis.
"In eodem argumento vid. *l.vlt. infr de Episcop. iudic.*
"putà Præfectis Prætorio: de quo mox.
"*sc. audienda*, (vt *supr. audiantur*) quomodo MSS. exhibent, & quidem Seldenianus; Seldenio ipso teste *de Synedriis*, *lib.*1.*cap.*10. *p.*345.
"Sensus est; Ea excipienda esse, quæ actio Criminalis instituta efficit, vt ab Ordinariis & extraordinariis Iudicibus, vel Inlustribus Potestatibus audienda sint.
"an potius, *Valente VI. & Valentiniano II. COSS.* id est, Anno D.378.

COMMENTARIVS.

DE FORO Episcoporum & Clericorum, quemadmodum fuit iam *supra* Constantij Imp. epistola, siue Constitutio, *l.*12. *hoc tit.* erit Honorij *lex* 41. *infr. hoc tit.* & *lex* 1. *infr de Relig.* Valentiniani Placidiæ filij *lex vlt. infr. hoc tit.* Ita hæc *lex* Gratiani est, quod ostendit eius subscriptio, DAT. TREVERIS. Atque ita in vniuersum quinque hac de re *hoc Codice* extant Constitutiones genuinæ, (quibus addunt Alij duas, Constantini nimirum & Theodosij nominibus propositas sub *tit.de Episcopali iudicio*, vbi dicemus:) quibus videlicet definitur, an & quando Episcopi & Clerici coram Ecclesiasticis, quando verò coram secularibus Iudicibus accusari, vel litigare possint. Quod quidem ostendit, sæpiùs hanc rem in Synodis & in Consistoriis Principum agitatam. Non harum omnium *legum* sententiam *hic* sub vnum semel conspectum proponemus: mox quænam huiusce *legis* sententia sit, aduersus plurimorum interpretationes, eam quoque quæ *huic legi* subdita est, ostendemus.

¶ Vt hoc distinctè fieri possit, Tria *Causarum* genera circa Clericos constituenda sunt: Ecclesiasticæ videlicet Causæ, Pecuniariæ siue ciuiles, & Delictorum communium.

¶ De Causis *Ecclesiasticis*, τὰ ἐκκλησιαστικὰ ζητήματα, apud Basilium, id est, in quibus de Religione agitur, seu in causa FIDEI, vt Valentinianus Sen. Imperatoris nostri pater, in hac ipsa re, *lege sua* dicebat, teste Ambrosio *epist.*32. *in princ.* dubium nullum est, eas coram Episcopis & Synodis Diœceseon audiri oportere, *hâc leg.* & *l.*1. *infr. de Religione*, & *d.l.vltim. infr. de Episc. iudic.* non verò δημοσίοις δικαστηρίοις Ecclesiasticos συνάγεσθαι: de quo elegans etiam est locus ille qui extat apud Ambrosium *epist.*32. ad Valentinianum Iun. vbi & Valentiniani Senioris *legem*, seu *Rescriptum* super eo recitat, quod paulo post exhibebo. Est & Basilij hoc ipso tempore *epist.*385. *in fin.* Est Gregorij Nazianzeni *epist. ad Nectarium* 227. Item dubium nullum est, causas Ecclesiastici alicuius Ordinis (vt *eodem loco* Ambrosius) vt & delicta Ecclesiasticorum propriè contra disciplinam Ecclesiasticam & Ordinem admissa, ibidem agitata; quæ Ecclesiastica ἐγκλήματα seu ἁμαρτήματα delicta dicuntur *can.*6. *Concilij Constantip.* & *Nouellâ Iust.*83. *cap.*1. vide & *leg.*19. *Cod. de Episcop aud.* quæ scilicet pœnis Canonicis, atque in his *Exauctoratione*, (de quâ est *l.*41. *infr.* & *l.*20. *supr. quorum appell.*) communionis priuatione exercentur. Atque

que hoc eſt illud omne, quod Ambroſius, Valentinianum Sen. *legibus* ſanxiſſe ſcribit; ſcribens ad eius Filium Valentinianum Iun. *Auguſta*, inquit, *memoria Pater tuus, non ſolum ſermone reſpondit, ſed etiam Legibus ſuis ſanxit, in cauſa Fidei, vel Eccleſiaſtici Ordinis alicuius, eum iudicare debere, qui nec munere impar ſit, nec iure diſſimilis. (hæc enim verba reſcripti ſunt) hoc eſt, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam ſi aliàs quoque argueretur Epiſcopus, & MORVM eſſet examinanda cauſa, ETIAM HANC voluit ad Epiſcopale iudicium pertinere* : Et mox; *Quando audiſti, Clementiſſime Imperator, in cauſa Fidei Laicos de Epiſcopo iudicaſſe? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt Sacerdotalis Iuris ſimus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipſe aliis putem eſſe credendum?* &c. Et mox: *At certè, ſi vel ſcripturarum ſeriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat in cauſa Fidei, in cauſa inquam Fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare*, &c. Hactenus Ambroſius. Atque hæc tum de cauſis Fidei, vel Eccleſiaſtici alicuius Ordinis, tum de delictis Eccleſiaſticis.

§ Secundò, de Cauſis *Pecuniariis* Eccleſiaſticorum nunc videndum eſt. Pecuniariæ igitur, ſeu ciuiles Eccleſiaſticorum cauſæ coram iudicibus ſecularibus inſtruebantur, non minùs quàm priuatorum ſeu laicorum: & hactenus Conſtantini Magni priuilegio quod memorat Sozomenus *lib.1. cap.9.* cautum fuit, vt conſenſu vtriuſque partis, Epiſcopus inter priuatos de rebus pecuniariis cognoſcere poſſet, ſic vt Epiſcopus more Arbitri ſpontè reſidentis, in Ciuili dumtaxat negotio iudicaret: & ſic ſub tribus limitationibus id conſtitutum; non verò iure ſuo id ſibi Eccleſiaſtici vindicare potuerunt, & hanc Laicis neceſſitatem iniungere. Idque ipſum etiam cauetur *l.7. & 8. Cod. de Epiſcop. aud.* & *Nouell. Valentiniani* 12. *in princ. de Epiſcop. indic.* quam quidem *legem* 7. Tribonianus defotmaſſe videtur ex *l.10. ſupr. de Iuriſdictione*, niſi potius vtraque *lex* eiuſdem Conſtitutionis partes ſint. Ex *d. l.10.* interim liquet, hoc idem Priuilegium tributum Iudæis, vt videlicet & ipſi in ciuili dumtaxat negotio, ex conſenſu, ad ſimilitudinem Arbitrorum, apud Patriarchas ſuos litigare poſſent. At, quod *l.1. de Epiſcopali ind.* ſub Conſtantino M. cauetur, vt id fieri poſſet, etſi altera pars refragaretur; id falſum eſſe ad *eam leg.* oſtendam.

¶ Tertiò, ſequuntur tandem *Eccleſiaſticorum Delicta*, quæ *communia* rectè dicere poſſis, ea videlicet, quæ publicis *legibus* & Iure communi vindicantur, πολιτικὰ ἐγκλήματα *d. Nouell. Iuſt.83.* quæ ad vſum publici Iuris pertinent, vt loquitur *lex 1. infr. de Religion.* quæ Rempubl. lædunt. Nam vt Militum alia delicta *propria* ſunt, quæ militarem diſciplinam attentant, alia *communia*, quæ publicam diſciplinam (& ſic eorum perſecutio aut propria, aut communis eſt; *l.2. & 6. ff. de re milit*) ita pariter Eccleſiaſticorum admiſſa, ſiue delicta, aut *propria* ſunt, id eſt, quæ illi vt Eccleſiaſtici admittunt aduerſus Eccleſiaſticam diſciplinam, (quâ causâ, & eorum perſecutionem propriam eſſe, id eſt, à Iudicibus Eccleſiaſticis vindicatam oſtendimus:) Alia verò *communia* ſunt, quæ non iam vt Eccleſiaſtici, ſed vt Ciuium numero, atque in Republ. conſtituti, admittunt: nam, vt rectè quoque Cardinalis Bellarminus *lib 1. de Clericis, cap.28. Clerici præterquam quod Clerici ſunt, ſunt etiam ciues & partes Reipubl. politicæ.* Et verò hæc delicta regulariter ab ordinariis, extraordinariiſque iudicibus ſecularibus, vel Illuſtribus audiebantur, vindicabantur: ſeu ad ordinarios Cognitores pertinebant, legibúſque audiri oportebat: quæ ſententia eſt Gratiani *hac leg.* & Honorij *l.1. infr. de Religion.* Eadémque eſt ſententia *leg.3. de Epiſcop. ind. Continuâ*, inquit, *lege ſancimus, nomen Epiſcoporum, vel eorum, qui Eccleſiæ neceſſitatibus ſeruiunt, ne ad iudicia ſiue Ordinariorum, ſiue extraordinariorum iudicum pertrahatur. Habent illi Iudices ſuos, nec quicquam his publicis ſit commune cum legibus. QVANTVM AD CAVSAS TAMEN ECCLESIASTICAS pertinet, quas decet Epiſcopali auctoritate decidi. Quibuſcunque igitur mota fuerit quæſtio, quæ ad CHRISTIANAM PERTINENT SANCTITATEM, eos docebis ſub eo Iudice litigare, qui Præſul eſt in ſuis partibus omnium Sacerdotum, id eſt per Ægypti Diœceſin, Optate Kariſſime ac iucundiſſime. Quare laudabilis auctoritas tua arbitrio temperato quicquid NEGOTIORVM ALIVNDE videlicet terminabit, habituro Pontificium SACRÆ DISCEPTATIONIS Timotheo Epiſcopo.* Vides cauſas tantùm Eccleſiaſticas, ad Chriſtianam ſanctitatem pertinentes, ſacras diſceptationes, Epiſcopali auctoritate decidi. At, quicquid negotiorum aliunde incidit, id eſt alias cauſas quaſcunque, Iudicum ciuilium arbitrio terminari iuberi. Ac proinde emendandus Gratianus, qui canonizatâ illius *legis* parte, *canone, continua 5.11. quæſt.1.* hanc diſtinctionem ſuſtulit, omiſſis illis, *quantum ad cauſas Eccleſiaſticas tamen pertinet*: & reliquis ſequentibus.

Sed & illud obſeruandum, dictam *l.1. infr. de Religione*: adeò præciſam videri, vt Priuilegium iſtud Conſtantinianeum, de cauſis tantùm pecuniariis ſeu ciuilibus ad Iudices Eccleſiaſticos trahendis, abroget, omnibus videlicet cauſis ſeu negotiis aliunde, præterquam de Religione, incidentibus, ad Ordinarios Iudices remiſſis, verbis planè peremptoriis. Accedit & Valentiniani *Nouell.12. de Epiſc. ind.* in quâ Valentinianus, ſublatutus querelas ſeu cauſationes plurimorum, quæ tum erant de Epiſcopali iudicio, non tantùm in cauſis ciuilibus (id eſt pecuniariis) Epiſcopos iudicium ſibi vindicare vetat, niſi vtraque parte conſentiente & præcedente vinculo Compromiſſi, verùm etiam confirmata verbis expreſſis Honorij conſtitutione *d. l.1. infr. de Religione*: etiam quoad Epiſcopos reos publicis legibus & iure communi, id eſt, in publico iudicio reſpondere iubet, niſi fortè priuato delicto læſus ab Eccleſiaſtico iudicium Eccleſiaſticum eligere maluerit. Verba hæc ſunt: *Quoniam conſtat, Epiſcopos & Presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis cauſis ſecundum Arcadij & Honorij diualia conſtituta, quæ Theodoſianum Corpus oſtendit, præter Religionem poſſe cognoſcere, ſi ambo eiuſdem officij litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus & IVRE COMMVNI. Sin vero petitor Laicus ſeu in ciuili ſeu criminali cauſa, cuiuſlibet loci Clericum aduerſarium ſuum, ſi id magis eligat, per auctoritatem legitimam in publico iudicio reſpondere compellat: Quam formam etiam circa Epiſcoporum perſonam obſeruari oportere cenſemus: Vt ſi in huiuſcemodi Ordinis homines actionem perſuaſionis & atrocium iniuriarum dirigi neceſſe fuerit, per Procuratorem ſolemniter ordinatum apud Iudicem publicum inter leges & iura confligant.* Et mox: *In reliquis negotiis criminalibus iuxta legum ordinem per ſe iudicium ſubire coguntur.* Itaque & publica delicta atrociáque crimina Eccleſiaſticorum neceſſariò apud ordinarios Iudices agitata, pariter vt ciuiles

cauſæ,

causæ, vt & priuata eorum delicta, nisi aduersario consentiente. Idque Ivs Commvne fuit, & verò notandum ita vocari *d. Nouella.* Et licèt Baronius obseruet, Valentinianum, post latum hoc impium Edictum nulla prospera cessisse, sed aduersa, cunctáque in deterius esse prolapsa atque penitus labefactata, ipsúmque demum miserando interitu periisse, id tamen refutat Millerotus *p.* 129. 130. qui idem rectè ostendit *Leonis* Epistolam 94. *huic legi* contrariam, non esse Leonis PP. sed Leonis Archiepiscopi tertiæ prouinciæ Narbonensis. Quanquam non dubito quin Episcopi & hæc sibi quoque vindicare niterentur; qui & Martini Turon. Episcopi, & Seueri *lib.* 2. *histor. sacra*, sensus fuit, illis potissimùm quæ extant *p.* 447. & 449. Basilius quoque hoc ipso tempore, *epist. ad Commentariensem* 417. perpetrata in Ecclesiis, veluti furta ibi admissa, ad Ecclesiasticam cognitionem reuocabat, qui scilicet pauperum vestimenta furati fuerant, γογγύζων ὅτι τὰ ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις ἁμαρτανόμενα, ἐφ' ἡμῖν σφόδρα τῆς κρίσεως τυγχάνειν διορθώσεως, δικασταῖς δὲ ἀεὶ τούτων μὴ παραχωρεῖσθαι.

¶ Hæc fuit huius æui constitutionúmque Imperatoriarum hâc parte disciplina: Quanquam & *Morum Ecclesiasticorum examen* ad Episcopale iudicium pertinere voluit Valentinianus Sen. vt ex Ambrosio iam docuimus. Idque ostendit alter quoque eiusdem Ambrosij locus *epist.* 24. *ad Marcellum. Aiebant præterea nescio quæ gesta indecora & pro suo quisque studio iactabat, quæ Episcopo potius Iudice, quam Præfecto examinari oporteret: His confusus simúlque admonitus Apostolicæ præceptionis,* &c. *recepi cognitionem, ita tamen, vt compositionis essem Arbiter.* Quinimò & hac quoque Constitutione Gratianus: putà, vt si delicta Ecclesiasticorum leuia sint, & ex quibusdam dissensionibus, circa Religionem exorta, de re ad Religionem pertinente, inquit Interpres, atque in negotia Ecclesiastica incidant, tum de huiusmodi delictis Episcopi quoque Iudices esse possint: Idque scilicet exemplo causarum ciuilium. Nam vt Iudex secularis de incidente quæstione cognoscere potest, de qua alioquin principaliter cognoscere non potest, (*l.* 3. *Cod. de Iudic. l.* 1. *Cod. de Ord. Iudicior. l.* 11. *Cod. ad Leg. Corn. de fals.*) isque mos in caussis ciuilibus obtinet: ita pariter incidentem de leui delicto in negotium Ecclesiasticum quæstionem ab Ecclesiasticis Iudicibus audiri voluit Gratianus: Eundémque adeò morem & hic obtinere vult: vbi *obtinendi* vox propria; vt in illo Nicæni τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, *antiqui mores* Obtineant vt rectè Interpres. Et hæc quidem genuina est *huiusce legis* sententia *in principio.* Largiter verò falluntur, qui censent *hâc lege* id constitui, vt *causæ ciuiles* seu pecuniariæ Ecclesiasticorum coram Ecclesiasticis Iudicibus tractentur. Apertè quippe *hâc leg.* argumentum ducitur *à more causarum ciuilium,* seu qui in causis ciuilibus vsurpatur, ad negotia Ecclesiastica: móxque discrimen statuitur inter leuiora delicta, & actiones criminales; vt videlicet illæ coram Ecclesiasticis Iudicibus audiri possint, hæc non item. *Ciuiles* itaque *causæ initio huius leg.* non sunt causæ ciuiles seu pecuniariæ Ecclesiasticorum, sed sunt causæ ciuiles promiscuæ omnes, quæ coram Iudicibus ciuilibus agitantur, à quibus argumentum hîc ducitur. ¶ Sic liquet, causas ciuiles & actiones criminales Ecclesiasticorum coram ordinariis & ciuilibus Iudicibus regulariter agitatas, eáque forma Iuris huius fuit.

Facilis itaque nunc responsio est ad *tres leges, hoc Codice* in speciem contrarias; etsi ad eas in vniuersum & in antecessum id generaliter rectè responderi possit, ea quandoque tempora incidere, vt Iudicibus secularibus erepta cognitio Ecclesiasticis rectè tribuatur.

¶ Primùm igitur, quod *Constantio* aliquando visum fuit, circa *Episcoporum* nominatim, non & aliorum Clericorum accusationes, ne in Iudiciis videlicet illæ fierent, sed apud alios Episcopos explorarentur, *l. mansuetudinis* 12. *supr. hoc tit.* id Episcopiatûm tributum, non aliis Ecclesiasticis, quorum respectu Ivs Commvne relictum est: & sic confirmata eo ipso Regula in casibus non exceptis: & ad perpetuam Iuris formam non pertinet, imò extraordinarium prorsus, momentaneum, temporarium, vt eius legis verba etiam euincunt, atque ex illorum temporum ratione ibidem euicimus.

¶ Secundò, quod *Honorio* visum fuit, Anno 412. *l. Clericos* 41. *infr. hoc tit.* vt Clerici Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aliíve, nonnisi apud Episcopos accusari possent; id nonnisi de Ecclesiasticis, vel etiam de leuibus delictis intelligendum est, pariter vt *hæc lex nostra*, vt *ibi* ostendemus: & quidem sub hac adhuc limitatione, vt videlicet huiusmodi duntaxat causas Episcopi audiant actis sub testificatione multorum. Quod ipsum est, quod *hâc leg.* exigitur, vt leuia delicta Ecclesiasticorum locis suis, id est, ab Episcopis locorum, & à suæ Diœceseos Synodia audiantur. Tunc etiam *lex* 1. *infr. de Relig.* satis apertè ostendit, quæ nempe Honorio mens hac parte fuerit: vt & eiusdem *lex* 8. *Cod. de Episcop. aud.* Denique sequentes Principum constitutiones apertè actiones criminales contra Ecclesiasticos ad Iudices seculares & ordinarios remiserunt.

¶ Postremò; Neque alia etiam videri possit Constitutionis *Valentiniani Tertij* sententia in *l. vlt. infr. hoc tit.* vbi Clericos, quos Ioannes Tyrannus Indiscretim ad seculares Iudices deduci debere edixerat, Episcopali audientiæ reseruari iubet, hâc additâ ratione, *quòd fas non sit, vt diuini muneris Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Audis Indiscretim *dixerat*. Nempe Ioannes Tyrannus nullo discrimine causarum Ecclesiasticarum, & Ciuilium ac Criminalium Clericos ad seculares Iudices deduci voluerat: Valentinianus itaque discrimen causarum rursus instaurauerit, vetueritque, ne diuini muneris Ministri (quà Ministri videlicet; quod necessariò supplendum, ne alioquin hæc noua Theologia sit, eique obstet illud: *Omnis anima Potestatibus subdita esto:*) quid admittentes, temporalium Potestatum arbitrio subderentur. Ac vt maximè *lex* illa generalis foret, temporaria tamen tantùm fuerit, eáque de earum constitutionum numero, quas pronior Placidiæ in Clericos animus elicuit. Aduersus quam pugnant tot anteriorum Principum, & deinceps insecutorum Constitutiones. Verùm pleniùs de hoc ad *eam leg.* Clericis sanè Ecclesiæ Romanæ *longa consuetudinis instituto* id datum, vt prius apud Episcopum Rom. conueniri deberent: deinde si Episcopus actorem contemneret, ad sæcularia Iudicia iri posset: quod priuilegium centum quinquaginta fermè pòst annis ab Athalarico R. confirmatum apud Cassiodorum 8. *var.* 24.

¶ Atque hæc sufficiant, ad mentem Constitutionum *hoc Codice* comprehensarum. Ex historiâ quippe Ecclesiastica, ex Canonibus Conciliorum, ex posteriorum Imperatorum Constitutionibus, denique ex omnium temporum obseruantia argumenta in præsens nunc omittimus, institutâ

nostri

nostri memores, néve Interpretationis modú egrediamur. Adde, quod hâc mesé sui iuris fecit solidissimo scripto V.CL. Milletotus, auréque libello, *de Delicto communi & casu priuilegiato*: quò lubens remitto Lectorem: Quanquam *p.157.* huius *leg.* sententiam minus assecutus est: cùm putauit, hanc *legem* mutatam *l.3. de Episcopali iudicio*: in eo quod cognitio negotiorum Ecclesiasticorum Episcopis *eâ leg.* tribuatur, quæ *hâc lege* tribuitur Synodis: De cuius *leg.* sententia *ibi* dicemus, ostendemúsque simul eam subdititiam esse. ¶ Tandem ad huius, imò harum de foro Clericorum omnium legum tractatum quoque pertinet, quod Synesius *epist.63. p.215.* queritur: *ἱερεῖς ἱερέας ἐπαγγέλλομαι δικάζειν οὐ μὴ ἐπὶ ψιλῶν ὅπου λέγω, ταύτης δὲ μετ' ἐπιεικείας τοῖς πεπραγμένοις οὐ γὰρ ἵνα λάθωσιν ἀδικοῦντες, ἀλλ' ἵνα τοῖς ἄρχουσι τῶν ἁμαρτημάτων ἀδίκως κέρδη μνηστεύσωσιν.* Id quod à Theophilo Episcopo Alexandrino prohiberi petitur ad euitandam infamiam & dedecus Sacerdotum.

Ex his certè quæ diximus patet, Baronium humani aliquid passum, cùm scribit, *Episcopos* SCVTASA, id est, permisisse (scilicet tanquam de iure suo aliquid remittentes) *grauiora crimina per seculares Iudices exerceri.* Cui vel hæc *lex* apertissimè refragatur: in quâ tantùm abest, tale quid indicetur, vt contrà leuiorum delictorum cognitionem de summo iure aliquid remittens Gratianus Imp. in fauorem Ecclesiasticorum Iudicibus secularibus alioquin competentem detrahere se ostendat. Quid verò paulo post *hanc leg.* à Maximo Tyranno, seu Treuirico Imp. post Gratiani cædem in Priscillianistas actitatum, & quomodo in eos gladio exilióque animaduerti iusserit, vide apud Sulpitium Seuerum *lib.2 sacr histor.*

Illud interim *hâc lege* obseruetur, quod dicitur, *locis suis & à sua Diœceseos Synodis audiantur*, quod Interpres ad *hanc leg.* non cepit. Nempe his verbis indicatur duplex gradus audientiæ seu cognitionis Ecclesiásticæ: scilicet negotia Ecclesiastica primùm *locis suis* audiebantur, id est, apud ciuitatis Episcopum, *τὸν οἰκεῖον Ἐπίσκοπον*: dein in Synodo totius prouinciæ, seu apud Metropolitanum & Primatem cum omnibus prouinciæ Episcopis, (quod & ipsum *plenarium Concilium* dicitur, *cap.9. Cod. Africani*: *πληρία σύνοδος, cap.95.96. Cod. Eccl. vniu.* (hæc enim duo LOCORVM suorum appellatione hîc intelligenda sunt: de quo plenè ad *l.12. supr. de Pœnis*:) tandem in Synodo totius Diœceseos: vt docet quoque *can.6. Concilij Constp.* & *canon 9. Concilij Chalcedonensis. Synodus Diœceseos*, est Synodus Episcoporum è multis prouinciis sub vno Patriarchâ fermè vel Primate seu Exarcho constitutorum coacta. Sic in *Actis Concilij Ephesini*: *ἡ συνελθοῦσα Σύνοδος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐκ τῆς Αἰγυπτιακῆς διοικήσεως.* Cuius generis quoque fuisse Aquileiense Concilium, cui Ambrosius Mediolanensis præfuit, ex epistolâ Imp. Theodosij & Valentiniani liquet, quâ iubet Episcopos *ex Diœcesi* (Italiæ) in Aquileiensium ciuitatem ad Concilium conuenire. Hæ Synodi quoque *μείζονες* dictæ *can.12. Concilio Antioch.* seu *Cod. vniu. Eccl.91.* *δέον ἐπὶ μείζονα ἐπισκόπων σύνοδον τρέπεσθαι*, & *dicto can.6.* seu 169. *αὐτοὺς προσιέναι μείζονι συνόδῳ τῶν τῆς διοικήσεως ἐπισκόπων ἐκείνης.* *Conuentus Sacerdotalis sanctúmque iudicium* vocatur *l.45. infr.* Dicta hæc *Concilia* Vniuersalia *can.19. 77. 95. 107. 108. Cod. Afric. can.20. Concil. Matisc.2.* & passim in *Conciliis Hispanicis*, quorum plena erat auctoritas & *αὐθεντία*, vt ait *Canon 18. Cod. African.* Qualia sunt Africana seu Carthaginensia, Gallicana, Hispanica, Britannica, & similia. Patrum Africanorum ad Cœlestinum epistola: *Prudentissimum, iustissimúmque videtur, quæcunque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda.* &c. Non itaque vltra diœcesin: de quo vide *Codices Canonum* passim. Hinc liquet de errore Interpretis *huius legis*, qui Synodos Diœceseos interpretatur, cùm ab Episcopo diœcesani Presbyteri conuocantur: ignoratâ vocis *diœceseos* significatione. Hinc quoque iam patet, quantopere erret Marca, *lib.3. de concordia Sacerdotij & Imperij, cap.1. p.378.* cùm ait, *hâc leg.* primos omnium Valentem, Gratianum & Valentinianum Imperatores Episcopis vnius diœceseos concessisse, ad exemplum Iudicum & Honoratorum, vt non solùm in singularum Prouinciarum Synodis, sed etiam generali totius diœceseos Synodo in vnum coire iure ordinario siue mandato speciali possent. Imò enim Imp. Gratianus *hâc l.* de Synodis diœceseos agit tanquam iam vsitatis, quásque iungit LOCIS SVIS, id est, Prouincialibus Synodis: tantùm audientiam earum quà amplificat, quà restringit. Et sanè, quod negare tamen audet, ante *hanc leg.* Synodi diœceseon habitæ sunt, & quidem non extraordinario Principum Imperio, verùm more ordinario. Quæ quidem *Synodi maiores* dictæ; vt docet iam triginta quinque ante *hanc leg.* annis, *Canon 12. Antiochenus*, Anno D.341. & ostendunt tot Synodi diœceseon ante *hanc leg.* habitæ. Sicut & deinceps frequenter vsitatæ: vid. *Canon 6. Concil. CSP.* Anno D.381. eodémque pertinet *lex*, *omni innouatione 45. in fin. infr.* vid. de his plenè Iustellum *ad Codicem Africanum, p.29 30.31.32.* vt hæ Synodi *Plenariæ* quoque dictæ, ita magna earundem auctoritas fuit seu *αὐθεντία, can.18. Cod. Africani*: adeò vt ab illis ne Episcopis quidem prouocare liceret. Huiusmodi denique fuerunt Gallicanæ, Hispanicæ, Britannicæ Synodi, per Galliarum, Hispaniarum, & Britanniarum diœceses. Et hæc de Synodis diœceseon, déque causis ad earum cognitionem & audientiam pertinentibus.

Quod *Criminales* verò causas attinet Ecclesiasticarum personarum, eas Gratianus *hâc lege* audiri iubet *ab ordinariis extraordinariisque Iudicibus aut Inlustribus Potestatibus*: vbi *Ordinarij Iudices* sunt non Iudices ciuitatum, vt Interpres malè, verùm Rectores Prouinciarum & Proconsules & Vicarij. *Extraordinarij*, quibus Imperator cognitionem extra ordinem mandabat: veluti si Princeps ereptam Præfecto Prætorio cognitionem ad Vicarium transferret: vt factum hoc tempore ab hoc ipso Imp. Gratiano in causa Priscillianistarum, teste Sulpitio Seuero, *lib.2. sacra historia. Illustres verò Potestates* sunt, Præfecti Prætorio: de quibus agit in eâ ipsa re idem Seuerus, ac nominatim de Gregorio Præfecto Prætorio Galliarum sub eodem Gratiano: mox & de Euodio sub Maximo Tyranno. Verùm de his appellationibus plenè in *Glossario.*

Nunc ad historiam *huius leg.* descendendum est, & quinam illi sint Episcopi quatuor, cæteríque, ad quos hæc Gratiani *lex* data est. Illud igitur primò certum, per Gratiani Imperium & sic per Occidentem fuisse hos Episcopos, vt docet subscriptio huius legis, *Dat. TREVERIS.* Secundò proculdubio Episcopi hi in Synodum diœceseos alicubi collecti tum coierant: quandoquidem *hæc lex* ad tot simul Episcopos data est, præcipuis etiam tantùm nomine expressis; & in his primo omnium *Artemio*, cæteris generali voce comprehensis, ita, *& cæteris Episcopis*: Et verò de his Diœceseon Synodis *hâc ipsa leg.* agitur. Ex his iam sequitur, habitam eam Synodum sub

Gratiano

Gratiano Imp.in Occidente : vbi, quod modò dixi, *Data hac lex* ab eo *Treueris*. Neque obstant Græca fermè Epifcoporum nomina, *Αρτέμιος*, *Ευρίδικος*, *Γερόντιος* : eiufmodi quippe nomina paffim in Occidente percrebuerunt. Tertiò ex *hac* quoque *leg.* colligere licet, in eâ Synodo actom de Ecclefiafticorum quorundam delictis & criminibus, quæ etiam Epifcopali audientiæ referuari quidam volebant : fed contrà Gratianus Imp. qui ad fæculares Iudices ea remitti iubet. His omnibus in vnum connectis, videatur pertinere hæc conftitutio ad Prifcillianiftas, & Epifcopos eius fectæ : cuiufmodi fuit Inftantius, Saluianus, Prifcillianus ipfe, Helpidius, Hyginus : ac proinde ad eorum caufas. Eorum fcilicet hoc tempore per Hifpanias flagitia, criminàque atrocia, etiam artium magicarum, deprehenfa fuêre : Multaque adeò primùm inter Catholicos & Prifcillianiftas dignáque memoratu certamina extitêre : per hoc tempus quo *hæc lex* lata eft. Poft *hanc leg.* deinde Synodus apud Cæfarauguftam congregata, de qua dicam ad *l.35. infr.* quæ habita fuit Anno D.381. cuique tum etiam Aquitani Epifcopi interfuêre : vbi in abfentes lata fententia, damnatíque Inftantius, Saluianus, Helpidius, & Prifcillianus : decretúmque, fi quis damnatos in communionem recepiffet, fciret in fe eandem fententiam promendam. Eo fine Idacius & Ithacius feculares Iudices adiêre, vt eorum decretis atque executionibus hæretici vrbibus pellerentur. Et elicitur à Gratiano Imp. refcriptum, quo vniuerfi hæretici excedere non Ecclefiis tantùm, aut vrbibus, fed extra omnes terras propelli iubebantur. Quæ quidem, aliáque deinceps fecuta, idem Seuerus prolixiùs narrat. In fuperioribus interim vides memorari quoque Gratiani Imp. refcriptum: de *pœna* iam damnatorum Prifcillianiftarum: ficut ifta eiufdem anterior *lex* eft de *cognitione* delictorum vel criminum eorundem, vt exiftimo : quam partim ad Synodos, partim ad Iudices fæculares remittit ; delictorum & criminum diftinctione facta. Quod *Epifcopos* hîc nominatos attinet, Aquitani illi mihi Epifcopi videntur. Sanè *Artemij* (qui primus nominatur) mentionem reperio in Synodo Aquileienfi, quæ quinquennio poft *hanc leg.* habita fuit Anno D.381. Sed Epifcopatus nomen ibi omittitur. Idem & in Synodo Valentiæ Galliarum habita Anno D.374. biennio ante *hanc leg.* fubfcriptus reperitur. Vnde colligitur, Artemium Epifcopum in Galliis fuiffe. Et certè hic ille omninò eft Artemius ortu Treuirenfis, Aruernorum, quæ prima ciuitas erat Aquitaniæ primæ, Epifcopus : qui ante Epifcopatum à Treueris, vbi data *hæc lex* eft, cum aliis Legatus miffus in Hifpaniam fuit, tefte Gregorio Turonenfi *hiftor. Franc. lib.1. cap.46.* De cuius Epifcopatu idem *d.c.48.* & *lib 2.cap.13.* Eiufdem obitus octodecim fermè poft *hanc leg.* annis, Anno D.394. 24. Ianuarij notatus. De eo vid. plura apud Sauaronem *in Originib. Claromontanis*, *p.123*. Apud quem tamen id aduerfari videtur, quod Nepotianus eius deceffor circa Annum D.377. mortuus dicitur.

Superioribus igitur argumentis hæc Gratiani *lex* ad Epifcopos, feu Synodos Gallicanas referenda videtur : cuiufmodi fanè plures Galheanæ Synodi fub Gratiano & Valentiniano Iuniore habitæ : quarum Syllabum hunc habe. Primò quidem *Synodus* habita *Valentia* (cuius etiam vrbis meminit hoc ipfo tempore Ambrofius *epiftol. ad Valentinianum Iun.*) biennio ante *hanc leg.* putà Anno D 374. cui vt dixi Artemius interfuit fubfcripfitque. Secundò, Anno D 375. Synodus illa ad quam *hæc lex* pertinet. Tertiò, Maximi Tyranni iuffu Synodus *Burdegalenfis* habita Anno D.385. in Aquitania, (vbi Burdegala, & Elufa : per quæ etiam loca Prifcillianiftæ perfidiæ fuæ femina fparsêre) tefte eodem Sulpitio Seuero : vbi Inftantius indignus Epifcopatu pronunciatus eft. Prifcillianus verò ne ab Epifcopis audiretur, ad Principem prouocauit quod illi permiffum. Quartò, Concilium *Treuirenfe*, in quo Ithacius Prifcilliani accufator abfolutus fuit, & Felix Treuirorum Ep. ordinatus Anno Domini 386. cuius meminit Seuerus, *in dial. lib.3.de vita S.Martini, cap.15.* Quintò, Maximus Imp. *in epift. ad Syricium*, meminit Synodi eodem ferè tempore alicubi à fe conftituendæ Epifcoporum *intra Gallias vel* [pro *&*] *quinque prouincias commorantium*, occafione Agroecij Presbyteri. Sextò, Ambrofius *de obitu Valentiniani* [Iun. fcilicet] *p.7.* meminit Anno Domini 392. Synodi Gallorum Epifcoporum, *quorum frequentes tum diffenfiones fuiffe ait* haud aliter atque hic agitur *de caufis ex quibufdam diffenfionibus ortis*. Qui idem alioquin meminit *epift. ad Theodofium* 28. alterius Synodi, quæ propter aduentum Gallorum Epifcoporum commendat, vbi fortè intelligit Synodum Aquileienfem, quæ habita Anno Domini 381. quò Gallicani Epifcopi conuenerant. Idémque hoc tempore fidem Gallicanam commendat, *epift. ad Valentinianum Iun. p.146.* Et *epift.34. ad Theodofium* fcribit, *fanctos fummófque Sacerdotes Domini intra Gallias tum habitos*. His igitur tot argumentis inductus, & inter alia *Artemij* quoque nomine, qui Aruernorum in Aquitania prouincia Epifcopus erat, ita cenfeo, *hanc leg.* pertinere ad Synodum aliquam per Quinque Galliarum prouincias (de quibus prolixè ago ad *l.15. infr. de Paganis.*) Atque adeò ibidem quoque cæteros illos Epifcopos fuiffe. Certè ante diximus ex Seuero. Primò, Prifcillianiftarum feu Gnofticorum hodum hærefin, non Hifpanias tantùm, fed & Aquitaniam peruafiffe. Secundò, notauimus, Cæfarauguftanæ Synodo etiam Aquitanos Epifcopos interfuiffe. Tertiò, fed & in eâ Synodo damnati Prifcillianiftæ, & à Gratiano extra omnes terras propelli iuffi, Romam profecti funt per interiorem Aquitaniam, vbi perfidiæ fuæ femina fparsêre.

XXIV. * Idem AAA." ad Catafronium."

PRESBYTEROS, Diaconos, Subdiaconos," adque Exorciftas," & Lectores, Oftiarios etiam," & omnes perinde" qui primi funt, perfonalium munerum expertes effe præcipimus. Dat.III.Non.Mart. Gratiano A.IIII:" & Merobaude coss.[377.]

NOTÆ.

NOTÆ.

* *Lex 6. Cod. eod.* Memorat eam Baronius *Anno 377. num. 35.*
"*Valentinianus, Valens, & Gratianus*, ita perperam in *Cod. Iust.*
"Vicarium Italiæ, vt arguit *lex 31. supr. de Cursu publico : l. 6. supr. ne opera à conlator.* vid. *Prosopogr.*
"Hypodiaconi, *l. 7. supr.*
"*Exorcistæ*, de his præter *hanc leg.* agitur & *l. 121. supr. de Decurionib.*
"*Et Acoluthos etiam*; hoc additum in *Cod. Iust.*
"*Et omnes perinde qui primi sunt*, verba hæc omissa in *Cod. Iust.* Eorum autem sensus hic est : Et reliqui omnes sequentes, perinde vt qui primi sunt.
"*x. IV.*

COMMENTARIVS.

IMMVNITATE personalium munerum Clericos frui iubet Gratianus Imp. *hac leg.* non modò *qui primi sunt*, id est, Superioris Ordinis, verùm inferioris quoque, atque infimi *loci*: id est, non modò Episcopos, sed & Presbyteros & Diaconos; non modò Presbyteros & Diaconos, in Sacris constitutos, verùm & in minoribus constitutos Subdiaconos, Lectores, & Exorcistas; non modò hos, sed & Ostiarios exterósque, perinde vt qui primi Ordinis sunt. Nempe *Clericorum* plures gradus & Ordines fuerunt: *βαθμοὶ, τάγματα, loca*, vt vocantur *l. 41. infr. hoc tit. l. 10. supr. de fide testium: ἀκολουθία* Gregorio Nazianzeno *Orat. pro Patre.* Alij *primi* fuère, vt hæc quoque lex fidem facit, & *l. 13. infr. de Iudæis*, eorum tres Ordines, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & hi omnes in Sacerdotio constituti, *ἱερωμένοι*, cæteri sequentes, non in Sacerdotio constituti, de quo iam dictum fuit *l. 7. supr.* quæ *huic* nostræ concordat. Pari tamen igitur omnes immunitate *h. l.* frui iubentur. Quanquam in aliis quamplurimis priuilegiis secernantur, neque hac parte pari passu semper ambulauerint, vt ostendit *d. l. 13. infr. de Iudæis*, & *Nou. Iust. 12. de Episcop. Iud.* & *l. 169. & 172. supr. de Decurionibus.* Est autem *hac lex* de Immunitate à personalibus muneribus. Non rectè igitur ad *hanc leg.* agunt Interpretes de exemptione à Gabellis exactoribus & tributis.

¶ De *Exorcistis* tantùm, quorum *duobus locis, hoc Codice* mentio fit (putà *hâc lege*, & Theodosij M. *l. 121. supr de Decurionib.*) hic videndum semel est. *Exorcismi*, & *Exorcizandi* vsus nascente Ecclesiâ fuit Dæmoniorum eiiciendorum potestas. Mox translatus vsus ad Baptismum & Catechumenos : credito semel, malum spiritum hominem nascentem inhabitare, qui Baptismo excludi deberet. Itaque Exorcismi & Exorcistarum geminus iam vsus fuit extra donum Miraculi : Catechumenos videlicet instituere & Baptismo interuenire, Spiritui immundo depellendo. De his Exorcistis est sub Constantio *Canon 10. Antiochenus* Anno Domini 341. sub Valente *Canon 24. & 26. Laodicenus*, Anno Domini 364. De hoc Exorcismo est etiam sub Valentiniano Sen. circa Annum Domini 374. Optati locus *lib 4.* triennio fermè ante quam *hac lex* lata est, scribens : qui locus ad posterius illud munus pertinet. Prioris respectu, Exorcistæ nihil aliud quàm Catechumenorum Magistri erant, Scholiastes Græcus Harmenopoli *in epitome Canonum sect. 1. tit. 9.* Ἐξορκιστὰς Κατηχητὰς interpretatur. Et Balsamon *in can. 16. Laodicen.* Ἐξορκίζειν, inquit, ἤγουν κατηχοῦντας. In hac constitutione, medij inter Subdiaconos & Lectores ponuntur, cùm tamen Theodosij Magni *d. l. 121. supr de Decurionib.* Diaconis proximi collocentur, & inter superioris meriti Clericos numerentur : Quorum numero Subdiaconi & Lectores non fuère, verùm inferioris; vt docet *lex 163. supr. de Decurionib.* Post Theodosij M. tempora nullam eorum mentionem reperio *hoc Codice* : ac nominatim iam nullam sub Arcadio : cùm tamen is *d. l. 163.* omnia fermè Clericorum munia exprimat, etiam eos quibus Clericorum priuilegia non debentur.

¶ *De* MVNERE, *seu Officio Episcoporum in prædicando Verbo Dei.*

XXV. * Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA."....

QVI" diuinæ legis sanctitatem, aut nesciendo confundunt," aut neglegendo violant, & offendunt, sacrilegium committunt. Dat. III. Kalend. Mart. Thessal. Gratiano A. V. & Theod. A. I. COSS. [380.]

NOTÆ.

* *Lex 1. Cod. de crim. sacril.* quo titulo eam malè positam mox ostendam. Potuit & *hac lex* referri sub *tit. de fide Cathol.* cuius etiam *initiali* lex 2. (*lex* inquam *cunctos populos*) huic nostræ iungenda est. Inseruit eam quoque Annalibus suis Baronius *Anno 380. n. 5.*
"*Edictum ad Pop. Vrbis Constantinop.* hanc Inscriptionem præfert *d. l. cunctos populos.* Atenim *d. lex 1. Cod. de crim. sacril.* hunc tit. præfert : *Eutropio Præfect. Prator.* Nempe idem Edictum *ἰσότυπον*, & populo Vrbis Constantinopolitanæ propositum, & aliis populis proponendum, emissum est ad Eutropium Præfectum Prætorio.
"Episcopi scilicet diuinæ legi præsidentes.
"Omittunt : ita *Cod. Iust.* hodie præferunt ; sed malè. Nam veteres libri habuerunt, & habent, *Confundunt*, atque ita etiam Græci legerunt.

COMMENTARIVS.

MVNVS & officium Epiſcopale, *hâc leg.* à Theodoſio M. inſtituitur. Nempe inculcatur in effectu iis, vt verum iſtud, *diuinæ legis ſanctitatem*, id eſt, fidem Catholicam, populis inſinuent, τὸν λαὸν τοῦ Κυρίου μετ᾽ ἐπιστήμης ποιμαίνειν, vt Baſilius loquitur *epiſt.*61. & 69. Vno verbo, τοῦ λόγου διανομὴ inculcatur, vt Gregorius Nazianzenus, *orat.*1. *p.*16. de quo mox plura. Ad eum igitur finem in his & *ſcientiam* & diligentiam iuxta requirit Imperator: *Scientiam*, vt eam populis ſuis ὀρθοτομεῖν, κατ᾽ εὐχὴν ποιμαίνειν μετ᾽ ἐπιστήμης, vt Baſilius *epiſt.*69. eáque eos informare poſſint: *diligentiam*, quam etiam Ambroſius Epiſcopus in ſe optat *lib.*1. *offic. cap.*1. vt id ſedulò non negligenter faciant, ſimul & deuios hæreticos in ſinum matris Eccleſiæ inſtantiâ ſuâ compellant. Quare vice-verſa huiuſce muneris ſui immemores *ſacrilegium admittere* dicuntur *hâc leg.* id eſt in ſacrum munus admittere, ſacri muneris iniqui æſtimatores eſſe, qui vel *imperiti*, vel deſides, inanem *Epiſcopi* titulum gerunt, ὄνομα ψιλὸν περιφέροντες, vt loquitur Baſilius *epiſt.*193. & in quos prolixè Gregorius Nazianzenus *d. orat.*1. de cætero, vel fidei ipſius Catholicæ ignari, vel inſinuandæ eius aut defendendæ ab hæreticis per ſummam ῥᾳθυμίαν καὶ ἀμέλειαν incurioſi & negligentes.

¶ Hic inquam Theodoſianæ huius conſtitutionis ſenſus & ſcopus eſt, quam nudam alioquin ſententiam & γνώμην magis redolere videatur quam conſtitutionem ſapere. Quod tamen non ita eſt, vt apparet vel ex *eâ lege* cui *hæc* coaſſanda venit; putà ex famoſa *leg.* cunctos populos, *ſupr. de fid. Cathol.* Nempe Theodoſius M turbato iamdudum per hæreſes Oriente, & accedente inſuper Epiſcoporum vel ignorantiâ vel ſocordiâ, poſt propoſitam populo Conſtantinopolitano, cunctíſque populis ſuis, Edicto ſuo, fidei Catholicæ formulam, ſimul & exemplo in illuſtri loco poſitam, Epiſcopos eadem operâ muneris ſui hâc conſtitutionis ſuæ parte admonitos voluit: Ne de cætero videlicet eueniret, quod ſummo Eccleſiæ malo tum eueniebat, nempe, vt Epiſcopi aut ignari promouerentur, aut promoti docendæ plebis & defendendæ fidei aduersùs hæreticos, incurioſi, officiique ſui immemores & negligentes eſſent; quæ *gemina* vt cæteroquin Eccleſiarum labes, ita horum quoque temporum propria fuit; quo de ſunt querelæ apud horum temporum Scriptores. Inter cæteros adi Gregorium Nazianzenum, & Baſilium Cæſarienſem non *vno loco*: vide vel huius *epiſtolam* 61. 69. & 262. & *epiſt.* 185. *in fin.* & Seuerum Sulpitium *lib.*1. & 2. *ſacr. hiſt.* Et rectè Chryſoſtomus, *de decem millium debitore, tomo* 5. *pag.*9. καὶ γὰρ ὁ τοῦ λόγου τὴν διακονίαν ἐγκεχειρισμένος ἐξετασθήσεται μετ᾽ ἀκριβείας ἐκεῖ, εἰ μήτε ὄκνῳ μήτε φθόνῳ παρεῖδε τι τῶν δεόντων εἰπεῖν, &c. Ergo & hâc ſententiâ hæreſibus eâdem operâ occurſum voluit Theodoſius ne ſuccreſcerent: nam, vt rectè Chryſoſtomus *concione* 3. *de Lazaro*, *tomo* 5. *edit. Par. pag.*64. μεγάλη ἀσφάλεια πρὸς τὸ μὴ ἁμαρτάνειν, ἡ τῶν γραφῶν ἀνάγνωσις: μέγας κρημνὸς καὶ βάραθρον βαθὺ, ἡ τῶν γραφῶν ἄγνοια· μεγάλη προδοσία σωτηρίας, τὸ μηδὲν ἀπὸ τῶν θείων εἰδέναι νόμων: τοῦτο καὶ αἱρέσεις ἔτεκε, τοῦτο καὶ βίον διεφθαρμένον εἰσήγαγε, τοῦτο τὰ ἄνω κάτω πεποίηκεν. Quæ omnia egregiè explicant quid *hâc lege* ſibi velit *confundendi* vox, τὰ ἄνω κάτω ποιεῖν. Vide ſimilia, in illud, *ſalutate Priſcillam*, *ſermone* 17. *pag.*140.

¶ Et ita *hæc lex* intelligenda eſt. Primò quidem argumento *huiuſce tituli*, ſub quo ea *lex* poſita eſt: perperam autem à Triboniano ſub *titulo, de crimine Sacrilegij*, collocata extat, cui nullo modo ea reſpondet: Neque enim ea eſt, de vero Sacrilegij crimine, non magis quàm reliquæ leges putà a. & *vltim.* in eundem titulum à Triboniano perperam coniectæ. Quo etiam exemplo liquet de erroribus, dicámne, an verò fraudibus Triboniani. Secundò argumento coniunctionis *dictæ legis cunctos populos*. Denique præiudicio Theodoreti *lib.*5. *cap.*2. qui etſi *Gratianeam legem* 5. *infr. de hæretic.* cum hac miſceat & turbet (vt oſtendi ad *eam leg.*) idem tamen nominatim Edicto additum ſcribit: τοὺς δὲ ἀφισταμένους τῆς θείας κοινωνίας ἀποσοβῆσαι προσέταξε: de quo vide quæ dixi plura ad *eam leg.* Hinc igitur ſimul patet de errore *Gloſſæ*, quæ etſi hanc *legem* rectè de articulis Fidei accipiat, attamen ſententiam eius perperam ad hæreticos ipſos refert: eóſque obiurgari *hâc leg.* cenſet. Quem refutant & propriæ locutiones quas hîc obſeruari cupio, *ignorantia*, & *negligentia*, quæ in eos qui docendi munere publicè funguntur, vel fungi debent, cadunt. *Ignorantia* ſcilicet in Doctore diuinam Legem ſeu Fidem Chriſtianam *confundit*, de qua *confundendi* voce, paulò antè: *negligentia* violat & offendit, quod vtrumque ab Epiſcopo abeſſe debet, cuius officij munerìſque pars eſt docere, & διδακτικὸν εἶναι, vt Apoſtolus voluit. Quam in rem tres extant *hoc Codice* conſtitutiones; præter *hanc*, inquam *lex* 16. *ſupr. de pœnis*, & *l.*24. *infr. de hæret.* Quæ interim oſtendunt, docendi munus Conſtantinianeo Theodoſianóque ſæculo penes Epiſcopos manſiſſe. *Legis* 16. quæ Arcadium Authorem habet, hæc ſunt verba: *Ad Epiſcoporum ſanè culpam, vt cætera redundabit, ſi quid fortè in ea parte Regionis, in quâ ipſi populos Chriſtianæ Religionis doctrinâ inſinuatione moderantur, ex his quæ fieri prohibemus à Monachis perpetratum eſſe cognouerint, nec vindicauerint.* Hæc verò verba ſunt *Legis* 24. quæ Theodoſium M. authorem habet, de hæreticorum Antiſtitibus: *Nuſquam profana præcepta vel docere, vel diſcere: ne Antiſtites eorundem audeant fidem inſinuare, quam non habent, & miniſtros creare quod non ſunt.* Ad hanc rei probationem quæ nuper Viri Docti hâc de re inter ſe agitauêre. Salmaſius *de Trapezitico fœnore*, & Petauius *diſſert. Eccleſiaſt. lib.*1. *cap.*8. Agit & de eo ex profeſſo Habertus in ἀρχιερατικῷ, *part.*7. *obſ.*5. Videndus interim peculiaris fermè in id Gregorij Nazianzeni tractatus *de Epiſcopis*, qui Latinè tantùm ad nos peruenit beneficio Ioannis Leonclauij, eiuſdémque *orat.*1. *p.*15. vt & Ambroſius *lib.*1. *Officior cap.*1. Sidonius Apollinaris *lib.*5. *epiſt.*3. Sexta Synodus *in Trullo*, *can.*19. & 20. & ibi Balſamon, de quo iam aliquid quoque dixi ad *d. l.*16. *ſupr. de Pœnis.*

Ad vltimum, hanc ad rem obſeruo, Epiſcopalem Sedem vocari à Chryſoſtomo *in cap.*1. *ad Titum*, θρόνον διδασκαλικόν: vbi & addit: ὁ δὲ μάλιστα χαρακτηρίζει τὸν διδάσκαλον, τοῦτό ἐστι, τὸ δύνασθαι κατηχεῖν τὸν λόγον. Et idem *hom.*10. *ad* 1. *Timoth.* ad vocem διδακτικόν: μάλιστα γὰρ τοῦτο πάντων προσεῖναι δεῖ τῷ ταύτην τὴν ἀρχὴν ἐγκεχειρισμένῳ.

¶ De

¶ *De* CVSTODIBVS *Ecclesiarum &* SANCTORVM LOCORVM *à personalibus muneribus excusandis.*

XXVI. * Idem AAA." ad Tuscianum" Com. Orientis.



NIVERSOS, quos constiterit Custodes Ecclesiarum esse vel Sanctorum" locorum, ac religiosis obsequiis deseruire, nullius adtemprationis" molestiam sustinere decernimus: Quis enim eos capite censos" patiatur esse deuinctos, quos necessariò intellegit supramemorato obsequio mancipatos? Dat. Prid. Kalend. April. Constantinop. Eucherio & Syagrio COSS. [381.]

NOTÆ.

* Abest *hac lex* à *Cod. Iustinianeo.* Canonizata eq est *can.*25 §. *vniuersos*, 23 *quæst.*8. Refert eam quoque Baronius, *Anno* 381. *num* 16.

"*Tusciano* huic, *Clicherius*, hoc ipso Anno in Comitiua Orientis successit: cui inscribitur *lex* 2. *infr de haret.*

"Palæstinæ scilicet, quæ sub Comite Orientis, cui *hac lex* inscribitur, memoratur in *Notit. Imp.* & quidem *prima.*

"*Adtemptationis molestia*, de hac voce vide *Glossar. Theod.*

* Cætera absunt à *Decreto*, id est: Ratio huius constitutionis.

"*Censi capite*, id est, qui personalia munera præstare tenentur, *ἐπιχωρικοῦς ὑπηρεσίας* vocat Basil. *epist.*304. Quare verba hæc sollicitari non oportuit.

COMMENTARIVS.

CVSTODES quoque Ecclesiarum, de quibus est etiam locus apud Athanasium, itemque SANCTORVM LOCORVM, aliísque religiosis obsequiis deseruientes, immunitate personalium munerum frui iubet hac constitutione Theodosius M. Anno D.381. haud minus atque Clericos. Eiúsque rei ratio *hac leg.* assignatur (quæ & Clericis omnibus communis est, & verò redditur *l.*2. *supr.*) putà officij necessitas & obsequij, à quo eos abduci non oportet: quam tamen Gratianus, cùm *hanc legem* in *Decretum* suum referret, detraxit. ¶ Porrò ab *hac lege* non abludit, quod Gregorius Nazianzenus, *epist.*159. *ad Amphilochium*, scribit de Euthalio, quem, posteaquam Diaconus factus fuerat, *διαχάσαι ἐπιχειροῦσι χειρὸς τῆς ἡμωνυμικῆς τάξεως*, Amphilochiúmque rogat, ne hanc iniuriam Clero afferre sinat, sed Euthalium frui faciat *τῆς τῶν καιρῶν φιλανθρωπίας καὶ τῆς δεδομένης τοῖς ἱερατικοῖς παρὰ τῶν βασιλέων τιμῆς.* Vide & eiusdem *epistolam ad Iulianum* 166. 168.

¶ Notanda porrò hæc Theodosij M. *lex* est, velut singularis *de locis Sanctis*, *&* *de Custodibus locorum Sanctorum*, quæ hîc ab Ecclesiis distinguuntur. Nempe *loca sancta* hîc sunt, quæ in Palæstinâ inter alios sub *Comite Orientis*, cui *hac lex* ideò inscribitur, atque Hierosolymis nominatim, sita erant. Nempe *loca sancta*, quæ Hierosolymis erant, & in vicinis Palæstinæ partibus, hoc seculo adiri iam certatim solita, quibus hæc ad pietatem irritamenta visa, *μνήμας περὶ ἀρετῶν*, seu *γυμνάσια περὶ θεοσέβειαν*, & abducendam mentem ab humanis rebus & cogitationes suas ad Deum transferendas: cuius rei pulcherrimum exemplum extat apud Hieronymum, *in epistola ad Eustochium seu in Epitaphio Paulæ matris*, (vbi est accurata *σκιαγραφία* locorum illorum Sanctorum) adeò quidem vt hâc ipsâ de causâ Patres *ἱερῶν* quoque appellatione id significent. Cæterùm eorum, qui Palæstinam adibant, oculos præcipuè morabantur quatuor hæc loca, *Bethlehem*, *Golgotha*, *Mons Oliuarum*, & *locus Resurrectionis* omnium longè notissima, vt in quibus præcipua momenta Redemptionis nostræ transacta fuerint, vbi scilicet Christus natus, passus, è mortuis excitatus, in cœlum demum sublatus est: Quâ causâ Gregorius Nyssenus *in Epistol. de euntibus Hierosolymam*, itémque *in Epistola ad Eustachium*, horum duntaxat quatuor locorum mentionem facit: qui sanè Gregorius Nyssenus hoc ipso tempore & Anno Episcopus erat, vt docet quoque *lex* 3. *supr. de fide Cathol.* Percrebescente itaque huius peregrinationis vsu, ex quo tum Constantinus, tum Helena ea loca excolere cœperunt, iam opus fuit Custodibus *horum locorum.* Et Gregorius Nyssenus tamen *eâ*, quam dixi, *epistolâ* in id expressâ, his peregrinationibus intercessisse visus est, cùm iam modum ea res egrederetur, nempe quòd sine sacræ Scripturæ præcepto fierent, quòd inutiles essent, imò noxiæ, denique quod Hierosolymis non esset largior Dei gratia quàm alibi. Pariter vt Hieronymus postea *epistola ad Paulinam.* Vnde teneamus modum illum, *B. Hilarion, quum Palæstinus esset, & in Palæstinâ viueret, vno tantum die vidit Hierosolyma, vt ne CONTEMNERE loca sancta propter viciniam, nec rursum Dominum loco claudere videretur.* Imò idem ait, Antonium, quanquam in Confiniis Iudææ habitaret, nunquam Hierosolymis fuisse. Denique quo fine primùm ea *loca* adiri mos fuerit? vide apud Eusebium *lib.*6. *cap.*10. & Auctorem *vita Constantini*, *lib.*3.*c.*41. Socratem *lib.*7. *cap* 47. Paulinum *epistolâ ad Senerum.*

¶ His igitur Sanctis locis Custodes quidam appositi erant, non minus quàm Ecclesiis, imò & Templis Gentilium, de quo *l.*1. *supr. de fide Cathol.* Sic sanè & *Custodes martyrum* memorantur tum in *Epilogo Synodi Romana*, sub Syluestro, tum in *Pontificali Damasi*, vbi de iis qui in Ecclesia militare ac proficere desiderant, decreuisse dicitur, vt quinque annis Custodes Martyrum existant, antequam ad Diaconatus vel Presbyteratus Ordinem ascendant.

¶ *Primò, de* DIACONISSIS, *quanam in his desiderentur. Secundò, & de* CRINE *non abscindendo à fœminis, deuotionis alicuius obtentu.*

XXVII. * Imppp. Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Tatiano PF. P."

NVLLA," nisi emensis sexagintà" annis, cui votiua" domi proles sit, secundum præceptum Apostoli," ad Diaconissarum consortium transferatur. Cùm * filiis suis curatore", (si id ætas poscit,) petito, bona" sua idoneis sedulâ religione" gerenda committat: ipsa tantùm prædiorum suorum reditus consequatur, de quibus" seruandi, abalienandi, donandi, distrahendi, relinquendi, vel quoad superest, vel cùm in fata concedit, & libera ei voluntas est," integra sit potestas. Nihil" de monilibus, & supellectili, nihil de auro, argento, ceterisque" claræ" domus insignibus, sub" religionis defensione, consumat, sed vniuersa integra in liberos, proximos, vel in quoscunque alios arbitrij sui existimatione transcribat: Ac si quando diem obierit, nullam Ecclesiam, nullum Clericum, nullum pauperem scribat heredes: Careat namque necesse est viribus, si quid contra vetitum circa personas specialiter conprehensas" fuerit à moriente confectum. Immò, si quid ab his morienti" fuerit extortum, nec tacito fideicommisso aliquid Clericis in fraudem venerabilis sanctionis" callidâ arte, aut probrosa cuiuspiam" conbibentia" deferatur: extorres" sint ab omnibus, quibus inbiauerant bonis: Et si quid fortè per epistulam, codicillum, donationem, testamentum, quolibet denique detegitur genere conscribtum erga eos quos hâc sanctione submouimus, id nec in iudicium" deuocetur: sed vel ex intestato is qui sibi competere intellegit, statuti huius definitione succedat: si quis se agnoscit filium, si quis" probat propinquum, si quis denique, vel casu," vel iudicio," pro" solido, pro" portione, hæres," legatarius, fideicommissarius apertis" deprehenditur codicillis, fruatur fortunæ" munere, conscientiæ" suæ fructu: Et, submotis his" adque deiectis, in hæreditariis corporibus potestate vtatur" hæredis. ¶ Feminæ, * quæ crinem suum, contra diuinas humanásque leges, instinctu persuasæ professionis," absciderint, ab Ecclesiæ foribus arceantur: Non illis fas sit sacrata adire mysteria, neque vllis supplicationibus mereantur veneranda omnibus altaria" frequentare. Adeò quidem, vt Episcopus, tonso capite feminam si introire permiserit, deiectus loco" etiam ipse cum huiusmodi" contuberniis arceatur: Ac non modò, si fieri suaserit, verùm etiam si hoc ab aliquibus exigi, factum denique esse quacumque ratione compererit, nihil" sibi intelligat opitulari: Hoc" absque dubio emendandis" pro lege erit, emendatis" pro consuetudine," vt illi" habeant testimonium, isti incipiant timere iudicium. Dat. XI. Kalend. Iul. Med. Valentiniano A. IV. & Neotherio COSS. [390.]

NOTÆ.

* *Lege 9. Cod. de Episcopis*: relata extat (sed interpolata adhuc) prima *huius legis* sententia. Huius *legis* meminit Sozomenus, eiúsque causam conicit *lib. 7. cap. 16.* Eandem memorat simul & abrogat Marcianus Imp. *Nouell. de Testam. Cleric. vltim.* Retulit eam totam Baronius *Anno 390. num. 66.* & deinceps. Iungendáque *huic* videtur *l. 121. supr. de Decurionibus.*

"Orientis (de quo mox,) *l. 21. supr. de extraord.* vide quæ dicam ad *l. 2. infr. de his qui supr. Relig. l. 5. supr. de quæst. l. 17. infr. de hæret.*

"*vidua* scilicet.

"*Quinquaginta, in Cod. Iust.* de quo mox.

"de hâc voce, *votiua* consule *Glossarium.*

"Pauli 1. *ad Timoth. 5.*

* Secundum requisitum in Diaconissa.

"Prædia, vt mox sequitur.

"Tenent aliqui *regenda*, Sed nihil opus. Ita quoque *l. Dominus, ff. de pecul. legato*: *qui bona liberti eius gessit*: ita *populum gerere*, dixit Lucifer, *ad Constantium Imp. Prouincias gerere*, Pomponius *l. 2. ff. de origine iuris.*

"Reditibus scilicet.

"*ff. &*; cæterùm libera voluntas, hic; vt *l. 4. supr.* liber stylus; item, integra potestas, vt *d. l. 4.* licentia seu licens arbitrium:

"Hoc Caput est, quod Martianus indicat *Nouellâ de Testam. Clericorum.*

"vt mancipiis, *l. 18.*

"Notanda hæc vox. Nam inde apparet, Nobiles fermè matronas fuisse Diaconissas.

"Quasi id ei liceat veluti Religiosæ, vel in Relegiosos transcripta, aut in Religionis vsum, aut Religionis obtentu, & sub prætextu Catholicæ disciplinæ, vt loquitur *lex proxima.*

"id est, modò designatas.

"Diaconissæ. "huius.

"fortè, Iudicis.

"pro *conniuentia*, vbique fermè: vid. *Gloss. Theod.*

"Excludantur: Neque mutanda est hæc vox in *exsortes*. *Extorris* quippe vox per similitudinem etiam ad bona traducitur,

vt

vt in illo Saluiani *lib.2. contra Auaritiam, seu ad Ecclesiam Catholicam, in fine:* "*exharedari hominem à se ipso, exterrem bonorum omnium fieri, & quasi in exilium à se ipso agi.* Vide eundem & *lib.3.p.104.*

"id est, nullo iure censeatur.

"Si quis se probat.

"id est, successione ab intestato, vt mox *Iudicio*, id est, *testamento*. Nempe casu vel iudicio aliorum bona aliis deferuntur.

"in solidum.

"siue in solidum, siue ex parte.

"siue hæres, siue legatarius, siue fideicommissarius.

"Non tacito fideicommisso.

"*Fortuna munus* hic, quod suprà, *casus*.

"*Conscientia fructus* hic, quod suprà, *iudicium*.

"aliis.

"legam, *vtantur haredes*. Cæterùm *potestate vti in hareditariis corporibus*, est, corpora hæreditaria seu res hæreditarias vsurpare.

* SECVNDVM caput huius constitutionis: quod cum superiore commiscet perperàm Baronius.

"*Professionis* vocem *hic* nota, vt *l.39.infr.* vocem *professus*: Sed & adiunctum, *personæ professionis* obserua; de quo in *Interpretatione* plura.

"Altaria, de Christianis *hâc leg.* & *Anteriore*, adhuc *l.4. infr. de heret.*

"id est, Episcopatu. *Locus*, proprio significatu, pro gradu Sacerdotij: vid. *Glossar. Theod.*

"id est, cum tonso capite fœminis.

"id est, non ideo excusandus erit.

"De huius loci sensu, mox.

"id est, iis qui hactenus contra diuinas & humanas leges, tonso capite fœminas passi sunt.

"id est, qui ab hoc prauo more hactenus abhorruerunt.

"Est hic metathesis, nam vox *illi*, refertur ad proximum; *isti* ad remotius.

COMMENTARIVS.

RELIGIOSÆ FOEMINARVM professioni modus, & varius quidem, *hâc* Theodosij Magni *constitutione* imponitur; Theodosij, inquam, quod etiam Sozomenus disertè scribit *lib.7. cap.16.* qui hanc *legem* memorat; non vt quidam volunt, Valentiniani.

¶ PRIMVM igitur *huius leg.* caput est de DIACONISSIS, earúmque ætate, aliísque in iis requisitis. Ac primùm quidem de *Ætate* Diaconissæ. De ipsis primò Diaconissis, sed pauca ad rem necessaria: Vt initio nascentis Ecclesiæ Diaconissæ fuère, (quod testatur *epist.* Pauli *ad Rom. cap.16.* 1. *ad Timoth* 5. atque etiam Plinius Gentilis ipse, *Relatione suâ ad Traianum Imp. lib.*10. vbi eas vocat *ministras*, sicut Epiphanius *heresi* 79. & canon Laodicenus *can.*11. eas vocant πρεσβύτιδας, sed & Lucianus *in Peregrino.*) Ita earum officium describit Epiphanius, *lib.3. fine, contra hereses*: *Διακονίσσαι*, inquit, δὲ καθίστανται εἰς ὑπηρεσίας γυναικῶν μόνον, διὰ τὴν σεμνότητα ἐν χρείᾳ καιροῦ λουτροῦ ἕνεκεν, ἢ ἐπισκέψεως σωμάτων, καὶ αὗται δὲ μονόγαμοι, ἐγκρατευσάμεναι, ἢ χηρεύσασαι ἀπὸ μονογαμίας ἢ διὰ παρθένοι οὖσαι. Vide eundem *heresi 79. contra Collyridianos*, *p.*447. De iisdem sensisse puto Libanium sub Theodosio M. *huius legis* authore περὶ τῶν δεσμωτῶν, *pag.*56. ibi, γυναῖκες δῶρα τῶν ἐπὶ φιλανθρωπίᾳ φιλοτιμουμένων; & *in Tisameno, pag.*452. vbi μητέρας γραῶν, id est, *matres vetularum*, vocat, & *vtroque loco* ostendit, carcere vinctorum curam eas gessisse. ¶ Ergo Theodosius M. *hâc lege* sex de Diaconissis istis constituit I. *Primum* est de *Ætate* Diaconissarum: Nempe quemadmodum sua fermè ætas χειροτονουμένων olim præstituta, de quo peculiaris extat Leonis Allarij commentarius, ita & Diaconissis præstituta. Non nisi emensis scilicet 60. annis ad Diaconissarum consortium eas transferendas, *hâc leg.* definit Theodosius. Idque secundum præceptum Apostoli, Pauli scilicet 1. *Timoth.5. vers.9.* quomodo & Sozomenus, *d. c.16.* κατὰ τὸ Ἀποστόλου Παύλου ῥητὸν πρόσταγμα. Quod prius etiam Tertulliani sæculo obtinuisse liquet, ex *libro* eius *de velandis Virginibus*: Et Basilij, cuius hæc verba *epist.2.ad Amphilochium, pag.*769. ἡ μὲν τοὶ χήρα ἑξηκονταέτις γεγονυῖα, ἐὰν ἕληται πάλιν ἀνδρὶ συνοικεῖν, ὡς μετεχομένη τῆς τοῦ ἁγίου κοινωνίας, ἕως ἂν τοῦ πάθους τῆς ἀκαθαρσίας παύσηται: ἐὰν μὲν τοι πρὸ ἑξηκονταετίας ἀριθμήσωμεν αὐτήν, ἡμέτερον τὸ ἔγκλημα, οὐ τῆς γυναικός. Obtinuit & deinceps Hieronymi, vt docet *lib.2. comm. in Esaiam*: *Non*

Ecclesiasticis, inquit, *sustentatur vidua alimentis, nisi qua sexaginta annorum est, & maturitatem morum habet pariter & etatis*: & epist. ad Saluianam de viduitate seruanda, *fol.34. 1.col.* *Nec te moueat, quod Sexagenaria ELIGATVR in Viduam*, vbi nota vocem *Eligendi*, pro qua hîc, *in consortium transferre.* Pariter vt ad Gerontiam, de Monogamia, *fol.42.* *Considera quod Vidua non eligatur, nisi vnius viri vxor.* Verùm ab hoc Iure recessum deinceps. Postea enim indultum, vt Diaconissæ quadraginta annorum allegi possent Concilio Chalcedonensi, *can.*15. Quod & Synodus *in Trullo cap.*14. probauit. Atenim Iustiniano media via placuit, & quinquaginta annorum numerus definitus, *l.9.Cod.de Episcop* & *Nouell.6. cap.6.* quæ lex hinc alioquin desumpta est, quámque *Codicis Iustinianei* Auctores, Tribonianus, aliíque interpolasse videntur, sed summâ, si proba est lectio, incogitantiâ, cùm hæc verba reliquerunt, *secundùm præceptum Apostoli*, quæ omninò expuncta oportuit, vt alia expunxit. Nam præceptum Apostoli est de sexaginta annis; adeò incuriosos etiam sacræ Scripturæ illi egêre, pariter vt Iustinianus *d.Nouell.6. cap 6.* κατὰ θείους κανόνας, id à se constitui profitetur, sed falsò qui Iustiniani *Codicem* expressère: Sed Contius Tribonianum mendâ liberat, putat enim in *d.l.9.* legendum esse 60. Sanè & Photius & Paratitlon & Basilicon Auctores exhibent 60. ἡ μὴ ὑπερβᾶσα τὸν ἑξηκοστὸν ἐνιαυτόν. Quod etiam Leonclauius notauit, *lib.1.Notatorum, pag.*188. Ego putem religiosiores iam & verecundiores Græculos, veritati consonos reposuisse ἑξήκοντα; Iustiniano certè tandem *Nouell.*123. *cap.*13. Quadragesimus annus placuit. Porrò huiusce capitis, vt dixi, ex *lege* Theodosiana meminit quoque Sozomenus *lib.7. cap.*16. eiúsque causam hanc conijcit, quod Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ quidam cum nobili quadam Matrona se miscuisset Ecclesiæ scandalo; (quod quidem factum alioquin memorat quoque Socrates *lib.5.cap.19.*) ἐκ ταύτης, inquit, δὲ τῆς αἰτίας συμβάλλω καὶ Θεοδόσιον τὸν βασιλέα προσταχθῆναι τῆς τῶν Ἐκκλησιῶν ὀυκλαιας τε καὶ σεμνότητος, νομοθετῆσαι τὰς γυναῖκας, αἱ μὴ παῖδας ἔχοιεν καὶ ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔτη γένοιντο, διακονίας Θεοῦ μὴ ἐπιτρέπεσθαι, κατὰ τὸ Ἀποστόλου Παύλου ῥητὸν πρόσταγμα. Quanquam de coniectura Sozomeni valdè dubito. Neque enim aut ipse, aut Socrates eam mulierem Diaconissam fuisse aiunt: Verùm *nobilem fœminam* vocant. Neque

 secundum

ſecundum huius caput cum hoc facto quidquam commune habet, quidquid eredere nos vult Baronius. Denique neque tēpora (quod non vltimum) congruunt. Socrates enim *lib.5. c.19.* factum illud memorat Anno D.391. Theodoſio Conſtantinopoli conſtituto. Neque Baronium audio factum illud retrotrahentem. Cæterùm exactam hîc 60. annorum ætatem requirit Theodoſius; *emenſis* inquit, 60. *annis*: quomodo & Photius diſertè, *διαβιώσασαν τὴν μὴ ὑπερβάλλουσαν.* Quæ quidem obſeruatio ex *hâc* quoque nominatim *leg.* firmari debuit à Leone allato, *Commentario de ætate ordinandorum*, Romæ edito Anno D.1638. Ita & de Preſbyteris & Diaconis *Canones*, eorúmque Commentatores, certam in illis ætatem deſignantes, expletam ætatem volunt. Balſamon, *in Canones Trullanos*, *τοὺς δὲ μὴ ὑπερβαίνοντας τοὺς τοιούτους χρόνους καὶ χειροτονουμένους καθαιροῦσι.* Et hæc de primo circa Diaconiſſas ætatis requiſito, & circa eam *ἀκριβολογίᾳ.* Sequuntur quinque alia, quorum nulla niſi vnius apud Sozomenum mentio extat, cùm ſuperioris requiſiti meminerit.

§ SECVNDVM igitur eſt, vt voriua ei domi *Proles* ſit; quod etiam Sozomenus expreſſit, *εἰ μὴ παῖδας ἔχοιεν*, inquit, *μὴ ἐπιτρέπεσθαι.* Tertullianus ante; *Ad quam ſedem præter annos 60. tantùm vniuira, id eſt nuptæ, aliquando eliguntur, ſed & matres & quidem educatrices filiorum.* Idque rurſum, ſecundùm præceptum Apoſtoli: Rectè: nam & Apoſtolus quoque hoc in Viduâ ſeu Diaconiſsâ attendi voluit: *εἰ ἐτεκνοτρόφησεν.* Verùm id Iuſtinianus non inquirit: atque ideò hæc omiſit in *d.l.9.* quæ hinc alioquin deſumpta eſt: ideò, quia Iuſtiniani ſæculo, & paulò ante, etiam Virgines Diaconiſſæ fiebant. Obſeruant Græci ad *Canonem 15. Chalced.* *ὁ μέγας Ἀπόστολος Παῦλος Τιμοθέῳ ἐπιστέλλων, χήρα μὴ καταλεγέσθω φησὶν, ἐλάττων ξ ἐτῶν: διά τι οὖν τοῦ διαταξαμένου τοῦ Παύλου, ἡ Σύνοδος αὐτὰ τεσσαράκοντα ἐτῶν τὴν χειροτονουμένην εἰς Διακόνισσαν διατυποῦσα: φαμὲν οὖν, ὅτι ὁ μὲν Ἀπόστολος περὶ χηρῶν διωρίσατο, ἡ δὲ Σύνοδος αὐτὴ περὶ παρθένων.*

§ TERTIVM in Diaconiſsâ requiſitum eſt, *εὐεργεσία τῶν οἰκείων beneficentia in ſuos*: ac nominatim vt Curatorem filiis ſuis minoribus petat; quod ipſum in matre aliàs non requiritur. Nam cùm à matribus ſedulum petendi Tutoris officium exigatur, petendi tamen filiis Curatorem neceſſitas matribus impoſita non eſt, *l.6. Cod. qui petunt Tutores vel Curatores.* Quid eſt autem, quod hîc de Curatore tantùm à matre ad Diaconatum promouendâ petendo agitur, ac non pariter de Tutore? Nempe quia vix & rarum eſt, vt filij eius Tutoris egeant; id eſt, eius ætatis ſint, qui Tutores habere debeant: quia facilius & plerumque filij eiuſmodi mulieris iam puberes ſunt. Nam cùm nonniſi Sexagenariâ maior ad Diaconiſſarum conſortium transferatur; ſanè vix eſt, vt non puberes eius ſint liberi: vtpote cùm mulieres Quinquagenariæ, & citerius plerumque parere deſinant. Quò etiam pertinet ſolemne *legis Papiæ* caput, vt de Sexagenario, ita & de Quinquagenariâ.

§ QVARTVM in Diaconiſsâ requiſitum eſt; ad Adminiſtrationem bonorum ſuorum ſeu prædiorum aliis & idoneis quidem committat, reditus eorum ipſa tantùm conſequatur, cum libera de iis fructibus diſponendi facultate.

§ QVINTVM requiſitum ſeu quinta conditio eſt, vt ne *Clara domus inſignia*, purà monilia, ſupellectilem, aurum, argentum, mancipia, ſub prætextu Religionis conſumat; verùm ea liberis, proximis, ſeruet. Tria itaque hîc obſeruentur. Bona ſeu prædia; Reditus eorum, Monilia, &c. Primorum nec adminiſtrationem habet Diaconiſſa: Reditoum & adminiſtrationem habet, ſimul & eorum alienandorum ius. Poſtremorum adminiſtrationem habet, at non & alienationem: *ſub Religionis defenſione*, id eſt, in Clericos, aut Eccleſiæ nomine, (vt *l.ſeq.* dicitur.) Quæ & ipſa prouida *legis* ſanctio, mox tamen abrogata *lege ſequente*: vbi dicam pleniùs. Monilia interim nominatim hîc deſignati inter res alias & præcipuas obſerua. Ea ſcilicet vt luxus muliebris, ita cupiditatis pars magna hoc etiam æuo. Claudianus de *Rufini* prædis.

——————cuicumque Monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuiſſent,
Rufino populandus erat.

De *bello Getico, in fin.* vbi de Alarici vxore.

Demens Auſonidum gemmata monilia Matrum
Romanáſque alta famulas ceruice petebant.

Et alibi veluti *6. COS. Honorij*, deſcribens mulieris ornatum adueniente Proco:

Subſtringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures.

Eorum nulla expreſſa mentio in *l.prox.* quâ *hæc* renocatur: verùm generali *ſupellectilis* appellatione comprehenduntur.

¶ POSTREMVM circa Diaconiſſas, quod *hîc* ſtatuitur, eſt; vt ne *Eccleſia*, Clerici, Pauperes ius capiendi vllum habeant, ex vltima Diaconiſſæ voluntate. Cui ſimilis quadantenus eſt prohibitio *legis* Valentinianeæ *l.20. ſupr.* Quadantenus, inquam; Nam illa *lex* 20. eſt de omnibus mulieribus, atque in his de omnibus viduis: *hæc* verò de Diaconiſſis tantùm: *illâ* prohibentur Monachi, & Clerici quidquam ex mulieris alicuius bonis aut donatione aut vltima voluntate conſequi: *hâc* verò, etiam Eccleſiæ, etiam pauperibus ex vltima Diaconiſſæ voluntate capiendi ius adimitur. *Illâ* relictum Clerico vel Monacho à muliere caducum fit, ſeu in fiſcum cadit; *hâc* verò inutiliter relictum iubetur eſſe pro non ſcripto, & ſic hæredibus quibuſcunque, imò his deficientibus, & legatariis & fideicommiſſariis proficit, ſeu relinquitur: quod ſingulare admodum eſt: vt hoc velut auctoramento fraudibus obuiam iretur. Cùm alioquin commune hoc ſit *vtrique legi*, vt tacitis fideicommiſſis in fraudem *legis*, quantum poteſt, occurrat: de quo omni iam dictum ad *illam l.20.* Tandem, cùm quatuor ſint *hoc titulo* conſtitutiones de Eccleſiaſticis adquiſitionibus, ſedulò cauendum ne commiſceantur temerè, ſeu confundantur: quod Marcianum etiam Imp. feciſſe, ad *l.ſeq.* oſtendam. Nempe *l.20.* Clerici & Monachi ex mulierum Laïcarum quarumcunque bonis quidquam capere prohibentur; imò *l.21.* etiam Epiſcopi, Virginéſque Deo dicatæ. Hac *l.21.* ex Diaconiſſarum bonis quicquam capere prohibentur, & quidem non Clerici tantùm, verùm etiam Eccleſiæ ipſæ, & pauperes. Imò vel de mobilibus tantùm & ſupellectile. Quod poſtremum tamen de mobilibus mox abrogatum, *l.28. ſeq.* Hoc poſtremum, inquam, tantum: at non & illud, quo prohibitum ius capiendi ex teſtamento: quod tamen Baronius credere nos vult; Qui & ideò Theodoſium inſectatur, cùm his prohibitionibus *periclitatam fidelium erga Deum Religionem, & erga pauperes miſericordiam*, ſcribit: & *libertatem Eccleſiaſticam diſpendium paſſam.*

§ Non poſſum & illud hoc loco omittere, perperam omninò Ambroſij locum, quem ad *leg.20. ſupr.* attulimus, ad hanc *legem* à quodam nupero quoque Scriptore relatum: déque hâc *lege* ſenſiſſe Ambroſium. Id enim ſcribentem, *legem* non attendiſſe

disse liquet. Ambrosius enim de omnibus Viduis loquitur: At hæc *lex* de *Diaconissis* tantum est. At inquit ille, Ambrosium de *recente lege* agere: At enim *legem* 20. non esse recentem Ambrosio, viginti post *eam leg.* annis scribenti: Imò *legem* 20. Ambrosius recentem rectè appellauit, quæ Patrem tantùm Imperatoris, ad quem scribebat, auctorem habebat: Quomodo & *libello* 1. Iuliani (Apostatæ) *legem* proximam vocauit: Interim vanissimum est, scripsisse Ambrosium libellum istum aduersus Symmachum, Anno D. 390. Argumentum si quæras, hoc affert, quia Symmachus quidem scripserit Relationem suam eo anno, Valentiniano adhuc puero, quod ipsemet Ambrosius docet *priore libello*, seu *epist.* 30. at Ambrosius adulto eo *secundo libello*, seu *epist.* 31. Hoc verò est quod nego. Nam quæ Ambrosius *secundi libelli initio* de Valentiniano adhuc in minoris æui tyrocinio florentibus nouo annis scribit, æquè ad præsens secundi libelli tempus referuntur. Imò quæ *de Rhatia* libello illo scribit, rectè Velserus ad Annum D. 383. retulit.

¶ ALTERVM *huius legis* caput, & ipsum mulierum honestati consulens est, de CRINE fœminarum, Religionis obtentu, non abscindendo: idque rursum (quod & apertè hîc proponitur (*iuxta diuinas leges*. Nempe D. Pauli scitum est 1. *Cor.* 11. *v.* 6. αἰσχρὸν γυναικὶ τὸ κείρεσθαι ἢ ξυρᾶσθαι. Cui adde, & similem prorsus *huic leg.* Concilij Gangrensis *canonem* 17. de quo mox. Et nihilominus tamen *persuasà quadam professione*, (vt *hac lex* loquitur de quo mox) crinem fœminæ abscindere subinde solitæ: nonnullis etiam id à mulieribus quibusdam exigentibus (quod *hac lex* testatur, & de Eustathio id memorant Socrates & Sozomenus) idque eis suadentibus: aliis saltem permittentibus. Igitur & diuinis Canonicisque & humanis legibus huic malo moríque contra itum. Ac nominatim Concilio quod dixi Gangrensi, quod habitum contra Eustathium quendam Ancyro Galatam (teste Nicæta *in vita Ignatij Patriarchæ*) vel Sebastianum Armeniæ; auctore Socrate, 1. *cap* 42. *Græc.* seu 33. *Lat.* & Sozomeno 3. *cap.* 13. Multæ scilicet mulieres tum specie religionis προφάσει θεοσεβείας, muliebrem comam detondebant, τὴν φύσιν τῆς κόμης τῆς γυναικείας, vt habet Synodalis illius Concilij epistola, Quare: τὰς κόμας, vt habetur in ipso *canone* 17. eius Concilij, cuius hæc verba sunt, *huic legi* nostræ quàm-proxima, εἴ τις γυναικῶν, διὰ νομιζομένην ἄσκησιν ἀποκείρετο τὰς κόμας, ἃς ἔδωκεν ὁ Θεὸς εἰς ὑπόμνησιν τῆς ὑποταγῆς, ὡς ἀναλύουσα τὸ πρόσταγμα τῆς ὑποταγῆς ἀνάθεμα ἔστω. Similis inquam est omninò hæc Theodosianæ huius Constitutionis dispositio; Cuius etiam meminit iunctim cum superiori capite Sozomenus, *dicto lib.* 7. *c.* 16. *in fin.* τὰς δὲ κειρομένας τὰς κεφαλὰς ἀπελαύνεσθαι τῶν Ἐκκλησιῶν; τὸν δὲ ταύτας παραδεξάμενον Ἐπίσκοπον ἀφαιρεῖσθαι τῆς Ἐπισκοπῆς: vbi ineptè Interpres κειρομένας τὰς κεφαλὰς vertit *caput ornantes*: ab Eustathio porrò Sebasteno id factum, atque ideò Synodo Gangrensi eum canonem aduersus illum scriptum Auctores sunt Socrates & Sozomenus *dictis locis*. Sanè quidquid diuinis Canonicis & humanis sanctionibus toties cautum fuerit, & vt vides seuerissimis, mox tamen Hieronymus *aduersus Iouinianum*, & in graui illâ obiurgatione *ad Sabinianum Diaconum* scribens, testatur hunc radendi capitis muliebris *tam virginum*. *quam viduarum*, morem per Ægyptum & Syriam, clam per Ecclesias ex tempora irrepsisse: Quæ quidem Syria & Ægyptus sub dispositione Præfecti Prætorio Orientis erat, ad quam *hac lex* data est. Et verò tandem mores in potestatem suam, Leges diuinas & humanas perduxerunt. Quomodo & Corona comæ Clericalis per Africam Ægypto vicinam nominatim vsurpata, vt docet *lex* 38. *infr. hoc tit.* quæ data est 17. annis post *hanc leg.*

¶ Cæterùm ait *lex* factum id *instinctu persuasæ professionis*, vt Epiphanius, *hæreseon lib.* 3. *p.* 466. in contrario more de Monachis crinem nutrientibus, ἕνεκεν δῆθεν πολιτείας ἀπ' ἰδίας νοὸς, id est, *persuasæ professionis causâ*. Nempe πολιτεία idem, quod *professio* & *persuasa professio*, νομιζομένη ἄσκησις, vt habet *Canon. Gangrensis* in hac ipsa re, loco superiùs consignato, vel προφάσει θεοσεβείας, vt in epistola Synodali illius Concilij, (quod totum habitum, aduersus huiusmodi κακονομίας obtento pietatis & religionis) & apud Sozomenum *lib.* 9. *c.* 13. vbi de hâc ipsa re & prædicto Concilio Gangrensi. Cæteroquin cuiuis iam notum, πολίτευμα Græcis esse *professionem*; disciplinam, vitæ genus singulare. Tandem & *professio* sacræ Religionis *l.* 39. *infr.* pro Clericatu: vbi vide & quæ dicam. Hæc si Doctissimus alioquin Baronius attendisset, non eam huic capiti sententiam affinxisset, quasi eo, iuniores tantùm viduæ capillos abscindere, & sic capillorum abscisione in numerum Diaconissarum se intrudere prohibitæ fuerint: vt ita efficiat Diaconissas iam hoc sæculo capite raso fuisse. Quod ab huius capitis sententia alienum est: eo quippe, *capitis* rasio promiscuè in fœminis seu omnibus mulieribus damnatur, quæ persuasa professione, seu διὰ νομιζομένην ἄσκησιν vel ἕνεκεν δῆθεν πολιτείας ἀπ' ἰδίας νοὸς crinem abscindebant. De Corona Clericorum dico ad *l.* 38. *infr.* Similis est Baronij hallucinatio, cùm negat Synodum Gangrensem aliquid definire contra sacratas Deo Virgines, sed loqui contra mulieres hæreticas. Quomodo & Glossa in *Clem.* 2. *de statu regul.* & post eam, Barbosa, textum *Concilij Gangrensis* accipiunt de laïcis mulieribus, non de Religiosis, quæ Deo & Ecclesiæ dicatæ sunt.

¶ Porrò Sanctio *huius leg. Theodosiana* districta admodum est: tum ratione ipsarum fœminarum, tum ratione Episcoporum: Nempe *fœminas* tonso capite ab Ecclesiæ foribus arceri iubet Theodosius, sacratáque adeò mysteria his adire nefas esse, neque mereri vllis supplicationibus veneranda omnibus altaria frequentare, quæ quidem ipsa ἀναθέματος pœna est, quæ *Canone Gangrensi* imponitur: sic vt quid Anathema ibi propriè sit, & in Concilio Gangrensi passim, atque alibi, non aliunde magis aut certius quàm ex *hâc leg.* describas; quomodo & Sozomenus ait ἀπελαύνεσθαι τῶν ἐκκλησιῶν: Episcopum verò, si tonso capite fœminam Ecclesiam intrare permiserit, & ipsum loco seu Episcopatu deiiciendum, & Ecclesiâ arcendum. Nempe vbi in alios Anathema fulminatum, in Clericos & Episcopos depositionis pœna statuta: de quo vid. quæ Morinus 2. *Exercit. sacr.* 9. Et hæc interim inter alias Episcopi deponendi causas notetur: de quâ depositione *l.* 35. *infr. hoc tit.* Idque non modò si suaserit, verùm & si hoc ab aliquibus exactum nouerit, imò vel factum quacunque ratione compererit. Atque ita alieni facti pœnam sufferre vel Episcopum, si factum non est, & non improbauerit exclusâ fœmina ab aditu Ecclesiæ. Et subiicit, *hoc absque dubio emendandis pro lege fore: emendatis pro consuetudine: vt illi* [id est, hi] *habeant testimonium*, *isti* [id est, illi] *incipiant timere iudicium*. Quorum verborum hic sensus est, hanc *legem* fore deinceps iis, qui hactenus fœminas capite tonso esse voluerunt, vel siuerunt, *timori*: his verò qui ab hoc abhorruerunt, futuram deinceps

deinceps testimonio & approbationi bonæ eorum consuetudinis. Duplex nempe hæc cæteroquin *legis* virtus est, vt timori sit emendandis seu improbis, testimonio & approbationi emendatis seu probis. Cui conuenit etiam definitio Chrysippea *l.5. de legibus*. Quare eleganter omninò *emendandis*, id est, improbis: nempe *lex* iniusto posita est: & *emendatis* seu probis consuetudinis ipsorum testimonium est & adprobatio: Nam dum malis iudicium denunciatur, eo ipso probis consuetudinis suæ & probitatis testimoniũ perhibetur. Probisque *lex* non est metui, seu bonis operibus; sed malis: & probi quod bonum est, non propter *legem*, neque iudicij metu, sed ex consuetudine ἐκ συνηθείας, id est, *ipsa morum probitate* operantur. Et proculdubio locus hic effictus ad eiusdem D. Pauli, cuius testimonium *initio legis* aduocatur, mentem, & quidem eâdem Epistolâ 1. *ad Timoth. cap.1. vers.9.* Sed & *epist. ad Rom.13. vers.3. 4. 5.* sicuti per *diuinas leges*, quæ hoc ipso capite memorantur, indicatur præ aliis *epistola* Pauli 1. *ad Corinth. cap.11. à versu 3. ad 16.*

XXVIII. * Idem AAA." Tatiano, PF. P."



LEGEM, † quæ Diaconissis" vel viduis nuper" est promulgata, *Ne quis videlicet Clericus, néve" sub Ecclesia nomine mancipia, supellectilem," prædam" (velut infirmi sexus dispoliator) inuaderet, & remotis adfinibus ac propinquis, ipse sub prætextu Catholicæ disciplinæ se ageret viuentis" heredem*, eatenus animaduertat esse reuocatam, vt de omnium chartis, si iam nota est, auferatur: neque quisquam, aut litigator eâ sibi vtendum, aut Iudex nouerit" exequendum. Dat. x. Kalend. Septemb. Veronæ," Valentiniano A. IV. & Neotherio COSS. [390.]

NOTÆ.

* Hanc leg. memorat Marcianus *Nouellâ de testam. Cleric. vltim.* Memorat hanc legem Baronius *Anno 390. n.71.*

"*Tatianus* PP. Orientis scilicet sub Theodosio M. vid. *Prosopogr.*

"Superiorem 27. eidem Tatiano inscriptam.

"Sostineri potest: quamquam Clericus *de Diaconissis*.

"ante duos fermè menses 11. Kal. Iul.

"id est, ne quidem.

"*Supellectilem*; vid. & *infr. leg.*

Est qui tentet *prædia*: Quod probandum non est.

"Rectè habet hæc vox: neque mutanda in *continentis*, quod idem tentabat.

"Eam nouerit.

"*Verona* data hoc anno mense Augusto & Septembri præter hanc legem *lex 1. infr. de Monachis & supr. de Decurionibus lex 12. l.19. supr. de Nauicular.* Imo & *lex si vindicari de pœnis.*

COMMENTARIVS.

DE DIACONISSIS Theodosius M. ante duos fermè menses superiore constitutione 27. ad eundem Tatianum Præfectum Prætorio emissâ ex Vrbe Mediolanensi, sex constituerat: & inter cætera quinto loco cauerat; *Ne sub religionis defensione & obtentu liceret Diaconissæ vel Claræ domus insignia* (putà monilia, supellectilem, aurum, argentum, mancipia) *consumere* (id est, ne ea Clerici, etiam sub Ecclesiæ nomine, inuaderent) *verùm ea vniuersa, liberis, proximis, adfinibus seruarentur*: Id ita, inquam, inter cætera constitutum fuerat, vt dixi, eâ *lege* 27. Atenim hoc vnicum caput (intactis aliis omnibus *d. l.27.* capitibus, inque vigore suo permanentibus) eidem Theodosio hac Constitutione nunc abrogare visum. Proinde huius legis hæc sententia est; Licere Diaconissæ, mancipia, supellectilem, id genus alia mobilia, Claræque domus insignia, in Ecclesiam & Ecclesiasticos inter viuos conferre. Tribus itaque circunstantiis hæc licentia circumscribitur: Est enim nominatim de *Diaconissis*: est tantum de *mobilibus*: est tantùm de *alienatione inter viuos*. Breuiter, quintum legis superioris caput *hâc leg.* abrogatur, quod quartum est secundi capitis eâ lege; quod indicatur his verbis: EATENVS *animaduertat esse reuocatam.* Quod vt legis verba apertissimè ostendunt, ita id specialius nunc ostendendum nobis est: quandoquidem iam olim quoque Martianus Imp. *Nouellâ*, quæ inscribitur, *de testam. Cleric. vltim.* eam laxius in tribus interpretatus est: quasi, inquam, & de aliis viduis hæc lex esset: quasi item de omni bonorum genere ageret, quasi denique de testamentariâ dispositione & alienatione foret, hoc sensu. Licere ex *hâc leg.* cuiuis viduæ, cuiuscunque tandem generis bona testamento suo Clericis relinquere. Quæ tria falsissima sunt. De singulis ordine videndum est.

¶ Primum igitur *de Diaconissis* tantùm hanc legem esse, tum expressa eius verba euincunt, tum relatio ad priorem partem *l.27. supr.* quam legem NVPER promulgatam ait, imò vix adhuc notam fuisse, propter recentem eius promulgationem, fine huius legis indicat: *Vt de omnium*, inquit, *chartis, si iam NOTA est, auferatur.* Quare & ex his liquet, hâc lege non agi, nisi de Diaconissis: de quibus actum *initio d.l.27.* ac non etiam de aliis de quibus *l.20. hoc tit.* quæ ante viginti annos promulgata fuit: & verò post hanc legem quoque obtinuit, vt ad eam ostensum est, ex Hieronymi *epist. ad Nepotianum.* ¶ At, inquies, quod Martianus *in Nouella sua* inquit, & pro fundamento interpretationis suæ astruit, agi *hâc lege* etiam de *Viduis*, non modo de Diaconissis, ac proinde non superioris tantum *l.27.* caput, quæ de Diaconissis est, abrogari, verùm etiam *legem* 20. quæ de viduis aliis est: Et sic (quæ verba Martiani sunt) intelligi hanc constitutionem, quæ Viduarum & Diaconissarum memioit, de lege vtraque dixisse. Verùm, vt iam ostensum est huius legis verbis disertè indicari *l.27. supr.* (nuper promulgatam) ac non etiam *legem* 20. (iam dudum ante 20. annos promulgatam) ita sciendum est, verba huius legis à Martiano

tiano torqueri: neque enim hac lege dicitur, *Diaconissis cæterisque viduis*, aut *Diaconissis & viduis*: verùm *Diaconissis VEL viduis*. Quibus sanè verbis *Diaconissa vidua* pro eodem sumuntur. Nempe *viduarum* appellatio speciali significatu pro Diaconissis accipitur. Vt omittam, quæ ex veteri fœdere repetuntur, 1. *Samuel*. 2. *vers*. 22. & *Luc*. 2. *vers*. 37. Sanè sui initio vix alio nomine Diaconissæ dictæ: vide *Epistolam* 1. *ad Timoth* 5. *v*. 9. & 11. Et hæc de primo Martiani errore in *hac lege* interpretanda. ¶ Secundus Martiani Imp. error est, quod hanc legem de omni bonorum genere accepit: cùm tamen apertissimè nonnisi de mobilibus, séque mouentibus, agat: ac non etiam de fundis seu prædiis: quæ post hanc legem non magis, quàm post legem 27. Diaconissis in Clericos vel Ecclesiam transcribere licuit. ¶ Tertius Martiani Imp. error est, quod de vltima dispositione hanc legem intelligit: cùm apertissimè nonnisi de alienatione inter viuos hæc sit, quod hæc verba ostendunt, *si ageret VIVENTIS Heredem*. ¶ Denique sententia *huius legis* hæc est: Diaconissam mobilia seu mouentia, inter viuos in Clericos vel Ecclesiam conferre posse, at non etiam vltima voluntate, non magis quàm prædia. Vnicum illud scilicet solatij loco Theodosius M. Diaconissis in fauorem Clericorum & Ecclesiæ relictum nunc voluit: Nil præterea. Nempe quò faciliores homines ad vltimas voluntates & liberalitates, mulieres præsertim, sunt, quàm inter viuos largitates ab his exercentur. Quæ iuris ratio & in aliis quamplurimis iuris articulis cernitur. Proinde mediam quandam & æquabilem hac parte vt sibi nunc videbatur, viam secutus Theodosius. Neque adeò abnoerim, quod Baronius conijcit, Ambrosij suasu; quod inanibus argumentis nonnemo refutatum voluit. Nam vt non facilè permittendum fuit, sub Ecclesiæ nomine, bona Diaconissarum, Clericorum *prædam* fieri, atque infirmum sexum, simul & propinquos, bonis priuari; ita modicum aliquid, quódque non ita frequens esset, Diaconissis & Clericis hac parte licere æquum visum: Nimis scilicet visum, prædia in Clericos & Ecclesiam conferri: Item periculi plenum visum, testamentarias liberalitates etiam mobilium concedi: Satis visum, si vel inter viuos mobilia séque mouentia Ecclesiæ & Clerici capere possent ex liberalitate Diaconissæ. ¶ Quæ cum ita sint, patet simul, quid de Baronij sententia sentiendum sit, qui & vniuersim & confidenter pronunciat, ex sanctione legis superioris (quâ scilicet adquisitionibus Ecclesiasticis fibula imposita fuerat) *periclitatam fidelium erga Deum religionem & erga pauperes misericordiam, eáque parte liberalitatem Ecclesiasticam dispendium passam, hac verò* (indefinitè quidem) *abrogatam*. Imò vides Lector, quàm conferat, ipsas intueri leges, neque cuiusquam auctoritate aut præiudicio abripi.

XXIX. * Impp. Arcad. & HONOR. AA. Hierio Vic. Afric.

QVÆCVMQVE à Parentibus Nostris'' diuersis sunt statuta † temporibus, manere inuiolata adque incorrupta circa Sacrosanctas Ecclesias præcipimus. Nihil igitur à Priuilegiis immutetur, omnibúsque qui'' Ecclesiis seruiunt Tuitio deferatur: *Quia temporibus nostris addi potiùs reuerentia'' cupimus, quam ex his quæ olim præstita sunt immutari*. Dat. x. Kalend. April. Med. Olybrio & Probino COSS. [395.]

NOTÆ.

* Refert hanc legem Baronius *his* COSS. 395. *num*. 50. Pars eius maior relata Capitularium *lib*. 6. *cap*. 118. Tota extat sub Arcadij & Honorij nomine 20 *quæst*. 1. *initio Canonis* 20.

'' Constantino, Constantio, Valentinianis, Gratiano, Theodosio.

† Constitutiones.

'' Episcopis, Clericis.

'' Ecclesiasticæ.

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA Ecclesiarum & Ecclesiasticorum, ab anterioribus Principibus indulta omnia, hoc Imperij sui initio, Honorius Imp. Occidentis & quidem per Africam simul & semel confirmat, atque inuiolata incorruptáque manere præcipit. Additâ etiam ratione, quæ religiosum Principis animum efferunt. Quod & ipsum sæpius postea ab eodem Honorio factum *l*. 30. 34. (vbi eodem sensu *priuilegiorum* vox accipienda est,) 36. 38. 40. *hoc tit*. *l*. 21. 22. *supr. de extraord*. quarum pleræque, vel vt hæc nostra, Africæ magistratibus inscribuntur; & ad Africam pertinent, vel ad vrbem Romam. Vnde liquet, per Africam & Romanam diœcesim priuilegia hæc subinde sollicitata: temeritate scilicet & obreptione hæreticorum & conniuentia Iudicum, quod docet nominatim *lex* 34. Simili modo idem Honorius Priuilegia illa circa Vrbis Romæ Episcopum confirmauit *l*. 21. *supr. de extraordinariis muneribus*. Sanè & Sozomenus, *lib*. 8. *cap*. 1. meminit confirmatorum initio statim Imperij post mortem Patris ab Honorio, eorum quæ Ecclesiis ab anterioribus Principibus concessa fuerant; *καὶ διὰ τοῦτο*, inquit, *τὰ δεδογμένα τοῖς πρὶν βασιλεῦσιν ὑπὲρ τῶν Ἐκκλησιῶν προθυμότερον βέβαια ἐφυλάξαντο, καὶ δωρεὰς ἰδίας προσέθεσαν*. Qui sanè locus huc omninò pertinet.

§ Cæterùm, quænam hæc *Priuilegia* seu *προνόμια* sint, ab Imperatoribus Ecclesiis & Ecclesiasticis præstita, vt complures huius tituli leges edocent, ita plenissimè, & semel vno conspectu perdocet huius tituli *Paratitlon*. Sanè immunitatis potissimum ab Extraordinariis & sordidis muneribus priuilegium indicatur. Tandem obseruetur, quod de *Tuitione hac lege* additur Ecclesiasticis præstanda, à Magistratibus scilicet, aduersus violatores priuilegiorum Ecclesiasticorum: de quâ tuitione ciuili, militari, vide & *l*. 31. *infr*. & *l*. *vnic*. *supr*. *de offic*. *iudic*. *milit*. Denique non alio fine leges de priuilegiis Ecclesiarum & Ecclesiasticorum ad Magistratus directæ, quàm vt hi tuitionem præberent aduersus horum priuilegiorum

giorum violatores. Huius Tuitionis in rebus Ecclesiasticis non vna mentio in Conciliis Africanis: in Carthaginensi qood habitum decennio post hanc legem Anno 404. canone Codicis Africani 93. pag. 253. *Aduersus quorum furorem possimus non insolita nec à scripturis sanctis aliena expectare præsidia: quando Apostolus Paulus, sicut in Apostolorum actibus fidelibus notum est, factiosorum conspirationem militari etiam submouit auxilio: Sed nos illud possimus* (aduersus furorem Circumcellionum) *vt Catholicis Ecclesiis Ordinum per ciuitates singulas, & vicinorum quorumque possessorum per diuersa loca sine vlla dissimulatione TVITIO præbeatur.* Et mox p. 258. *Litera etiam ad Iudices mittenda sunt, vt donec Dominus Legatos ad nos redire permittat, Tuitiones per ordines Ciuitatum & possessores prædiorum Ecclesiæ Catholicæ impendant.* Memorat & Optatus lib. 3. *armati militis auxilium* postulatum à Catholicis aduersus Donatistas.

XXX. * Idem AA. Theodoro" PF. P. Post alia.

NON" nouum aliquid præsenti sanctione præcipimus, quàm illa quæ olim videntur" indulta firmamus. Priuilegia igitur, quæ olim reuerentia religionis obtinuit," mutilari, sub pœnæ etiam interminatione, prohibemus: ita vt hi quoque qui Ecclesiæ obtemperant, his quibus Ecclesia, beneficiis" perfruantur. Dat. Prid. Kal. Febr. Med. Cæsario & Attico COSS. [397]

NOTÆ.

* Repetita huius legis verba aliquammulta *lib* 22. *supr. de extraordinar. munerib.* alio tamen principio, & mutatis præterea nonnullis: itémque alio die & mense. Extat Capitularium *lib* 6. *cap.* 283 & in epistola Gregorij Papæ quarti, & exinde distinct. 12. *cap.* 2. & sob Arcadij & Honorij nomine 25. *q.* 2. *can.* 20. Iungendáque huic est *lex* 21. *d. tit. supr. de extraord muner.* Omisit hanc legem Baronius, pariter vt dictam *l.* 21. & 22.

"Theodorus PP. sub Honorio Imp. Italiæ, Gentilis autem hic Theodorus fuit, seu Paganus: hicque est ille Manlius Theodorus, quem *Manilium* vulgò Augusti coætaneum portentoso errore faciunt, quique Astronomica scripsit, ante hunc Ann. O. 397. vt ex Claudiano liquet.

"pro, *Non tam nouum*: ἰπάψω τῦ, *tam*: quam vocem hic nonnulli infarciunt.

"*Videntur indulta* pro *sunt indulta*: vid. *Gloss. Theod.* multa similia.

"id est, Impetrauit.

"quinque librarum auri *l.* 34. *inf.*

"*Beneficij* vox propria de immunitatibus: dixi plenè ad *l.* 4. *supr. de constit. Princip.*

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA & BENEFICIA Ecclesiarum, eadémque & Ecclesiasticorum, hac Honorij rursum constitutione confirmantur: & nominatim quidem (quod ex coniunctione *legis* 21. *supr. de extraordin. muner.* discimus) in Vrbis Romæ Episcopo & Ecclesia. Quod primò hic notandum. Alterum enim istud est, quod priuilegia & beneficia de quibus *hâc lege* agitur, sunt propriè IMMVNITATES ab Extraordinariis & sordidis muneribus. Hæc enim illa sunt fermè priuilegia & *Beneficia*, proprio vocabulo vt ostendi ad *l.* 4. *supr. de constit. Princ.* quæ toties his constitutionibus confirmantur: Nempe quòd horum temporum ratione & necessitate suadente ea munera seu munia, à diuitibus præsertim Episcopis & Ecclesiis, ex æquo deposcenda Gentiles maximè Iudices (cuiusmodi erat Manlius Theodorus, cui hæc *lex* & *d. l.* 21. & 22. inscribuntur) putarent. Tertium quod *hâc leg.* notandum, est *pœna* quam minatur priuilegiorum Ecclesiasticorum mutilatoribus: in genere tantùm: nam *l.* 34. *infr.* quinque librarum auri nominatim multam idem imponit.

¶ *De* IRRVPTIONE *seu Impetu in Ecclesias.*

XXXI. * Idem AA. Theodoro PF. P."

SI quis in hoc genus sacrilegij" proruperit, vt, in Ecclesias Catholicas irruens, Sacerdotibus" & Ministris," vel ipso" cultui locóque aliquid inportet iniuriæ, quod geritur, litteris Ordinum," Magistratuum, & Curatorum" & notoriis" Apparitorum, (quos *Stationarios* appellant) deferatur in notitiam Potestatum, ita vt vocabula" eorum qui agnosci potuerint, declarentur: Et, si per multitudinem commissum dicetur, si non omnes, possunt tamen aliquanti" cognosci, quorum confessione sociorum nomina publicentur. Adque ita prouinciæ Moderator, Sacerdotum, & Catholicæ Ecclesiæ Ministrorum, loci quoque ipsius, & diuini cultus iniuriam, capitali in conuictos," siue confessos, reos sententiâ nouerit vindicandum: Nec expectet, vt Episcopus iniuriæ propriæ vltionem deposcat, cui Sanctitas ignoscendi soli" gloriam dereliquit. Sitque cunctis non" solùm liberum, sed & laudabile, factas atroces Sacerdotibus, aut Ministris iniurias, veluti publicum crimen, persequi, ac de talibus reis vltionem mereri. Quòd si multitudo violenta Ciuilis" apparitionis exsecutione, & adminiculo Ordinum" possessorúmve non potuerit præsentari,"

quòd

quòd" se armis, aut locorum difficultate tueatur, Iudices" Africani armatæ apparitionis præsidium, datis ad Virum Spectabilem Comitem" Africæ literis, prælato" legis istius tenore, deposcant, vt rei talium criminum non euadant. Dat. VII. Kalend. Maij," Med. Honorio III. & Eutychiano COSS. [398.]

NOTÆ.

* *Lex* 10. *Cod de Episcopis.* Extat & detractis aliquammultis, Capitularium *lib* 6. *c.* 113 *&* 304. Sed & recitatur è Codice Iustinianeo à Gregorio Papa, *in epist ad Ioannem* defensorem *lib.* 11. *epist.* 53. & à Baronio *his COSS. num.* 22. 23. Inserta quoque vna cum *l* 46. *infr. de heret.* (quæ tamen non ex eadem constitutione petita est) constitutione, quam edidit nuper Sirmondus ex Cod. Lugd. & Anic. *in append. Cod. Theod* ann. 14. Iungenda quoque huic est *lex* 10. *supr. de Pistoribus.*

"*Theodorus* PP. sub Honorio Italiæ, quod vel extrema legis ostendunt, vbi de iudicibus Africanis & Comite Africæ agitur. De eo vid. *Prosopogr.*

"Sacrilegij speciem obserua.

"*Sacerdotes* sunt Episcopi, Presbyteri: *Ministri* verò hâc leg. & *l* 41. sunt Diaconi & cæteri Clerici. Ambrosius lib. 1. offic. cap. 20. *Ecclesiastici, & maximè Ministrorum officiis.* Idem cap. 50. *In Sacerdotio aliquo constitutus aut ministerio.* Et lib 2. cap 27. *Episcopus vt membris suis vtatur Clericis & maximè Ministris qui sunt verè filij, quem cuique videri aptum muneri ei deputet.* Ad cuius loci intellectum: vid. quæ idem *lib.* 1. *cap.* 44. Et lib. 3. cap. 9. *Cùm vel Sacerdotis vel Ministri sit prodesse si fieri potest omnibus, obesse nemini.* Sic & Sulpitius Seuerus *lib.* 1. *sacra historia* vocat *ministros Ecclesiarum.*

"*Ipso,* hic & in Capitularibus, pro *ipsi*, quomodo est in Cod. Iust & apud Gregorium Papam, & in Constitutione edita à Sirmondo.

"*Literis,* &c. vsque ad *publicentur*, absunt à Cod. Iust. & à Gregorio; imò & in Capitularibus absunt adhuc plura vsque ad *Omninò caitte iniuriam.*

"*Ordinum,* id est Curiarum: vid. *Paratitl. de Decurion.*

"velut Duumuirorum.

"*Curatores.*

"*Verona* hic (quæ in edit Paris. vltimâ & alibi, *Notaria* Apparitorum: quorum multa mentio apud Symmachum, *lib.* 10. *epist.* 8. 38. 44. Augustinum *epist.* 109. 160 & in *breuiculo collat. cum Donatist.* & *l* 6 § 3. *ff. de accusat.* *l* 7. *Cod. de accusat.* *Dictæ* verò non a notis, compendiis literarum, quod nonnulli censent: verùm, vel à *notando*, quod rei criminum his *adnotentur*: (quæ propria hac in re vox est) vel à notum faciendo, quod hic significentur criminum rei. Quare *Notaria* potius dicendæ: de quo rectè Marcilius *ad Titum cap.* 1. Vtrumque amplectitur Iuretus, *in Symmachi lib.* 10. *ep.* 4. & 38. *Elogia* etiam dicuntur *l. vltim. supr. de executoribus*: & *l. Diuus* 6 *ff. de custod. reor.* Cæterum error est & Scriptoris de *Officiis domus Augustæ*, & aliorum, qui Notarios apparitorum hic somniant, & apud Symmachum, *d. l.* 10 *epist* 4.

"De *Stationariis*, dixi ad *l.* 1 *supr. de curiosis*: vnde & *l.* 1. *supr de cursu publico*: *l.* 2. *supr de cohortalib.*

"vocabula, id est, nomina quibus vocantur.

"*Aliquanti* pro aliquot: vid. *Glossar Theod.*

"*Conuictus & consessus*: paria, quod notissimum: De hoc vid. plenè dicta ad *l.* 7. *supr. quorum appellat. non recip.*

"*Soli,* quæ vox abest à Cod. Iust. Sed Capitulat. *lib* 6. 4. 113. extat, fortè meliùs, *solum*: pariter vt in constit. edit. à Sirmondo.

"*non solum liberum, sed &*: absunt hæc à Cod. Iust.

"*Mereri* est abstinere, impetrare: vid. *Gloss. Theod.*

"*à Ciuilis apparitoris*, ita Cod. Iust.

"*Poterit*, Cod. Iust.

"*vel ordinatorum*, additum Cod. Iust. Malè, simile Curiæ adminiculum *l. vltim. supr. de exhib reis.*

"*Præsentari*, potestatibus scilicet seu iudicibus, id est, exhiberi, pro quo nullo sensu in Cod. Iust. editum *flagitari*: quamquam & MS. Cod Iust. nonnulli etiam habent *præsentari*. Eadem voce in eadem re vtitur Augustinus *epist.* 159. *ad Marcellinum Tribunum. Non accusantibus nobis, sed illorum notariis ad quos tuenda publica pacis vigilantia pertinebat, præsentati.* Similiter *l.* 3. *supr. de bonis vacantib.* *l.* 109 *de Decur.*

"non mutandum in *sed.*

"*Præsides Prouinciarum*: ita Cod. Iust. tracta lege à specie ad genus; Reliqua etiam ita immutata, *etiam militari auxilio per publicas literas apperito competentem vindictam tali excessui imponere non morentur.*

"nempe Comes Africæ militibus præerat.

"*Prælato* legis istius tenore: id est, literis suis ad Comitem Africæ: vid. *Gloss.*

"*VI.* apud Gregorium.

"al. insertio: vid. *Prosopogr. Mart.*

"*K. IV.*

COMMENTARIVS.

IRRVENS in Ecclesiam, & Sacerdotibus aut Ministris seu Clericis, vel ipsi cultui (turbato videl. eo) vel loco (mutilatis fortè aut deiectis nonnullis) iniuriam inferens, capitali pœna puniri ab Honorio iubetur Anno D. 398. sub tribus Ampliationibus. In tantum primò, vt Episcopo etiam non conquerente iudicium hoc exerceri velit; (tria nempe hic vindicantur: iniuria vid. facta personis, actioni, loco. Neque enim non horum vnum irruptione in Ecclesiam fit.) In tantum rursum, vt publicam hanc accusationem & persequutionem esse velit, id est, vt quilibet ad accusationem admittatur: In tantum denique, vt multitudini si fortè renitenti, & Ciuilis quæcunque iudicum, ordinum, possessorum manus opponi possit, imò & armata Comitis rei militaris. In tam abrupto scilicet scelere, neque læsi querela, neque legitima accusatoris persona expectanda sit, neque ordinarius iudiciorum ordo obseruandus venit. Violatæ hunc in modum religionis ea ratio est, is fauor, vt publicam tutelam & Tuitionem violata mereatur. Quæ singula io abruptis quibuscunque sceleribus cæteroquin etiam obtineat. ¶ Obseruanda interea in *hac leg.* tria eummaximè. Primò quod lex ait: *Sanctitatem Episcopo ignoscendi solam* (ita enim K.) *gloriam dereliquisse.* Nempe *loci* sanctitas (id est, singularia vitæ professio) Episcopis si quando læsis, suadere videtur, vt ne in euiusquam iudicium & necem perducent: quin potiùs ignoscant læsi, atque adeò capitalibus iudiciis intercedant, suæque μακροθυμίας παράδειγμα præbeant. Quomodo sanè in simili prorsus facto, vbi à Monachis & pauperibus in Ecclesiam impetu facto, & contumelia altaribus illata, & mysteria conturbata, & lapides iactati fuerant, Gregorius Nazianzenus epist. ad Theodorum Tyanensem *Epist.* 81. præbet & præberi vult. De quo ipso alioquin suot multa Pa-

rum testimonia. Tantum abest arma ipsis mouere loci sanctitas permittat, vt vix satis iudicia commouere concedat. Synesius *epist.* 121. de Episcopis *οἷς ὁ νόμος ἀπαγορεύει χεῖρας ὀρέγειν τῇ δίκῃ καὶ ἀπαλλαττούσας τὸν τιμωρούμενον.* Augustinus quoque *epist.* 127. ad Donatum Proconsulem Africæ, inter alia quibus eum dehortatus ab occidendis Donatistis hæreticis. *Illud quoque Prudentia tua cogitet,* inquit, *quod causas Ecclesiasticas insinuare vobis nemo præter Ecclesiasticos curat. Proinde si occidendos in his sceleribus homines putaueritis, deterribitis nos, ne per operam nostram ad vestrum iudicium tale aliquid perueniat,* &c. omitto alia.

Secundò obseruanda nomina eorum quibus hâc tempestate pacis Ecclesiasticæ cura seu *Tuitio* incumbebat solemnis; purà Primò, *Ordines* seu Curiæ. Secundò, earúmque *Magistratus*, veluti duumuiri. Tertiò *Curatores*, de quibus ad *l*.... Quartò, *Apparitores stationary*, de quibus ad *l.* 1. *supr. de Curiosis*. Qui scilicet literis suis seu Notoriis Iudices ordinarios instruebant seu Rectores prouinciarum.

Tertiò obseruetur processus hâc in re: Illi scilicet de quibus superiore obseruatione, literis Iudices seu Rectores Prouinciarum instruebant, Rectores ciuilem Apparitionem immittebant: ea non sufficiente, militarem quoque implorabant.

¶ Obseruanda igitur quartò, ciuilis ac militaris executionis ratio. Ciuilis scilicet executio, quæ multitudini violentæ opponitur, constabat Iudicum seu Rectorum Prouinciarum apparitoribus, adminiculis Decurionum & possessorum: Non sufficiente verò ciuili, militaris Comitum implorabatur, in publicis scilicet negotiis, at non in priuatorum negotiis, de quo & de Tuitionibus Ecclesiasticis militaribus: vide quæ dixi plenè ad *l. vnic. supr. de officio iudicum militarium.* ¶ Tandem cùm hæc lex ad Africam pertineat; (quod ex *fine leg.* liquet) inde Baronius non improbabiliter credidit, aliique eum secuti, occasionem ei præbuisse Donatistarum Circumcellionum Vesaniam, eorúmque in Catholicos impetum: de quibus multa loca recurrunt apud Augustinum *epist.* 50. 68. 24. Cui fauere etiam videtur quod de impetu *in Ecclesias Catholicas* disertè hîc agitur. Quod tamen argumentum hac ratione refelli possit, quod Catholicarum Ecclesiarum ideò mentio fiat, quia his etiam prospectum voluit, non quasi Donatistæ in hac impetum facerent. Erunt fortè, qui horum temporum statum spectantes ita existimaturi sint, Gildoniaci in Africa belli profligati occasione hanc legem ab Honorio promulgatam. Nempe Honorius paulò ante profligato Gildone partim Vrbis Annonæ, quam Gildo vexauerat, prospectum iuit (quod præter Symmachum, *lib.* 7. *epist.* 38. testatur *lex vnic. supr. de pretio panis Ostiensis*: *l.* 4. *supr. de can frum.* & *l.* 20. *supr. de Pistoribus*: quæ vt omnes hoc eodem mense Aprili eidem Theodoro Præfecto Prætorio inscribuntur: ita postrema huic nostræ omninò coniungenda videtur,) partim Prouincialium Afrorum securitati prospexit: Calumniatoribus inter cætera repressis, qui Tyrannis profligatis de more emergere soliti, quò pertinet mense superiore Martio *lex vltim. supr. de Calumniatoribus*, item violentis in Ecclesiam irruptoribus repressis. Ad quam securitatem pertinere videatur hæc lex: Cum iam fortè Gildonis fautores, satellites, in Ecclesiis peruestigarentur, etiam inter ipsa sacta. Quod si ita est, tum hæc lex ad *tit. de his qui ad Eccles. conf.* referri possit. Erunt & fortè, qui hanc legem pertinere putabunt ad Episcopatum & Ecclesiarum peruasiones, de quibus superiore Anno 397. v. Kalend. Septembris est *Canon.* 48. & 53. *Cod Africani*, & aduersus quas ibi Rector Prouinciæ & Iudiciaria auctoritas imploratur, & quidem secundum statuta Principum. Cùm tamen rem accuratiùs perpendo, hæc postrema sententia placere non potest, quia hi Canones sunt de inuasionibus Ecclesiarum & plebis suâ derelictâ, vel de plebe retenta ab Episcopo, plebe & Episcopatu sibi vindicato in alterius diœcesi. ¶ His ita positis, liquet, perperam *hanc leg.* accepi de Effractoribus Ecclesiarum: perperàm etiam de sacrilegio in commune hîc agi, quod fermè faciunt Interpretes.

¶ ORDINARI *seu eligi optimè Clericos ex* Monachis, *non verò rationibus obnoxios.*

XXXII. * Idem AA." Cæsario" PF. P.

SI quos fortè Episcopi deesse sibi Clericos arbitrantur, ex Monachorum numero rectiùs ordinabunt: non" obnoxios publicis priuatisque" rationibus cum inuidiâ teneant, sed" habeant iam" probatos. Dat. VII." Kalend. Aug. Honorio A. IV. & Eutychiano COSS. [398.]

NOTÆ.

* Abest *hæc lex* à *Cod. Iustin.* Memorat eam quoque Baronius *Anno* 398. *num*... Desumpta porrò est è *l.* 16. *supr. de pœnis*, ac nominatim ex eius *f.* cui legi quæ iungendæ sint mox dicam: Mirum tantum, huius legis inscriptionem à cæteris discrepare: inscribuntur enim reliquæ omnes *Eutychiano Præfecto Prætorio*, sed & subscriptus illis legibus dies *VI Kal. Aug.*

" *Arcadij* hæc lex est: non Honorij quod Baronius tradidit.

" *Euty biano, dictis quatuor* legibus.

" malè quidem tentant *ne.*

" An rei priuatæ Principis? an priuatorum?

" malè apud Baronium *si.*

" malè quidam *etiam*

" *VI.* dictis quatuor legibus.

COMMENTARIUS.

DE ORDINATIONE seu χειροτονίᾳ Clericorum est hæc Arcadij, non Honorij, quod Baronius credidit, lex: de quâ alioquin Clericorum ordinatione sunt sex prætereà leges hoc titulo, putà *lex* 3. 6. 17. 19. 21. *supr.* & *lex* 33. *prox.* & complures *supr. tit. de Decurionib.* Hæc nominatim pertinet ad illam quæstionem, E QVONAM hominum genere; seu QVINAM Clerici ordinati potuerint. Ad cuius sententiam priusquam accedo, notandum est, hoc caput desumptum pro parte ex fine *legis* 16. *supr. de Pœnis*, eique adhæsisse, quæ quidem pars est Arcadianæ constitutionis: qua hinc rei & debitores ad Ecclesiam confugere; inde Ecclesiastici eos vindicare seu defendere vetiti; cuius partes sunt præter *hanc leg.* & *d. l.* 16. tres insuper aliæ, putà *lex* 57. *supr. de appellationibus*: *lex* 3. *supr. de his qui ad Ecclesiam*: & *lex prox.* 33. *infr. hoc tit.* quæ proinde omnes, velut vnius & eiusdem constitutionis partes huic coniungendæ sunt. Inter cætera igitur, cùm Ecclesiastici & Episcopi reos vel debitores Ecclesiarum perfugio tueri, eósque suscipere iam solerent, & quosdam de hoc genere Clericos ordinarent, seu Clerum inde supplerent, visum id Arcadio eâ constitutione prohibere; digitúmque ad aliud hominum genus intendere, vnde Clerici ab Episcopis, si quos deesse sibi arbitrarentur, ordinarentur haberentúrque: & quidem *rectius*, & *iam probati* vt ipse loquitur, nempe ex MONACHIS: Quæ si sciuisset Filesacus, *Commentario de sacrâ Episcoporum auctoritate*, *cap.* 7. §. 1. *p.* 159. nunquam suspicatus is fuisset, vltimum versiculum *dictæ legis* 16. qui in *hanc leg.* translatus est, glossema esse: Imò vidisset quoque, quàm rectè Monachorum cooptatio in Clerum, vna cum seuera animaduersione in eosdem in spec. *illius leg.* vtpote seditiosos, congrueret. Et tamen secundò notandum, *hanc leg.* abesse à Cod. Iust. siue quod eam minus probaret, siue quod necessariam eam rum minus putaret, quasi χρονικὴν & temporariam. Vt vt sit, ea *hâc* quoque *leg.* clarum, quæ Principum potestas vt in Clericos, ita & in Monachos fuerit, quod docebunt aliæ leges *infr. tit. de Monachis.* His ita præstructis, ad sententiam *huius leg.* accedamus.

Igitur Arcadius Imp. eo quem dixi fine, Clericos è Monachorum numero ordinari, adsciscí, voluit, non verò obnoxios publicis priuatísque rationibus. Certè & ante *hanc leg.* & deinceps Patribus visum, Monachos in Clerum prouehendos, multíque adeò è Monastica vita in Clerum translati, quam in rem vide Athanasij *epistolam ad Draconium*: Hieronymum *epist.* 3. *ad Heliodor. ep.* 4. *ad Rusticum Monachum de viuendi forma*, *fol.* 21. b. in epitaphio Nepotiani *fol.* 17. Augustinum *epistola* 76. 81. *ad Eudoxium*: Codicem Africæ *cap.* 80. Palladium *in Lausiaca*, *passim*, Theodoretum..... Nicephorum, *lib.* 11. *cap.* 34. 37. 38. 39. 40. 41. Vt omittam posterioris æui Scriptores: vid. & *can. Monachos quoque c. de Monachis* 26. 28. & *seq.* 16. *cap.* 1. Zosimus *in decretis cap. c.* & *cap. si quis de religioso d. l.* 77. In tantum vt ad Episcopatus apicem inde multi per saltum transiti sint. Exempla apud Athanasiom in *d. epistola* Palladium Laus. *cap.* 51. Ita Basilius *epist. ad Amphilochium Iconiensem* 403. meminit Alexandri in Lyciâ Corydalo, de Monacho Episcopi facti. Ita Seuerus ex Monacho Episcopus factus, vt scribit Marcellinus, *in Chronico*: vide & Epiphanium sub fin. *tomi* 1. *in expos. fidei*: vid. & Iustiniani *l.* 53. *Cod. de Episcopis*: & *Nouellam* 6 *cap.* 1. §. 4. 123. *cap.* 1. Imò Monachos hic sæpè cenodoxiæ morbus inuasit, vt ad Clericatus militiam aspirarent, quem ambitum Episcopi & Abbates cohibere sæpè tentarunt can. 8. 9. 10. 12. 13. 26. 27. 28. & *seq. cap.* 6. *q.* 1. vid. de hac cenodoxia Cassianum *lib.* 11. *de spiritu cenodoxiæ cap.* 13. 14. & *seq.* Etsi vt loquitur Alexander 3. *cap* 5. *de conuersat. coniug. in primi collatione*, aliquando bonus Monachus vix bonum Clericum faciat quæ verba desumpsit ex Augustino *can.* 36. 16. *quæst.* 1. & de eâ re ex professo Philippus Abbas bonæ spei. *Rationem* porrò huius rei, cur inquam ex Monachis Clericos adsumi seu ordinari velit Imp. Arcadius, indicat his verbis: *Ex Monachorum*, inquit, *numero* RECTIVS *ordinabunt*. Et mox: *Habeant iam* PROBATOS. Nempe primùm si mores & vitam spectes, Monastica vita legitimæ cuiusdam præparationis προγυμνασμοῦ & *probationis* cuiusdam species est ad Clericatum. Quò pertinet insignis Hieronymi locus, *epist. ad Rusticum Monachum de viuendi formâ fol.* 21. b. *Ad quod & ante respondi: & nunc breuiter respondeo: me in præsenti opusculo non de Clericis disputare, sed Monachum instituere. Sancti sunt Clerici & omnium vita laudabilis. Ita ergo age & viue in Monasterio, vt Clericus esse merearis: vt adolescentiam tuam nulla sorde macules: vt ad altare Christi quasi de thalamo virgo procedas: & habeas de foris bonum testimonium: fœminæque nomen tuum nouerint, & vultum tuum nesciant. Cum ad perfectam ætatem veneris (si tamen vita comes fuerit) & te vel populus vel Pontifex Ciuitatis, in clerum elegerit, agito quæ Clerici sunt; & inter ipsos sectare meliores, quia in omni conditione & gradu optimis mixta sunt pessima.* Igitur præexercitati & quodammodo ante probati Monachi, antequam in Clerum adsumerentur. Sic etiam, vt *probatiores* ex his desumerentur. Augustinus *epist.* 76. quod refertur 16. *q.* 1. *cap legi. Cum tamen*, inquit, *ex iis qui in Monasterio permanerent, nonnisi* PROBATIORAS *atque meliores in clerum assumere soleamus*: vid. eundem & *epist.* 67. Ergo probati iam hoc primo sensu Monachi antequam Clerici fierent. Sed & altero quoque sensu *iam probati*, nempe quoad statum seu conditionem personæ: nam neque in Monasterium admissi, nisi prius inquisitione habitâ, num conditioni alicui fortè Curiali adstricti essent, num ratiociniis publicis obstricti: neque enim tales admittebantur. *Solemnis* est hanc in rem locus apud Gregorium M. *lib.* 7. *epist.* 11. qui & translatus *in cap. legem distinct.* 63. Legem quam piissimus Imperator dedit, ne fortasè hi qui militiæ vel RATIONIBVS sunt PVBLICIS obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad Ecclesiasticum habitum veniant, vel in Monasteriis conuertantur, vestræ studui fraternitati transmittere: hoc maximè exhortans, quod hi qui sæculi actionibus implicati sunt, in Clero Ecclesiæ præpropere suscipiendi non sunt: quia dum in Ecclesiastico habitu non dissimiliter quàm vixerant viuunt, nequaquam student seculum fugere, sed mutare. Quod si etiam tales quoque Monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius ACTIONIBVS PVBLICIS absoluti fuerint. Si qui verò ex militaribus viris in Monasteriis conuerti festinant, non sunt temerè suscipiendi, nisi vita eorum fuerit subtiliter inquisita: & iuxta normam regularem debent in suo habitu per triennium PROBARI,

& tonc Monschicom babitum Deo Auctote ſuſcipere. Qui ſi ita ſunt PROOATI atque ſuſcepti, & pro anima ſua pœnitentiam de perpetratis culpis agere ſtudent, pro eorum vita & lucro cœleſti, non eſt eorum conuerſio tenuenda. Qua de re etiam Sereniſſimus & Chriſtianiſſimus Impetator, mihi credite, omni modo placatur, & libenter eorum conuerſionem ſuſcipit, quos in RATIONIBVS PVBLICIS implicatos non eſſe cognoſcit. Ergo non admittebantur in Monaſterium quiquam niſi ita probati; vel certo ſanè tempore in Monaſtica vitâ tranſacto, Monachi conditionem ſuam eluebant, vt conſtat ex Iuſtin. *l.53. Cod. de Epiſcopis*, & *Nouellâ 6.cap.1.§.1.* Gelaſius quoque epiſt. ad Epiſcopos per Lucaniam & Brutios *cap.3.* quod refertur *cap. priſcis diſtinct.55.* vt ſi quis etiam de religioſo propoſito & Monaſterialibus diſciplinis eruditus ad Clericale munus accedat, inprimis eius vita præteritis acta temporibus inquiratur, &c. ſi ſeruili ac originariæ non eſt conditioni obnoxius, ſi Curiæ iam probatur nexibus abſolutus. Ergo poſteaquam Monachiſmum iam profeſſi erant, nullus amplius metus erat, conditionine alicui adſtricti eſſent, aut Ratiociniis publicis priuatiſque obnoxij: & ſic *probati* iam in Clerum adſciri, tutius *rectiúſque*.

Ergo iam *huius leg.* ſententiam tenemus: cætera Notabilia & notanda in eâ iam colligenda ſunt. Primò hinc quoque liquet, *Monachos* extra Clerum fuiſſe: quod præter *hanc leg.* oſtendit quoque titulorum hoc libro, vt & Codice Iuſtin. & in Nouellis de vtriſque diuerſitas: ſed & *lex. vnic. ſupr. de bonis Clericorum & Monachorum.* Hinc & in pœnis diſtinguebantur: Clerici nempe depoſitione, degradatione plectebantur; Monachi haud aliter atque Laïci excommunicatione, vt docet *canon* 2. & 8. *Chalcedon.* Hinc Clericorum locus in Eccleſiâ erat inter ſacrum adytum; Monachi nonniſi ad externas valuas ipſius adyti vna cum populo conſiſtebant: teſtis Dionyſius qui vulgo Areopagita *epiſt.8. ad Demophilum Monachum.* Hinc velut extra Sacerdotium conſtituti, publicas habere conciones non poterant. Leo *epiſt. 62. 63. 82.* Sed & Hieronymus & ad Heliodorum & ad Pammachium & Riparium apertè teſtatur, diuerſa omninò fuiſſe Monachorum & Clericorum officia: ipſúmque Monachiſmum (de quo iam ſuprà) fuiſſe gradum ad Clericatum: vid. & ad Furiam *tomo 1. fol.37. l.b.* Hinc illa Monachorum ambitio & Clericatus deſiderium quo titillabantur: de quo eſt ille quoque Hieronymi locus ad Ruſticum Monachum *fol.21. b.* quam cenodoxiam optimi Epiſcopi & Abbates cohibere ſæpius tentarunt *v.16. quæſt.1. cap.8 9.10.12. 13. 16.27.28. & ſeq.* Secundò ex *hâc* quoque *lege* colligimus, Monachos & Monaſteria Epiſcopis ſuppoſita fuiſſe iure communi & lege diœceſana, vt loquuntur, quæ ſcilicet intra diœceſin ſuam eſſent. Quod firmatur Concilio Chalcedonenſi *cap.4.7.8.18.23.24.* Synodi *7.cap.13. & 17. cap. auditis ext. de preſcript.* Agathenſi *conſt. c.27. 28. 38.* Aurelianenſi *cap.19.20.25. 22.* Ilardenſi; vid. Capitular. Caroli M. *lib.5.* de quo vid. & quæ Florens *diſſert. Canon. lib.1. cap.1.* & *cap.5. in fin.* & *lib.3. pag.198.* Choppinus Monaſticon *lib.2. 2. 3.* vbi *hanc leg.* allegat. Indéque igitur Epiſcopi, ex his diœceſeos ſuæ Clericos adſumere potuère: neque enim ex aliena diœceſi ſine literis dimiſſoriis proprij Epiſcopi ordinare poterant: Concil. Carthag. 5. *cap.13.* & Africano ſub Bonifacio & Cœleſtino *cap.47.* Et ita quidem, quod ex *hâc leg.* tertio colligimus, Epiſcopi ex Monachis Clericos adſumere, ordinare potuerunt, vt non requireretur in hâc re Abbatis conſenſus: ad quam quæſtionem vide quæ congerit Hallierus *de Sacr. elect. & ordinar. parte 1. à p.88.*

XXXIII. * Idem AA.[a] Eutychiano PF. P.



CCLESIIS,[b] quæ in poſſeſſionibus, vt adſolet,[c] diuerſorum, Vicis etiam, vel quibuſlibet[d] locis, ſunt conſtitutæ, Clerici non ex aliâ poſſeſſione, vel Vico, ſed ex eo[e] vbi Eccleſiam eſſe conſtiterit, eatenus[f] ordinentur, vt propriæ capitationis onus ac ſarcinam recognoſcant: ita vt, pro magnitudine, vel celebritate[g] vniuſcuiuſque Vici Eccleſiis certus, iudicio Epiſcopi, Clericorum numerus ordinetur. Dat. III.[h] Kalend. Aug. Minizo, Honor. A. IV. & Eutychiano COSS. [398.]

NOTÆ.

* *Lex*, *In Eccleſiis* 11. *Cod. eod.* Quænam porrò huic leges iungendæ ſint, dictum iam ad *legem ſuperiorem.* Omiſit autem *hanc leg.* Baronius.

[b] *In Eccleſiis* Ita Cod. Iuſt. Quo nil opus.

[c] *Vt fieri adſolet.* Ita Cod. Iuſt. Quo nil opus.

[d] Similibus.

[e] loco ſcilicet.

[f] Abeſt hæc vox à Cod. Iuſt.

[g] vide *legem vlt. verſ. & in eorum ſupr. de paroec. vic.*

[h] *X. V I. vt l.16. de Pœnis; l.3. de his qui ad Eccleſ. l.17. de appellat.*

COMMENTARIVS.



ICANI, pérque AGROS & POSSESSIONES Clerici (de quibus agitur quoque *l.16. ſupr.*) vnde, quáve lege ſeu conditione, quo numero, ordinandi ſint, hac Arcadij lege per Orientem conſtituitur. ¶ Quod antequam explico, huius legis occaſio & ratio peruestiganda nobis eſt. Et verò huius legis ferendæ rationem ſuppeditat coniunctio *legis 16. ſupr. de pœnis: l.3. ſupr. de his qui ad Eccleſ. l.57. ſupr. de appellat.* imò & *legis prox.32. ſupr. hoc tit.* quæ ex eadem Arcadij conſtit. deſumptæ, huic conſtituendæ veniunt. Nempe Arcadius Imp. ampliſſimâ conſtitutione (cuius partes ſunt hæ leges omnes) proſpectum ſemel voluit, ne Clericatus & Eccleſiæ obtentu publicæ priuatæque rei damnum aliquod inferretur. Quapropter eâ quoque ratione inter

allas

alias de Vicaneis etiam Ecclesiis & Clericis cauere aliquid Arcadio visum,"hísque modum fibulámque imponere. *Vicanas* Ecclesias voco, quæ in possessionibus priuatorum, aut Vicis similibúsve locis, non in ciuitatibus aut oppidis erant: De quibus Ecclesiis & Clericis in Vicis fuii quoque iam suprà *lex* 16. vbi vid. quæ dixi. Primum igitur, *Ex eo ipso loco Vicóque*, vbi Ecclesia est, ordinari Clericum iubet, non ex alio loco: id est, ex eo ipso Vico seu possessione. Cuius rei ratio hæc est, ne alioquio peregrinis ordinationibus, id est, ex aliis Vicis adscitis Clericis, suis destituantur alij Vici Clericis. A quo non multum abit, quod iure Canonum constitutum, ne cui iam ordinatum alibi Clericum peregrinum seu alienum præcipere liceret. Concilio Carthaginensi quod habitum Anno superiore 397. *canone* 54. *Codicis Africani*, Constantinopolitano tantum Carthaginensíque Episcopis exceptis, quibus licuit alienos Clericos præripere vnde vellent; d. Concil. Carth. *canone* 55. testis Balsamo ad *can.* 17. *Concil.* 6. & Photius *in Nomoc. c.* 1. *cap.* 26. Sed & *cap.* 8. *de consuet.* confirmatur consuetudo eligendi Prælatos de gremio alterius Ecclesiæ, quamuis iure communi de ipsa Ecclesia sumi debeant. At cum hac lege nihil commune habet, quod vetitum, alienos Clericos suscipere: Id enim disciplinæ Ecclesiasticæ tuendæ constitutum; nempe quod ei euitandæ Clerici qui quid admisetant, ad alias Ecclesias sese conferrent, atque ab Episcopis susciperentur. Multo minùs rectè hinc colligitur, peregrinos beneficiorum capaces non esse, quod tamen Pragmatici ex hac lege colligunt, sententiam & rationem huius legis haud complexi: Istud enim iure & priuilegio quodam ciuium fauore inter alia inductum fuit, ne extranei ciuibus Prælati videantur: Atenim quod hac lege constituitur, id eò respicit, ne sui cuique loco desint Clerici, si aliunde petantur: ac præsertim modico loco, veluti possessioni, Vico, qui Clericatui idoneos haud adeò multos habere possunt. Vnius loci reuerentia vel vtilitas, alterius nuditate redimenda non est. Ad eundem modum vnius ciuitatis ornatum alterius nuditate redimi non oportet, id est, ornamenta vnius ciuitatis ad aliam transferri: *l.* 1. 14. 37. *supr. de operibus publicis*, vt neque aurigas vnius ciuitatis voluptati destinatos ad aliam transferre, *l.* 1. 3. *infr. de spectaculis*. Quare & *hanc leg.* deinceps argumento esse cupio, quàm turbidè multa in laudandis legibus Pragmatici admittant, dum earum cortice contenti, rationes earum haud satis perspectas habent, spretis superciliosè Theoricis & Historicis ad leges subsidiis. Inter alia, id quoque alienum, quod hinc intelligunt, eum qui est ex loco seu diœcesi beneficij, debere, si idoneus est, aliis extraneis præferri. Hic enim agitur de Vicanis Clericis ex eodem Vico præcisè eligendis, non de præferendis, si idonei sint. Secundò vult Arcadius *hâc leg.* Vicanos Clericos *capitationem suam agnoscere*, neque ab ea immunes esse; de quâ capitatione dictum iam plenè suo titulo *de censu siue adscriptione*, & in *Paratitlo*, & ad *l.* 2. *illius tit.* vbi & *hanc leg.* à praua Heraldi interpretatione vindicaui. Cùm tamen à ciuilibus muneribus omnibus immunes sint, pariter cum ciuitatum & oppidorum Clericis *l.* 16. *supr.* Pariter sanè à Theodosio Iuniore Arcadij F. constitutum Anno D. 415. (*l. vltim. supr. de patrociniis Vicorum*) vt Constantinopolitana etiam & Alexandrina Ecclesia, in Vicis, etiam Metrocomiis, pro possessionibus, quæ in his haberent, capitationem agnoscerent seu subirent.

Tertiò, seu postremò, & *numerum* Clericorum, Diaconorum, ab Episcopis (sub quibus Vicanj Clerici & Ecclesiæ erant, de quo dixi iam ad *d. l.* 16. *supr.*) definiri iubet, pro cuiusque scilicet Vici magnitudine vel celebritate: ac proinde *Metrocomia* (qui mater & Princeps Vicus est) maiorem ordinari. Nempe ne effræni alioquio Clericorum numero publica lædatur immunitas. Quò pertinet similiter *lex* 3. *&* 6. *supr.* scilicet ea quandoque inciderunt tempora, vt numerum laxari Clericorum, atque ad Clericatum inuitari oportuerit: vt in spec. *l.* 10. *supr.* contra ea tempora & loca, vt coërceri *hâc leg.* & *d. l.* 3. 6. Quæ omnia vt ex temporum ratione seu *καιρῶν* æstimanda sunt, ita omnia arbitrij Principalis esse vel hinc videmus.

XXXIV. * Idem AA. Sapidiano" Vic. Afric.

SI Ecclesiæ" Venerabilis priuilegia cuiusquam fuerint vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum" quinque" librarum auri (sicut" etiam priùs constitutum † est) condemnatione plectator." Si" quid igitur contra Ecclesias, vel Clericos, per obreptionem, vel ab Hæreticis, vel ab huiuscemodi" hominibus, fuerit" contra leges impetratum, huius sanctionis auctoritate damnetur." Dat. VII. Kal. Iul. Brixiæ" Theodoro V. COSS. [399.]

NOTÆ.

* *Lex* 13. *Cod. eod. tit.* Interpolata Capitularium *lib.* 6. *c.* 114. *&* 291. Et in Decreto 25. *quæst.* 2. *can.* 20. *in fine*. Refert eam Baronius *Anno* 399. *num penult. & vlt.*

" Hinc castigari debet & suppleri Cod. Iust. *d. l.* 13. quæ habet *Fridiano Vicario*. Ad hunc *Sapidianum* extat quoque Symmachi *epist.* 16. *lib.* 9. vbi dignitatem eius quoque in Africa insinuat, in eo quod de animalibus ad ludorum præparandis apparatum agit, quæ sanè animalia ex Africâ cummaximè petebantur.

" *Venerabilis Ecclesiæ*, Cod. Iust.

" *Commissum hoc* Cod. Iust. & Capitul. *lib.* 6. *c.* 114.

" Ita quoque C. Iust & Capitular *lib.* 6. *c.* 291. At largius 25. *q.* 2. *can.* 20. duodecim librarum auri, & Capitular. *lib.* 6. *c.* 114. *in triplo Ecclesiæ cui factum est componatur: nobisque bannus noster in triplo, hoc est Sexaginta solidis persoluatur.*

" Ita quoque *d. can.* 20. aliter paulo *d. c.* 114. *iuxta legum Sanctionem*: omissum hoc penitùs C. Iust. *d. l.* 13.

† Constitutionem hanc non reperio.

" Ita quoque *d. c.* 20. in Cod. Iust. *plectetur*.

" Cætera absunt à Cod. Iust. velut horum temporum propria.

" Puta Schismaticis, Donatistis, quibuscunque.

" *fuerat*: ita nonnulli emendant.

" In Cod. Til. *vacuetur*, vel *vacuamus*.

" Indidem data hoc Anno *lex* 3. *supr. de habitu quo vti oportet.*

COMMEN

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA (id est, IMMVNITATES) Ecclesiarum & Clericorum hâc tertiâ iam hoc titulo Honorij constitutione confirmantur: & quidem sub pœna 5. librarum auri, iam antea constituta (quod tamen alibi ita expressè non reperio; lege quippe 30. *supr.* Honorius pœnam tantum generaliter & indefinitè minatur.) De hâc verò *leg.* & multâ Dominicus, *de prarogat. Alodiorum cap.* 20. accipit, quod dicitur in donatione Petri Comitis Melgociensis: *Persoluat*, inquit, *multam, quam sancta lex Romana per Theodosium Alexandrum & Honorium promulgata decreuit.* § Cæterùm inscriptionis argumento Baronius, & post eum nonnemo alius Vir doctus, existimabat, spectare hanc constitutionem, atque emanasse ad illam Concilij Carthaginensis quarti, (quod habitum *V. Kalend. Maij* huius anni) legationem ad Honorium Imperatorem, quâ postulatum, *Vt pro confugientibus ad Ecclesiam quocunque reatu inuolutis legem promulgaret, ne quis eos auderet abstrahere*, vt refertur Codice Canonum Ecclesiæ *Africanæ can.* 56. nempe quod Mascezel Gildonis frater superiore Anno 398. (teste Orosio *lib.* 7. *cap.* 36. & ex eo Paulo Diacono *l.* 13.) Ecclesiam *sacrilegus* temerasset, extractis seu protractis ex eâ ad pœnam quibusdam. Verùm ne eò pertineat *hac lex*, multa contra nituntur. Primùm enim *Priuilegiorum* hîc appellatio (pariter vt *l.* 29. quæ ad eandem Africam pertinet & *l.* 30. *supra*: & *l.* 1. *infr. de heretic.* vt ad eas leges ostensum est) propriè pertinet ad immunitatem Ecclesiarum & Clericorum à muneribus extraordinariis & sordidis: non autem ad asyli Ecclesiastici rationem. Quod ne quidem *priuilegij* satis appellatione rectè hic veniat: neque enim asyla Ecclesiarum vllum Ecclesiarum vel Clericorum commodum continent, verùm ad miserorum securitatem inducta sunt. Secundò priuilegia, de quibus hic agitur, *Ecclesiis & Clericis communia* fuisse hæc lex ostendit: atenim hæc illa sunt ipsa, de quibus *d. l.* 29. *&* 30. *suprà.* Tertiò, Pœna quinque librarum auri, quæ hîc statuitur, ea ipsa est, quæ indicatur *d. l.* 30. Quartò, ab *hæreticis* & similibus hæc priuilegia *violata* ostendit, quod cum Mascezilis facto commune nil habet. Contrà, ex *d. l.* 1. *&* 2. *supr.* & *d. l.* 1. *infr. de hæreticis* iam liquet, quonam istud pertineat: nempe ad Donatistas & hæreticos: quibus cùm eadem quæ Ecclesiis Catholicis priuilegia seu immunitates non competerent, Catholicorum priuilegia impetere & violare visum. Quintò, factum Mascezelis, propriæ auctoritatis fuit: atenim *hâc lege* innuitur, illos de quibus *hâc lege* agitur, per obreptionem contra leges & priuilegia Ecclesiarum aliquid à Principe *impetrasse*: quod omne damnari Honorius iubet, vel, vt Tiliana editio habet *vacuari*, id est, abrogari, antiquari. Tandem, neque temporum ratio satis constare posse videtur: Postulatio enim illa Patrum Africanorum, seu decretum de legatis in id mittendis ad Honorium Imp. datam habet *V. Kalend. Maias*: Lex verò illa *VII. Kalend. Iul.* duobus non integris mensibus post: quibus certè vix legati illi *Brixiam* ad Honorium peruenire potuerunt. Proinde superest, *hâc leg.* occurri Donatistarum & similium obreptioni: pariter vt *lex* 1. 2. *supr.* quibus adde & *legem* 1. *infr. de hæreticis*, neque cum hac lege quicquam commune habere, postulationem illam Patrum in Concilio Carthaginensi quarto de Asylo Ecclesiarum.

XXXV. * Idem AA. Hadriano PF. P."

QVICVMQVE residentibus Sacerdotibus fuerit Episcopali loco" detrusus & nomine," si aliquid vel contra custodiam," vel contra quietem publicam moliri fuerit deprehensus, rursúsque Sacerdotium petere, à quo videtur" expulsus," procul ab eâ Vrbe quam infecit," secundum † legem Diuæ memoriæ Gratiani, centum milibus vitam agat: Sit" ab eorum cœtibus separatus, à quorum est societate discretus." Sitque huiusmodi personis, tenore huius legis, inlicitum, sacra nostra adire Secreta," & impetrare Rescribta: omnibus abiectis per culpam Sacerdotio personis, quæ impetrata sunt infecta" permaneant: Scituris his quorum defensione nituntur, absque sui reprehensione non futurum, si hoc eis pollicentur" suffragium, qui diuinum non videntur meruisse iudicium. Dat. Prid. Non. Febr. Rau. Stilichone, & Aureliano COSS. [400.]

HÆC lex Interpretatione non indiget (vel eget.)

NOTÆ.

* *Lex* 14. *Cod. eod. tit.* Inseruit & *hanc legem* Annalibus suis Baronius *Anno* 400. *num* 20. Infarta totidem penè verbis constitutioni, quæ emissa dicitur quinquennio post ad eundem Hadrianum Præfectum Prætorio, puta *l.* 2. *infr. de Episcop. Iudicio*, cum qua hæc conferenda est. Sed & breuiter in Caroli Calui *epist.* inter Hincmari opuscula. Facit & partem Miscellaneæ constitutionis, quam Sirmondus *in Appendice Cod. Theod.* pro genuina edidit & sic accipiunt hodie Viri docti: De cuius fide in *Prolegom.*

" Italiæ, de quo vide & Claudianum: Eidem inscripta hoc eodem mense, aduersus Donatistas, *lex* 37. *infr. de hæreticis.*

" *Loco*, id est, gradu.

" Et nomine cuius tres gradus & ordines: Episcopi propriè dicti, Presbyteri, Diaconi.

" *Sententiam*, d. l. 2. Quid esse potest hîc *Custodia*? Nisi putes indicari obseruantiam disciplinæ Ecclesiasticæ: sed testimonium huius locutionis adhuc quæro. Tenter quis hîc, *castimoniam*.

" *Conturbauerit* Cod. Iust.

" *publicam*, abest à dicta *l.* 2.

" *videtur*, pro *est*. vid. *Glossar.*

" *Exclusus* d. l. 2.

" in *d. l.* 2. addita vox *indignus*.

† Constitutio

† Constitutio Gratiani hîc laudatur, de qua mox.
"Absunt hæc à Cod. Iust.
"Sequentia partim omissa, partim mutata Cod. Iust.
"Addita sequentia *d.l.2. Careat vrbe quam tenuit, segregetur à plebe* (ita habet Codex Anicensis) *quam monitus vitâ preceptor infecit*. vide quæ ad eam *l.2.* dicam.
"*Secreta*, id est Secretaria, Consistorium.
"*Infecta*, irrita, infructuosa.
"*Pelliceantur*, Cod. Iust. & *d l.2.*
"*Iudicium*. Ita quoque in Cod. Anic. *d l.2.* vbi malè editum *rescriptum*.

COMMENTARIVS.

DEPOSITVS Episcopatu, seu detrusus & exauctoratus, ἀπόβλητος, ἀκήρυκτος ἀποκηρυχθείς ex quacunque causa (cuiusmodi aliquam depositionis causam vid. *l.27. supr.* vt & exemplum Chronopij Antistitis *l.20. supr. quor. appell.*) ne rescripto Principis quidem restitui potest; (cui similis constitutio extat circa Iudæos *l 8. infr. de Iudæis:* vbi vide quæ dixi.) Et si abiectus ob culpam aliquam Sacerdotio seu Episcopatu à Synodo Episcoporum, turbata disciplinâ Ecclesiasticâ, vel publicâ quiete, Sacerdotium repetierit, vltra centesimum ab Vrbe, cuius Episcopatum gessit, miliarium ab Honorio Imp. relegari iubetur hâc constitutione. Quæ totidem penè verbis infarta *legi 2. infr. de Episcopali iudicio*: Idque confirmatâ nominatim anteriore quâdam *Gratiani* Imperatoris constitutione, quâ id iam olim constitutum fuerat. Cuius facti à Gratiano, itémque Honorio, num alibi mentio extet, & quodnam vtrique constitutioni promulgandæ causam dederit, inquirendum est. ¶ De *Gratiani* sanè constitutione ita omninò sentio, hoc illud esse Rescriptum in causa Priscillianistarum, post Concilium Cæsar-Augustanum, quod memorat Sulpitius Seuerus, horum ipsorum temporum Scriptor, *lib. 7. sacra historia*: Posteaquam enim is memorauit Synodo Cæsar-Augustanâ, cui tum etiam Episcopi *Aquitani* interfuerunt, cùm hæretici, (Priscillianistæ) committere se eius Synodi iudicio ausi non fuissent, in absentes latam sententiam, damnatósque Instantium & Saluianum Episcopos, Helpidium & Priscillianum Laicos, constitutúmque, vt si quis damnatos in Communionem recepisset, sciret in se eandem sententiam promendam; subiicit. *Instantium & Saluianum damnatos iudicio Sacerdotum, Priscillianum ad confirmandas vires suas Episcopum in Labilensi (Abilensi) oppido constituisse, ratos nimirum, si hominem acrem & callidum Sacerdotali auctoritate armassent, tutiores fore sese. Tum verò Idacium atque Ithacium* (Episcopos Catholicos) *acrius instare cœpisse, arbitrantes posse inter initia malum comprimi. Sed parum sanis consiliis seculares Iudices adiisse, vt eorum decretis atque executionibus heretici* (Episcopi scilicet illi) *vrbibus pellerentur.* Tandem scribit: *Igitur post multa & fœda Idacio supplicante, elicitur à Gratiano tum Imp. RESCRIPTVM, quo Vniuersi haretici* (Episcopi) *excedere non Ecclesiis tantùm aut vrbibus, sed EXTRA OMNES TERRAS propelli iubebantur.* Vides Rescriptum Gratiani, quo Hæreticos Episcopatu eiectos Sacerdotium repetentes & publicam quietem turbantes, non vrbe tantùm, quam infecerant, verùm *extra omnes terras* propelli iussos, ait Sulpitius Seuerus. *Extra omnes terras propelli*, ibi reipsa idem est, quod hîc *extra centesimum*. Nempe hoc illud est centesimi spatium ab Vrbe Roma ad alias Prouincias & Vrbes propagatum. Ita quoque Seuerus Imp. iam olim cum Prætorianos Vrbe Româ ob Pertinacis cædem f[...]ssere iuberet, vt vrbis terminis seu finibus omninò expellerentur, atque expulsi viderentur, eos ad centesimum vsque miliarium quoque excedere nominatim iussit, teste Herodiano *lib.2.* Tum demum scilicet Vrbe expellendis iis, si vltra centesimum relegarentur (qua etiam Vrbicæ diœceseos administratio finitur, vt alibi prolixè ostendi.) Hâc posita iam ratione in Prouinciis similis relegationis exemplum vsurpatum, non quasi & hæc ideò diœcesis aliarum vrbium fuerit: verùm deriuato more ab Vrbe: hâc nempe ratione, quod ij demum Vrbe abesse verè viderentur hac in re, qui extra centesimum, & sic extra omnes terras, Vrbis scilicet essent. Vt proinde his iam contenti esse possint, qui negant rectè colligi ex *l.62 infr. de hæreticis*, argumento relegationis extra centesimum Vrbis, centesimum Vrbicæ diœceseos & Episcopatus terminum fuisse. Rectissimè enim de Vrbis Romæ diœcesi id ex eo colligitur, quod non rectè ex aliarum vrbium territorio aut termino colligitur. Idque est tandem, quod alibi scribere me meminisse debuerunt. *Ab hoc principio*, Vrbis scilicet Romæ, *centesimi lapidis dinumerationem seu dimensionem aliò quoque traductam*: allatâ hâc ipsâ *l.35. de Episcopis*. Cæterùm centesimanæ huius relegationis & quidem hæreticorum, schismaticorum, ne de ciuili nunc dicam, exempla habes non tantùm in *hâc leg.* & *d.l.62. de hæretic.* verùm etiam in Valentiniani tum Senioris, tum Iunioris rescriptis: de Vrsicini schismate, quæ ex Codice Vaticano profert Baronius: & quidem istud quoque postremum exemplum in Vrbe Roma, eiúsque diœcesi. Et hæc vt in vniuersum de centesimaria relegatione in hæreticis & Schismaticis, etiam extra diœcesim Romanam vsurpatâ, ita de Gratiani nominatim super eo constitutione cuius hâc lege mentio fit. Quibus its perspectis, itêrum illud inculco, Gratiani legem quæ hîc memoratur, pertinere ad Priscillianistas, pariter vt *lex 13. supr.* itémque *l.14. supr. de accusationibus*. Et contrarium tamen huic posteà Rescriptum ab eodem Gratiano Priscillianistæ emeruêre, corrupto iam Macedonio Magistro officiorum. Sulpitius Seuerus *lib.2. Corrupto*, inquit, *Macedonio tum Magistro officiorum RESCRIPTVM eliciunt, quo calcatis quæ PRIVS DECRETA erant, restitui Ecclesiis iubentur.* ¶ Nunc de hâc Honorij constitutione videndum nobis est. Ea sanè cùm Hadriano Præfecto Prætorio (Italiæ, Illyrici, Africæ) inscribatur, necesse est, ad harum diœceseon aliquam referendam. Hinc adeò liquet, non pertinere hanc legem ad Origenistas, quos Hieronymus *lib.1. Apolog.* Imperatorum scriptis Alexandriâ & Ægypto pelli iussos refert, apud Baronium hoc *Anno 400. num.35.* Etsi Hieronymus hoc ipso tempore *Apol. adu. Rufinum fol* 108. meminit Pauli cuiusdam Episcopi Origenistæ à Theophilo Ep. seu Synodo Alexandrina damnati & depositi, qui per Imperiale rescriptum Sacerdotium recipere conatus sit, vel etiam receperit. Rursum non pertinere ad Episcopos depositos à Concilio Ephesino 70. Episcoporum & à Ioanne Chrysostomo: de quo ex Palladio, Socrate, Sozomeno idem eodem *Anno num.82.* refert. Non pertinere

ad Ioannem Chrysostomum & Ioannitas: quod quidem ariolari. Quid igitur? Hanc legem omninò pertinere ait, ad *canonem 62. Codicis Africani, & canonem 65.* eiusdem Codicis ex Concilio Carthaginensi 5. etsi illud habitum Anno D. 401. præfatio præferat: Verùm vt aliis argumentis præterea adstruam ad *l. 17. 18. infr. de Pagano: & l. 1. infr. de Religione*: (& quidem eorum ipsorum legum præiudicio) malè; Habitum enim hoc Concilium anteriùs. Sic igitur habet *canon 62. Et illud petendum, vt statuere dignemur: vt si quis cuiuslibet honoris Clericus, iudicio Episcoporum quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum siue ab Ecclesiis, quibus præfuit, siue à quolibet homine defensari, interpositâ pœnâ damni pecuniæ, atque honoris; quo nec ætatem nec sexum excusandum esse præcipiant.* Sic habet canon 65. *Aurelius Episcopus dixit. Equitij etiam olim merito sua Episcopali sententia damnati non arbitror prætereundum esse legatione causam: vt si fortè eum IN ILLIS PARTIBVS* (id est in Italia) *repererit, vel vbi licuerit, aduersus eum peragere. Ab vniuersis Episcopis dictum est, multum placet & ista persequutio, maximè cum olim damnatus sit Equitius & impudens eius inquietudo, pro statu & salute Ecclesiæ magis magisque vbique repellenda.* Ergo hoc tandem Anno 400. Patres Africani emeruerint ab Honorio hanc legem, cùm iam ad alias eorum petitiones superiore Anno rescripsisset *d. l. 17. 18. infr. de Paganis: & l. 1. infr. de Religione.* Porrò de hoc Equitio Hipponæ Diarretorum Episcopo, vide & Concilij Carthaginensis Sexti (quod habitum 401.) canonem, qui est 77. Codicis Africani & Concilij Carthaginensis habiti Anno 404. canonem qui est 95. *p.* 158. eiusdem Codicis, vbi & hæc lex ipsa indicari omninò videtur. *Adiungendum etiam de Equitio, vt improbitas eius, qua sibi ius Sacerdotum improbissimè vindicat, AB HIPPONENSI Diarretorum DIOECESI SECVNDVM STATVTA IMPERATORVM repellatur.*

¶ Ex hâc interim lege apparet, quantum Sacerdotalibus Episcoporum seu Synodalibus Dicæosyn decretis, & quidem iis quibus Episcopi depositi Sacerdotio fuerunt robur Imperatores dederint, vt ea nulla arte infringi voluerint, non depositi ipsius inquietudine: non Rescripto Principis: non cuiusquam defensione seu suffragio: Clericus ille sit, an seculari dignitate tumidus. ¶ Huic certè sententiæ congruit omninò *canon* 12. Antiochenus (Anno D. 341.) qui occasione Athanasij conditus est, qui in Tyria Synodo depositus Constantij Iun. Imp. literis sedem Alexandrinam repetierat. Quo etiam canone Chrysostomum quoque aduersarij aliquando vrsere, teste Socrate, *lib. 6. cap.* 16. Sozomeno, *lib. 8. cap. 20.* & Palladio; cuius canonis æquitatem nemo reprehendit, sed tantùm applicationem, quem certè obtinere non oportet, vbi vi manifestariâ res seu depositio peracta fuit: quæ vt Athanasij, ita & Chrysostomi quoque exceptio erat. Sanè Gregorius quoque Nazianzenus *epist. ad Olympium 77.* meminit βασιλικῶν διατάξεων Imperialium constitutionum super hâc ipsâ re seu interdicto, ne quis Episcopali loco & nomine detrusus Episcopatum rursum repeteret: quo loco nominatim de Apollinaristis hæreticis agit. ¶ Breuiter interim notanda ex *hâc leg.* definitio: *suffragium humanum nulli prodesse, qui diuinum non meruit iudicium*, & qui iudicio Ecclesiæ Sacerdotio indignus iudicatus fuit. Quod ad tuendam Ecclesiasticam disciplinam ab Honorio constitutum & constitui oportuit: Nempe quod Schismatici, hæretici aut criminibus inuoluti, nullum non mouerent lapidem, quò pristinam sedem tutarentur: atque (quod ex *canone* 62. Africano, de quo *suprà*, cuiúsque occasione *hac lex* lata fuit) à nonnullis defensarentur, quod *suffragij* appellatione *hic* & subdititiâ *d. l. 2. infr. de Episcopali iudicio* indicatur. Nempe disciplinæ Ecclesiasticæ refractarij, vt inter Christianos ita inter Iudæos legitima quamlibet cognitione proiecti, hâc tempestate passim ad seculares Iudices iuêre, contra custodiam quietem publicam.

XXXVI. * Idem AA. "Pompeiano" Proc. Afric.

QVICVNQVE Catholicæ religionis Clerici, intra eum modum, vnde victus, emendi vendendique vsum lege præfinitum exercent, ab aurariâ" pensione habeantur inmunes. ¶ Ab his quoque, quos à publici laboris actu & gradus Clericatus, & (quod non minus est) sanctior" vita defendit, præcipimus temperari: Nec enim vllum eorum qui excepti legibus probabuntur," subiacere patiamur" iniuriæ," &c. Dat. Prid. Id. Iul. Med. Post" Conf. Stilichonis & Aureliani vv. cc. [401.]

NOTÆ.

* Baronius hanc legem refert *Anno 401. num 15.*
" Eidem *Pompeiano* Proconf. Africæ inscribitur hoc Anno quoque *lex 2. supr. de equor. collat. l. 28. supr. de susceptor. l. 1. supr. de indictionib.*
" id est, Lustrali collatione vide *supr. tit. de Lustrali collat.*
" Monastica & Continentium.
" *patimur*: Sic tamen quoque *l. 5. supr. ad l. Iul. de adult.* apud Auctorem *collat. legum Mosaic.*
" *probantur.*
" id est, muneribus publicis.
" Ita quoque hic annus signatus alterâ constitutione: nempe *d. l. 29 de Susceptoribus.*

COMMENTARIVS.

IMMVNITAS CLERICORVM Catholicorum & Monachorum seu Continentium hâc Honorij rursum constitutione, & gemina quidem confirmatur. Puta Clericorum negotiantium immunitas à lustrali collatione, intra modum scilicet victus emendum: intra modum victus, id est, alimoniæ causa negotiantium: quæ ipsa Constantio mens fuit *l. 8. & 15. supr.* vbi vide quæ ad

eas

eas scripsi plura. Denique si exiguis admodum mercimoniis tenuem sibi victum vestitúmque conquirerent. Atque hanc immunitatem solos Clericos respicere obseruandum est, ac non etiam Monachos: vt qui commercandi vsu penitùs abstinuerint. ¶ Atenim quod sequitur priuilegium, vtrique commune est, nempe vt Clerici & Monachi ad munera personalia non vocentur, Nempe *publici laboris actus*, item *iniuria* appellatione, munera personalia *hâc leg.* significantur. Pariter vt *l.16. supr.* officia & labor corporis vel sudor, hoc ipsum significant: item ademptionis molestia *l.26. supr.* De qua Clericorum immunitate fuit iam *l.2. 9. 11. 14. supr.* Tandem obseruandum, *sanctioris vita* appellatione *hâc leg.* designari vitam Monasticam & Continentium, eámque Clericatui æquari, & (*quod minus non est*) inquit, *sanctior vita.* ¶ Porrò non dubito, quin hoc priuilegiorum genere Honorius per Africam Proconsularem ad Clericatum quamplures inuitare voluerit: apparet enim ex Concilio Carthaginensi quod hoc anno habitum ante paucos dies, magnam in Africa Clericorum penuriam fuisse: vt docet *Codex canon. Eccles. Afric. p.162. 165.* & *canon. ibid.57.*

XXXVII. * Idem AA. Studio P. V."

QVONIAM personæ ad inquisitionem perpetrati incendij, vt Tui Culminis suggestio patefecit, nequeunt inueniri, Clericos carceris custodiâ relaxamus, ita vt nauibus impositi ad lares proprios reuertantur. Nec proscriptionis periculo domus careant, quas Episcopos vel Clericos peregrinos," post publicationem Edictorum," & Nostræ Serenitatis adfatus, probabitur suscepisse (Pari formâ seruandâ, si qua domus ciues Clericos noua ac tumultuosa conuenticula extra Ecclesiam celebrantes susceperint) Ad obseruandos" siquidem seditionis aditus, id nostro sedit arbitrio, vt omnes Episcopi & Clerici & peregrini ab hâc sacratissima Vrbe" pellantur. Dat. IV. Kal. Septembr. Constantinop. Honorio VI. & Aristeneto COSS. [404]

NOTÆ.

* Extat apud Baronium *Anno 404 num 54.* & quæ ad eam faciunt, vide prolixè apud eundem à *n 3.*

"Rectè; *Studius* hic P. V. fuit Anno D 404. cui eidem inscribitur hoc ipso Anno paulo post *lex 5. infr. de his qui rel. cont.* quæ & ipsa *ad Ioannitas* pariter pertinet. Et sanè ipsum argumentum arguit, Studium hunc P. V. fuisse. Quare minus penso consilio Baronius Præfectum Prætorio facit *num.54.* Meminit eius & Theodorus Diaconus *apud Palladium in dial.* in hac ipsa narratione super Ioanne Chrysostomo.

"Hinc & ex sequentibus interpolata *lex conuenticula 15. Cod. Iust. eod. tit.*

"*Peregrini Clerici* hîc & *fine leg.* quibus *ciues Clerici* mox opponuntur: Nempe peregrini sunt aduenæ qui aliunde Constantinopolim sese in auxilium Ioanni contulerant: Ciues qui Constantinopoli morabantur.

"Sustineri potest: etsi fortè alius malit *obseruandos.*

"Constantinopolitana.

COMMENTARIVS.

AD TVMVLTVM qui IOANNIS CHRYSOSTOMI Episcopi Constantinopolitani occasione obortus hoc Anno, spectat hæc Arcadij constitutio: pariter vt tres aliæ: primà *lex 4. 5. 6. infr. de his qui super relig. cont.* Series historica sic habet. Acciderat Anno D.403. vt ex Prosperi & Marcellini *Chronicis* constat, ante natalem Domini, Socrates *lib.6. cap.16.* Sozomenus *lib.8. cap.20.* vt Eudoxiæ Augustæ statua erigeretur, haud procul ab Ecclesia. Huius statuæ dedicationem Ioannes Chrysostomus, habitâ ad populum oratione, reprehenderat, quod tradunt Socrates, *lib.8. cap.16.* Sozomenus *lib.8. cap.20.* & alij, & in his Chrysostomi vitæ Scriptores: nempe, quod in eâ quid admissum, quod modestiæ aduersaretur, & ὕβριν τῆς ἐκκλησίας contineret, id est, in iniuriam Ecclesiæ vergeret, ac nominatim *δημώδεις παιδιαὶ* ludi populares, *συνήθως* celebrati apud eam fuissent, vt Socrates scribit; seu vt Sozomenus ait, *χορεῖαί τε καὶ δημώδεις θέαι ὀρχηστῶν τε καὶ μίμων ὑπὸ τὰ δε ἐπετελοῦντο, ὡς ἔθος τότε ἐπὶ τῇ ἀναθέσει τῶν βασιλικῶν εἰκόνων.* Denique quod & accedens ad Gentilium ritum & excedens cultura hominum dignitatem adhibita fuisset (quod sanè postea expressâ constitutione Valentinianus Tertius, Theodosij Iunioris (huius Arcadij filij) collega, prohibuit *l.vnic. supr. de Imag. Imperialib.*) Hinc itaque Eudoxia in Ioannem furere pristinis odiis repetitis. Hinc conuenticula iam habita Anno Domini 404. mense *Ianuario*, vt docet *lex 4. infr. de his qui super Religione.* Quare in Ioannem Concilium Episcoporum Constantinopoli colligitur, in quo primas tenuit, quamuis absens, Theophilus Alexandriæ Episcopus (teste etiam Zosimo *lib.5. pag 799.*) crimini ibi datum Ioanni, quod contra Canonem Antiochenum 12. post depositionem suam sine Episcopali decreto sedem repetere ausus fuisset: Hinc ab Arcadio Imp. Ioannes appetente festo Paschatis Anno Domini 404. munere fungi interdictus, Ecclesiam non adit: fideles Ecclesiâ per milites exturbati: Edicta proposita: *Ne quis cum Ioanne communicasse vellet.* Adhærentes ipsi festum Paschatis separatim in balneis Constantianis celebrauêre. Indéque porrò Conuentus separatos habuêre, vnde & *Ioannitæ* appellati. Sicarij in Ioannem immissi. Ioannes inde duorum mensium spatio in publicum prodire non ausus, Imperatoris mandato in exilium abductus trusúsque: Itaque Ioannes Ecclesiâ atque Vrbe recedit. Et incendium Constantinopoli eâ ipsâ die exortum, quo & Ecclesia & Senatus conflagrauêre his Coss. XII. Kalend. Iulij: de quo vide Socratem, *lib.6. cap.16.* Sozomenum, *lib.8. cap.24.* Zosimum *lib.5. pag.801.* Georgium Alexandr. *in vita Chrysostomi* etiam apud Photium *num.. p.266.* Palladium *in Dialog.* Chronicon Alexandrinum *his COSS.* Marcellinum *Chronico his COSS.* Atque hoc illud est incendium, de quo *hâc leg.* agitur; quò etiam pertinet *lex 44. supr. de operib. public.* Inde Arsacius

eius VI. Kalend. Iulij Episcopus Constantinopoli (de quo huius ipsius anni fine agitur *d.l. vltim. infr. de his qui super Relig. cont.*) creatur. Parte vnâ, Clerici ξυνελθόντες, τὰ αὐτοῦ φρονοῦντες Chrysostomo in carcerem coniecti: quod præter *hanc legem* etiam Sozomenus scribit, *lib. 8. cap. 22. in fin.* Inquisitiones habitæ à Præfecto Vrbis de incendio, vt præter hanc legem scribit Sozomenus *lib. 8. c. 23. in fin.* inuidiam eius in Ioannitas aliis referentibus: versâ vice Ioannitis in aduersarios, quod Sozomenus testatur. Quanquam Socrates & Zosimus Ioannitis apertè imputant: Chronici Alexandrini siue Fastorum Siculorum auctor aduersariis. Quicquid huius sit, *hac lex* ostendit, hoc tempore rei veritatem detegi non potuisse. Imò neque posteà, quamlibet graues quæstiones agitatæ, excruciatique nonnulli fuerint ab Optato Præfecto Vrbis Gentili, cui inscribitur Anno prox. 405. *lex vltim. de vsuris*, teste Socrate *d. lib. 6. cap. 16. in fin.* & Sozomeno, *lib. 8. cap. 24.* ¶ Parte alterâ, cùm Episcopi & Clerici peregrini quamplurimi hoc tempore Constantinopoli agerent, aliis Ioanni Chrysostomo aduersantibus, ac nominatim iis, qui in eum, vt suprà dixi, coierunt, aliis Ioanni fauentibus, quinimò & Ciues Clerici extra Ecclesiam conuenticula celebrarent, iámque ad apertam seditionem res erupturа videretur, Arcadio visum nunc *hâc leg.* faciendum circa finem Augusti Anno 404. vt publicæ tranquillitati studeret, triplici ratione.

¶ Primum, *inquisitioni* ob incendium agitatæ, modum & finem adhibendum credidit, atque adeò Clericos carcere relaxari, & ad lares proprios remitti hac constitutione iubet: ac maximè quod personas ad inquisitionem incendij inueniri non posse iam suggessisset Studius Præfectus Vrbi, & ad quem eodem pacis tuendæ studio paulò post emissa mense mox proximo Septembri *d. lex 5. infr. de his qui super Relig. cont.*

¶ Secundò ad obseruandos vel obserandos seditionis aditus, *Conuenticulis* Episcoporum & Clericorum siue ciuium siue Peregrinorum intercedendum putauit *hâc lege* Arcadius. ¶ Quare & tertio loco *Peregrinos* Vrbe pelli: & domum his vel etiam ciuium conuenticulis præbentes, proscriptione domus multari iussit. Quam sanctionem memorat & Theodotus Diaconus *apud Palladium in dial. Ipsúmque exemplar*, inquit, *Edicti prodiit in hanc sententiam. Quicunque occultasset Episcopum ac Clericum, siue in suâ domo suscìperet, qui Ioanni communicaret, eius domum publicandam.* Hac triplici scilicet ratione paci publicæ *hâc leg.* Constantinopoli ex sua sententia cõsultum voluit Arcadius. Primò, *Inquisitionis* remissione. Secundò, Ecclesiasticorum *Conuenticulorum* Ioannitarúmque prohibitione. Tertiò, tandem *Peregrinorum* Clericorum eiectione. Verùm neque hæc suffecêre. Itaque alterâ ad eundem Studium Præfectum Vrbi constitutione & ratione tumultui obuiam iuit *d. l. 15. infr. de his qui super Relig.* Sed & extra Constantinopolim in Prouinciis *l. vltim. d. tit.* Qui & paulò antè alia quoque ratione occursum iuerat *l. 4. d. tit. de his qui super Relig.* ¶ Quare cum hæc huiusce legis ratio sit quam dixi, hæc Historia, fœdus inde apparet Pancitoli lapsus *2. var. 168.* qui *l. conuenticula 15. Cod. de Episcopis*, quæ ex hac alioquin interpolata est, nescio quâ nouâ interpretatione donandam credidit.

XXXVIII. * Imppp. Arcad. HONOR. & Theod. AAA. Porfyrio Proc. Afric. Post alia."

PRIVILEGIA, quæ Ecclesiis & Clericis Legum † decreuit auctoritas, hac quoque præceptione, sancta & inuiolata permanere decernimus. ¶ Atque hoc ipsis præcipuum" ac singulare deferimus, Vt quæcumque de nobis ad Ecclesiam" tantùm pertinentia, specialiter fuerint impetrata, non per Coronatos," sed ab" Aduocatis, eorum" arbitratu, & Iudicibus innotescant, & sortiantur effectum. Sacerdotes" verò prouinciæ erunt soliciti, ne, sub hac scilicet priuilegij excusatione, etiam contra eorum" vtilitatem aliquid" his inferatur incommodum. Dat. XVII." Kal. Decemb. Rom. Honor. VII. & Theod. II. AA. COSS. [407.]

NOTÆ.

* Abest *hac lex* à *Cod. Iustin.* Meminit eius Baronius *Anno* 407. *num.* 41. Posteriore tamen eius sententia omissa quæ præcipuam eius partem occupat. Iungenda huic *l. 41. infr. de hæretic.*

"Quæ ad petitionem Concilij Carthaginensis decimi, quod hoc Anno habitum fuit Honorius constituit: inter quæ illud quoque caput est, quod *d. l. 41.* continetur.

† Principalium, anteriorum. "Præter superiora videlicet priuilegia nouum.

"Fortè Ecclesiæ statum & defensionem.

"Est qui tentet *honoratos*. Ego aliquando tentabam *Corporatos*: verùm detinenda lectio ista: de quo mox.

"id est, per Aduocatos.

"Quorum? an Aduocatorum? an Coronatorum, id est, Clericorum? Istud puto, vt sit sensus, ab Aduocatis, quos delegerint Clerici.

"An de Sacerdotibus Prouinciarum Gentilibus hoc accipiendum est (de quibus dicam planè *infr. tit. de Paganis*?) An verò de Sacerdotibus, id est, Episcopis Christianis? Hoc verum.

"Quorum? Concilij Mileuitani *c. 16.* & Clericorum, de quibus initio legis.

"non mutandum in aliquod: aliquid incommodum: incommodum adiectiuè.

"*VII.* in editione Tiliana Cujaciana, Quartana. Sanè in *d. l. 41. infr. de hæreticis*: (quam huic coniungendam existimo). dies subscriptus XVI. Kal. Dec.

COMMENTARIVS.

AD PRIVILEGIA vetera Ecclesiis concessa, quæ & ipsa *hâc leg.* confirmat Honorius Imp. per Africam, nouum aliquod *priuilegium* adiicit, *præcipuum* ac *singulare*, putà, vt DEFENSORES Ecclesiarum & Ecclesiasticorum *priuilegiorum*, ex Aduocatorum corpore (ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς) constitui possint. ¶ Hoc verò illud est Honorij Rescriptum, seu priuilegium, quod ad postulatio

postulationem Concilij Carthaginensis (quod his ipsis Coss. Honorio VII. & Theodosio II. id est, Anno D 407. habitum fuit, ante sex fermè menses, Idibus Iunij emissum est : Sic enim eo Concilio placuisse repetio (vt habetur *Canone 97. Cod. Africani*, seu canone 100. ex Africanis Synodis, quæ in vnum mistæ sunt, & ad quos Balsamo scripsit) *Placuit etiam, vt petant ex nomine Prouinciarum omnium, Legati perrecturi, Vincentius & Fortunatianus, à Gloriosissimis Imperatoribus, vt dent facultatem DEFENSORES constituendi SCHOLASTICOS* (id est Aduocatos) *qui in actu sunt vel in munere defensionis causarum, vt, MORE SACERDOTVM PROVINCIÆ, iidem ipsi qui defensionem Ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis Ecclesiarum, quoties necessitas flagitauerit, vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi iudicum secretaria.* Et in eandem sententiam conceptus quoque *canon 16. Concilij Mileuitani*. Quò etiam pertinet, quod in Concilio Salzburgensi apud Canisium *pag. 613.* dicitur. *Post Consulatum Stilichonis inducta est Aduocatorum defensio pro causis Ecclesiæ.* Quem locum nuperus quidam Scriptor seditioso libello *p. 158.* de Protectoribus Ecclesiarum potentioribus perperam accipiebat. Ergo ad postulationem Concilij Africani hoc Legis istius caput latum est : pariter vt illud quod continetur *l. 41. infr. de hæretic.* quæ ex eadem ad Porphyrium P.C. Africæ constitutione desumpta est, atque ideò huic coniungenda venit. ¶ Præcipuum igitur & singulare priuilegium istud ab Honorio nunc Afri emeruerunt: putà, vt ne. *Coronati* amplius, verùm *Aduocati* deinceps Iudiciis Ecclesiarum & priuilegiorum Ecclesiasticorum Defensores sese sisterent : Aduocati inquam seu *Scholastici* de foro (de quibus dixi ad *l. 1. supr de concuss. Aduocat.*) quos scilicet ex corpore Aduocatorum Ecclesiastici arbitratu suo delegissent ; sisterent, inquam defendendis Ecclesiarum negotiis & priuilegiis, id enim his verbis significatur. *Quæcunque de nobis ad Ecclesiam tantùm* (vel Ecclesiæ statum) *pertinentia specialiter fuerint impetrata, & Iudicibus innotescant, & sortiantur effectum.* Quæ illis Africani Concilij verbis respondent ; *habeant facultatem vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi Iudicum secretaria.* Dicunt autem Patres Africani *Scholasticos*, de quibus accipio pariter locum Synesij *epist. 105. in fin.* quem expendi ad *l. 1. supr. de concuss. Aduocatorum.* De iisdem denique sensit idem Honorius *l. vlt supr. de denunciatione.* Nouum igitur istud Ecclesiarum priuilegium petentibus Patribus Africanis ab Honorio Imp. nunc indultum fuit. Quare Balsamo *ad hunc Codicem Africanum* hærere non debuit, verum defensores isti ante hoc postulatum Patrum Africanorum fuerint: οὐ γὰρ γέγονας, ὅτι ἡ ϐσις τῆς Ἐκκλησίας ἣ τῶν Λειτουργῶν λεγομένων, ὅτι ἀπὸ τῶ σωματείω κατὰ ... τὴν ἀγωγὴν, ὅτι καὶ ... τῶν Σχολαστικῶν, ... ἐξελεύσονται ἵνα ... Mirùm minus nupero Scriptori Petauio, *ad Epiph. pag. 305.* verisimile videri debuit, diu ante defensores istos extitisse, cùm ex superioribus liqueat Patribus Africanis id postulare ab Honorio nunc primùm visum : liqueat item idque ab Honorio *hac leg.* nunc velut præcipuum ac singulare deferri. Cum his etiam commisceri non oportet aliud defensorum genus, de quibus est *canon 10. Concily Carthaginensis* Anno 401. quod Baronius refert *ad Ann 398.* seu *canon 75. Codicis Africani* : hi enim sunt defensores non Ecclesiarum (ersi.....) verùm pauperum, aduersus diuitum tyrannidem, quos Patres Africani co......cum Episcoporum eligi cupiunt: Interim quatuor hæc singularia Defensorum hæ ætate genera diuersa obseruari cupio. Primò, Defensores *ciuitatum*, seu plebis, de quibus *lib. 1. supr.* Secundò, Defensores *Senatus* : de quibus *l. 2. 3. de prod. Senat.* Tertiò, Defensores *Pauperum*, de quibus *dicto canone 10.* Quartò, Defensores *Ecclesiarum*, de quibus *hac leg. Adnoaés* ou *Adwoyeri.* De his quoque Cassiodorus *2. variarum 30. 3. var. 45. 9. epist. 15.* Possid. in v. Augustini *cap. 12.* ¶ Id verò, quod *hac leg.* constituitur, exemplo à sæculo petito constitutum fuit : quod & aliàs prælatum, Ecclesiasticorum priuilegiis siue petendis siue concedendis, quod comprobat *l. 23. supr. hoc tit.*

¶ Duo adhuc supersunt *hac lege* discutienda. Prius est, quidnam per *Coronatos* intelligi oporteat : Non desunt, qui legendum putent *honoratos*: Alij verò, *Coronatos* interpretantur, qui Principis literas deferebant. *Coronatorum* certè mentio occurrit in Epist. Innocentij, ad Episcopos in Synodo Tolosanâ constitutos : *Neque de Curialibus aliquos ad Ecclesiasticam ordinem venire posse, qui post baptismum, vel Coronati fuerint, vel Sacerdotium quod dicitur sustinuerint, & editiones publicas celebrauerint.* Verùm locus iste pertinet ad Coronas Sacerdotem Gentilium. Pari censu quo Firmicus Math. *lib. 3. cap. 14.* in princ. *Erunt autem aut Coronati, aut Sacerdotibus præpositi, aut sacrorum baiuli simulacrorum* : vid. & *lib. 3 cap 4 & 7. non vno loco.* Verùm ita censeo, *Coronatos* hic dici Clericos : Nempe Clerici hactenus ipsi ad Ecclesiarum defensionem iudiciis sese stitisse videntur: id quod tandem ipsis Ecclesiasticis indecens visum : visúmque satius, per Aduocatos, & sic Laicos, simul & forensium rerum peritos, Ecclesiam & Ecclesiastica priuilegia in ciuili foro defendi. Quomodo etiam Sacerdotes Prouinciarum, qui Gentilitiarum causarum Defensores & Aduocati erant, ex Aduocatorum corpore sumebantur. Quod sanè postremum, iuxta superiorem Canonem Africanum, docet insuper Constantij constitutio ad Martinianum Vic. Africæ *l. 46. supr. de Decurionib. A solis præcipimus Adaocatis, eorúmque consortio, dari prouincia Sacerdotem. Nec aliquis arbitretur, ita esse aduocationis necessitatem impositam Sacerdotio, vt ab communem appidancoram functio sceruatur ; cum nulla vnquam iura patronis forensium quæstionum vacationem ciuilium munerum præstiterint.* Et verò hinc est, quod nominatim Patres Africani vrgebant, *Vt*, inquiunt, MORE SACERDOTVM *Prouinciæ, iidem ipsi qui defensionem Ecclesiarum susceperint, habeant facultatem, &c.* Cur autem *Coronatorum* appellatione Clerici designentur, procliue dictu. Nempe ob ξύρημα γερικὸς; *Corona* scilicet iam hoc tempore insigne Clericorum, & exinde Clericalis reuerentiæ per *Africam* saltem mox alibi nomen fuit; sic quidem vt quemadmodum purpuram, quæ Principis ... insigne erat, interdum pro Principe & Principali reuerentia sumebant, ita & *Coronam* pro Clero & reuerentia Clericali acciperent, Hieronymus sanè *ep. 26.* (inter Augustinianas) & Augustinus per hæc tempora, *epist. 147.* ad Proculianum, *Coronam Sacerdotalem*, pro reuerentia & auctoritate vsurpant. *Precor coronam tuam*, inquit Hieronymus. *Per coronam nostram nos adiurant vestri* : At Augustinus, *per coronam nostram nos adiurant vestri : per coronam vestram vos adiurant nostri.* Quâquam ... hæc quidam accipiunt, sed malè pro *regali Sacerdotio.* Ergo Clerici iam hoc tempore per *Africam* coronati; quomodo & per vicinam Ægyptum & Syriam, fœminarum

 crinem

ctioem abſcindendi mos inualuerat, de quo ad *l.* 27. *ſupr.* Viderint itsque iam, qui coronatos Sacerdotes tantùm volunt circa finem quinti ſæculi, quos ſanè hæc lex fugit. Iam igitor patet, cur non coronatos amplius, verùm Aduocatos Eccleſiarum defenſores Iudiciis ſeſe ſiſtere Patres Carthaginenſes poſtulauerint: & ad eorom petitionem Honorius Imp. id eis *hâc leg.* indulgeat. Nempe, ooo ſecularibus tantùm negotiis ſeſe ſpirituales homines implicare, verùm etiam Iudiciis ſeſe ſiſtere, ceu quæſtionum forenſium patronos; ipſo habitu Clericali notabilis, indecorum ἄπρεπον & contra reuerentiam Clericalem Patribus viſum: Ita tamen, vt Priuilegio Principis ſingulari opus hâc parte fuerit, quò videlicet Coronarij ab hâc neceſſitate, ad quam hactenus adſtringebantur, eximerentur; vnde & *excuſatio priuilegij hâc lege* vocatur. Et hæc quidem interim de coronâ Clericorum, & crinium tonſura De interdicto alio crinis abſcindeodi mulieribus, vide *ſuprà legem* 27.

¶ Alterum *huius legis* obſcurum extremo legis continetur, vbi *Sacerdotes Prouinciæ* iubeotur *eſſe ſolliciti, Ne ſub hâc priuilegij excuſatione, etiam contra eorum vtilitatem aliquid his inferatur incommodum.* Fuit tempus, eum a primo crederem, de Sacerdotibus Prouinciarum Gentilibus hæc accipienda eſſe, argumento eorum, quæ ſuperius de his è canone Africano notaui. Verùm ita nunc ſentio, de Epiſcopis hæc omninò accipi oportere: Et *Sacerdotum Prouinciæ* appellationem hîc ab Honorio pro Chriſtianorum Epiſcopis datâ operâ vſurpatam: non tantùm communi iam hoc tempore notione, verùm etiam quòd Sacerdotum Gentiliom exemplum hâc in re Patres Africani ſibi prætuliſſent. Senſus verò Honorij hic eſt: Reuerentiæ equidem ſeu Coronæ Clericali hoc priuilegium ſingulare, ſeu hanc excuſationem à ſe nunc petentibus Patribus tribui, ne videlicet Clerici Clericos ſeu ex corpore ſuo defenſores Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum priuilegiorum iudiciis forôque ſeculari ſiſtere cogerentur: Verùm intereà Epiſcopos ſollicitos eſſe debere, vigilaréque, ne hoc obtentu fortè iura Eccleſiarum læderentur. Quaſi diceret, indecorum equidem eſſe & irreuerens, ſi Eccleſiaſtici iudiciis Eccleſiarum *defenſores* ſeſe ſiſtant: atenim periculi plenum contra eſſe, ſi ſeſe non ſiſtant: Reuerentiâ quippe Coronæ Clericalis ſæpè Iudices & officiales eorum retineri, ne vtilitas Eccleſiarum lædatur: contrà his abſentibus licentiæ vela laxari. Quare cum ita Sacerdotibus ſeu Patribus Africanis viſum fuerit, id à ſe poſtulare, ne Eccleſiaſticos Eccleſiarum defenſores dare cogerentur, vltrò quidem id iis largiri ſeu concedere ſe indicat Honorius, atenim viderent ipſi eo maiore ſollicitudine, ne intereà, atque hoc obtentu, Eccleſiæ detrimentum caperent, & quod ipſorum fauore conſtitutum eſſet, in eorum referretur incommodum. ¶ Vt ad iſtos de foro ſeu Laicos Eccleſiarum defenſores reuertamur, cum his perperam miſceri video *Defenſores Pauperum* aduerſus diuitum impotentiam, de quibus agitur Canone Concilij Carthaginenſis Anno 401. vel potius 399. in eodem Africano 75. & Codice miſcello Balſamonis 78. Item perperam miſceri video [illegible] ſeu Ἐκδίκους, de quibus Epiphanius ante hanc legem *hæreſi Marcellianorum* 72. *& can.* 1. *Chalced.* Hi enim inter Clericos vel Clericis proximi cenſentur. ¶ De defenſoribus iſtis Eccleſiarum duo tandem adhuc notari cupio. Primùm obſeruetur, Honorium Imp. poſteà altero priuilegio defenſionem & defenſores cauſarum negotiorúmque Eccleſiaſticorum moniuiſſe *l.* 7. *ſupr. de denunciat. vel edit. reſcript.* putà vt ſtatim & ſine vlla dilatione in ſecretaria Iudicum intromitterentur. Alterum, Defenſores iſtos vetitos ordinari de vrbium Miniſteriis, Corporatis, inquam, Collegiatis & Curialibus, Valentiniani Tertij *Nouellâ* 12. *ſeu vltim.*

XXXIX. * Idem AA." Theodoro PP. P."



VEMCVNQVE Clericum indignum officio ſuo Epiſcopus iudicauerit, & ab Eccleſiæ miniſterio ſegregauerit: aut ſi qui profeſſum" ſacræ religionis ſponte dereliquerit, continuò ſibi eum Curia vindicet: vt liber illi vltrà ad Eccleſiam recurſus eſſe non poſſit: & pro hominum qualitate," & quantitate patrimonij, vel Ordini ſuo, vel Collegio ciuitatis adiungatur: modò, vt quibuſcunque apti erunt publicis neceſſitatibus obligentur: ita vt conludio quoque" locus non ſit. Per ſingulos igitur binæ libræ auri inferendæ ærario noſtro à Decemprimis" Curialibus exiganrur, ſi aliquibus inlicitam conhibentiam" & conludia fœda præſtiterint: Hominibúſque inprobiſſimis ab omnibus Officiis militiæ aditus obſtruatur. Dat. Kalend." Decembr." Baſſo & Philippo COSS. [408.[

INTERPRETATIO. *Quemcunque Clericum Epiſcopus ſuus malæ vitæ eſſe probauerit, & eum de gradu ſuo pro morum prauitate deiecerit: vel ſi ipſe Clericus ſua voluntate profeſſionem reliquerit Clericatus, continuo à Iudice Curialibus adiungatur: vt ſi ita & natalibus & facultatibus eſt idoneus, eum inter ipſos Curiales officium ſuum implere compellat. Si autem infirma perſona eſt, inter collegiatos eum obſeruare, vel ad quod aptus fuerit, in publico ſeruire lex iſta conſtituit, ita vt huiuſmodi perſona à Curialibus quolibet conludio nullatenus excuſentur. Quod ſi factum fuerit, pro ſingulis perſonis Curiales binas libras auri fiſco à ſe nouerint inferendas.*

NOTÆ.

* Abeſt *hæc lex* à *Cod. Iuſt.* Et memorat tamen eam confirmátque Iuſtinianus *l.* 53 §. 1. *C de Epiſcop.* Omiſit hanc legem Baronius. Iungenda videtur *lex Epiſcop.* 8. *C. de Epiſcopali audientia*: & *lex* 45. §. 1. *infr. de hæret.* Inſertáque huius legis verba conſtitutioni Honorij *ad Theodorum* Secundum Præfectum Prætorio, quam edidit Sirmondus ex *Cod. Lugdun.* & Aniceuſi *in Append. C. Theod. n.* 9. *p.* 23. & in cuius tamen fine ratio addita, ſuſpectam nobis eam conſtitutionem reddit.

"Nempe

"Nempe *Honorius & Theodosius*: at non & Arcadius, quomodo Tribonianus malè *hanc leg.* vocat Arcadij & Honorij *d.l.53.§.1.* qui iam hoc tempore diem obierat Kal.Maij. Etsi eius quoque nomen præferat constitutio 9. *Cod. Aniciensis in Append. Cod. Theod.* bona ex parte conflata.

"Italiæ.

"*Professus*, id est, Professio. Anianus ad *hanc leg.* vide *Glossar. Theod.* In constit. quam edidit Sirmondus, & in V. C. Lugd. additâ voce *obsequium*; *professi* vocem iam adiectiuo sensu accepta; *Si qui professum sacræ religionis obsequium.* Quo nihil opus erat.

"*Natalibus* Anianus.

"cuicunque.

"De *Decemprimis* dictum *supr. tit. de Decurionib.*

"*Cohibentia*, pro conniuentia vide *Glossar.*

"*X. Kal. Decemb. Rauenna*: ita in Aniano Regio: in Aniciensi *Kalend. Decemb. Rauenna*: in constitutione quam edidit Sirmondus *V. Kalend.*

COMMENTARIVS.

DEPOSITVS seu Exauctoratus Episcopi iudicio, velut indignus Clericatu & ob improbitatem, vel etiam spontaneus Clericatus DESERTOR, prout natales & facultates eius sunt, vel Curiæ vel Collegio ciuitatis suæ sociari, non etiam ad militiam seu officia quæcunque admitti, id est, Officiales iudicum fieri, hac Honorij constitutione Anno D.408. quam memorat Iustinianus & firmat *l.53. § 1. Cod. de Episcopis*, iubetur: pœnâ duarum librarum auri *Decemprimis* Curialium indictâ, si cum aliquibus conluserint. *Decemprimos* scilicet (de quibus plenè dictum *supr. tit. de Decurionib.*) Curiæ sollicitudo respiciebat, vt ne qui Curiæ obnoxij elaberentur. Illud ex *hâc leg.* vulgò colligitur, pœnæ loco quem olim Curiæ deditum: Quod vt aliæ leges docent, *lex* inquam 66.& 108. *supr. de Decurionib.* ita ex *hâc lege* non rectè colligitur (non magis quàm ex *l.1. supr. de curs. publ.*) Neque enim pœnæ loco *hâc lege* Clerici Curiæ tradi iubentur: verùm Ecclesiasticos, Ecclesiâ deiectos vel Ecclesiam sponte deserentes, Curiæ tradi, ceu vacantes iam. Quo autem sensu voluerint Pontificiarum Epistolarum auctores Curiæ tradi Clericos Episcopis suis contumaces, veluti Pij *epist.2. pag.199.* & Fabiani 2. *pag.300.* Stephani *pag.337.* Canonistæ tumultuantur.

¶ Porrò vt *hac lex* est de Episcopali iudicio, quæque id sequitur executione, ita & *lex 8. Cod. de Episcopali aud.* (quæ huic procul dubio iungenda est) de Episcopali pariter iudicio delecto: & executione quæ definitioni Episcoporum debetur. Tandem & *huic legi* coniungendam censeo *l.43. infr. de hæreticis*, vbi vide quæ dixi.

XL. * Impp. HONOR. & Theod. AA. Melitio PF. P.

PLACET, rationabilis consilij" tenore perpenso, destrictâ moderatione præscribere, à quibus specialiter necessitatibus Ecclesiæ vrbium singularum habeantur immunes. Prima quippe" illius vsurpationis contumelia depellenda est, Ne prædia vsibus cœlestium" secretorum dicata sordidorum munerum fasce" vexentur: Nulla" iugatione," quæ talium priuilegiorum sorte gratulatur, muniendi itineris constringat iniuria: nihil extraordinarium ab hac" superindicticiúmve flagitetur: Nulla pontium" instauratio: Nulla translationum sollicitudo gignatur: Non" aurum, cæteráque talia poscantur. Postremò, nihil præter canonicam inlationem, quod" aduenticiæ" necessitatis sarcina repentina depoposcerit," eius functionibus adscribatur. ¶ Si * quis contrauenerit, post debitæ vltionis acrimoniam," quæ erga sacrilegos iure promenda est, exilio perpetuæ" deportationis vtatur. Dat. VIII. Kalend. Iun." Rau. Honor. IX. & Theodosio V. AA. COSS. [412.]

NOTÆ.

* *Lex 5. Cod. de Sacros. Ecclesiis.* Meminit *huius legis* Baronius *Anno 412. num 8.* Extat ad *hanc legem* enarratio Coraſij. Inserta etiam farragini constitutionis prolixioris, quam ex *Codice Lugdun.* & *Aniciensi* edidit Sirmondus, *in Append. Cod. Theod. num.11.*

"*Melitius* PP. Italiæ sub Honorio: vid. *Prosopogr.*

"Concilij: vt *hac lex* ad Africani fortè Concilij petitionem lata fuisse videatur.

"Igitur.

* Hæc sententia infarta est Pij *epist.2.p.197.* & Vrbani *epist...p.268.*

"*Cœlestia secreta*, pro Religione, mysteria Religionis: ne quis alioquin hoc ad Eucharistiæ mysterium ridiculè cum glossa restringat.

"*Dedicata* Cod. Inst.

"*Fascis munerum*: rectè: at in Cod. Iust. *face.*

"Abest hæc sententia à Cod. Iust. propter *l.vlt. supr. de itin. mun.* quam prætulit Iustinianus & retulit *l.7. Cod. de Sacros. Eccles.* Interim hic legendum, *nullam iugationem*: prout etiam editum in prædictâ constitutione, quam edidit Sirmondus *d num.11.*

"*Iugatio* est possessio: vide *Gloss. Theod.*

"*abhinc*: ita *Cod. Iust.* quod oportuit, vtpote superiore sententia resecatâ, quo hæc vox *hâc* referenda est: hâc scilicet iugatione.

"*Superindictúmve* Cod. Iust. de superindicto fuit *supr. tit.*

"*Nulla pontium instauratio.* Et hæc absunt à *Cod Iust.* eâdem ratione, qua superior sententia.

"*Signetur* Cod. Iust. verùm hoc rectum: nulla gignatur Ecclesiæ cuiusque iugationi sollicitudo, &c.

"*Non aurum cæteráque talia poscantur*, absunt à *Cod. Iust.* Pertinent hæc verò ad lustralem seu aurariam collationem.

"*quam* Cod. Iust. malè. Vt & qui hic legit: & quam. Nam imò hic opponitur canonica illatio aduentitiæ necessitati omni,

omni, quæ superius specialiter designata fuit. Quare neque hic se Accursius expedit neque Corasius.

"Victor Schotti *cap 41. Remota olei frumentique aduentitia præbitiones, quibus Tripolis & Nicaa acerbius augebantur.*

* Hæc sententia fermè infarta Vrbani *epist...p.* 268.

' *Acrimonia*, id est, seueritas. Iocularis est lapsus Accursianorum, qui excommunicationem hîc accipiunt, quam etiam sic dictam, inquiunt, quasi *ab Ecclesiæ gremio nos arceat.*

"*Perpetuo*, Cod. Iust.

"*Subdatur*: ita mutatum seu substitutum Cod. Iust. *Vrendi* vox hîc propria: vid. *Gloss.* & Iuretum *in Symmachum lib.* 5. *epist.* 66. *p.* 165.

"*Inl. Cod. Iust.* & in *Cod Lugd.* & Anic. constitutionis *infr.* editæ à Sirmondo.

COMMENTARIVS.

IMMVNITATIS nominatim ab extraordinariis & sordidis muneribus Ecclesiarum priuilegia Honorius Imp. hâc quintâ iam *hoc tit.* constitutione & quidem recensu eorum facto confirmat: pariter vt in commune priuilegia Ecclesiis indulta firmantur *leg.* 29. 30 (quæ eadem est cum *l.* 3. *supr. de extraord.*) 34. 38 *supr.* Tot adeò legibus hanc ad rem opus fuit, præsertim opibus solito iam maioribus in Ecclesiam hoc Honorij seculo confluentibus, & exhausto tum ærario, publicisque necessitatibus huius seculi hoc flagitantibus, vt docent hoc ipso Anno eidem Melitio Præfecto Prætorio inscriptæ leges, *lex vnic. supr. qui à præbit. tiron. & equor. excus.* & *lex vlt. supr. de extraord. & sordidis.* Quare securitati in posterum duo *hâc leg.* præstat Honorius, sic vt neque Respublica effusa immunitate nimis oneraretur, & honor Ecclesiis exhiberetur, quod Irnerius rectè notauit, déque rationabili consilio & destricta moderatione vt *hâc leg.* dicitur. Primùm igitur, Honorius Immunitates ipsas specialiter designandas credidit, quas numero sex designat. Immunes nempe esse Ecclesias à sordidis muneribus: ab itinere muniendo: ab extraordinariis superindictitiisve: à pontium instauratione, à translationum sollicitudine (de qua vide & *l.* 15. *in fin. supr.* & *l.* 10. *supr. de extraord.* & de qua mox plenius) ab auri similiúmve collatione. Denique nonnisi canonicas illationes & pensitationes præstare Ecclesiam, nullas aduentitias: quas, inquit, aduentitiæ necessitatis sarcina deposcit. Quod & ipsum cauetur *l.* 15. 18. 21. 22. *supr. de extraordin.* Verùm in nonnullis aliquando aliter obtinuit. Ad instaurationem quippe pontium & itinerum munitionem etiam *Ecclesiæ* aliquando & frequentissimè adstrictæ fuère: à Iuliano Imp. (vt existimo) *d. l.* 10. *supr. de extraordin.* à Theodosio Iuniore, *l. vltim. supr. de itinere muner.* (Quare etiam Tribonianus, cùm *hanc legem* in Codicem Iustinianeum referret, hâc parte eam mutilauit, & interpolauit, prælatâ *d. l. vltim.* cuius partem retulit in *l. ad instructiones* 7. *C. de Episcopis, Ecclesiis & Clericis*) à Valentiniano item Tertio: Nouellâ *inter Theodosianas* 21. tandem à Iustiniano *Nouella* 131. & deinceps à Carolo M. Capitularium *lib.* 6. *cap.* 17. ¶ Ex superioribus interim specialiter designatis Immunitatibus nonnullæ obscuriores sunt. Primò translationum sollicitudinis appellatione, quid *hâc leg.* significetur, quod non Glossa tantùm nesciuit (quæ ludos hîc facit,) sed ne recentiorum quidem plerique & in his Corrasius. Verùm translationis sollicitudo hîc est angariarum, Parangariarum, Nauiculariæ etiam translationis onus, vbi scilicet res fiscales transuehendæ erant, vel annona militaris: quo ipso sensu accipiendum in *l.* 15. *supr hoc tit.* ad translationes faciendas omnes Clerici debeant adstineri. Eodem sensu *l.* 10. *supr. de extraordinar.* Eodem sensu transuectio specierum *l.* 49. *supr. de operibus publicis*: & *l. vltim. supr. de equorum collat.* vbi Græci τῶν εἰδῶν rectè verterunt.

¶ Secundò, quænam necessitas his verbis, non aurum, cæteráque talia poscantur, (quæ Tribonianus pariter omisit) intelligatur, quæri potest. Ego sanè iuxta Aurariam præstationem tironum equorum præbitionem hîc capio, de quibus fuit tit. *lib.* 7. *supr. de equorum collat. tit. de equorum oblat.* extat *suprà*, qui à præbitione tironum & equorum excusentur, quam legem eidem Melitio Præfecto Prætorio hoc Anno inscribi notandum est: vbi hæc inter cætera: nemo tirones, equos, vel præstitionem aurariam vereatur: & mox. Illos tantùm tironum atque AVRI munus adstringat, &c.

¶ Ex hâc interim quoque lege apertissimè liquet, non fuisse Ecclesias immunes à Canonicis tributis Honorij seculo: vt neque Constantij *d. l.* 15 *supr.* neque Theodosij Iunioris *l.* 33. *supr. de annona & tribut.* adeò vt id etiam in celeberrimis & Metropolitanis Ecclesiis obtinuerit, veluti Thessalonicensi: vt docet *d. l.* 33. *Quis tu tantus es*, inquit Ambrosius ad Auxentium, *qui tributum soluendum non putas.* Idem de Imperatore agens *in orat. de trad. Basilicis*; *si tributum petit non negamus*; *agri Ecclesiæ tributum soluunt.* At vt Ecclesiæ ipsæ, ita & Episcopi & Clerici tributa canonica soluebant, quod docuit *lex* 15. *supr.* Quanquam Basilius *epist.* 277. ad Modestum Præfectum Prætorio, Solos Presbyteros & Diaconos (quorum & aliàs peculiaris ratio habita, vide *supr. tit. de Decurionib.*) priscâ immunitate à tributis immunes fuisse testatur, de qua immunitate sub Valente violata bene longam &.....querelam ibi instituit. Sanè Valens Imperator ipse apud Theodoretum *lib.* 4. *cap.* 7. *de Episcopis*, τὰ δημόσια κατ' ἡμᾶς εἰσκομίζειν ἔταξε. Quamuis à personalibus muneribus immunes essent, quorum vtique alia ratio, quàm tributorum: pariter vt ab Extraordinariis Ecclesiæ immunes sunt: de quo est Friderici quoque constitutio, ac non etiam de canonicis.

¶ Alterum quod *hâc leg.* præstat Honorius, est intensio pœnæ aduersus immunitatis huius imminutæ reos. Sanè idem iam antea Anno 397. *l.* 30. *supr.* pœnam interminatus fuerat: ac nominatim Anno 399. *l.* 34. *supr.* quinque librarum auri mulctam interdixerat: verùm *hâc leg.* sacrilegij pœnam & deportationis indicit. Nempe Sacrilegi sunt qui iura Ecclesiarum & priuilegia turbant *hâc leg.* & *l. vltim. infr.* Item *l.* 31. *supr.* Ineptè autem Accursius excommunicationem hîc designari putat, ludósque facit in verbo Acrimoniam.

XXI. * Idem AA. Melitio PF. P."

CLERICOS" non niſi apud Epiſcopos accuſari conuenit." Igitur ſi Epiſcopus, vel Presbyter, Diaconus, & quicumque inferioris" loci," Chriſtianæ legis Miniſter, apud Epiſcopum (ſiquidem alibi non oportet) à quâlibet perſona fuerint accuſati, ſiue ille Sublimis vir honoris, ſiue vllius alterius dignitatis, qui hoc genus laudabilis" intentionis arripiet, nouerit docenda probationibus, monſtranda documentis ſe debere inferre." Si quis ergo circa" huiuſmodi perſonas non probanda detulerit, auctoritate huius ſanctionis intellegat, ſe iacturæ famæ propriæ ſubiacere: vt damno podoris, exiſtimationis" diſpendio, diſcat ſibi alienæ verecundiæ inpunè inſidiari ſaltim" de cetero" non licere. Nam ſicut Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, ceteróſque, ſi his obiecta conprobari potuerint, maculatos ab Eccleſia venerabili æquum eſt remoueri," vt contempti poſt hæc, & miſeræ humilitatis" inclinati deſpectu, iniuriarum non habeant actionem, ita ſimilis videri debet iuſtitiæ, quòd appetitæ innocentiæ moderatam" deſerri iuſſimus vltionem. Ideóque huiuſmodi dumtaxat" cauſas Epiſcopi, ſub teſtificatione" multorum, actis audire debebunt. Dat. III. Id." Decembr. Rau. Honor. IX. & Theod. V. AA. COSS. [412.]

NOTÆ.

* Meminit huius legis Baronius *Anno* 412. *num.* 18. Eáque inſerta eſt fartagini conſtitutionis, quam è Cod. Lugdun. & Anic. extulit Sirmundus in *append. Cod. Theod. num.* 15. Infarta etiam Caij *ep. vn. pag.* 378. miris modis interpollata & ex inde 2. *q.* 3. *c.* 1. & Sixti 3. *ep. p.* 565.

"An Italiæ an Galliarum? Dicam mox aliquid.

"*Clericorum* appellatione veniunt hic & Epiſcopi ipſi, vt ſequentia oſtendunt.

"Sic & *l.* 12. *ſupr. Apud alios potiſſimùm Epiſcopos conuenit explorari* : ἀπαλάλω.

"de hoc vide quæ dixi ad *l.* 7. 24. *ſupr.*

"de voce hac dixi ſemel ad *l.* 24. *ſupr.*

"*Laudabilis intentio* eius, qui Clericum iure accuſandum putat. Et tamen in Conſtit. cui hæc lex inſerta, à Sirmondo edita contra habetur, qui hoc genus *miſeranda intentionis* vocat: vnde inter alia coniectura fieri poteſt de fide eius conſtitutionis, de qua *alibi ſemel*. Simili modo, quæ in duabus Pſeudo-Iſodorianis epiſtulis Caij & Sixti III. *illaudabilis*.

"contra. "exiſtimationiſque diſpendio.

"pro *ſaltem*: vide Gloſſat.

"nempe hactenus impunè id fuiſſe videtur.

"*Exauctorari.* Agitur itaque hic de accuſatione & delicto Clericorum, cuius pœna exauctoratio.

"al. *vilitatis*. Sic regradatiouis humilitas *l.* 2. *de curſu publ.* Firmicus *lib.* 5. *cap.* 3. *p.* 126. ita vt ex alto dignitatis gradu alliqua humilitatis deiectione labantur.

"Moderata vltio hîc vt *l.* 2. *infr de Epiſcop. iudicio* : moderata pœna, id eſt, proportionata delicto.

"Cur hoc additum? mox inquiram.

"reſidentibus Sacerdotibus *l.* 35. *ſupr.*

"*Idibus Decembr.* in fatragine Sirm.

COMMENTARIVS.

DE FORO CLERICORVM, Epiſcoporum è quinque in vniuerſum huiuſce Codicis conſtitutionibus, eſt hæc vna è duabus Honorianis, & quidem elegantiſſima conſtitutio. Altera quippe Honorij de hoc ipſo eſt *lex* 1. *infr. de religione*; tres reliquæ hæ ſunt *l.* 12. 23. *ſupr. hoc tit. l. vltim. infr. hoc tit.* ſuppoſititiæ enim ſunt *l.* 1. 3. *infr. de Epiſcop. indic.*

¶ Huiuſce hæc ſententia eſt: Epiſcopos, Clericos quoſcunque à quibuſcunque tandem, non niſi apud Epiſcopos accuſari oportere, non alibi: iure accuſatos Clericos exauctorandos: calumnioſos accuſatores, infamiâ multandos: denique iudicium hoc de Clericis accuſatis Epiſcopos agitare debere ſub teſtificatione multorum actis. ¶ Quid igitur? de omnibus omnino criminibus ſeu accuſationibus Epiſcoporum, & Clericorum, audientiam Epiſcoporum eſſe voluerit *hâc leg.* Honorius? Id ſuadere videntur generalia huius legis verba: *Clericos non niſi apud Epiſcopos accuſari conuenit: Item, ſi apud Epiſcopum, ſi quidem alibi non oportet, fuerint accuſati.* Quod ſi ita eſt, ſaltem illud fatendum foerit: Nouum hoc ius eſſe cóque à vetuſtiore receſſum, quandoquidem aliter olim obſeruatum, omnium apertiſſimè docuit ſup. *l. Qui mos eſt* 23. *hoc tit.* Imò & Honorium ipſum aliter olim ſenſiſſe docebit *l.* 1. *infr. de religione.*

¶ Verùm non aliam Honorio mentem fuiſſe hac lege, quam quæ antecrioribus Principibus fuit, imò quæ ipſi iam olim fuit, quàm fuit poſtea ſecutis, longè vero propius, putà, circa delicta Eccleſiaſtica, vel etiam ſi Clericus pro leuibus cauſis criminaliter inpeteretur, vt loquitur Caſſiodorus 8. *var.* 24. vt Milletotus de delicto communi *p.* 132. Primùm id vel ipſa legis verba ſatis oſtendunt, de eo ſcilicet tantum delictorum genere agi, ex quibus verecundiæ detrimentum ſequitur, quorúmque nomine ab Eccleſia duntaxat remouendi & exauctorandi Eccleſiaſtici veniant. *Diſcat*, inquit, *ſibi alienæ VERECVNDIÆ impunè ſaltem inſidiari de cætero non licere.* Item *Epiſcopos*, &c. *ſi his obiecta comprobari potuerint, maculatos ab Eccleſia venerabili æquum eſt REMOVERI*, &c. Eò tandem pertinet fine legis taxatiua *dumtaxat*: *ideoque huiuſmodi* DVMTAXAT *cauſas, Epiſcopi ſub teſtificatione multorum actis audire debebunt.* Quomodo pariter in *l.* 7. *Cod de Epiſc. aud. in ciuili* DVNTAXAT NEGOTIO. Quomodo & Ambroſius loquitur, *lib.* 2. *offic. cap.* 24. in negotio DVMTAXAT pecuniario. Non igitur de eo genere, quæ actione criminali ab ordinariis extraordinariiſque Iudicibus vel Inluſtribus poteſtatibus audienda ſunt, vt fermè loquitur *d. l.* 23. *ſupr.* quæ ad vſum publici iuris pertinent & legibus audiri oportet, vt ait eiuſdem Honorij *lex* 1. *infr. de religione*, quæ aliunde incidunt, & ad Chri-

stianam sanctitatem non pertinent, seu ad causas Ecclesiasticas, vt dicitur *l.3. infr. de Episcop. iudic.* Secundò causa legis huius ferendæ id ipsum satis indicare videtur. Nempe cum occultis insidiis apud populum, delationibus, accusationibus, &, sic vt dicam, diffamationibus, nullis probationibus aut documentis, nonnulli etiam sublimis honoris viri, id est, Illustres, Episcopis & Clericis minus fauentes & proculdubio alios suffectos cupientes, verecundiæ Episcoporum seu Clericorum & famæ insidiarentur, atque innocentiam eorum appeterent, sic vt sublimibus iam viris id apud populum agentibus, ab Ecclesia remouerentur, hâc constitutione huic malo & iniuriæ occurrendum Honorius credidit: ita vt, si quis exauctorandus esset, id solemni Episcoporum & Synodi Prouinciæ & diœceseos (id enim est, quod sine legis indicatur) cognitione fieret, non alibi: Aliter deposito, iniuriarum actionem cumpetituram. Vnde liquet hac lege inordinatam accusationem & iniuriosam abdicationem, iustæ accusationi & abdicationi opponi. Inordinata nempe & iniuriosa, quæ non fit Episcopali cognitione, sed alicuius fortè gratiâ & populari commotione: Ordinata, quæ fit sub testificatione multorum & actis Ecclesiasticis, post probationes & documenta. Et sanè, horum temporum historiam repetenti mihi id omninò videtur, latam hanc legem ab Honorio eius occasione, quod Prosper, *in Chronico* memorat, his ipsis Coss. Honorio IX. & Theodosio V. *Eodem tempore Heros vir sanctus & B. Martini discipulus, quum Arelatensi oppido EPISCOPVS præsideret, A POPVLO einsdem ciuitatis INSONS & nullis INSIMVLATIONIBVS noxius PVLSVS est, inque eius locum Patroclus ordinatur, amicus & familiaris Constantij MAGISTRI MILITVM, cuius per ipsum gratia quærebatur: eáque res inter Episcopos regionis illius magnarum discordiarum materia fuit.* Omnia hîc egregiè conueniunt. Agitur scilicet apud Prosperum de Episcopo pulso, pariter vt hac lege de pellendo: Agitur de insonte & nullis insimulationibus obnoxio Episcopo, per iniuriam abdicato: Agitur de sublimis honoris viro (puta Constantio Magistro militum) pariter vt hac lege: Agitur de discordiis inter Episcopos regionis; hac lege concordiæ & testificationi multorum consulitur; denique Coss. omnino congruunt. Quod si ita est, vt omnino est, iam dicendum fuerit, *Melitium*, cui hæc lex inscribitur, hoc tempore Præfectum Prætorio Galliarum fuisse, cum & alioquin liqueat alterum in Occidente Præfectum Prætorio Seleucum hoc tempore Præfectum Prætorio Italiæ fuisse; quod docet *l.31. supr. de annonâ l.52. supr. de hæretic. l.35. supr. de nauicular.* & post eum mox Ioannes. Tandem neque præfatio suppositititiæ constitutionis, cui hæc inserta, quámque edidit ex Cod. Lugdun. & Anic. in Append. Cod. Theod. Ann. 15. huic interpretationi refragatur. Ergo de delictis Ecclesiasticis & leuibus aliis delictis accipienda hæc lex; vel si generaliter ea accipienda, tum noua ea fuerit & aduersus IVS COMMVNE, de quo ad *d.l. qui mos est 23. supr.* vid. & Milletotum *d.p.* 132.

¶ Porrò quod ex hac lege colligunt viri clarissimi ad *l.2. & 18. π. de iure fisci*, infames ab accusatione remoueri, ex his verbis elegantissimis, *Vt damno puderis, existimationis dispendio, discant sibi alienæ verecundiæ insidiari saltim de cætero non licere*, ioculare est. Id enim sibi vult Honorius hisce verbis, quod impunè hactenus factum à multis, vt alienæ verecundiæ insidiarentur, id in posterum non impunè facturos, infamiâ enim notandos. Iidem pariter *lib.56.* Pauli ad Edictum ad *l.18. supr. t. §. de iniur.* ex *hâc leg.* malè colligunt, sordidiores viliorésque personas & iudicio publico damnatas, infamatas, iniuriarum actionem non habere, pateréque omnium iniuriis & contumeliis; ex his verbis, *vt contempti post hæc, & misera humilitatis inclinati despectu, iniuriarum non habeant, actionem.* Sententia enim Honorij de Episcopis & Clericis appetitis hæc est. Quemadmodum inordinatâ vel iniustâ accusatione appetitâ innocentiâ iniuriarum actio pro vltione moderatâ aduersus delatores seu calumniosos accusatores competit: ita retrò, quod similis videri debet iustitiæ, (vt *hâc leg.* dicitur) iustâ accusatione pulsatis, cognitioneque abdicatis, nullam competere.

¶ *De* PARABOLANIS *Alexandriæ Theodosij iun. constitutio.*

XLII. * Idem AA. Monaxio" PF. P.



QVIA inter cetera Alexandrinæ Legationis" inutilia; hoc etiam decretis" scribtum est, *Vt Reuerentissimus Episcopus" de Alexandrinâ ciuitate aliquos" non exire* (quod quidem terrore eorum, qui *Parabalani* nuncupantur Legationi insertum est,) Placet * nostræ clementiæ, Vt nihil commune Clerici cum publicis actibus, vel ad Curiam pertinentibus," habeant. ¶ Præterea eos" qui *Parabalani* vocantur, non plus quàm quingentos esse præcipimus. Ita vt, non diuites, & qui hunc locum rediman," sed pauperes, à Corporatis," pro ratâ Alexandrini populi, præbeantur: Eorum nominibus Viro spectabili PF. Augustali videlicet intimatis, & per eum ad Vestram" Magnitudinem referentes. ¶ Quibus neque ad quodlibet publicum Spectaculum, neque ad Curiæ locum, neque ad Iudicium accedendi licentiam permittimus: nisi fortè singuli, ob causas proprias & necessitates, Iudicem adierint, aliquem lite pulsantes, vel ab alio ipsi pulsari: vel in communi" totius corporis causa Syndico" ordinato: Sub ea definitione, vt si quis eorum hæc violauerit, & breuibus" Parabalani" eximatur, & competenti supplicio subiugetur: nec vmquam ad eandem sollicitudinem reuertatur. ¶ Loco" autem mortuorum Viro Spectabili PF. Augustali subrogandi dedimus potestatem: sub ea condicione, quæ superiùs designatur. Dat. III. Kal." Octobr. Constp. Theod. A. VII. & Palladio COSS. [416.]

NOTÆ.

NOTÆ.

* Abest initium huius legis à *Cod Iust.* velut historicum. Memorat eam Baronius, déque ea agit *Ann 416. num.38.39.* Iungenda autem ei *lex 15. supr. de Legatis.* Huius legis meminit ipse Theodosius Iun. septimodecimo post mense, *l.prox 43* Eámque in nonnullis abrogat, in aliis veró confirmat.

In Cod. Iust *Maximo*, malè: de hoc *Monaxio PP.* sub Theodosio Iun. ab Anno 414. ad 420. v. *Prosopog.* Eidem inscribitur *lex prox* quâ hæc partim infirmatur, partim confirmatur.

de hâc Legatione *d.l.15. supr. de Legatis.*

Decreta, legationum: de quibus *supr. tit. de Legatis & decretis, legat.*

Cyrillus tunc is erat, iam inde ab Anno D.412. ad Annum 444. quo demum is obiit.

Hunc locum mox restituo.

* *Lex placet 17. Cod de Episcopis*, hinc desumpta est.

actionibus, in nonnullis *Cod Iust* male: vnde colligunt Clericos non posse esse Aduocatos aut Procuratores: de hâc voce *actionum* v quæ ad *l 2. supr. de his qui condit. propr.*

Cuius corpori non sunt annexi, additum Cod. Iust.

Praeterea hi, qui Parabolani vocantur, neque ad quodlibet spectaculum, &c. ita Cod. Iust. rescissis intermediis omnibus, propter *l.43. supr.*

vide & *d.l.13. supr de Legatis.*

Corporatorum horum Alexandrinorum fit rursum mentio in alterâ Theodosij Iunioris constitutione, putà *l 2. supr. de Alexandr. pleb primatibus*. vbi dixi.

Præfecti Prætorio.

Ita quoque in MSS. nonnullis Codicis Iust. at vulgò editi malè, *in communes causas.*

ferri potest: nisi malis, *Syndici ordinato.*

Breues, id est, matricula: vide *Glossar.*

Parabolanis, Cod. Iust.

Rescissa sequentia a Cod. Iust. propter *l.43. sequ.*

III. Non. in *d.l.15. supr. de Legatis.*

COMMENTARIVS.

De Parabolanis potissimùm Alexandrinis est hæc & sequens Constitutio, Theodosij Iunioris, vbi varia admodum de his ab eo constituuntur. Huic verò constitutioni occasionem præbuit Legatio Curiæ Alexandrinæ, vt præter hanc legem docet insuper *lex 15. supr. de Legatis & decret legationum*, quæ huic iungenda est. Nempe ad Imp. legatio decreta & missa est hoc tempore aduersus Parabolanos, quòd ij iam Alexandriæ terribiles & timendi forent, publicísque actibus & ad Curiam pertinentibus sese miscerent, denique seditionum faculæ seu turbarum concitatores essent.

§ Prius videndum, quodnam *Parabolanorum* institutum istorum, & vndenam dicti fuerint. Sanè Clericorum eos numero fuisse, tum huius legis principium, tum vtraque hæc lex & sequens, sub hoc titulo collectæ, ostendunt. Item *sollicitudinis* alicuius nomen id fuisse testatur hic ipsa lex, verb. *sub ea definitione*. Et nominatim verò Parabolanos quidem ad curanda debilium ægra corpora deputatos fuisse, eandémque experientiam gessisse testatur *d.l.43. infr. prox.* Dicti autem *Parabolani*, vt Cod. Iust. editum, nempe à παράβολος *Parabolani*, vel *Parabalani*, vt *hâc leg. & d. lege sequ.43.* nempe quod ægris curandis *sollicitudinem*, (quâ voce hæc lex vtitur, vt dixi) & operam nauantes, haud sine *periculo*, ac maximè, si quæ lues aut contagio, inter ægrotos versarentur, ac proinde Clerici medicinam exercentes neglecto omni *periculo*, suæque salutis immemores. Nam & sic bestiarios, qui cum bestiis depugnabant, propter desperatam audaciam & animæ prodigalitatem, παραβόλους dictos notum est, vel ex Socrate *lib.7. cap.22.* Glossæ, *Pontifices*, παράβολοι. Hesychius παραβαλλόμενος, ἐπικινδυνεύων, ὅθεν παράβολοι μάχιμοι Item παραβάλλεσθαι, idem quod παρακινδυνεύειν apud Pollucem, *l.3. cap.28.* παραβαλλόμενος ἐν θανάτῳ, Maximus Tyrius *dissert.11.* Suidas παραβάλλεσθαι, εἰς κίνδυνον ῥίπτειν ἑαυτόν. Inde est, παράβολον pecunia, quæ deponebatur in iudicio ab vtroque litigantium, quòd incertum esset vtrius periculo fieret, v. Phrynicum. Sed & Firmicus *lib.8. Mathes. parabolarios* dixit. *Audaces*; pari sensu Claudianus, *in Manlij consulatum.* Inde Apostolus, a *Philipp. vltim.* διὰ τὸ ἔργον τοῦ Χριστοῦ μέχρι θανάτου ἤγγισε παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ, vbi vetustissimus etiam interpres, qui apud clarissimos mihíque coniunctissimos Fratres Puteanos optimæ notæ, *parabolatus de anima suâ*, vertit: & malè qui in παραβουλευσάμενος id vertunt. Et rursum παραβολευσάμενος, ad locum Pauli respiciens, εἰς θάνατον ἑαυτὸν ἐκδούς: sed ibi restituendum, παραβολευσάμενος: in veteri Glossario, *desperatus*, παράβολος: Item παράβολον, παράδοξον. Denique παραβολεύεσθαι, idem est quod ῥιψοκινδυνεύειν: Glossæ Philoxeni, παραβολεύεσθαι, *periculum facere.* Valeant itaque iam Accursij nugæ, asserentis medicos contemptim *Parabolanos* vocari solitos, eo quòd multas haberent parabolas, quodque vt quisque loquacior est, ita & doctior medicus vulgi sententia & opinione existimetur: Imò valeant etiam Alciati deducentis à voce παρὰ & βῶλος, quasi *gleba adscriptos*, dicas.

De his igitur hâc cõstitutione a Theodosio Iun. sequentia septem constituuntur; velut remedia, mediáque reprimendis, eorum deinceps conatibus, & ausis, per quæ ad abrupta & tumultus sæpè progrediebantur, terrorémque, quod *hâc leg.* dicitur, incutiebant, spreto seu repudiato eo remedio, quod Alexandrini per Legatos petierant, & proposuerant, vt videlicet Episcopus Alexãdrinus *aliquò non exiret* (ita enim hic locus legendus est) *de Alexandrina ciuitate.* Nempe, continendos in quiete hac ratione, putà præsentiâ Episcopi Alexandrini, Parabolanos crediderant Alexandrini: verùm id Theodosio tanquam *inutile* displicuit: Inutile, inquam, siue quia id haud satis efficax hanc ad rem visum: siue quia iniquum visum, Episcopum Alexandrinum ideò vetari ne Vrbe Alexandrina prodiret. Qui quidem hoc tempore Cyrillus erat, iam inde, ab Anno D.412. ad Annum vsque 444. quo demum is obiit. § Primum igitur, Theodosius Iun. Parabolanos vetat sese miscere *Publicis actibus*, vt & Clericos in commune. Nempe eò audaciæ iam processerant illi, vt publicos actus, & Curiales interuentu suo turbarent, & quò vellent etiam verterent; *terrore* iniecto, atque ad nutum eorum fierent pleraque publicè in Curiâ Alexandrina & in plebe (de qua Alexandrinâ Curiâ: vide & *l.189.190.191.192. supr. de Decurion. l.19 supr. de Petitionib. d. l.15. supr. de Legatis.* Eodémque pertinet & *lex* 80. 412. 126. *d.tit. de Decurionibus:*

de plebe Alexandrinâ vide titulum *supr. de Alexandr. pleb. primatibus.*) Quare locum hunc malè arctant Interpretes ad aduocationis & procurationis munus, quasi eo nomine his Parabolanis *hâc leg.* interdicatur. Sic fanè & in Concilio Chalcedonensi, vbi Parabolanorum tumultus memoratur. Primum igitur hoc remedium placuit Theodosio Iun. continendis in quiete Parabolanis. ¶ Secundò, eodem semper fine *Numerum* Parabolanorum arctandum credidit Theodosius Iunior, ad 500. velut ita faciliùs iam in quiete continendos. Verùm ad 600. mox numerus auctus *l. prox.* vti dicam, vbi omittere intereà non possum, quingentos pariter Monachos in hoc omnium Monasteriis egressos memorari à Socrate *lib. 7. cap. 13.* ¶ Tertiò *Statum* eligendorum Parabolanorum iam definit; quo obseruato, nullo posteà negotio in quiete continerentur. Igitur non diuites, veluti Honoratos & Curiales, vt *l. prox.* exprimitur, quique hunc locum redemerint (cui simile quid extat in *l. 15. supr. de Legatis*, quæ huic iungenda est) verùm pauperes eligi vult. Nempe faciliùs pauperes in officio continueris, quàm factionibus opibusve præualentes. ¶ Quartò *Electioni hanc formam* præstituit; pura vt ij ipsi à Corporatis pro rata populi Alexandrini præbeantur (de quibus *Corporatis* actum *l. vnic. supr. de Alexand. pleb. primatibus,*) scilicet, vt ita modestia apud Plebem noti & virtutibus commendati eligantur, quique ipsam plebem posteà turbaturi non sint. ¶ Quintò, *Nomina* eorum Præfecto Augustali & per eum Præfecto Prætorio, intimati iubet: & sic ab his confirmari, quasi hâc ratione non turbidi, sed quieti eligerentur. Verùm hæc duo postrema mox abrogata fuêre *l. prox. 43.* translata huius Electionis potestate in Episcopum Alexandrinum. ¶ Sextò, remedio *Vitam & mores* Parabolanorum componit *hâc leg.* Theodosius Iun. duobus constitutis, quæ & ipsa rursum firmantur *l. prox.* scilicet à *Spectaculis* eos procul abesse iubet; nempe quia hæc seditionibus, si quid aliud, & quidem in Vrbe seditiosa, Alexandriâ puta, obnoxia màximè sunt; & quidem de proximi téporis experiméto, quod huic etiam legi occasionem præbuit, mox vt ostendam. Item *Curiâ & Iudiciis*, eos arcet, sub pœnâ triplici: Iudiciis duobus tantum casibus iis interesse permissis: putà si vt priuati & singuli litigantes pro se iudiciis subsistant, vel vt Syndici totius corporis nomine. Id enim hactenus prohibendum fuit, ne per turbam & velut vim intentatam admitterentur: at singulis iudicio experientibus, vel totius corporis causam agentibus (id enim *Syndicorum* munus est, de quo alibi,) & sic iura implorantibus, iudicia præcludi iniquissimum fuisset. ¶ Septimò *Subrogandi* quoque Parabolanos in locum mortuorum Præfecto Augustali potestatem hac lege tribuit Theodosius. Verùm & hanc subrogandi potestatem, pariter vt eligendi, mox in Episcopum Alexandrinum transtulit *l. prox. 43.* ¶ Ex his iam patet omnibus, continendis in quiete Parabolanis hoc tempore satiùs visum Theodosio Iuniori, eos *dispositioni* Episcopi Alexandrini subduci. Et sanè, quod rectè Baronius monuit, omninò his constituendis occasionem præbuêre tumultus, qui hoc tempore Alexandriæ oborti fuerant, quos- que prolixè memorat Socrates, *lib. 7. cap. 13. 14. 15.* Inter Cyrillum videlicet Episcopum Alexandrinum, & Monachos ab vnâ parte, & Orestem Præfectum Augustalem, & Iudæos ab alterâ, *spectaculorum* occasione, adeò vt hoc tempore Cyrillus, conflatâ inimicitiâ Præfecti Augustalis, inuidiâ aliquâ laborasse apud Imperatorem, huius quoque legis argumento, comprobetur, quod & alioquin Socrates disertè testatur: Quantumuis & ipse querelas suas contrarias ad Imperatorem per literas pertulisset; *Inuidiâ*, inquam, quasi & *δυνασείας τῆς ἐπισκόπου*, & ipse cum detrimento *ciuilis potestatis*, in immensum auctoritatem iret, atque in *δυνασεία*, seu *πολιτείας* Præfecti Augustalis nimio plus inquireret, *ἐπιβαίνειν ἐβούλετο*, *vouloit controller*: turbatúmque adeò quæ exinde natæ, fautor fuisset, immissis Clericis, Monachisque in Iudæos, ipsúmque adeò Præfectum Augustalem, & Hypatiam. Huius inquam quoque legis argumento id discimus vel coniicimus: Quandoquidem Parabolanorum electionem, subrogationem atque dispositionem & curam omnem, Theodosius Iunior, non iam Episcopo Alexandrino, verùm Præfecto Alexandrino *hâc lege* committendam putat. Quam septemdecim mensibus post, Anno 418. *l. prox. sequ.* mutatâ hâc parte sententiâ, & sic Cyrillo in gratiam Imperatoris iam rursum recepto & restituto, Episcopo Alexandrino commisit.

¶ Porrò, præter huius legis argumentum, tumultus illos, de quibus agit Socrates, *his COSS.* Anno 416. contigisse liquet etiam ex eo, quod idem Socrates ait, *quarto anno* Episcopatus Cyrilli, mensèque Martio, hæc contigisse; & quia Anno 412. 12. Kal. Nouemb. creatum Cyrillum, idem *lib. 7. cap. 7.* testatur: & sic mensis Martius quarti anni Sedis Cyrilli, omninò conuenit his Coss. Anno 416. Quare, quod Socrates ipse *decimum Honorij consulatum*, id est, Anno D. 415. & Theodosij *δεύτερον*, vel vt Christophorsonus habet *ἕβδομον septimum*, adsignauit, erroneum est. Nam neque par consulum hoc rectum est: neque enim *septimus consulatus Theodosij*, cum Honorij 10 congruit; verùm *Sextus*. Assignandus igitur illi tumultui Consulatus *Theodosij 7. & Pallady* 1. id est, Ann. D. 416. nisi iam superiore Anno 415. cum cœpisse putemus.

¶ Est igitur hæc lex, velut singularis admodum, notanda: vtpote quâ continentur remedia mediaque septem, quæ aliò quoque prò rerum vsu rectè traduci possunt, quibus quorundam corporum, pietatis speciem præ se ferentium seditioni, tumultui, terrori occurri posse videtur. Nempe 1. Vetitis iis, publicis sese actibus miscere, 2. Numero eorum coarctato, 3. Diuitibus eligi prohibitis, 4. Ab ipsismet ciuibus deligi iussis, 5. A supremis Magistratibus confirmari, 6. A spectaculis Iudiciisque prohiberi, 7. Subrogari denique ab eodem Magistratu. Nempe in officio & quiete facilè hæc corpora continueris, si alienis & sæcularibus actibus sese non immisceant; si numero aut opibus non insolescant; si apud plebem gratiosi & commendati eligantur: si à Magistratu pendêre se norint: si locis seditionibus obnoxiis & Iudiciis destinaris arceantur: si denique corpora eorum à Magistratibus repleantur: Ad summam, si non Ecclesiasticæ alicuius personæ summæ, auctoritate & patrocinio tutos sese putent, verùm legibus & Iurisdictioni sæculari suppositos sese norint. Quod omne in argumento *Exceptionum Ecclesiasticarum* sæpè dici possit atque vsurpari. Verùm noonulla hac parte mox mutata *l. prox.*

¶ De

¶ *De* Parabolanis *altera eiusdem Theodosij Iun. constitutio: quâ priori in nonnullis derogatur.*

XLIII. * Idem AA. Monaxio PF. P."



ARABALANI (qui ad curanda debilium ægra corpora deputantur,) quingentos" esse ante * præcepimus: Sed quia hos minùs sufficere in præsenti cognouimus, pro quingentis sexcentos constitui præcipimus: Ita vt pro" arbitrio Viri Reuerentissimi Antistitis Alexandrinæ Vrbis de his qui antè" fuerant, & qui pro consuetudine curandi gerunt experientiam, sexcenti Parabalani ad huiusmodi sollicitudinem eligantur (exceptis videlicet Honoratis" & Curialibus.) Si qui" autem ex his naturali sorte fuerit absumptus, alter in eius locum pro voluntate eiusdem Sacerdotis," (exceptis Honoratis, & Curialibus) subrogetur. Ita vt hi sexcenti, Viri Reuerentissimi Sacerdotis præceptis, ac dispositionibus obsecundent, & sub eius cura consistant: Reliquis, quæ dudum" latæ legis forma complectitur, super hisdem" Parabalanis, vel *de Spectaculis*, vel *de Iudiciis*, *ceterisque* sicut iam statutum est, custodiendis. Dat. III. Non. Febr. Constantinop. Honor. XII. & Theod. VIII." AA. CONS. [418.[

NOTÆ.

* *Lex 17. Cod Iust. de Episcopis & Clericis.*
"*Monaxio* huic PP. inscribitur quoque *lex super.*
"Ita quoque *l. super 9.* bis tursum: verùm scribendum *Parabolani*, vt *ad legem super.* ostensum: peius adhuc alij *Parabalani*
"Hæc, vsque ad *Sexcentos*, omissa Cod. Iust. velut antiquati iam iuris.
"Fine Anni 415. *l. super 42.*
"*Per arbitrium* Cod. Iust. Istud.
"*antea* Cod. Iustin.
"de *Honoratis* plenè *l. vnic. de offic. ciuil. Iud.* melius vt infrà, *pro voluntate.*
"*gnis*, Cod. Iust.
"*Sacerdotis*, id est, Episcopi, Antistitis: vid. *Paratitlon.*
"*dudum*, id est, ante septemdecim menses: de huius vocis vi & intellectu vario dixi ad *l. celebrandis.*
"*his* Cod. Iustin.
"*X.* Cod. Iustin. malè.

COMMENTARIVS.

DE PARABOLANIS lex superior, hâc posteriore, septimo decimo post illam mense ad eundem Monaxium PP. emissâ, partim emendatur, partim confirmatur ab eodem Theodosio Iuniore. Emendatur, inquam, neque vno capite. Primùm enim *Numerus* eorum paulo ampliatur: nempe 600. iam constitui præcipiuntur, eò quod 500. minùs sufficere re compertum fuisset. Quem quoque sexcentorum Parabolanorum numerum memorari videmus in Concilio Chalcedonensi, *actione 1. p.* 117. vbi de Basilio Seleuciæ, & de Barsuma. Secundò *Eligendorum*, subrogandorum Parabolanorũ ius & potestatem omnem, quam superiore cõstitutione Corporatis Præfectóque Augustali seu Alexandrino & Præfecto Prætorio tribuerat, Episcopo Alexandrino Theodosius Iunior *hâc leg.* nunc tribuit; denique eos Episcopi dispositioni & curæ omninò subiicit. Vnde liquet Cyrillo iam fauentiorem Theodosium Principem factum, qui alieniore paulò ante animo videbatur; & sic Cyrilli partes iam Alexandriæ superiores extitisse, cum antea Præfecti Augustalis præualuissent.

¶ Cæterùm & illud *hâc leg.* definitur, vnde eligendorum Parabolanorum ius Episcopo Alexandrino sit? Pura, vel ex his, qui ante fuerant, vel ex his qui pro consuetudine curandi gerunt experientiam; exceptis Honoratis & Curialibus. Superiore scilicet lege Parabolanos à Corporatis pro curâ populi Alexandrini præberi Theodosius Iun. iusserat: at nunc eligi eos vult ab Episcopo, siue ex eorum numero, qui iam ante fuerant Parabolani, verùm à Præfecto Alexandrino expuncti, siue aliunde, ex quocunque tandem corpore generéque hominum, dummodo curandi gererent experientiam & consuetudinem. Quod vtique facilè fuit in Vrbe Alexandrina, medicinæ studiosissima: de quo vide insignem Ammiani Marcellini locum *lib...* Duo tantùm corpora excipiuntur, è quibus Parabolanos eligi vetat, Honoratorum videlicet & Curialium. Id quod ipsum indicauerat Imperator *l. prox. supr.* qui diuites, quique hunc locum redimerent, eligi noluit. Nempe & hi facilè metuendi, vtpore dignitatibus subnixi, & in ciuitatibus suis eminentes, & diuites, plenè vt ostendi ad *l. vnic. supr. de offic. Iudicum ciuil.* vbi de his plenè dixi & ad *tit. de Decurion.*

Et his quidem tribus lex superior *hâc leg.* nunc reuocatur, & immutatur: atenim reliqua superioris legis capita confirmantur: nempe quæ ad perpetui iuris formam pertinent: non vt superiora, quæ temporaria Præfecti Augustalis gratia emeruerat: & temporaria Episcopi Alexandrini offensio extorserat: Cuiusmodi duo hîc memorantur capita *de Spectaculis* & *de Iudiciis*: puta, vt ne Parabolani his sese misceant: de quo ad *eam leg.*

¶ *De* EXTRANEARUM *mulierum consortio Ecclesiasticis interdicto: quasnam contra* FOEMINAS *sibi adsciscere illi possint.*

XLIV. * Idem AA. Palladio PF. P."

EVM qui probabilem" sæculo disciplinam agit, decolorari" consortio *Sororis* appellationis non decet. Quicumque igitur, cuiuscumque gradus Sacerdotio fulciuntur," vel Clericatus honore censentur, Extranearum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant: Hæc eis tantùm facultate concessâ, vt matres, filias, adque" germanas, intra domorum suarum septa contineant: In his enim nihil sæui" criminis æstimari" fœdus naturale permittit. ¶ Illas etiam non relinqui castitatis hortatur adfectio, quæ ante Sacerdotium maritorum legitimum meruêre coniugium: Neque enim Clericis incompetenter adiunctæ" sunt, quæ dignos Sacerdotio viros sui conuersatione fecerunt. Dat. VIII. Id. Maij," Rau. DN. Theod. A. IX. & Constantio" VC. CONS. [410.]

INTERPRETATIO. *Quicunque Clericatus officio vtuntur, extranearum mulierum familiaritatem habere prohibentur, matrum, † sororum, vel filiarum sibi solatia intra domum suam nouerint tantum esse concessa: quia nihil turpe in talibus personis fieri vel cogitari lex natura permittit. Illæ verò" mulieres sunt in solatio retinenda, quæ in coniugio fuerint ante officium Clericatus.*

NOTÆ.

* *Lex* 19 *Cod. Iust. eod. tit.* Translata quoque *hæc lex* in leges Bajoariorum *tit.* 1. Meminit eius Baronius *Anno* 240. *num* 51. Iungendàque huic *lex vltim. supr. de raptu vel matrimonio Sanctimonialium.* Tandem inserta hæc lex constitutioni, quam sub Honorij ad Palladium Præfectum Prætorio nomine ex *Cod Lugd & Ant.* edidit nuper Sirmondus *in Append Cod. Theod. num.* 10. quæ inserta quoque *d. l. vlt. supr. de raptu vel matr sanctimon.* quæ huic sanè, vt dixi, iungenda est.

"*Palladius* sub Honorio, PP. Italiæ: vide saltem *l.* 12. *supr. de indulg. debitor.* malè in Cod. Iustin. *dict. l.* 19. Præfect Vrbi.

"*Probabilis seculo disciplina* est Clericalia, Sacerdotalia professio ἀσκητικὴ πολιτεία, ἀγγελικὸς βίος, quæ sanctior vita dicitur *l.* 36 *supr.* meritum eximiæ & singularis virtutis *l* 16. *supr.* ὑψηλὴ πολιτεία & sublimius propositum: de voce probabilis v. *l* 2. *supr. de Stenicis*: vel etiam probabilis sæculo disciplina dicitur, cum *obrellandi locus secularibus* non datur, vt loquitur in argumento proximo, de quo *l.* 20. *supr.* Ambrosius 1. *offic.* 20. Probabilis, id est, qui probari potest & debet: sic probabilis gressus Ambrosio 1. *offic.* 18. probabilis liberalitas eidem *cap.* 30. probabilis vitæ meritis comperti Marcellino *lib.* 23. *p.* 265.

"Ambrosius *epist.* 4. *Noxia sunt conuersationes cum insipientibus, & inficiunt sobriam mentem atque* DECOLORANT. Frequens hoc significatu apud Symmachum & alios ea vox. Sed & nominatim pariter vt *hâc lege* in argumento coniunctionis Ambrosius *epist* 66. *& vt ætas conueniat & forma nec natura discrepet, nec* DECOLORET *diuersitas.* Plurima alia v. apud Iuretum in Symmach. *lib.* 2. *epist.* 73. Seruius quoque in 6. Æneid. *Plerumque virtus decoloratur temporis infelicitate.*

"al. *funguntur*, non ita rectè.

"deest in nonnullis.

"*Sæuum*, sic sæuitas morum *l.* 17. *supr. de Pœnis*: vide *Glossar. Theod.* in Cod. Iust. non ita bene *saui* Sæuum *n̄mis.*

"*existimari* Cod. Iust.

"*Sua*, Cod Iust.

"Mar. *d l. vltim supr. de raptu*, &c. al. *VIII. Kal. Mar. Non.* in Aniano optimæ notæ.

"III. quod & Aniani optimæ notæ habet, & Codex Antecensis: & verùm est in *d. l. vlt.*

"Quam differentiam videre est & in alijs huius Codicis constitutionibus, putà *leg* 5. *supr. de legit. hæred. l.* 17. *supr. de iure fisc.*

COMMENTARIVS.

DE VITA & HONESTATE Clericorum est hæc constitutio: CASTITATI inquam Clericorum, suspectæque eorum conuersationi, qua *Castitatis* alioquin *affectionem*, (vt hæc lex loquitur) præ se ferrent, quæque adeò *probabilem* propositi genere *seculo disciplinam agunt*, Honorius Imp. Anno D. 410. consulit & occurrit hâc constitutione suâ, emissâ ad Palladium Præfectum Prætorio Italiæ: cuius duæ partes hoc Codice continentur, quarum prior hæc est, posterior verò *lex vltima supr. de raptu vel matrim. sanct.* quæque adeò huic coniungenda venit. Nempe hæc Clericorum Castitati consulit, amota omni suspectæ conuersationis suspicione: Dicta verò *lex vltima*, castitati sanctimonialium Virginum Deo dicatarum: Denique *honestati* & honori Sacerdotij consulit, vt ita, quod Hieronymus *epist. ad Nepotianum*, ait, *& Sacerdotium proposito, & propositum Sacerdotio ornetur.* Aduersus duo nomina-tim, quæ *ἐκ ἠγνίας τῆς ἱερωσύνης* admittebantur (vt Balsamo alioquin in hâc ipsâ re loquitur *in epist. Basilij ad Paregorium Presbyterum*) quæque à probabili seculo disciplina aliena videbâtur: quod primis huius legis verbis indicatur: *Eum qui probabilem seculo disciplinam agit, decolorari non decet consortio*, &c. Ac si diceret Honorius: Probabile institutum & propositum esse Clericatum, sed decolorari consortio extranearum mulierum. Addamus ex supposititiâ constitutione locata in *Append. Cod. Theod.* similia quædam. *Fama contaminat dátque sinistris rumoribus locum*, &c. *Cùm foris positos ac publico iure vinctos ad illecebram criminis trahit obscœna suspicionis exemplum.*

¶ Vetantur igitur hac lege Clerici EXTRANEAS sibi mulieres, quasi sorores, adsciscere: Clerici, inquam, cuiuscunque tandem gradus, maximi, minimi, siue in *Sacerdotio* constituti (id est Episcopi, Presbyteri, Diaconi) siue Clerici alij, nullo

nullo gradus vel honoris discrimine: *Extraneas* inquam mulieres vetantur Clerici sibi adsciscere. Nempe ex quo Cœlibatus Clericalis mos paulatim inolescere cœpit, atque hâc etiam ratione Clerici probabilem seculo disciplinam agere, séque seculo de cœlibatus seu continentiæ voto commendare instituerunt, clàm tamen atque aliâ ratione voluptates suas explere alicubi rerum experimentis visi sunt, χρυσῷ περιόντες: adscitis videlicet sibi mulieribus, sibi adiunctis, quasi sororibus, his συνοδευούσας, καὶ συνδιαιτωμένας, καὶ ἐξυπηρετουμένας ὑπὸ τῶν τοιούτων; vt de simulata alioquin Encratitarum continentia Epiphanius loquitur, *hæresi* 47. quas quidem Græci, ac nominatim Antiocheni, συνεισάκτους, vel ἐπεισάκτους, alij ἀγαπητὰς dixère, vbi nonnulli vertunt *subintroductas*. At rectè Rufinus (quod Cujacius quoque iam notauit a. *Obseru*.29.) vt & notauit vetus interpres Concilij Nicæni (quem sequitur & Fulgentius Ferrandus *cap*.112. & Isidorus Mercator) *extraneas* mulieres vertit, quomodo & *hâc lege* vocantur: & retrò Hieronymus ad Eustochium: *Fratrem extraneum* ipsum Clericum adsciscentem. Idem *epist. ad Saluinam fol*.35. *a Cum tecum sancta sit Mater, & lateri tuo amita hæreat virgo perpetua, non debes periculose externorum consortia quærere, de tuâ societate secura*. Id verò Paulo Samosatensi iam olim vitio datum, vt ostendit Epistola Episcoporum aduersus eum apud Eusebium, *lib*.7. *Historiæ Ecclesiasticæ*, *cap*.24. Cæterùm eas mulieres Clerici circumferebant, vt hæc lex docet, velut sorores, & vt eiusdem propositi, vt Hieronymus *eodem loco* scribit, & ad spirituale solatium, vel vt ministras, vel vt ἀγαπητάς, quòd docet Epiphanius *hæresi* 63. *de Origenianis num* 2. vbi agit de quodam Episcopo Palæstinæ, *de Hieracitar Hæresi* 67. *n*.8. Quod vtique magno Ecclesiæ scandalo cedebat, non sine flagitij alicuius suspicione, quamlibet *Sororiam* appellationem prætexerent, quod etiam *canon* 18. Concilij Ancyrani testatur: τὰς μέντοι συνερχομένας παρθένους τισὶν ὡς ἀδελφὰς ἐκωλύσαμεν. Quibus simile & illud Martialis conueniat *lib*. 2. *Epigr*.4.

Fratrem te vocat, & Soror vocatur,
Cur vos nomina nequiora tangunt?

Et eiusdem illud *lib*.12. *Epigr*.20.

Quare non habeat, Fabulle quæris,
Vxorem Themison, habet S O R O R E S.

Sed & illud Ouidij, *lib*.9. *fab*.7.

Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.

Vide & Hieronymum, *epist ad Oceanum*, & *epist. ad Eustochium*, loco quem mox consignabo. Itaque variis subinde canonibus & legibus ea res delegata prohibitáque. Primum quidem Concilio Ancyrano *can* 19. & Concilio Nicæno *can*.3. vbi συνείσακτοι pariter vocantur, & ad cuius præscriptum hæc lex lata est; dein & Carthaginentibus, Gallicis, Hispanicis, aliis. In cúmque morem inuecti subinde Patres: velùti Antiocheni apud Eusebium *lib*.7. *c* 24. Basilius ad *Paregorium Presbyterum epist*.198 cuius titulus: περὶ τὸ χειροτονῆσαι τῷ συνοίκῳ γυναικὶ ζῶντα (quæ etiam extat apud Balsamonem & Zonaram) Gregorius Nazianzenus *in versibus*. Hieronymus passim, maximè *ad Oceanum* & *Eustochium epist*.22. Chrysostomus duobus sermonibus hoc argumento conscriptis: vno, πρὸς τοὺς ἔχοντας παρθένους συνεισάκτους, *tomo Sauiliano* 6. *p*.214. altero περὶ τὰς ἐχούσας ἄνδρας συνεισάκτους, siue ὑπὲρ τοῦ τὰς κανονικὰς μὴ συνοικεῖν ἀνδράσι, *p*.230. Gregorius etiam Alexandrinus *in vita Chrysostomi* apud *Photium num*.96. tradit hunc morem ab ipso sublatum: παρρησίας τοὺς ἔχοντας συνεισάκτους τοῦ ἔθους ἐξέκοψε.

Et præcipuum Patrum in eo studium, vt vanos Clericorum obtentus, qui & sacrilegè diuinis scripturis abutebantur eam in rem, ostenderent. Chrysostomus in *d. sermone* πρὸς τοὺς ἔχοντας συνεισάκτους. εἰσὶ γάρ τινες οἳ, γάμου, καὶ συνουσίας χωρὶς, κόρας ἀπειρογάμους ἀγόμενοι, καθίζουσιν οἴκοι διαπαντὸς, καὶ εἰς ἔσχατον γῆρας ἑαυτοῖς συγκατακλείουσαι: οὔτι διὰ παιδοποιΐαν, οὐ γὰρ φασιν αὐτοῖς συγγίνεσθαι: οὔτι ἐξ ἀκολασίας, λέγουσι γὰρ αὐτὰς ἀκεραίους διατηρεῖν. Vides iam quo obtentu neque vno sese tueri soliti Clerici huiusmodi extraneas mulieres sibi adsciscentes: nempe & pietatis obtentu & tanquam ministras, vel tanquam *sorores* & ἀγαπητάς. Idem altero sermone: καὶ γὰρ καὶ ἀπὸ τῆς προσηγορίας αὐτῆς, εἴ τις ταῦτα ψηφίσασθαι βούλοιτο, οὐδὲ ἐντεῦθεν πάλιν αὐτὰς ἀπαλλάξαι δυνησόμεθα: ὅταν γὰρ ἢ εἰς ἀγορὰς ἐμβάλλωσιν, ἢ λόγος τις περὶ αὐτῶν γένηται, οὐχ ὡς βουλόμενοι τὴν τοῦ δεῖνος, ἢ τὴν μητέρα καλοῦσιν, οὐδὲ γὰρ αὐτὸν ἔτεκον: οὐδὲ τὴν ἀδελφὴν, οὐδὲ γὰρ αὐτὰς ἔλυσαν ὠδῖνας: οὐδὲ τὴν γαμετὴν, οὐδὲ γὰρ νόμῳ γάμου συνῳκήκασιν: οὐδὲ ἄλλο τι συγγενείας ὄνομα τῶν συγκεχωρημένων. ἀλλὰ τὸ αἰσχρὸν καὶ καταγέλαστον: οὐδὲ γὰρ ἂν ἔγωγε αἰσχυνοίμην αὐτὸ εἰπεῖν, ὅτι μισῶ καὶ τὴν προσηγορίαν αὐτὴν, καὶ ἀποστρέφομαι. Nempe impudentiam eorum sugillat qui ἀγαπητὰς vocabant, cum iam sorores, &c. vocare non possent. De quo Hieronymus quoque *ep. ad Eustochium de custodiâ virginali*. *Vnde in Ecclesiasticis Agapetarum pestis introiit? vnde sine nuptiis aliud nomen vxorum? Imo vnde nouum concubinarum genus? Plus inferam. Vnde meretrices vniuiræ? Eâdem domo, vno cubiculo, sæpè vno tenentur & lectulo. Et suspiciosos nos vocant, si aliquid existimemus. Frater* S O R O R E M *Virginem deserit: cœlibem spernit Virgo germanum, fratrem quærit* EXTRANEVM *& cum in eodem proposito esse se simulent, quærunt aliorum spirituale solatium, vt domi habeant carnale commercium*. Imò Epiphanius *hæresi* 78. ostendit, vnde impurissimi homines ex Scriptura συνεισάκτους vel ἀγαπητὰς probare nitebantur. Gregorij Nazianzeni tandem de his hoc iudicium.

Τοὺς δὲ συνεισάκτους ὡς ἐμὸν φάσκων ἅπαντας
    Οὐκ οἶδ' εἴτε γάμους δαίσομεν εἴτ' ἀγάμους.
Θέσομεν εἴτε μίσους; φυλαξόμεθα, οὐ γὰρ ἔγωγε
    Καὶ μελέτη τι κακοῖς πρᾶγμα ἐπαινέσομαι

Item:

Κρείσσον' ἄρ τ' ἀλόχοις, συνείσακτοι δὲ μάλιστα.

Neque suis etiam partibus Imperatores defuêre, Canones, & Nicænum nominatim, (de quo suprà) hac in re secuti, malóque gliscenti quantum in se obuiam iuêre: puta Honorius hac constitutione, quæ omninò ad præscriptum Canonis Nicæni facta est, & Iustinianus *Nouella* 123. *cap*.29. & *Nouell*.137. *cap*.1. vbi ipsum Nicænum Canonem citat, pariter vt Basilius, *epist. ad Paregorium*. Hîc interim notandus error eorum qui ἀγαπητὰς à συνεισάκτοις, ita distinguunt, quasi συνεισάκτων appellatio generalis fuerit, easque omnes significaret quæ easdem ædes cum Clericis simul colerent; siue virgines essent, siue viduæ, siue sacratæ, siue liberæ & purè sæculares: ἀγαπηταὶ verò speciatim dicerentur Virgines sacræ, quæ cum eiusdem propositi Religiosis sub eodem tecto ætatem degebant, idque argumento Chrysostomi; qui, inquiunt illi, duos libros separatim scripsit; quorum alterum inscripsit, περὶ τοῦ μὴ τὰς κανονικὰς συνοικεῖν ἀνδράσιν: alterum autem, πρὸς τοὺς συνεισάκτους ἔχοντας. Quæ sanè distinctio inanis est, solo enim nomine inter se differebant, non verò tanquam genus & species: nempe sorores modo vocabantur, modo ἀγαπηταὶ, omnes verò συνείσακτοι. Id quod etiam duo illi Chrysostomi sermones clarè ostendunt, quorum prior, vt dixi, est πρὸς τοὺς ἔχοντας παρθένους συνεισάκτους: alter dupliei titulo, πρὸς τὰς ἐχούσας

ἄνδρας

ἄνδρας συνεισάκτους : ſiue *ὑπὲρ τῶν τὰς κανονικὰς μὴ συνεισακτῶν ἀνδρῶν*. Sed & Hieronymus generaliter in *Eccleſiaſticis Agapetarum* peſtem vocat : mox ſubiicit, *Frater ſororem Virginem deſerit, cœlibem ſpernit virgo germanum, fratrem quærit extraneum.* Vbi vides eandem vocari *Agapetum* & *ſororem* indicari : eundem Agapetum & fratrem extraneum i. *συνεισάκτον* : quomodo & Epiphanius promiſcuè *ἀγαπητάς, συνεισάκτους γυναῖκας* vocat.

¶ Et duæ tamen exceptiones quoad mulierum conſortium *hâc leg.* adduntur. Prior *Exceptio*, quæ & ipſa prædicto Canone Nicæno continetur, & hîc adhibetur expreſsâ verbis legis, canonis ſententiâ: Nempe propinquas Clerici ſibi adſciſcere permittuntur puta matres, filias, germanas, Canon Nicænus ita habet : *ἀπηγόρευσε καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος μήτε Ἐπισκόπῳ, μήτε Πρεσβυτέρῳ, μήτε Διακόνῳ, μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεῖναι συνείσακτον γυναῖκα ἔχειν· πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἢ ἀδελφὴν ἢ θείαν, ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγεν.* Vbi vides amitam vel materteram præterea excipi. Sed & ratio vtrobique eadem, nempe quod vinculum naturale, ſeu vt loquitur Hieronymus, *huiuſcemodi conſanguinitatis caſtimoniaque perſonæ* omnem adulterij ſuſpicionem reſpuât. Cui proximum eſt, quod Theodoſius Magnus, Honorij pater, dicebat *l.8. ſupr. de adulteriis, obtentu proximitatis, & per commorationem neceſſitudinis fidem crimini derogari.* Tertullianus diceret, *lib.1. ad nationes cap.2. Honorantes naturam fidem talium criminum temperare.* De quâ præſumptione videndi ſunt, qui *de præſumptionibus & probationibus* ex profeſſo ſcripſerunt, & in his Alciatus, Maſcardus & Menochius. Eodem pertinet etiam iſtud Hieronymi præceptū inter alia, de vita Clericorum, ad Nepotianum fol.7. l. D. *Hoſpitiolum tuum aut raro aut nunquam mulierum pedes terant*, &c. *Ægrotanti tibi quilibet ſanctus frater aſſiſtat, vel germana, vel mater, aut probata qualibet apud omnes fidei. Quod ſi huiuſmodi non fuerint conſanguinitatis caſtimoniaque perſonæ, multas anus nutrit Eccleſia, quæ id officium præbeant*, &c. Idémque Monachis inculcat ad Paulinum Monachum, fol.10. D. & 21. A.

Altera Exceptio, de quâ nihil in *d. Canone Nicæno*: ſed cui concinit Canon *Apoſtol.6.* & Leo *ad Ruſtic. in decretis c.17.* & apud Gratianum : nempe Clericos poſſe ſibi retinere, adiunctas habere *Coniuges*, quas ante Clericatum legitimo matrimonio fœderéque habuerunt : Neque enim hæ extraneæ ſunt, neque cum his commune quicquam habet ſuperior prohibitio de extraneis mulieribus non adſciſcendis : quod, vt hæc lex apertiſſimè teſtatur, ita Paphnutij quoque Hiſtoria, de qua mox, collata cum *dicto Can.3. Nicæno* pariter edocet. Quare falluntur, qui ad coniuges à maritis ad Sacerdotium promotis diuellendas, auctoritatem *Canonis Nicæni 3.* de quo ſuprà, aduocant, qui non eſt niſi de EXTRANEIS, vt & Epiſtolam Baſilij ad *Paregorium* 198. quæ pariter non eſt niſi *περὶ συνεισάκτων*. Quin & hæc ratio hâc lege adiicitur : *Neque enim Clericis incompetenter adiunctæ ſunt, quæ dignos Sacerdotio viros ſui conuerſatione fecerunt* ; ac ſi diceret : Iure eam coniugem in Sacerdotio retineri, cuius conuerſatio non impediuit, quo minus maritus Sacerdotio dignus videretur : & vt paulo ante dixit, *caſtitatis affectio illas hortatur non relinqui* : ac ſi diceret: coniugio nequicquam impediente in ipſo Clericatu caſtitatis affectionem, qui coniugatus votum Clericatus ſuſcepit ; & ſic caſtitatis affectionem ſeruaturus retenta vxore iure præſumitur. Itaque ridiculum eſt, quod nonnullis in mentem venit, pro *conuerſatione* in hâc lege ſubſtituere *conuerſione*, quæ alibi rectè ſtat : *conuerſio* enim & conuerſi iam olim dicti qui à coniugio ad cœlibatum tranſibant : quam etiam vocem apud Fulgentium Ferrandum in *breuicul. p.112.* reponendam quidam monent : & in veteribus collectionibus Decretalium legi monuit Antonius Auguſtinus, non tantùm aduerſus omnium Codicum & editionum fidem, & aduerſus vtriuſque Codicis auctoritatem, verùm etiam contra genuinam huiuſce legis ſententiam, quam modò expreſſimus : & de quâ videndus quoque Ampliſſ. Seruinus, *Orat. Foreuſ. tomo 1. Orat.16. p.451.*

¶ Ex his interim colligere licet. Primum *coniugatos* hoc adhuc æuo non ideò minus Eccleſiæ lege ſeu *θεσμῷ* ad Sacerdotium adſumptos ; quod minus dubitationis habet. De quibus ſanè Clericorum coniugibus quatuor ſunt in vniuerſum hoc Codice leges, puta *lex vnic. ſupr. de bonis Cleric. l.10. 14. ſupr.* & *hac lex.* Secundò colligimus, coniugatos ad Sacerdotium adſumptos, nihilominus tamen coniuges intra ſepta domorum ſuarum iure retinuiſſe neque ideo reliquiſſe : denique his coniuges competentes adiunctas fuiſſe. Imò ſi anteriora paulò ſpectes tempora, coniugatos ad Sacerdotium admiſſos vxoribus ſuis adhærere potuiſſe, oſtendit decantata Paphnutij Hiſtoria, atque exinde decretum Nicænum, ſed & Neocæſarienſe *can.1. & 8.* vt & Gangrenſe *can.4.* & Arelatenſe *2. cap.2.* & cuiuſcunque liberam res ea relicta. Verùm vt cœlibatus lex paulatim inualueſit, vtque coniugati ad Sacerdotium adſumpti à côiugibus deinceps abſtinuerint, non vna ratio fecit, neque vno gradu ad id deuentum eſt. Primùm enim ſub tribus perſecutionum ſeculis, atque ipſa temporum ratione id ſuadente, cœlibes fermè vel etiam qui vxores reliquiſſent in Sacerdotio, præferri ſolitos, liquet ex iis, quæ memorat Euſebius, *lib.7. cap.24.* Nulla tamen lex aut neceſſitas tum poſita. Secundò, perſuaſa profeſſione *ἰδίᾳ γνώμῃ, οὐ μὴν ἀνάγκῃ νόμου*, ad Sacerdotium plerique promoti côiugio nuncium remittere ſolebant. Tertiò, etſi nulla lex ei rei poſita fuiſſet, nullus Canon, multi tamen è Patribus in eam inclinauêre ſententiam, vt cœlibatum omninò ſuaderent, & coniugij diremptionem, vt in ipſo Nicæno Concilio apparuit : vbi Paphnutius vnus fermè, tot aliis id ſuadentibus, interceſſit. Liquet item exemplo Euſebij *lib.1. de demonſtratione Euangelica cap.9.* & Epiphanio *hæreſi 59.* Chryſoſtomo, Gregorio Nyſſeno, Oecumenio, Ambroſio. Poſtremò ad Cœlibatus legem multum etiam contulit, quod Clerici eligi ſolerent ex Monachis, *ſeu* è continentium numero, qui videlicet Cœlibatus legem ſibi indixerant, vt docuit lex *trigeſima ſecunda, ſuprà*, & Auguſtinus *epiſt.76.* de quo ad eam *legem plenius* dixi. Quare videas Clericos coniugio iam alicubi abſtinere iuſſus, vel tanquam ex Canone Eccleſiaſtico abſtinentes, & quidem in Italia, mox & Africa, vt docent Africani *Canones* 3.4.16.25.70. Sed & alibi velut in Oriente (ſi vellent, *οἱ μὲν βούλοιντο, οὐ μὴν ἀνάγκῃ νόμου*, inquit Socrates, *lib.5. cap.12.* Quod præter Epiphanium *hæreſi Catharorum 59* & *fine operis contra hæreſes*, teſtatur Hieronymus contra Vigilantium. *Quid faciant Orientis Eccleſiæ? Quid Ægypti & ſedis Apoſtolicæ? Quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi vxores habuerint mariti eſſe deſinunt?* Et epiſt.50. ad Pammachium. *Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium in æternum pudici.* Quidquid huius ſit, nondum tamen commune aut generale aliquod præceptum fuit.

fuit. Primùm enim Episcopi, Presbyteri, Diaconi canonibus Africanis ab vxoribus abstinere iussi Anno D.401. *cap.70. Cod. Afric.* Mox & Subdiaconi qui sacramenta seu sacra mysteria contrectant altarique inseruiunt Anno superiore 419. *c.3.4.25. Cod. Afric.* cæteri Clerici minores ad hoc non coacti, nisi maturiore ætate & secundum cuiusque Ecclesiæ consuetudinem, vt habetur *dicto can.16 25.70.* Secundò, quam nulla certa & generalis lex huius rei posita fuerit, & vel in Italia ipsa, & in Orientis Imperio, aliæque etiam prouinciæ alio iure hac parte vsæ sint, docent etiam quæ scribit Epiphanius *dict. heresi 59.* & Ambrosius *lib 1. officiorum cap vltim.* Socrates *dict. lib.5 cap.21.* Et illustre exemplum occurrit Synesij, *epist.105.* cùm ad Episcopatum inuitaretur: *ἐμοὶ τοιγαροῦν ὅ, τε Θεὸς ὅ, τε νόμος ὅ, τε ἱερὰ Θεοφίλου χεὶρ, γυναῖκα ἐπιδέδωκε: προαγορεύω τοίνυν ἅπασι καὶ μαρτύρομαι, ὡς ἐγὼ ταύτης οὔτε ἀλλοτριώσομαι παντάπασιν, οὔτε ὡς μοιχὸς λάθρᾳ συνέσομαι, τὸ μὲν γὰρ ἥκιστα εὐσεβὲς, τὸ δ' ἥκιστα νόμιμον, ἀλλὰ βουλήσομαί τε καὶ εὔξομαι συχνά μοι πάνυ καὶ χρηστὰ γενέσθαι παιδία.* Tertiò, quamlibet coniugatos ad Sacerdotium adsumptos, coniugum consuetudine abstinere mos iam hoc tempore fermè fuerit, eas tamen ἐκβάλλειν ius non fuit, quin eas intra domos suas continere potuerunt: quod, præter hanc legem docet *canon* sextus & quintus ex iis, qui vulgò *Apostolici* vocantur, quique circa hæc ipsa tempora conscripti fuere. *Episcopus aut Presbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abiiciat*, προφάσει εὐλαβείας. Quod & Leo decreto suo adprobauit ad *Rusticum* in *decretis cap.17.* & apud Gratianum.

Sanè ita fermè vsu obtinuit, vt de coniuge soror fieret, quod de Terasia Paulini Nolani coniuge narrat Idacius *in Chronico*; omitto alia.

Et hæc de coniugatis iam ad Sacerdotium promotis. Vtrum verò cœlibes ad Sacerdotium promoti posteà coniugium sortiri potuerint; hæc quæstio iam alterius loci est. Interim obseruetur, quæ ad hanc quæstionem pertinent, ea cum superiore commiscere non oportere, quod faciunt improuidi.

¶ Cæterum dubium mihi nullum, Iouinianorum occasione & hanc maioris *l. portionem*, pariter vt *d l.vltim. supr. de raptu vel matrim. Sanctim.* (quam huic coniungendam esse docui) promulgatam. Iouinianus scilicet qui ante octennium adhuc, id est, Anno Domini 412. conuentus suos extra Vrbis Romæ muros agebat (vt docet *lex 53. infr. de heretic.*) non tantùm Virgines Sanctimoniales in nuptias deiiciebat (cui occurritur *dict. l.vltim.*) verùm etiam Religiosorum cœlibatum frangebat, vt testatur Augustinus. *Retract. lib.2. cap.22.* nihilo deterius cœlibatum à coniugio contendens. Ac maximè (quod suspicor) cùm videret eos qui cœlibatum specie præferrent, libidinea suas adscitis sub sororiâ appellatione extraneis mulieribus porrò explere. Quare vtrique malo occurrendum Honorius credidit: nempe ab vna parte Iouinianis eorúmque ausis *d.l vltim.* ab altera parte suspectæ Clericorum conuersationi, quò ita quoque Iouinianis os occluderet, *hac leg.* Et quidem si suspicari fas est, ad Bonifacij Episcopi Romani postulationem.

¶ *De* VETVSTATE *&* CANONIBVS *priscis Ecclesiasticis seruandis.*

XLV. * Idem AA. Philippo PF. P. Illyrici."

OMNI innouatione cessante, vetustatem & Canones pristinos" Ecclesiasticos, qui nunc" vsque tenuerunt, per omnes Illyrici prouincias, seruari præcipimus: Tum," si quid dubietatis emerserit, id oporteat, non absque scientiâ Viri Reuerentissimi sacrosanctæ legis Antistitis" Vrbis Constantinopolitanæ (quæ * Romæ veteris prærogatiuâ lætatur) conuentui Sacerdotali sanctóque iudicio reseruari. Dat. Prid. Iul. Eustathio & Agricola COSS. [421.]

NOTÆ.

* *Lex 6. Cod Iust. de Sacrosanctis Ecclesiis.* Consignatur etiam à Baronio *Anno 421. num.3.* Laudatur quoque in Photij Nomocanone *tit 8. cap.1.*

"Addendum nomen *Consulatu*. vide *Consular. Theod.*

"*Philippo* huic PP. Illyrici inscribitur quoque *lex 21. de Iudæis.*

"Orientalis: de quo mox.

"*Pristinos*, id est, priscos: vid. *Gloss Theod.*

"*Nunc vsque.* vt *l. cunctos supr de fide Cathol. vsque nunc*, quomodo etiam hic editum *Cod. Iust.*

"& singulas quæ vndecim erant: vide Notitiam Imperij, quæ circa hæc ipsa Theodosij Iun. tempora conscripta fuit, sexennio fermè post *hanc leg.*

"*Vt si quid*, Cod. Iust. non ita rectè.

"*Ecclesiæ.* vox hæc addita *Cod. Iust.* in nonnullis Codicibus quæ ab aliis abest, & ab hoc Codice: Itaque quod Molinæus in hac voce vim facit, id neutiquam probandum. Erat autem hoc tempore Atticus Episcopus Constantinopolitanus, de quo mox plura.

* Hinc, ex his, inquam, verbis: *Vrbis Constantinopolitana qua Roma veteris prærogatiua lætatur*, ex parte desumpta est Lex *vnic. Cod. Iust de priuileg. Vrbis Constantinop.* de cuius sententia dixi *ad leg. vnic supr de Iure Italico Vrb. Constant.* in quam transfusa est hæc sententia à Triboniana: vt ibi quoque ostendo aduersus Petauij errorem.

COMMENTARIVS.

VETVSTATEM priscósque CANONES Ecclesiasticos, suos cuique Prouinciæ seruari; & nominatim quidem per Prouincias Præfecturæ Prætorianæ Illyrici Orientalis, iubet Theodosius Iun. Anno D.421. primâ huiusce legis sententiâ: quæ singularis admodum est, accuratámque ἐξήγησιν requirit; quæ etiam αὐτολεξεὶ pœne in Cod. Iustinianeum relata est ex hoc Codice

Theodosiano, quod nonnulli nescientes, legem illam mutilam, & à Triboniano incogitanter vel oscitanter relatam scribunt. Quod sententiam *huius leg.* attinet, quam etiam modo expressi, est aa omninò conueniens decreto Nicæno *can.6.* τὰ ἀρχαῖα, inquit illud, κρατείτω, & quæ sequuntur: conuenit & Ephesino, quod factum post hanc legem, *can.vltim.* σώζεσθαι ἑκάστῃ ἐπαρχίᾳ καθαρὰ καὶ ἀβίαστα, τὰ αὐτῇ προσόντα δίκαια ἐξ ἀρχῆς ἄνωθεν, κατὰ τὸ πάλαι κρατῆσαν ἔθος. Et hæc ἀεὶ ἔθει. Sed enim notandum *hâc leg.* & *vetustatem* & *Canones Ecclesiasticos* hîc coniungi: sed velut diuersa, *vetustas* nempe est, συνήθεια, ἔθος ius non scriptum: *Canones pristini* sunt τύποι, παράδοξις, κανόνες, κανονικὰ διατάγματα, sancita in Synodis: de quibus vtrisque, eorúmque auctoritate Basilius *in cap.1.2.3.4. epistola ad Amphilochium:* vbi & vtriusque peritissimos esse debere scribit pastores: vid. & *can.vltim. Sexta Synodi in Trullo.* vbi Basilius refertur & explicatur, & ibi Zonaras & Balsamo. Atenim (quæ secunda iam huius legis sententia est;) *Tum si quid* (& quidē ita continuò filo accipiēda, quæ in Cod. Iust. perperam ita mutata, *vt si quid*, magno sententiæ *huius leg.* damno,) si quid, inquam, dubitationis, super hac videlicet vetustate & canonibus pristinis Ecclesiasticis per Illyrici Prouincias emergat, *conuentui Sacerdotali sanctóque iudicio* i. Synodi diœceseos iudicio id reseruari iubet *hac leg.* Theodosius Iun. Non absque scientiâ tamen, (quæ tertia *huius leg.* sententia est) Antistitis Constantinopolitani velut summi omnium in Orbe illo Patriarchæ. Hæc continentia summáque definitio est huius Theodosianæ constitutionis.

Quæ vt intelligatur, primò & ante omnia tenendum est *Illyricum*, de quo *hâc lege* agitur, cuiusque Præfecto Prætorio ea inscribitur, de Orientali accipiendum, quod ex duabus diœcesibus constabat, Macedonia videlicet & Dacia, quod ab Occidentali Illyrico hoc tempore diuulsum erat, cum antea Illyricum solidum Orientali imperio adscriberetur, de quo ad *l.7. de metallis:* idque constabat 12. fermè Prouinciis. In Macedoniæ scilicet diœcesi Prouinciæ erant Achaia, Macedonia, Creta, Thessalia, Epirus, Epirus noua, & pars Macedoniæ salutaris: Daciæ, Dacia mediterranea, Dacia Ripensis, Mœsia prima, Dardania, pars Macedoniæ salutaris.

Secundò, tenendum, quæ hypothesis & historia *huius leg.* est, sicut Canones ritúsque Ecclesiastici iam olim cuique Prouinciæ peculiares fuêre, ita & Illyrici quoque Prouinciis suos quosdam extitisse: Quam in rem alioquin insignis exstat παρέκβασις Socratis, *lib.5. Hist. Eccles. cap.22.* vbi etiam inter alia agit de formâ ieiunij Antepaschalis, quæ in *Illyrico* & Achaia obseruabatur: item, de cœlibatus Sacerdotalis consuetudine peculiari in *Thessaliâ*, *Thessalonica*, in *Macedoniâ* & *Achaia:* item de Baptismo Paschalibus tantùm diebus conferendo in *Thessalia:* vt & de precibus quæ accensis lucernis fiebant in *Achaia* & *Thessalia.* Vbi tandem subiicit, eos, qui istos ritus accepêre, eos tanquam *legem* (& canonem) ad posteros transmisisse: οἱ δὲ ταῦτα παραλαβόντες, ὡς νόμον τοῖς ἐπιγινομένοις παρήγγειλαν. De his igitur & similibus, *pristinis*, id est, priscis vetustis Illyricarum Prouinciarum canonibus, ritibus, *vetustate* est hæc Theodosij Iunioris constitutio, quâ id statuitur, eos per omnes Illyrici Prouinciis seruandos esse, *omni innouatione cessante:* id est, non cogendas alias, aliarum Prouinciarum, canones ritúsque amplecti: Non enim, si qui canones Ecclesiastici, disciplinam videlicet Ecclesiasticam spectantes, alicubi taliter seruantur, horsum ideò & aliæ Prouinciæ adigendæ sunt: Suus enim cuique mos, sua vetustas est, sui canones, ἔθος, θεσμοί, de quo est quoque hîc Basilij *epist.159.* locus, πρῶτον μὲν, ὃ μέγιστόν ἐστι τῶν τοιούτων ἐστὶ, τὸ παρ᾽ ἡμῖν ἔθος, ὃ ἔχομεν προβάλλειν, ὅπερ δύναμιν ἔχοι, διὰ τὸ ἀφ᾽ ἁγίων ἀνδρῶν τοὺς θεσμοὺς ἡμῖν παραδοθῆναι. Conueniunt optimè & quæ Hieronymus ad Lucinium *epist.18.* & Augustinus *epist. ad Ianuarium 118. cap.2.* scribunt, quæque referuntur, *cap 4. & 11. distinct.12.* Hieronymi verba hæc sunt. *Illud breuiter te admonendum puta, TRADITIONES Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita OBSERVANDAS, vt à maioribus tradita sunt, nec aliorum CONSVETVDINEM, aliorum contrario MORE subuerti.* Augustini sunt isti: *Alia quæ per loca terrarum regionésque VARIANTVR, sicuti est, quod alij ieiunant Sabbatho, alij verò non, &c. totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. Nec DISCIPLINA vlla est in his melior graui, prudentíque Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque fortè deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur indifferenter est habendum & pro eorum, inter quos viuitur, societate SERVANDVM est. Mater mea me Mediolanum consecuta, inuenit Ecclesiam Sabbatho non ieiunantem, ceperat fluctuare quid ageret. Tunc ego consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium. At ille ait: cùm Romam venio, ieiuno Sabbatho: cùm Mediolani sum, non ieiuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, eius MOREM serua, si cuiquam non vis esse scandala, nec quemquam tibi. Hoc cum matri renunciassem libenter amplexa est.* De huiusmodi igitur *canonibus* pristinis, *vetustatéque*: & ritibus diuersis pro Prouinciarū diuersitate est hæc lex: quibus etiam non obstantibus pax Ecclesiæ rectè stare potest, quæ sibi seruari magni faciunt Prouinciæ & Ecclesiæ. Quanquam & eadem ad controuersias & dubitationes super *Episcoporū ordinatione* quoque referri possit, de quibus vide *can.vltim. Ephesini Concilij.* Vt vt sit, diuturna consuetudo in his, quæ non ex scripto descendunt, *hâc leg.* obseruari iubetur. Ex his iam apparet, toto cœlo errare Interpretes hactenus, qui, nullo modo perspecta huius legis sententia, *canones* Ecclesiasticos *hâc leg.* interpretantur canones expressos Conciliorum, veluti Nicænos, Antiochenos & Constantinopolitanos, quæ etiam Marcæ sententia est: De his enim dubitari non potuit, num obseruari illi deberent. Secundò, & in his errant, vt & Marca, qui de iis nominatim Canonibus Nicænis & Antiochenis id accipiunt, quibus quæstiones Canonicas Synodorum iudicio finiendas decernitur. Tertiò, errant & qui *hanc leg.* (quam ex Codice fermè Iustinianeo Decretales hactenus allegant) ad Pontificem referunt: itidem Ianus à Costa *in Summariis seu Summis 9. priorum titulorum Decretalium haud ita pridem, tit.7. pag 48.* Quartò, *Molinæi* quoque error est, qui *hâc leg.* innouata à Valente olim & Arianis aboleri putat, & quidem in Illyrico, vbi ea Theodosius nondum aboleuerit. Quod vt ab Historicâ veritate alienum, ita ab *huius leg.* sententia alienissimum est. Prima hæc igitur illa, quam dixi Theodosij Iun. lege sententia est, nihil innouandum de vetustate & canonibus Ecclesiasticis: cùm tamen Atticus quoque Episcopus Constantinopolitanus qui hoc ipso tempore erat, *epist. ad Cyrillum*, pacis studio & secundum occasiones à canonibus Ecclesiasticis & θεσμῶν saltem ἀπὸ τῆς ἀκριβοῦς ἀκολουθίας recedi, ὅπως ταῖς χρείαις οἰκονομῶμεν oportere, de quo mox plura, déque hac

prima

prima huius legis sententia allato Pauli exemplo; dicat.

¶ Secunda iam huius legis sententia est. Si dubietas quædam emerserit super vetustate & canonibus illis Ecclesiasticis Illyricæ alicuius Prouinciæ, id est, non de interpretatione alicuius canonis quem Episcopi ambirent, vel incuria innouarent, quaque adhibita Episcopi canonum L. violatorum inuidiam à se depellebant, verùm de obseruantia canonis alicuius, tum id reseruandum esse *conuentui Sacerdotali, sanctóque iudicio*, id est, ad Synodum totius diœceseos, seu Episcoporum omnium totius diœceseos, referendum: de quibus diœceseon Synodis actum *l.23. supr.* Nempe Italicitium hos, & Ἐκκλησιαστικῶν fuit, vt quemadmodum diœcesis è plurimis Prouinciis conflata erat, ita ad Synodum diœceseos eiúsque iudicium è Prouinciis singulis referretur appellaretúrque in ambiguis quæstionibus, & ... (vt loquitur Photius *in Nomocanone*;) de quo Relationum Ecclesiasticarum genere, vide Canonem Antiochenum 12. Constantinopolitanum 6. & deinceps quoque Chalcedonensem 9. Finge super aliquo canone more, consuetudine, ritue Ecclesiastico in Achaiâ dubitatum? Sanè ad Synodum Thessalonicensem trahi res ea debuit, quia Thessalonica totius diœceseos Metropolis fuit, de quo ad *l.33. supr. de annona & trib.* quod vel ex Theodoreto, *lib 5. cap.17.* liquet. Sed & ex *Canone 16. Synodi Sardicensis*. ... vide & Gelasium, *in Actis Synodi Nicænæ*, vbi agitur de Alexandro Thessalonicensi Episcopo. Sed & aliud Thessalonicensis Ecclesiæ priuilegium, vide *dict. l.33. supr. de annona.* Quare errat Molinæus, qui ideò rem *hac lege* Synodi iudicio reseruari debere iuberique ait, eò quod Imperatores, cùm bellis contra Gothos impedirentur, id Concilio Ecclesiastico remiserint. Totum enim hoc, quo de *hac leg.* agitur, Ecclesiasticæ notionis fuit; cuius formam tantum præscribere voluit Theodosius Iunior. Photij pariter in Nomocanone, *§.11.c.1.* vt & Basilicorum glossæ hic error est: non quidem in eo quod indefinitè locutione omnia canonica iudicia in Illyrico acta ab Archiep. Constantinopol. & eius Synodo definienda esse dicant: id enim Photius vel Basilica non aiunt, verùm definiri non debere ... eius: ... est non exquisitâ eius sententiâ: verùm in eo, quod quæ de Synodo hîc dicantur, ad Synodum Episcopi referre videntur: cùm tamen de Synodo diœceseos Theodosius senserit, cui iudicium suum reliquit: vt rectè notauit haud ita pridem Petrus de Marca *lib. de concordiâ Sacerdotij & Imperij lib.4. cap.2. p.584. 585.* Errant tandem illi qui in *sp.huius leg.* de interpretatione canonum dubitatum putant: de ipsis enim canonibus dubitatio hîc præsupponitur, verum stare scilicet deberent illi necne, non verò de eorum interpretatione.

¶ Postrema iam huius legis sententia hæc est, & velut fibula quæ *Thessalonicensi Episcopo* imponitur, vt ipse quidem existimo, reseruandam quidem iudicio Synodi Diœceseos, seu Thessalonicensi, controuersiam ortam ex Illyrici Prouinciis, super canonibus Ecclesiasticis: attamen, *Non absque scientia Episcopi Constantinopolitani*, id fieri debere, id est, id faciendum rogatâ & exquisitâ eius sententia, quid de eo videlicet sentiret. Laxius enim paulò Basilica ... Quare errant illi qui hoc referunt ad potestatem Concilij congregandi: Diœceseos enim Synodi de more próque necessitate rerum ab ipsis Episcopis congregabantur, sine auctoritate Constantinopolitani: At vt alterius, quàm diœcesani Patriarchæ, scientia vel sententia requireretur, id demum singularis priuilegij fuit: cuiusmodi est id, quod nunc Constantinopolitano tribuitur.

¶ Cæterùm Theodosius in id exemplum Vrbis Romanæ aduocat, ratione etiam additâ, quandoquidem Vrbs Constantinopolitana *Romæ veteris prærogatiua lætetur.* De qua formulâ seu exæquatione vt in sæcularibus, nota sunt iam testimonia, & inter alia *l. vnic. supr. de iure Italicô*, & Claudianus de bello Gildonico. *Cùm subitò par Roma mihi, diuisáque sumpsit ÆQVALES Aurora togas, Ægyptia rura In partem cessere Nouam.* Et mox. *Lybiam Gildo tenet, ALTERA Nilum*, in Ecclesiasticis est *Canon 3. Concilij Constantinopolitani, canon 28. Chalcedonensis*, Nouella *Iustiniani* 131. *cap.2.* Ex hoc proinde principio, ex hâc exæquatione, arbitrâ æquitate (vt loquutus Valens *l. vnic. supr. de iure Italico Vrb. Constant.*) quam & hîc Theodosius Iunior inculcat, illud discere licet, Episcopum Romanum in Orbe suo (Occidentali videlicet) auctoritate ita potiorem liquido iam tum fuisse, vt si de canonibus Ecclesiasticis dubietas in Prouincia aliqua emergeret, quamlibet res ad Synodum diœceseos referretur, & IVDICIO eius sanctô reseruaretur, attamen non absque Episcopi Romani scientiâ iudicium factum. Fuit hæc scilicet prærogatiua, hoc priuilegium, ..., vt etsi statuendi ius & iudicium penes Synodum esset, consilium tamen & sententiam suam exprome re Episcopus Romanus rogaretur. Id verò, etsi honorificum maximè, tantùm abest tamen vt dominandi & definiendique ius astruat, vt idem ius Episcopo Constantinopolitano in Orbe suo (Orientali scilicet) extra diœcesin suam Patriarchalem *hac lege* delatum videamus. Atque ab eadem mente proculdubio fuit canon ille Ecclesiasticus, seu ... quo cauerat Iulius olim Episcopus Romanus dixerat, ... vt apud Socratem videre est, non vno loco *lib.2. cap.6. & lib.2. cap 13.* vel ... vt apud Sozomenum *lib 3.* exprimitur. Denique absque scientia Episcopi Romani vel Constantinopolitani, seu ... significat, non exploratâ super eo eius sententia: nam etsi poterat Synodus decernere aliter, quam quod his Episcopis videretur, non tamen poterat, priusquam super eo eorum sententia esset audita. Itaque & Theodoretus, *lib.2. cap.22.* id ita explicat, ... *cuius sententiam expectare ante omnium sententias oportebat.* Neque aliter ea excepisse debuerat Valentinianus Tertius *Nouellâ suâ de Episcoporum ordinatione*: quem tamen apertè delusum, atque incautæ eius pueritiæ, vel potiùs matri eius Placidiæ hoc obtentu obreptum, ibi videre est. Quæ quidem à me notata, non vt quæstionem de supremâ Pontificis potestate disputatem, verùm vt palam tantùm facerem *hanc legem*, eò non pertinere.

¶ Et huic quidem genuinus est huiusce legis sensus, quæ tribus sententiis constat. Quem non cepere Viri Docti, etiam illi, qui hanc legem latam existimant aduersus nouandi studium Episcopi Romani, quasi is Illyricum quoque sibi tum subij-

ecte cogitauerit, haud aliter atque Carthaginem & Africam. Quod vt ab Historica veritate alienum est, ita à Theodosij mente alienissimum. Mens ea quippe vnica *hâc leg.* Theodosio, suos cuique Illyrici Prouinciæ ritus, sons canonea seruare: dein media ad id præscribere duo: non verò Episcopo Romano fibulam imponere. Errat etiam Accursius, qui *hanc leg.* latam existimat infirmandis actibus Tyranni alicuius, qui nouare hâc parte aliquid instituisset. Nullus enim hâc tempestate in Illyrico exortus Tyrannus: quid quod Ecclesiastica tantùm forma tributa *hâc leg.* Non probo etiam Molinæi sententiam, qui hanc legem refert ad Imperatoris Valentis Ariani ausa: Nam & tempora longè discrepant. Item à vero aberrant maximè, & in his Baronius, & post eum Geographiæ sacræ author *p.223.* qui ita existimant, delusum Theodosium Iun. ab Attico Episcopo Constantinopolitano, qui ei commentitios pristinos canones Ecclesiasticos suggesserit, ex quorum scilicet præscripto priuilegium hoc in Prouinciis Illyrici Episcopi Constantinopolitani sancire se profitetur. Nam quod de canonibus Ecclesiasticis initio *huius leg.* agitur, id non pertinet ad Canonem aliquem singularem quo inductus fuerit ab Attico Theodosius & ex quo priuilegium illud Episcopi Constant. deriuari putauerit, vt tradit Baronius, verùm ad peculiares ritus θεσμῶν, & Canones cuiusque Prouinciæ Illyricianæ, vt superius ostendimus. Atenim ex alio iam fonte hoc Episcopi Constantinopolitani priuilegium deriuat, nempe *de imitatione*, vt loquitur Ausonius, *in Gratiarum actione*, id est, *generali* exæquatione veteris Romæ & nouæ, vt in sæcularibus, ita in Ecclesiasticis, tum expressis verisque Patrum Constantinopolitanorum Canonibus super hâc ἰσονομίᾳ, tum Imperatorum constitutionibus. Quam exæquationem Chalcedonensia quoque postea confirmarunt. Qua parte neque illud leuiter transmittendum est ab VRBE ad VRBEM exemplum priuilegiúmque deriuari, *Antistitis*, inquit, *VRBI, Constantinopolitanæ, QVÆ Romæ veteris prærogatiuâ lætatur.* Nempe à sæculari Vrbium dignitate Ecclesiarum quoque auctoritas propagata.

Quare non debuit Molinæus Glossam & Doctores reprehendere, qui vocem QVÆ ad vocem VRBIS referunt *Cod.Iust.* quæ sanè, vt hoc Codice hæc lex habet, non aliò referri potest. Lapsus quoque est illustr. Cardin. Perronij, qui paulum diuersus à Baronio, subtilitate solita, *cap.32. Replic. posthuma aduersus R. Britanniæ*, speciem *huic legi* hanc affingit & sententiam, (vt Marca quoque iam rectè notauit.) Existimat ille Theodosiu ab Attico Episcopo Constantinopolitano soggestum fuisse, Illyricianos Episcopos res nouas molientes, à Sedis Constant. obsequio recessisse, sub Arsacio decessore suo: & hoc colore elicuisse hanc constitutionem, quâ, cessante illa innouatione, veteres canones seruari præcipiuntur; scilicet, vt ille explicat, Canon secundæ Synodi, quo primarus defertur Episcopo nouæ Romæ post Romanum Episcopum. Lapsus, inquam, hic grauis est non vno nomine. Primùm, apertum est, Illyricum Constantinopolitanæ Sedi non fuisse hoc tempore suppositum, vt nemo potuerit extitisse, qui libertatem Illyricianorum, *innouationem* appellaret. Sed neque ipso canone secundo Constantinop. quem nomine *pristinorum* canunum, significari voluit Perronius, Illyricianæ diœcesia vlla mentio fit, sed tantùm Asianæ, Ponticæ, Thraciæ. Quid igitur? Certissimum, limitatione huic legi additâ, imò hâc integrâ lege, non Episcopo Constantinopolitano, verùm Thessalonicensi (is verò erat tum Rufus) fibulam impoui: qui canones Ecclesiasticos Prouinciarum Illyrici interturbare, innouare sustinebat, vel certè paci Ecclesiasticæ hâc parte haud satis consultum ibat. Nam & ita quoque quoque, triennio post, Thessalonicensis Ecclesiæ & Episcopi fraudi cuidam occurrere mihi idem Theodosios Iun. videtur *l.33. supr. de annonâ & tributis*: quæ est *lex 12. Cod. eod. tit.* & in partem *lex 8. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.* Huius rei argumenta hæc habeo: à parte Episcopi Thessalonicensis, quòd Theodosius *Innouatione* omni cessante, vetustatem & canones pristinos Ecclesiasticos, qui nunc vsque tenuerunt per omnes Illyrici Prouincias seruari præcipit: Item, quòd si quid dubietatis de eo emerserit, id Synodo diœcesanæ reseruari iubeat: Idque, quoq; tertium, non absque scientiâ Episcopi Constantinopolitani. Quæ tria omninò eò pertinent, vt ne Episcopus Thessalonicensis vel per se quidquam de canonibus pristinis in singulis Illyrici Prouinciis innouare auderet: neque etiam in Synodo Thessalonicensi, & inter Patres in Synodum coactos, vbi facilè illi erat alios in sententiam suam pro sedis suæ auctoritate trahere: Et hæc à parte Episcopi Thessalonicensia.

A parte verò Episcopi Constantinopolitani, cui nouum nunc προνόμιον, tribuitur argumentum hoc inuictum, quod Theodosius tribus quâ elogij, quâ prærogatiuis Episcopum Constantinopolitanum persequitur. Primò scilicet vocat eum Virum Reuerendissimum Sacrosanctæ Legis Antistitem. Secundò aduocat Vrbis Romæ exemplum: neque enim Vrbem Constantinopolitanam Vrbis Romæ prærogatiuâ lætari ait. Tandem post hæc elogia, post indicatam ita huius prærogatiuæ causam & exemplum, subijcit ipsum iam προνόμιον: nempe si quid dubitationis emerserit super vetustate & canonibus pristinis Ecclesiasticis: vt Synodo diœceseos, atque ideò Thessalonicensi Episcopo & Synodo decidendæ dubitationis ius ita tribuarit, vt tamen non absque scientiâ Antistitis Vrbis Constantinopolitanæ id fiat. Quæ omnia sanè effusi Theodosij Iun. in Episcopum Constantinopolitanum studij argumenta sunt. Is verò tum erat, Atticus Episcopus Constantinopolitanus: quem velut pacificum, pium, prudentem, ἐν αὐτῷ καὶ φρόνιμον nobis exhibent Scriptores Ecclesiastici, Socrates, *lib.6. cap.18. lib.7. cap.2. & 25.* Sozomenus *lib.8. cap.17.* eiusdémque epistola ad Cyrillum id ipsum spirat: Cuius etiam temporibus res Ecclesiæ in maius auctas, εἰς μέγα ἐπιδοῦναι φασί, aiunt iidem Scriptores. Certè, quod canonum obseruantiam pacisque studium attinet, ipse *d. epist. ad Cyrillum*, definiebat; studio pacis & secundum occasionem seu καιροὺς à Canonibus Ecclesiasticis, καὶ θεσμοῖς, saltem ἀπὸ τῆς ἀκριβοῦς λεπτολογίας recedi, & σαφῶς τὰς ὑποθέσεις οἰκονομεῖν δεῖ oportere, allato etiam in id D. Pauli exemplo, de quâ in rebus ritibúsque Ecclesiasticis οἰκονομίας συγκατάβασιν alibi pleniùs; dèque hoc Attici facto iam suprà. Quare & apud Theodosium Iun. in magnâ gratiâ & auctoritate fuit, sic quidem vt plerarúmque Theodosio constitutionum promulgandarum de religione in hæreticos, Iudæos, Paganos auctor suasórque fuisse videatur. Inde igitur iam προνόμιον istud ei, à Theodosio Iun. tributum. Cum quo & sic cum *hâc leg.* nil commune habet alterum illud προνόμιον, quod memorat Socrates, *lib.7. c.28.* quodque ei expressâ lege ab eodem Theodosio tributum ait: puta, *Ne Episcopus aliquis* (ac nominatim in Asianâ diœcesi, quod colligitur,

colligitur, ex Cyziceni Episcopatus eo loci mentione) *absque sententiâ Episcopi Constantinopolitani ordinetur* : τῆ γνώμη κλαίνετ@, ἀλλὰ γνώμη τῦ Επισκόπυ Κωνσταντινπόλεως χειροτονίαν Επισκόπυ μὴ γίνεσθ. Quam quidem etiam legem mortuo Attico, mox Cyziceni ita interpretati sunt, vt dicerent in Attici tantùm gratiam εἰς πρόσωπον latam, & sic merum beneficium priuilegium personale continuisse: ἠμίλησαν δὲ τῦ νόμυ τότε, ὡς Αττικῷ μόνῳ εἰς πρόσωπον προσχεθέντ@. Quod ipsum quoque aduersus *hanc legem* nonnulli hodie excipiunt, vt Morinus 1. *exercit* 6. *p*.50.51. qui post alioa, hoc priuilegium cum eo de quo Socrates agit, confundit. Notandum igitur duo hæc πρόνομα Episcopo Constantinopolitano, ac nominatim Attico tributa à Theodosio Iun. Duo, inquam, & distincta. Errant enim Scriptores nuperi nonnulli, cùm hæc duo πρόνομα confundunt: & posterius illud de quo Socrates, idem faciunt cum eo quod *hâc leg.* continetur: cùm tamen, vt dixi, diuersa sint: & ratione loci, & ratione argumenti. Illud enim *Illyrici* Prouinciaa propriè spectat: illud verò vel generalius est, vel ad *Asiæ* speciatim Prouincias pertinet. Item istud est, de obseruantia vetustatis & *canonum* pristinorum Ecclesiasticorum, & circa id dubitatione si quando exorta decidenda: illud verò de Episcoporum χειροτονία seu ordinatione: quod etiam Blondellus rectè notauit *de Primatu* 636. Quanquam in hoc vim non pono: nam & hùc quoque referri posse iam supra indicaui. Nunc ad rem.

Theodosius Iun. igitur *h.l.* etsi Episcopo Constantinopolitano *contentiosam iurisdictionem* in Illyrici Prouincias non tribuerit (falsi enim fuot ij, qui censent, *hâc leg.* Episcopi Constantinopolitani potestati & iurisdictioni Illyrici Prouincias subiici) consilium tamen eius exquiri iam voluerit, & ad eum Relationem & Consultationem institui. Quod vtique magnum auctoritatis incrementum obseruandum est; sicut Constantinopolitanum Episcopum iam ante in Asianam & Ponticam diœceseos curæ & sollicitudinis suæ extiotis partem detinasse, & Chrysostomum nominatim regimen sibi vindicasse in diœcesibus Ponticæ, Asiæ & Africæ, fidem facit Theodoretus *lib.7. cap.*28. & locus *Act.*9. *Concil. Chalced.* vide & accuratissimum Blondellum *de Primatu p*.394. & primatum ibi ius eligendurum ei Concilium Chalcedonense tandem *can.ultim.* tribuit. Nempè hoc Attici Episcopi Constantinopolitani tempore, (qui ab Anno 406. ad Annum 425. Episcopatum eum tenuit,) Episcopatus ipsius dignitatem multum processisse comperio, vt modò ostendi ex *hâc leg.* & ex Socrate. Post Atticum etiam, quod tertium πρόνομον est, Synodo Chalcedonensi *can.*9. & 17. Episcopo & electo tribuitur aducrsus Metropolitanum agenti, vel Exarchum diœceseos adire, vel Episcopum Constantinopolitanum. Nempe, is tum spiritus Constantinopolitanum Episcopum in Oriente occupauit, aliam post aliam (vt non nemo rectè obseruat) diœcesin splendore suo perstringentis: qui pari hac in re passu eum Romano ambulare volebat; quandoquidem Constantinopolis Noua Roma veteris prærogatiuâ lætatetur. Haud aliter atque Socrates obseruat, hoc ipso tempore sub Theodosio Iun. vt Episcopatum Romanum, ita & Alexandrinum extra Sacerdotij fines egressos ad secularem Principatum iam olim processisse, *lib.*7. *cap.*7. & 11.

¶ Ex hâc interim constitutione liquet ἀναντιῤῥήτως, Episcopi Romani potestatem Illyrici Prouincias hâc tempestate nondum peruasisset Illyrici inquam, Orientalis i nam de eo est hæc constitutio. Vt proinde errant nuperi Scriptores, qui hasce Illyrici Prouincias ab Imperatoribus Iconomachis primùm, longo demum pòst tempore, à Patriarchatu Romano auulsas scribunt; & hanc sanctionem nunquam in vsu & praxi fuisse tradunt. Quomodo, & fœdo anachronismo, grauique errore alius *huius leg.* rationem adsignabat nuper, quia Chalcedonensis Synodi tempore Illyricum Patriarchalem Romani Episcopi curam agnoscebat.

In hâc tandem constitutione egregium exemplum habemus, Principalis auctoritatis & potestatis, *in Canonicâ disciplinâ* tuenda, sanciendáque. Item habemus rationem, quâ paci Ecclesiarum consulatur: pariter vt altera eiusdem Theodosij Iun. ad eundem Philippum PP. Illyrici eodem pertinet, puta *lex* 21. *infr. de Iudæis*.

De aliis, quæ inter Em. Perronium & Blondellum *huius leg.* occasione agitantur, à *p*.940. lectorem remitto.

¶ *De* PRIVILEGIIS *Ecclesiæ & Clericorum.*

XLVI. * Impp. Theod. A. & VALENTINIANVS Cæs. Georgio Proc. Afric. Post alia.

PRIVILEGIA præteritarum Legum, † Ecclesiæ siue Clericis delata, seruentur: *&c.* Dat. Prid. Non. Iul." Aquil. DN. Theod. XI. & Valentiniano Cæs. coss. [425.]

NOTÆ.

* Extat apud Baronium *Anno* 425. *num*.7. Iungendáque huic *lex* 63. *infr. de hæreticis*.
"*Georgius* PC. Africæ sub Valentiniano III.
† Leges de priuilegiis Ecclesiæ & Clericorum anteriores.

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA Ecclesiæ & Clericis anterioribus legibus delata hâc Valentiniani Cæsaris seu Tertij Placidiæ Filij, constitutione per Africam Proconsularem confirmantur. Odio insuper suo in hæreticos, aliósque Catholicæ religioni aduersos testato, *l*.63. *infr. de heret.* quæ hoie procul dubio iungenda est. Sanè eiusdem operæ sæpè fuisse, seu eâdem operâ solitos Principes & priuilegia Ecclesiæ confirmare, & odium in hæreticos suum sancire ostendit. Præterea *lex* 38. *supr.* hoc

hoc tit. iuncta cum *l 41. infr. de heret.* & *l. vltim. prox. hoc tit.* coniuncta cum *l. 64. infr. de heret.*

¶ Porrò Baronio assentiri non possum, qui hanc legem latam existimat, vt priuilegia redderentur Ecclesiis, quæ Ioannes Tyrannus abstulerat. Ioannis enim tyrannis Africam Proconsularem, quo lex hæc pertinet, non peruasit, vt ostendit Prosper *Superioribus COSS. Ioannes*, inquit, *dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bello reposcit, ad defensionem sui infirmior factus est.* Idque etiam ex Olympiodoro colligere est. Id equidem verùm est de *lege proxima*.

¶ Porrò, & illud videri possit, *hanc legem* nominatim intelligendam de priuilegiis Ecclesiæ, & Clericis Vrbis Carthaginensis: tum argumento inscriptionis, tum eo, quod de vnâ tantùm Ecclesiâ in singulari agitur.

XLVII. * Idem A. & Cæs." Basso Com. R. P."

PRIVILEGIA Ecclesiarum" omnium," quæ sæculo nostro *Tyrannus*" inuiderat, pronâ deuotione" reuocamus: Scilicet, vt quidquid *à Diuis Principibus* † constitutum" est, vel quæ singuli quique Antistites, pro" caussis Ecclesiasticis, impetrarant," sub" pœnâ sacrilegij, iugi solidata æternitate, seruentur." ¶ Clericos etiam, quos *indiscretim ad sæculares Iudices debere deduci* infaustus Præsumptor" edixerat, Episcopali audientiæ reseruamus: *Fas enim non est, vt diuini muneris Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio*, &c. Dat. VIII. Id. Octobr." Aquil. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. COSS. [425.]

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod Iust.* Extat ea apud Baronium *Anno 425. num. 27* Iungendáque huic est *lex 64 infr. de heret.* Relata etiam in Capitularia *lib. 6. c. 159* Sed & edita nuper ex Cod. Lugd. & Aniciensi constitutio sub Valentiniani Cæsaris nomine ad Amatium v. Inlustrem Præfectum Prætorio Galliarum a Sirmundo *in Append. Theodos. num. 6.* vbi hæc lex inserta interpositis aliis & reiectis nonnullis. Quæ sane farrago potius est: vel hoc etiam argumento, quod lex illa inscribatur *Præfecto Prætorio Galliarum*, vbi tamen Ioannes nihil iuris vnquam habuit.

"Valentinianus Tertius Placidiæ Filius, vt *l prox. supr.*

"Cur *Comiti Rerum Priuatarum* hæc lex inscripta? pariter vt *d. l. 64.* de *l 50. infr. de hæreticis*: nil mirum, eam Comiti Rerum Priuatarum inscribi: Agitur enim in eâ de officio rerum priuatarum, & de bonorum confiscatione: Atenim mihi mens ea, reponendum hic & *d l 64. de hæreticis. Basso Præfecto Prætorio*, pariter vt quatuor aliæ leges præferunt anni sequentis: vel sanè *Comiti Patricio.*

"*vel Clericorum.* add. in Constitut. Cod. Anic.

"in commune, vel speciatim.

"IOANNES Tyrannus.

"Sic *l. 2. C de his qui ad Eccl. fideli deuotáque perceptione sancimus.*

† Leges anteriores de Priuilegiis Ecclesiarum, obseruas.

"Hæc omissa in constit. Cod Anic.

" in commune.

"Omissa hæc in constitutione Cod. Aniciens.

"*Nec cuiusquam audeat titillare præsumptio, in quo nos nobis magis proscitum confitemur.* In Cod Anic. hæc addita & in *Append Cod. Theod.*

" ἀδιαφόρως.

"Tyrannus Ioannes, qui imperium inuaserat, præsumpserat.

"*His manentibus, quæ circa eos sanxit antiquitas*, hæc addita Cod Anic vnde Appendix Cod. Theod. edita.

"*Aug.* d. l 64. *VII. Idus Iul.* habetur in Cod Anic.

COMMENTARIVS.

DVo huius constitutionis sunt capita. Priore PRIVILEGIA Ecclesiarum, quæ vel in commune à retrò Principibus constituta, vel à singulis Episcopis (veluti ab Episcopo Romano, vide *l. 21. supr. de extraordinariis*: & *l. 13. 14. supr. hoc tit.*) pro caussis Ecclesiasticis impetrata fuerant, hâc Valentiniani Tertij, Placidiæ Filij, constitutione confirmantur. Posteriore FORVM Ecclesiasticum pariter stabilitur. Nempe quod Ioannes Tyrannus priuilegia his Ecclesiis inuidisset & Clericos indiscretim ad sæculares iudices deduci debere edixerat. De Priuilegiis Ecclesiasticis iam superius & sæpiùs actum est. Superest de duobus hic videamus.

¶ Ac primum quidem de *Tyranno*: de quo hic agitur, qui vtique Ioannes est: Ioannes scilicet quidam (ad quem hæc respicit, non ad Iulianum Imp. quod nonnulli censent: quomodo ad eundem respiciunt quoque *lex 33. supr. de petitionib. lex 14. supr. de Senatorib.*) Honorio Imp. mense Augusto Anno D 423. mortuo apud Vrbem Romam, in Imperium surrexerat: Castino Comite domesticorum fauente, conniuente Magistro militum & Consule; atque inde Italiam ad se pertraxerat: at non & Illyricum aut Africam, quam Bonifacius tuebatur, Placidiæ eiúsque liberis Valentiniano (*huius leg.* auctori) fidem seruans: quique etiam, vt Imperium Valentiniano restitueretur, omnem mouit lapidem. Inde anno sequente 424. ab Vrbe Constantinopoli à Theodosio Iun. Imp. Placidiæ (Augustæ nomine) Valentiniano (Nobilissimi titulo) aduersus Ioannem eum exercitu, cui præerant, Ardaburius, Aspar & Candidianus missi: Thessalonicam vbi ventum, Valentinianus nonnisi quinque annos natus, Cæsar creatus à Theodosio per Helionem Magistrum officiorum: Italiam mox ac nominatim Aquileiam (vnde hæc lex & superior data est) peruentum: vbi Ardaburio à Tyranni militibus capto, Asparéque filio eius cum Placidia in magna rerum desperatione luctúque versantibus, Candidianus multis vrbibus occupatis, partáque rebus bene gestis nomine claritate, luctum dissipauit aomósque reddidit: Cæsus dein Ioannes Tyrannus. Inde Placidia vna cum Valentiniano Cæsare F. Aquileia Vrbe digressa Rauennam iniit. Tandem Helion Romam ingressus,

sus, omnibúsque eò confluentibus, Valentinianum iam septennem Imperatoria veste induit & Augustum creauit mense Octob. 1. De quibus omnino vide Olympiodorum Thebæum *apud Photium num.* 480. Renatum Profuturum Frigeridum, apud Gregorium Turonensem *lib.* 2. *cap.* 8. Philostorgium *lib.* 11. Socratem *lib.* 7. *cap.* 23. 24. Prosperum Idacium, Marcellinum *Chronicis*. Verùm ista postrema (nempe Rauennæ Romæque ingressus & Valentiniani Augusti renunciatio) *hâc lege* posteriora sunt. Hoc enim tempore Valentinianus adhuc *Cæsar* erat, & Aquileiæ adhuc versabatur, neque vlterius ipse in Italiam penetrauerat. Quicquid sit, huius legis tempore & Roma iam in Valentiniani Cæsaris fide erat (vt docet *l.* 62. *de heret.*) & Ioannes Tyrannus cæsus iam fuerat. Nec enim hæc lex nisi prostrato Ioanne ferri potuit.

§ Ex hac singulari lege liquet Ioannem Tyrannum priuilegia Ecclesiastica publicis etiam Edictis imminutum iuisse. Et sanè, quantum ex *l.* 62. *inf. de hereticis*, & ex Augustini *epistola* 4. in appendice & Bonifacij quinti colligo, videtur hic Ioannes Catholicus non fuisse, verùm hæreticus Arianus. Nempe hoc illud est, quod ex huius tituli legibus quamplurimis *l.* 1. 2. 7. colligitur, hæreticos, cùm viderent sibi non eadem priuilegia tributa quæ Catholicis, inuidiâ & sacrilego liuore (vt loquitur *l.* 2. *supr.*) id subinde egisse, vt & ipsis Catholicis sua priuilegia præriperentur. Idque exemplum secutus Ioannes, quem ideò hæc lex ait INVIDISSE Ecclesiis sua priuilegia. Et hæc de Ioanne Tyranno, déque Priuilegiis Ecclesiarum. Quanquam insigne præterea eius elogium extat apud Suidam.

§ Alterum caput est, de FORO Clericorum. Nempe idem Ioannes Tyrannus Clericos indiscretim ad Iudices seculares debere deduci edixerat. Atenim Valentinianus *hâc leg.* iubet Clericos Episcopali audientiæ reseruari: subiectâ ratione, *Fas non esse, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur Arbitrio.* Quid audio? Et quid fiet tam Paulino illi *cap.* 13. *ad Romanos ipsos*: *πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω*: ad quem locum Chrysostomus posteaquam dixit, *ὡς ἐν ἐπ' ἀσφαλείᾳ τῆς κοινῆς πολιτείας ἔχοντας τὰς παρ' αὐτῶν νόμους εἰσήγαγεν*, subiicit, *& καὶ δεικνὺς ὅτι πᾶσι ταῦτα διατάττεται καὶ ἱερεῦσι καὶ μοναχοῖς, οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον ἐκ προοιμίων αὐτὸ δῆλον ἐποίησεν: οὕτω λέγων πᾶσα ψυχὴ*, &c. *κἂν ἀπόστολος ᾖς, κἂν εὐαγγελιστής, κἂν προφήτης, κἂν ὁστισοῦν, οὐδὲ γὰρ ἀνατρέπει τὴν εὐσέβειαν αὕτη ἡ ὑποταγή.* Similia habet Theodoretus ad *d. cap.* 13. & D. Bernad. *in epist. ad Archiep. Senon. quæ est* 42. Nisi igitur in Valentiniani puerilem animum, in sequiorem Placidiæ, cui rerum summa commissa hoc tempore erat, sexum, & in Clericorum ambitum, qui tenelli nouique Principis & Augustæ animos obsederant, iuuebi libeat, cùm tam apertè diuino Canoni contradicatur, vtique instâ interpretatione hæc lex emollienda fuerit, neque tam crudè accipienda, vt faciunt iamdudum *οἱ βδελυρώτατοι ἔχοντες τῆς μανίας τὴν ἀκρότητα*. Et sanè cum anteriores Principum leges intueor: Constantij *l.* 12. *supr.* (quæ est de Episcopis nominatim reis, non de aliis Clericis) Gratiani, *l.* 23. *supr. hoc tit.* Honorij, *l.* 41. *supr. hoc tit.* & *l.* 1. *infr. de Relig.* oportet, vel Valentinianum à tot Principum institutis diuersum hâc parte fuisse, qui nonnisi Ecclesiasticas fermè & de religione causas Episcopali audientiæ reseruarunt, cæteras iudicibus secularibus commiserunt, neque huius vnicæ & posthumæ standum præ aliis vt prioribus, ita hâc sanè parte potioribus, vel sanè dicendum Valentinianum his concordare. Quod alicui verò propius videtur duobus his argumentis. Primùm Valentinianum hunc ipsum alibi videmus *Nouellâ* 12. *de Episcopali Iudicio*, contrà nitentem apertissimè, & publica delicta & atrocia Ecclesiasticorum crimina iudicibus secularibus reseruantem, his inter alia additis: *Quoniam constat Episcopos & Presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis causis, secundum Arcadij & Honorij diualia constituta, quæ Theodosianum corpus ostendit, præter religionem posse cognoscere,* &c. Secundò, & ipsa huius legis verba hanc ad rem ponderanda, ibi, INDISCRETIM. Nempe Ioannes Tyrannus indifferenter, nullo causarum satis discrimine habito, Clericos ad Iudices seculares deduci debere edixerat: Hoc malum erat: cui contrarium proinde remedium *hâc lege* inducitur seu stabilitur, ne scilicet *indiscretim* id fieret, verùm Episcopali audientiæ Clerici seu diuini muneris ministri, reseruarentur, neque temporalium potestatum subderentur arbitriu seu Iudicio: quâ Clerici scilicet, sunt & diuini muneris ministri & sic in causis, negotiis, delictis Ecclesiasticis: at non quâ *ciues*, & in actionibus vel ciuilibus vel criminalibus. Hoc proinde discrimen, *indiscreto* Tyranni Edicto oppositum voluit Valentinianus. *Indiscretim*, ait *ἀδιαφόρως*, nullo discrimine facto, non canonice *ἀκανονίστως, κατὰ τὴν ἀδιαφορίαν*. Paulatim certè posteà, ad laicorum audientiam, seu sæcularium notitiam ex omnibus, Clericorum causas ciuiles trahi, Clericorum libertatem prodere res hæc visa: testis Auitus *epistola* 61. cum qua epistolâ Sirmondus *hanc legem* minus rectè componit. Sed tamen cùm generalem *huic legi* additam rationem intueor, quæ hic subiicitur, tum eò potius inclino, generalem quoque Valentiniani nunc mentem fuisse: & Episcopali audientiæ omnes Clericorum causas attribuisse voluisse: Quomodo & eundem Principem in aliis nonnullis, nouellis opinionibus abreptum deprehendere licet.

DE

DE MONACHIS.

TITVLVS III.

* De his non est separatus & distinctus in Cod. Iust. titulus: verùm de his agitur iunctim, *tit. de Episcop. Cleric.* &c. *& Ascetriis & Monachis*. Vide & sup. *lib.5. titulum de bonis Clericorum & Monachorum.*

PARATITLON.

MONACHI: *Rubricâ*, & *l.1.2. hoc tit l.32. supr. de Episcop. l.16 supr. de pœnis: l.57. supr. de appellat. l.vnic. supr. de bonis Cleric. & Monach.* Vocantur & Monazontes *l.63 supr. de Decurion.* continentes vt quidam censent *l.20. supr. de Episcop.* quos sanctior vita à publici laboris actu defendit *l.36. supr. de Episcop.*

¶ Inter hos erant nonnulli & præcipui quos *Cœnobitas* vocabant, *d.l.16. supr. de pœnis,* seu Synoditas *d.l.57. supr. de appellat.*

¶ Fuêre sparsi per totum orbem Romanum: per Orientem & Orientis diœcesin, cuius caput Antiochia, *l.1.2. hoc tit. l.32. supr. de Episcopis, d.l.16. supr. de pœnis, l.57. supr. de appellat.* per Ægyptum, *d.l.63. supr. de Decurion.* intra Episcopatum Romanum *l.20. supr. de Episcop.* intra Africam *d.l 36. supr. de Episcopis.*

¶ A Clericis disertè separantur *d. l. vnic. supr. de bonis Cleric. & Monach. l.32. supr. de Episcop.* &c. vbi dixi.

¶ Numerus eorum hâc tempestate, & quidem per Orientem, magnus fuit: quare ex his Clerici ab Episcopis allegi iussi *d.l 32. supr. de Episcop.* & *l.16. supr. de pœnis.* Quin & multi Curiales ignauiæ sectatores desertis Ciuitatum muneribus solitudines captabant & secreta, specieque religionis cum Monazonton cœtibus congregabantur, quos ideò è latebris erui atque ad munia ciuitatum reuocari Valens Imp. iussit *d.l.63. supr. de Decurionibus.*

¶ Ad vitam & honestatem Monachorum sequentia constituta. I. *Viduarum* & pupillarum domos adire, & ex earum bonis quicquam consequi prohibiti *l. supr. de Episcop.* II. *Deserta* loca & vastas solitudines sequi atque habitare iussi, interdictæque his Ciuitates aliquando à Theodosio Magno *l.1 hoc tit.* Anno Domini 390. verùm liberi in oppida ingressus eis restituti ab eodem Theodosio Magno biennio fermè post *l.2. hoc tit.* III. *Reos addictos* supplicio vindicare quod aliquando fecêre, prohibiti *dict. l 16. supr. de pœnis:* & *dict. l.57. supr. de appellat.* idque illis tantum concessum, vt pro reis intercedere & appellare humanitatis intuitu possent *d.l.16 & 37.* His adde, quod Monachismus Curiâ non liberabat, nisi facultatibus alij, qui vice eius patriæ functiones subirent, cessis *l.63. de Decurion.*

¶ De bonis eorum ita ius fuit, vt suos ex testamento & ab intestato hæredes haberent: his demum deficientibus Monasterio bona eorum cedebant *d. l. vnic. supr. de bonis Clericorum & Monachorum.*

¶ THEODOSII Magni *lex de Monachis* CIVITATVM *ingressu arcendis.*

I. * Imppp. Valentiniauus, THEOD. & Arcad. AAA. Tatiano" PF. P."

QVICVMQVE sub professione Monachi repperiuntur, deserta loca & vastas solitudines sequi, adque habitare iubeantur. Dat. III. Non. Septembr. Veronæ," Valentiniano A. IV. & Neotherio COSS. [390.]

NOTÆ.

* Abest *hæc lex* à *Cod. Iust.* Eam reuocat *lex 2. prox.* Memorat eam rectè Baronius *Anno 390.n.47 48* & *Anno 392.n.18.* Iungenda huic videtur *l.122. supr. de Decurionib.*

"Malè

ᵃMalè alij, *Datiano*.
ᵇ *Tatianus*, sub Theodosio M. PP. Orientis scilicet, vt testatur etiam anno sequente 391. *l.* 19 *supr. de extraord. vel sordid. muner.* v. *Prosopogr.* Eidem inscribitur *lex prox.*
ᶜ Ibidem ad eundem Tatianum Præfectum Prætorio datæ hoc ipso anno intra mensem, *lex* 28. *supr. de Episcopis*: & *lex* 19. *supr. de nauicularijs*.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Magni duæ constitutiones *de Monachis* hoc titulo proponuntur, inter se contrariæ; Nempe *hâc leg.* 1. Monachi quicunque CIVITATVM seu Vrbium & oppidorum ingressu ab eo arcentur, contra deserta loca vastásque solitudines, quas scilicet delegerint, sequi atque habitare iubentur. Idem verò penè sensus olim Hieronymo: *ad Paulinum de Institutione Monachi epist.* 13. *fol.* 47. *l.* 6. (qui locus relatus est *can. si cupis* 16. *quæst.* 1.) *Si cupis esse quod diceris Monachus, id est, solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum?* Et epist. ad Rusticum Monachum fol. 2. *Quid desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur?* Nempe & nomen & votum id deposcit; quâ causâ & Monachi *singulares* dicti, apud Sulpitium Seuerum, *dialogo* 1. Eodem pertinet 16. *quæst.* 1. *c.* 2. *Monachus Græcè, Latinè singularis dicitur: vnde Monachum per omnia singulariter agere oportet.* Alio sensu Sozomenus hinc *lib.* 3. *cap.* 15. *infr.* reprehendit Monachos ἐν ὁμίλῳ πόλεων διατρίβοντας. Eadem interdictio continetur & Leonis *l.* 29. *Cod de Episcopis.*

¶ Cæterùm probanda non est Baronij sententia, existimantis, hanc legem *Iouinianistarum* occasione latam fuisse qui è Monasterijs abiecti, habitu tamen Monastico in vrbibus vagabantur. Nam præterquam quod hæc lex ad Orientem pertinet, cuius Tatianus cui hæc lex inscribitur, Præfectus Prætorio erat (vt ostendit inter alias exertè *l.* 19. *supr de extraordin.*) Sanè non agitur hâc lege de Monasterio electis, verùm de quibuscunque, *qui sub professione Monachi reperiebantur* id est, de omnibus, qui Monasticam vitam profitebantur, interim tamen ciuitates frequentabant, (vt ostendit *lex prox.*) Quare *hâc leg.* Monachi quicunque, non pœnæ loco ad deserta loca & solitudines conferre sese (quod Baronius credidit) iubentur, verùm pro vitæ suæ instituto, eò redire vel conferre sese. Denique pertinet hæc lex ad Monachus siue cœnobitas μιγάδας, siue Eremitas, cuiusmodi in Ægypti potissimum Syriæque solitudinibus alijsve agebant, deserta loca & vastas solitudines sequentes (solitudines & deserta *l.* 63. *supr. de Decurionib.*) de quibus vide Chrysostomum passim, ac nominatim frequenter, *Homilijs in Matth.* vbi institutum eorum mirificè describit & commendat & inter alia *homil.* 8. eorum qui in Ægypto erant. Sed & Hieronymum *epist.* 1. *ad Heliodorum.*

¶ Occasionem porrò huic legi dedisse videtur Monachorum *audacia* hâc tempestate sub Theodosio Magno per Syriam nominatim, & quidem qui propè Antiochiam in montibus erant (de quibus ipsis passim Chrysostomus, sed & Libanius *orat. pro templis*) qui maximi momenti negotiis cateruatim per drungos sese miscebant, atque humanitatis vel pietatis obtentu Iudiciario ordini sæpè intercedebant, pacémque adeò publicam eâ se turbare videbantur, vnde tyrannicam authoritatem his exprobrabat Eunapius *Ædesio p.*78. Sic triennio fermè ante *hanc l.* Anno Domini 387. in negotio seditionis læsæque maiestatis Antiochiæ ob statuas Imperatoris & Augustæ deiectas, Monachorum cateruæ seu drungi supplicio reorum intercessêre, de quo dixi plenè ad *l.* 16. *supr. de pœnis*: vide interim Chrysostomum, *orat.* 17. *ad populum*: Theodoretum, *lib.* 5. *cap* 19. Exemplum & in tumultu qui Ioannis Chrysostomi occasione enatus, de quo vide vel Zosimum, *lib.* 5. *p.*800. Sic & templa Paganorum passim à Monachis belli cuiusdam specie destructa, de quo expressa extat Libanij oratio, quam nos edidimus ad Theodosium hunc ipsum, ὑπὲρ τῶν ἱερῶν: vt & hæreticorum, veluti Valentinianorum, Ambrosius *epist.* 29. Sic & sub Arcadio mox postea Monachi reos per vim vindicare soliti, quod Arcadius *d. l.* 16. vetuit. Igitur Monachorum oberratio, vrbiúmque ingressus ideò vetita, quòd multi μοναχικῷ σχήματι χρώμενοι, vel προσχήματι, & Ecclesiastica & ciuilia turbarent: τά τε Ἐκκλησιαστικὰ καὶ τὰ πολιτικὰ διαταράσσουσι πράγματα, περιϊόντες ἀδιαφόρως ἐν ταῖς πόλεσιν, vt habetur in Concilij Chalcedonensis decreto, *actione* 6. Quod simile huic legi ad propositionem Marciani Imp. ἔδοξε τοὺς μονάζοντας τὴν ἡσυχίαν ἀσπάζεσθαι, καὶ προσέχειν μόνῃ τῇ νηστείᾳ καὶ τῇ προσευχῇ, ἐν οἷς τόποις ἀπετάξαντο προσκαρτεροῦντας, μήτε τοῖς Ἐκκλησιαστικοῖς, μήτε τοῖς βιωτικοῖς παρενοχλεῖν πράγμασιν, ἢ ἐπικοινωνεῖν, καταλιμπάνοντας τὰ ἴδια Μοναστήρια. Legatur & S. Basilius *epist. ad Chilonem*, & in *Asceticis*. Exagitat hos circumforaneos & λειποτακτοῦντας, & πλανητὰς Monachos sæpè Hieronymus his infensissimus: vide & Isidorum Pelus. *l.* 1. *epist.* 14. *ad Philippum Monachum.* Quin & Monachi, huiusmodi in publicum processibus & fidem & pacem quandoque publicam turbauêre, disputationibus de fide habitis & turbis in id coadunatis, idque in eadem Vrbe Antiochena; vt colligitur ex Leonis *l.* 29. *Cod de Episcopis.* Igitur, Iudices id nunc apud Imperatorem egêre, vti Monachos Vrbium ingressu arceret, quod disertè testatur *lex* 2. *prox.* qui sibi à Monachis obstrepi, iudiciorúmque ordinem turbari questi fuerant: & fortè etiam Iudices Gentiles fermè, de quo plenius ad *d l prox.* Neque à verosimili abest, *hanc legem* latam ad Orationem Libanij *pro templis*: vbi de Monachis queritur prolixè a *pag.* 10. *in fin.* qui in *Vrbibus* & in agris, in Templa passim irruebant, turbasque ciebant: de quo adhuc ad *l. prox.*

Notandum verò hanc legem esse de Monachis, eremitis, nam alij cœnobitæ erant, de quibus *dict. l.* 16. Sanè Gregorio Nazianzeno Monasticam vitam professo illud quoque ab alijs Orientis Monachis vitio datum, quod scilicet ruri ageret non in syluis: vide cætera eius in Monachos hypocritas. Denique monticolæ & syluicolæ Monachi Orientis erant.

¶ Verùm 20. fermè post mensibus idem Theodosius *hanc legem* recantauit *lege prox. sequ. Anno* 392. quæ ad eundem Tatianum PP. data est. Vnde apparet, quam temporariæ huiusmodi leges fuerint, pro rerum videlicet necessitate, & quidem ex Principum arbitrio, latæ.

¶ THEODOSII M. *lex quâ, antiquata superiore lege, Monachis* CIVITATVM *ingressus redditur.*

II. * Idem AAA. Tatiano PF. P.

MONACHOS, quibus interdictæ fuerant" ciuitates, dum Iudiciariis aguntur" iniuriis, in pristinum statum, submotâ hâc" Lege, præcipimus. Antiquatâ siquidem Nostræ Clementiæ iussione, liberos in oppidis largimur eis ingressus. Dat. xv. Kal. Maij, Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino COSS. [392.]

NOTÆ.

* Abest & *hac lex* à *Cod. Iust.* velut temporaria. Eam inseruit Baronius Annalibus suis *Anno* 392. *num.* 28. Iungendáque ei *lex* 8. *infr. de Iudæis.*

" *Tatianus* PP. Orientis scilicet sub Theodosio M. vid. *Prosopogr.* Eidem inscribitur *lex* 1. *supr.* quam hæc reuocat.

" nempe *l. superiore Anno* 390.

" in Til. edit. *aluntur*, malè.

" eâ *illâ.*

" *Esse in pristinum statum*: pro *restitui*, &c.

COMMENTARIVS.

RECANTAT *hâc leg.* superiorem legem suam Theodosius Magnus, CIVITATVM ingressu Monachis denuò concesso; obscurum tantùm sensum habeot, illa: *dum iudiciariis aguntur iniuriis.* Quorum triplex sensus afferri posse videatur, & duo quidem, quasi his verbis contineatur ratio cur Monachis liberi in oppida ingressus nunc concedantur. Primus scilicet hic sensus videatur, ipsa rerum necessitate compertum, liberos, Monachis in oppida largiendos ingressus esse, quandoquidem aliàs iudiciariis agantur iniuriis: Proinde vt se suáque tueri possint, iudicio & aduersus Iudicum quoque ipsorum iniuriam, vrbium eis ingressum patere oportere. Secundus sensus: Monachis liberos ciuitatum ingressus dari oportere, ad arcendas ab aliis Iudicum iniurias; seu, vt intercedere possint, Iudicibus alios iniuriâ afficientibus: ita vt vox *aguntur* accipiatur loco *mouentur*: & vox *dum* pro *cum*, *quando quoniam.* Verùm genuinus hic mihi sensus videtur, his verbis contineri rationem seu occasionem quâ Theodosius Magnus Monachos superiore lege oppidorum seu ciuitatum ingressu prohibuerat: nempe prohibitos à se instantibus Iudicibus, atque adeò Iudicum iniuriis exagitatos. Idque triplici ductus argumento ita censeo. Primò quidem ipso filo orationis: nempe hæc *dum Iudiciariis aguntur iniuriis*, cohærent illis, *quibus interdictæ fuerant ciuitates.* Alterum argumentum desumo ex *l.* 8. *infr. de Iudæis*, (quæ huic iungenda est.) Nam & eâ alteri Iudicum *iniuriæ* vtique præteritæ occurritur, Iudæisque adeò aduersus eam iniuriam consulitur; vti Monachis *hâc lege* aduersus Iudiciarias pariter iniurias. Tandem horum temporum historiæ argumento: Nempe, quia hoc tempore Monachi Iudiciariis actibus sese immiscebant, aliisque; vnde Iudicum querelæ exortæ apud Theodosium, quibus excitus *superiorem leg.* edidit, ad querelas Iudicum & Orationem forte Libanij. De quo iam supra & ad ipsum Libanium; quam nunc reuocat, ab iniuriâ illâ Iudicum; idque constitutione ad eundem Tatianum PP. datâ.

¶ Ex his iam patet, à Baronio *hanc leg.* minus rectè acceptam; quasi scilicet superior ideò hac lege abrogetur: quòd vtilis alioquin lex illa, Iouinianistarum tantùm contemplatu lata, in iniuriam & damnum conuerteretur etiam illorum qui pij frugíque essent. Denique voluit his verbis Theodosius promulgatæ antea legis *supr.* inuidiam in Iudices transferre.

¶ Cæterùm, reuocatæ ita legis suæ circa Ecclesiasticas personas aliud exemplum, vide in *l.* 28. *supr. de Episcopis*, quæ eodem tempore lata est quo *lex* 1. *supr.*

DE HIS QVI SVPER" RELIGIONE CONTENDVNT.

TITVLVS IV.

I. COD. IVST. I. De summa Trinitate & fide Catholica: *& vt nemo de ea publicè contendere audeat*; vbi Marciani *lex* 4. hanc in rem extat *Nemo*, quæ tiam extat in actis Concilij Chalcedon.

* id est, de religionis controuersiis seu de fide coram populo.

" al. *de.* Porrò notandum omnes huius tituli leges abesse à *C. Iust.*

PARATIT

PARATITLON.


ONTENDERE super religione. *Rubr.* seu disceptare de religione, vel tractare vel consilij aliquid deferre *l.2.* in publico, *d. l.2.* nulli licet: nè videlicet & fides Catholica turbetur, & populus *l.3.* Id quod à Theodosio Magno per Orientem vniuersum *d.l.3.* mox & per Ægyptum nominatim, sub deportationis pœna *l.4.* prohibitum.

II. SCHISMATICORVM quoque conuenticula (quæ tumultuosa conuenticula *l.4.5.* conuentus interdicti *d.l.5.* conuentus inliciti *d. l.5. & 6.* dicuntur) variis pœnis per Orientem ab Arcadio prohibita *l.4. 5. 6.* A quo *Ioannitæ* etiam, seu Ioannis Chrysostomi sectatores, pro schismaticis, *illis tribus legibus* habiti: de iis enim accipiendæ sunt tres illæ leges. Pariter vt Valentinianus Iun. *l.1.* Hæreticorum cœtibus aduersus Catholicos fauet *l.1. hoc tit.*

¶ VALENTINIANI Iun. *lex pro Arianorum cœtibus aduersus Catholicos.*

1. * Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. AAA. Eusignio PF. P."


IS" qui sibi tantummodo" existimant colligendi" copiam contributam," si turbulentum quippiam contra Nostræ Tranquillitatis præceptum" faciendum esse temptauerint," vt seditionis auctores" pacisque turbatæ Ecclesiæ" maiestatis," capite ac sanguine sint supplicia luituri. Dat. x. Kal. Febr. Const." Honor. NB. P. & Euodio COSS. [386.]

NOTÆ.

* Abest hæc lex iure à *Cod. Iust.* Desumpta seu decerpta est hæc lex, ex pleniore *l. vlt. supr. de fide Catholica*: Nullà constructionis ratione habità. Extat ea quoque apud Baronium *Anno 386. n.6.*

"*Eusignius* sub Valentiniano Iun. PP. Italiæ: de eo vide & Symmachum *lib.4. epist.69 71.75.* & plenè in *Prosopogr.*

"In hoc fragmento hic collocando constructionis ratio habita non fuit: Similis error in *l.3. supr. de postulando.* Quare scribendum fuerat: *Nouerint hi*: Cæterùm hic Catholicos orthodoxos intelligit.

"Non etiam Arianis.

"*Colligendi*, id est, conueniendi coeundi: vide *Glossar. συνάγειν*, Sozomenus dixit: vide & *l.36 infr. de hæret.*

"*Contributam*, pro simplici tributam; cuiusmodi similia composita pro simplicibus in his legibus & apud huius æui Scriptores occurrunt.

"id est, contra *legem vlt supr. de fide Cathol.* (vnde hæc particula huc translata) quà Arianis videlicet quoque conueniendi potestas facta est.

"id est, Arianorum cœtus prohibere voluerint.

"*Auctores* seditionis. Sic tumultus popularis Auctores, *l.2. de Episcop. iud.* turbarum Auctores apud Sulpitium Seuerum *lib.2 hist. Eccl.* vid. alia apud Sauar. in Sidon. *lib.1. epist.21.*

" *ȝ. ac læsæ etiam maiestatis.*

"etiam maiestatis, *d l vlt.*

"*Θανάτῳ*, Sozomenus: gladio, Ambrosius.

" *ȝ. Med.* vt *d.l. vlt.* cuius loco hic positum *Constp.* summo errore, insigni historicæ veritatis detrimento.

COMMENTARIVS.

ARIANIS colligendi, id est, in vnum conueniendi, potestatem non minùs quàm Catholicis & Orthodoxis, Valentinianus Iunior (Iustinæ matris impulsu, mox vt videbimus) facit *hâc leg.* quæ desumpta est ex pleniore *l. vltim. supr. de fide Catholica.* Ad quam ideò legem dicta sufficiunt.

¶ Duo tantùm circa *hanc leg.* lapsus notandi veniunt. Primus est huius Codicis conditorum, qui & semiplenam, nulla constructionis habita ratione, & alieno eam loco hanc in titulum coniecêre, cùm tamen eò propriè non pertineat; neque enim *hâc leg.* potestas fit contendendi publicè super religione, verùm *colligendi*, id est, coeundi in cœtum suum & peculiarem. Ambrosius certè, quod ad hunc titulum facit, cùm Valentinianus Iun. collationem super religione in Consistorio suo indixisset hoc tempore, ad populum prouocauit, & in Ecclesià coram populo disputari seu tractari voluit, *veniant planè si qui sunt ad Ecclesiam, audiant CVM POPVLO: non vt quisquam Iudex resideat, sed vnusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. Agitur de istius Ecclesiæ Sacerdote: si audierit illum POPVLVS, & putauerit melius DISPVTARE, sequatur FIDEM eius non inuidebo. Omitto, quia iam ipse POPVLVS iudicauit. Taceo, quia eum quem habet, de patre Tuæ Clementiæ postulauit: Taceo, quia pater Pietatis tuæ QVIETEM futuram spopondit, si electus susceperit Sacerdotium.* Et mox. *Si TRACTANDVM est, tractare in Ecclesià didici, quod maiores fecerunt mei: si CONFERENDVM DE FIDE, Sacerdotum debet esse ista collatio.* Et sub finem epistolæ: *Venissem, Imperator, ad Consistorium Clementiæ Tuæ, vt hæc coram suggererem, si mei vel Episcopi vel populus permisissent, dicentes de fide in Ecclesià CORAM POPVLO debere TRACTARI.* His similia inde & in oratione subtextà aduersus Auxentium: vbi inter alia. *Causam fidei in ECCLESIÁ agendam quis abnuat?* Item: *Hac ego, fratres coram ipso APVD VOS plenius DISPVTAREM:* sed

ſed certum non ignaros vos eſſe fidei, *VESTRVM refugit examen : & Gentiles quoſdam quatuor aut quinque fermè homines elegit cognitores ſibi : Quis igitur vobis iniuriam facit qui recuſat VESTRAM, an qui eligit, audientiam?* Hæc inquam ita Ambroſius, qui Auxentium ad diſputationem coram populo prouocabat : verùm eò hæc lex non pertinet. Verùm ad id, quod populus Eccleſiam Arianis tradi nolebat, eámque ideò cuſtodiebat, tumultuabatúrque : armato contrà milite Baſilicam ſepiente. Quò pertinent illa Ambroſij *Et nunc cùm laudatur Chriſtus, dicunt hæretici, quia* SEDITIO *commouetur : dicunt, quia his mors paratur.* Denique ſpectat hæc lex eò, ſeu ei occaſionem dedit, quod populus, profecto ad Palatium Ambroſio, eò veniſſet & irruiſſet, *p.* 152. omninò ad eum tumultum omnem, de quo *epiſt.* 33. Alter lapſus circa *hanc leg.* eſt Baronij, qui cùm *legem vltimam ſupr. de fide Catholica*, vnde hæc decerpta eſt, rectè Valentiniano Iuniori tribuat, hanc, Theodoſio tribuat : quin &, qui alter eiuſdem error eſt, hæreticos *hâc leg.* coërcitos ſcribat, cùm contra in Arianorum gratiam ſcripta fuerit aduerſus Catholicos Orthodoxos. Abrogatur tandem hæc lex biennio poſt A.D. 388. ex conſilio Theodoſij M. *l.* 15. *infr. de hæretic.* vbi vide quæ dicam.

II. * Idem AAA. Tatianoʺ PF. P.ʺ



NVLLI egreſſoʺadʺ publicum, vel diſceptandi de religione, vel tractandi, vel conſilij aliquid deferendi, pateſcat occaſio. Et ſi quis poſthac auſu graui adque damnabili contra huiuſmodi Legem veniendum eſſe crediderit, vel inſiſtere motu peſtiferæ perſeuerationis, audebit, competentiʺ pœna & digno ſupplicio cohercceatur. Dat. XVI. Kalend. Iul. Stobis,ʺ Theod. A. II. & Cynegio COSS. [388.]

NOTÆ.

* Memorat hanc legem Baronius *Anno* 388. *num* 58. Inſerta eadem Capitularium *lib.* 7. *cap.* 139. & *Additione* 4. Ludouici Imperat. *cap.* 18.

ʺ*Theodoſij* hæc lex eſt,

ʺperperam in Addit. Capitular. *Thraciano*.

ʺ*Tatianus* ſub Theodoſio M. PP. Orientis ſcilicet, vide Zoſimum *lib.* 4. *p.* 769. & *Proſopogr.*

ʺin publicum.

ʺ*Tractandi* vox propria : vid. *Gloſſ. Theod.* Eadem voce eadem in re vtitur *l.* 4. *Cod. de fide Cathol.* & Ambroſius ſæpè *epiſt.* 32. in hâc ipſa re.

ʺdeportatio poſteà nominatim impoſita *l.* 3. *infr.*

ʺSTOBIS Macedoniæ Vrbs, cuius apud Ptolomæum & in Itiner. Peuting. & alibi mentio. Ibidem data hoc ipſo menſe *l.* 15. *infr. de hæreticis* : vbi plura.

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. duæ eandem in ſententiam conſtitutiones ſequuntur : quibus DISPVTARI vel TRACTARE, in publico de religione vel CONSILII aliquid ibi deferri Theodoſius M. tum per Orientis Præfecturam *hâc lege* tum per Ægyptum, *d. l. prox.* prohibet, in Publico : id eſt, publicè turbis coadunatis, vt loquitur *l.* 4. *Cod. Iuſtin. de fide Catholica.*

¶ Prohibuit autem id Theodoſius Magnus *hâc leg.* in Maximum Tyrannum iam moturus : relicto hoc procul dubio veluti *mandatorum* capite, neque vltimo, ad tuendam videlicet in Oriente pacem ſe abſente, Tatiano Præfecto Prætorio, quem mortuo Cynegio hoc tempore Præfectum Prætorio Orientis conſtituerat, quique (vt Zoſimus ait) poſt abitum Principis τὰ τῆς ἑῴας ἀρχῆς adminiſtrauit, vt teſtatur Zoſimus *lib.* 4. *pag.* 769. cuius verborum (vt Græca lucrifaciam) interpretatio hæc eſt. *Theodoſius etiam ea ſibi diſponenda ſtatuit, quæ poſt abitum ipſius aliquam flagitatura prouidem iam eſſent. Ob eam cauſam, mortuo in itinere Cynegio Præfecto Prætorio, quum ex Ægypto reuerteretur, quemnam Præfectum Prætorij conſtitueret, diſpiciebat. Quumque multos multoties conſideraſſet, tandem virum ad hoc idoneum reperit. Arceſſitum igitur Aquileia Tatianū, qui & alios ſub Valente Magiſtratus geſſerat, & erat in omnibus virtute ſingulari præditus, Prætorij Præfectum declarat : & miſſis ad eum Magiſtratus inſignibus, filio ipſius Proculo Præfecturam Vrbanam tradit. Enim verò præclarè ſe hic geſſit ampliſſimis Magiſtratibus, eiuſmodi viris commiſſis, qui etiam poſt abitum Principis optimè res ſubditorum adminiſtrare poſſent.* Nunc ad rem. Sanè & Sozomenus, *lib.* 7. *cap.* 6. Theodoſij Magni ſuper hâc ipſâ re conſtitutionem, ſed hâc anteriorem, & quidem Anno 381. (vt probo ad *l.* 6. *infr. de hæreticis* :) memorat : τῆς ἐν ἀγορᾷ ἐρίδας, καὶ σπουδὰς ἀπηγόρευσε· καὶ διαλέγεσθαι περὶ αὐτὸν τρόπον οὐσίας καὶ φύσεως Θεοῦ, ἐπ' ἀνάδυνον ἐποίησε, νόμον θέμενος περὶ τούτου καὶ τιμωρίαν ὁρίσας. Hæc verò res vt ſollicitam Patrum identidem curam meruit, quam ita tum eſt quoque Gregorij Nazianzeni *Orat.* 26. ita & Principum : de quo dixi quoque iam aliquid ad *l.* 1. *ſupr. tit. prox.* vt oſtendit altera quoque eiuſdem Theodoſij Magni *lex* 3. *infr.* vt & Marciani *d. l.* 4. *Cod. de fide Cathol.* (quæ etiam inſerta eſt actis Concilij Chalcedonenſis) & *l.* 2. *lit.* 1 2. legum Viſigothicarum *tit.* 2. Vnde & hæc ipſa Theodoſij lex (velut vtiliſſima) Capitularium *lib.* 7. *cap.* 139. & Ludouici *addit.* 4. *cap.* 17. indita eſt. Id verò factum à Principibus, publicæ primùm quietis & pacis ergo, ne videlicet populares animi religionis obtentu turbarentur *d. l.* 4. & *d. l.* 3. *infr.* 1. Vnde & *peſtifera perſeueratio*, & *motus peſtiferæ perſeuerationis hâc lege* vocari videtur : Quâ ipſâ quoque de causâ Vaticinatorum, Vanorum hominum, Chaldæorum, Mathematicorum licentiam & profeſſionem ab Imperatoribus quà Gentilibus, quà Chriſtianis ſubinde repreſſam legimus : vt ſuo titulo *de maleficis & mathematicis*, dictum iam nobis eſt. Et verò hæc potiſſima ratio Theodoſio *hâc leg.* mihi propoſita fuiſſe videtur, argumento quoque *temporis*, quo lex hæc ab eo data eſt, nempe

quo

quo mox abſens futurus in Maximum Tyrannum mouebat: Secundò, id ita quoque conſtitutum à Principibus, & nunc à Theodoſio M. quò ſua religioni fides & maieſtas conſtaret, vt ex *d. l.4.* clarum. Non omnia ſcilicet coram populo agenda tractandave ſunt, id eſt, quandoquidem diſſidentes fermè Antiſtites plebs diſciſſa ciuilibus diſcordiis ſequitur, de quo eſt illuſtris Marcellini locus, *lib.22.* Ideò quoque laudabili cùm primis olim inſtituto in veteri Eccleſia ἀπόῤῥητα quædam dogmata fuère, quæ ſcilicet δημοσιευτὰ, ſeu vulgati communicative apud populum fas non erat. Baſilius *de Spiritu ſancto, cap.27.* τὰ δόγματα σιωπᾶται, τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται. Ideoque, vbi ad ἀπόῤῥητα illa ventum erat, ſolemnis hæc formula apud populum agentibus frequentata: ΙΣΑΣΙΝ ΟΙ ΜΕΜΥΗΜΕΝΟΙ, NORVNT INITIATI. Quos mores his hodie moribus referri, reduci, Chriſtianæ religionis & quietis publicæ non parum intereſſe puto. Quamdiu enim contra fit, neque ſua religioni religio vel maieſtas ſemper conſtare poteſt, neque turbarum aut ſeditionum vnquam metus liquido abeſſe. Et vtinam non experirentur hodie nonnulli magno ſuo malo, τεχνολογοῦντες μᾶλλον, ἢ θεολογοῦντες, vt loquitor Baſilius *epiſtola 61.* ne maiore olim, Deus auertat. Inde hominibus magni diuinarum rerum contemptus oriuntur, vt Gregor. innuit *l.7.* dictum Lyſidæ Pythagorici, deinde Syneſij laudans, τὸ δημοσίᾳ φιλοσοφεῖν μεγάλας εἰς ἀνθρώπους ἀρχὰς τῆς θείων καταφρονήσεως. Quanquam eſt & vbi diſputationibus huiuſmodi locus eſſe poteſt, ſic Ambroſius *epiſt.32.* ad Valentinianum Iun. & orat. ei ſubiexta; Cùm iuſſus fuiſſet ab Imp. Iudices legere, ſicut elegiſſet Auxentius, quo certatio inter eos in Conſiſtorio arbitrio Imp. fieret, Auxentium prouocauit ad diſputationem in Eccleſia coram populo: Proinde hoc perpetuum non eſt, & ferè euenit vt turbulenti ſuperfluas quæſtiones agitent, & vt eas vocat Gregorius Nazianzenus *orat.142 pag.121.* τὰς περιττὰς καὶ ἀχρήστους τερθρείας καὶ παραξίδους ζητημάτων.

¶ Vt ad hanc legem reuertamur, mens ea mihi ad hanc legem promulgandam Theodoſium M. deſcendiſſe, propter varias de religione, etiam inter ipſos hæreticos diſſenſiones, hoc ipſo tempore, quas ſigillarim exequitur Philoſtorgius *lib.10.* Socrates, *lib.5. cap.20.21.22.23.* Sozomenus *lib.7. cap.17.18.* à quibus proinde ne quod & antea factum fuerat, vt mox ex *hac leg.* docebo, ſe quoque abſente, & bello aduerſus Maximum illigato tumultus aliqui excitarentur, ſibi hac lege cautum iuit. Non ſine Tatiani ipſius, cui hæc lex inſcribitur, vt puto, conſilio, de quo vide quæ dicam ad *l.22. infr de hæreticis*: & Zoſimi quod iam dixi iudicium *lib.4 p.769.*

¶ Illud non omittendum quod *dicto c.18. additament.4. Capitular.* in inſcriptione *huius legis* addunt, in Pithœana editione; *Imperatores Valentinianus, Theodoſius & Arcadius AAA. vnà cum decreto Epiſcoporum, Tatiano Præfecto Prætorij.* Quod ſi verùm eſt, tum dicendum fuerit, hanc legem omiſſam ad decretum aliquod Synodale Epiſcoporum, quod & ipſum Theodoſius huic conſtitutioni indiderit, & vnà ad Tatianum Præfectum Prætorio miſerit.

¶ Tria porrò hæc *hac leg.* prohiberi notandum: *Diſceptare inquam de religione, Tractare, Conſilij aliquid deferre.* Quæ quomodo à ſe inuicem differant, videndum eſt. 1. *Diſceptare* de religione videtur eſſe diſputare cum aduerſario. 2. *Tractare* concionari apud populum, quo ſenſu paſſim tractandi, tractatus & tractatorum vox accipitur apud Patres pro concionibus & concionatoribus. Sic Optatus *lib.4. & 5.* conciones *tractatus* non ſemel nominat: & Ambroſius *epiſt.14. ad Marcellinam ſororem.* Gaudentius quoque Brixienſis *tractatus* nomen inſcripſit omnibus concionibus ſuis, & præfat. ad Beneuolum quam ipſis tractatibus præmiſit. Hieronymus quoque *epiſt.65.* ad Pammachium & Oceanum Origenis conciones tractatus appellant, vt & *præfat. ad Damaſum in Canticum canticorum.* Et Auguſtinus ipſe ſuas conciones ita deſignat *ſermone 20.* Omitto alios. Sic ipſum concionari, *tractare*, v. Auguſt. *ſermone 19.* verbis Apoſtoli: & Paulinum in *v. Ambroſij.* Et concionatores *tractatores* ἐξηγηταὶ τοῦ λόγου apud Rufinum, Auguſtinum, Seuerum Sulpitium *Kal.1.c.2.* Claud. Mamertum *lib.1. de ſtatu animæ, cap 3.* & *lib.2. cap 10.* epiſt. ad Sidon. Apoll. & Sidonio ipſi *lib.2. epiſt.9.* Ita quoque Vincentius Lirinenſis, Chryſologus, Caſſiodor. Etſi *tractandi* vox quoque accipiatur pro diſputandi; quomodo apud Ambroſium ea vox accipitur loco, quem ad *l. ſuper.* laudaui. 3. *Conſilij* tandem *aliquid deferre*, eſt populo quid ſuggerere, vel ad audendum vel dicendum. Tria igitur hæc à Theodoſio Magno *hac leg.* prohibita, eodem fine: quia ab his omnibus iuxta metus: Quod tamen hactenus quoque iam fiebat: quod indicatur illis verbis, *INSISTERE motu peſtiferæ perſeuerationis.* Quod ſanè illius æui hiſtoria teſtatur.

III. * Idem AAA. Potamio'' PF. Auguſtali.''

DEPORTATIONE dignus eſt, qui nec generali'' Lege† admonitus, nec competenti ſententiâ emendatus, & fidem Catholicam turbat, & populum. Dat. XV. Kal. Aug. Conſtantinop. Arcad. A. II. & Rufino COSS. [392.]

NOTÆ.

* Memorat hanc legem Baronius *Anno 392. num 27.*

'' *Theodoſij* & hæc lex eſt.

'' Ad eundem *Potamium* Præf. Auguſtalem hoc eodem anno, eodem fine, lata *lex 2. ſupr. de defenſor. Ciuitat.*

'' Ægypti.

† Indicantur vt puto *lex 8. ſupr.* quâ arbitraria pœna conſtituta fuerat: vel *lex 19. infr. de hæretic.*

COMMENTARIVS.

DISPVTARI coram populo de religione, vt *ſuperiore leg.* per Orientem, ita & *hac* per Ægyptum ſub pœna deportationis vetat Theodoſius Magnus Anno D.392. firmatâ generali lege ſuper eo anteriore, ſiue ea eſt *lex 2. ſupr. hoc tit.* ſiue *lex 19. de hæreticis*: DISPVTATIONES ſcilicet

 de

de religione populo admisso seu corrogato, sieubi ad concitandas seditiones, turbandúmque populum, certè in Ægypto cùm maximè, valuêre: Populo videlicet Ægypti & Alexandrini suopte ingenio & naturâ ad seditiones prono: de quo suis etsi iam locis diximus ad *l. 2. supr. de defensorib. ciuit.* (cuius eadem inscriptio est quæ huius legis) & *l. vnic. supr. de his, qui plebem audent contra publicam disciplinam colligere:* & ad *l. 31. supr. quorum appellat.*) his tamen adiungenda quædam de eo nobis sunt. Vt omittam historias Polybij, Philo Iudæus, de populis qui ob leuissima quoque facilè turbabantur agens: *ἐν οἷς*, inquit, *τὸ Ἀλεξανδρέων τὰ πολλὰ φέρεται, διὰ βραχέα* [illegible]. Hadrianus Imperat. de Alexandrinis & Ægyptiis apud Vopiscum, in Saturnino *Genus hominum seditiosissimum, vanissimum, iniuriosissimum:* vid. & Centium *lib. 4.* Pollionem *in 30. Tyrannis,* Euagrium *2. hist. Eccles. cap. 8.* Ammianum Marcellinum *lib. 12.* Ausonius noster de Alexandria & Antiochia.

——————*Vitiorum turbida vulgo*
Vtraque & amentu populi malè sana tumultu.

Itaque variis modis his Alexandriæ occursum: vide & *l. 24. supr de Episcopis.*

¶ Cæterùm inanis est Viri docti coniectura, qui contra Athanasium *hanc leg.* latam coniiciebat: id enim vel sola satis temporum ratio refutat, vtpote Athanasio iam diu defuncto. Videatur igitur potius hæc lex pertinere ad *Anthropomorphitarum* tumultum, qui hoc tempore Alexandriæ per Monachos Ægypti exortus fuit; *Theophilo* Episcopo Alexandrino contra eos nitente, qui & ideò ἐπὶ τῆς Ἐκκλησίας, ἐπὶ τοῦ λαοῦ in Ecclesiâ CORAM POPVLO hunc errorem insectatus est, Deúmque *ἀσώματον* *ἰδογμάτιζεν*: vnde & ipse vitæ quoque periculum adiit: de quo consulendus Georgius Alexandrinus, editus à Tilemanno, & apud *Photium num. XCVI.* Socrates *lib. 6. cap. 7.* Sozomenus *lib. 8. cap. 11.* hósque secutus Nicephorus *lib. 13. cap. 10.* Etsi alio ordine & tempore hanc rem & historiam narrent.

¶ In specie porrò seu hypothesi huius legis, actum omninò videtur de quodam, vel de quibusdam tumultuosis, qui Catholicam fidem, & populum turbauerant, non tantùm post anteriorem quandam legem, verùm etiam postquam eo nomine iam sententiam pœnámque excepissent. Quare deportationis pœna, quæ *hâc lege* memoratur, *iterato delicto* imposita fuerit. Certè in genere, *d. l. 2. supr.* competens pœna dignúmque supplicium impositum fuit.

IV. * Imppp. ARCAD. Honor. & Theod. AAA. Anthemio Magist.' Officior.

CVNCTA Officia" moneantur, tumultuosis" se conuenticulis" abstinere, & qui sacrilego animo auctoritatem nostri Numinis ausi fuerint expugnare," priuati cingulo," bonorum proscribtione multentur. Dat. IV. Kalend. Febr. Constantinop. Honor. A. VI. & Aristeneto CONSS. [404.]

NOTÆ.

* Et *hæc lex* abest à *Cod. Iust.* velut temporaria. Memorat hanc legem Baronius *Anno* 404. *n.* 7 8.
' *Anthemius* Magister Officiorum sub Arcadio. Eidem inscribitur hoc ipso Anno 404. *lex* 14. *de Agentibus*, *lex* 5. *de Fabricens.*
" *Officia*, Palatina scilicet, quæ sub Magistro Officiorum erant, cui hæc lex inscribitur.
" al. à *tumultuosis*. Nil opus.
" Ioannitarum.
" *Expugnare* pro impugnare.
" *Cingulo*, id est, officio.

COMMENTARIVS.

IOANNIS CHRYSOSTOMI occasione, summus Anno 404. Constantinopoli tumultus excitatus fuerat, schismáque adeò in Ecclesiam inductum docet illius æui historia. Eò verò pertinent tres sequentes, huius tituli constitutiones, vt & quarta insuper, putà *lex 37. supr. de Episcopis:* Nam quod ille in statuam Eudoxiæ, superiore Anno 403. (vt ex Prosperi & Marcellini *Chronicis* constat) cum ludis & cultura hominum dignitatem excedente (vt loquitur *lex vnic. supr. de imaginib. Imperialib.*) erectam, inuectus publicè fuisset, summũ Eudoxiæ odium incurrit, Socrates, *lib. 6. c. 16.* Sozomenus, *lib. 8. c. 20. 21. & seqq.* & Georgius Alexandrinus, *in vita ipsius Chrysostomi* auctores. Euocati itaque mox Constantinopolim Episcopi ad Ioannem Chrysostomum de sede Episcopali deturbandum. Inde tumultus populi concitatus, aliis Ioanni Chrysostomo adhærentibus. Data proinde *hâc lege* opera Arcadij (Eudoxiæ coniugi obnoxij) vt *Ioannitarum* (sic enim dicti sunt, qui Ioanni Chrysostomo adhærebant) conuentus prohibentur: Et, quia *Officia*, quæ sub Magistro Officiorum Constantinopol. erant, *Palatina* scilicet (non Magistratuum Officiales, vt putauit Baronius & post eum alij) id est, Scholæ, Scutariorum, Clibanariorum, Gentilium armaturarum, &c. quibus ideò *cingulum, hâc leg.* tribuitur; plurimum fouendis istis conuenticulis conferre poterant, vtpote quorum est numerus magnus, & ad arma tractanda idoneus esset, prohibita *Officia* istis sese conuenticulis miscere, sub grauissima pœna: exauctorationis & bonorum proscriptionis: dato eiusce rei exequendæ negotio *Magistro Officiorum*, cui ideò hæc lex inscribitur, qui videlicet Palatinis istis officiis præerat. Inde enim nomẽ *Magistri Officiorum:* quomodo & apud Græcos ὁ ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων ἡγεμών, seu Μάγιστρος dictus, vt ex Zosimo *pluribus locis* aliísque constat: de quo Magistro Officiorum suo titulo *lib. 6.*

¶ Illud notandum, hanc legem, duásque proximas hoc titulo fugitiuas esse, atque adeò ad tractatum *de hæreticis* malè referri à nonnullis: neque enim hic tumultus, seu hæc conuenticula, quæ his tribus legibus occasioné præbuêre, super religione fuerant, vel quod corã populo de religione tractare interdictum foret, verùm eâ quam dixi, occasione.

v. * Idem

V. * Idem AAA. Studio" P. V."

SI quis ſeruos in hac" Sacratiſſima Vrbe poſſideat, eos à tumultuoſis conuenticulis" faciat temperare : ſciens, ſe pro ſingulis ſeruis qui intereſſe conuentibus interdictis fuerint comprehenſi, trium librarum auri diſpendio feriendum: ſeruis videlicet puniendis. ¶ Quam formam in Nummulariis, ceteriſque huius Almæ Vrbis Corporibus, volumus ſub pœnâ grauiore ſeruari, vt vnumquodque Corpus pro his quì de ſuo numero conuentus celebrare inlicitus detegentur, ad quinquaginta pondo auri ſolutionem multæ nomine adſtringatur. Dat. III. Id. Sept. Conſtp. Honorio A. VI. & Ariſteneto COSS. [404]

NOTÆ.

* Et *hæc lex* abeſt à *Cod. Iuſt.* velut temporaria. Memorat hanc legem Baronius *Anno 404. num.* 54. 55.

"*Studio* huic P. V. Conſtantinopolitanæ inſcribitur hoc ipſo Anno 404. & *lex* 37. *ſupr. de Epiſcopis*, quæ etiam ad hanc ipſam hiſtoriam pertinet. De eo plura in *Proſopogr.* ex Chryſoſtomo & Palladio.

"Conſtantinopolitanâ.

"Ioannitarum.

COMMENTARIVS.

IOANNI CHRYSOSTOMO Epiſcopali ſede deiecto, & Cucuſum eiecto ſeu relegato, inſtictus hoc eodem Anno 404. 6. Kalend. Iulias (vt docet Chronicon Alexandrinum) *Arſacius*: de quo & *lege ſeq.* agitur. Hinc ſciſſa duas in partes Eccleſia Conſtantinopolitana. Itaque aliis Eccleſias obtinentibus, Ioannitæ ſuos extra Eccleſiam conuentus priuatim habuêre, cæterorúmque communionem execrati ſunt, vt teſtatur Socrates *lib.* 6. *cap.* 16. Sozomenus *lib* 8. *cap.* 23. & *l.* 37. *ſupr. de Epiſcopis*, & *l. vltim. infr.* His igitur prohibendis Arcadius vt ſuperiore lege, Palatina Officia, ita & hâc conſtitutione (vt & *d. l.* 37. *ſupr. de Epiſcopis*) *ſeruos*, ab his conuentibus arcendos ratus eſt, vt & *Corporatos* Vrbis Conſtantinopolitanæ (de quibus dictum *ſupr. lib.* 14.) ac nominatim *Nummularios*, de quibus ἀργυροπώλαι Conſtantinopolitanis paulò ante in hiſtoria Gainæ Socrates, *lib.* 6. *cap* 6. & Sozomenus, *lib.* 8. *cap.* 4. Idque hac ratione, dominis videlicet ſeruorum multâ indictâ, quorum ſerui his conuentibus interfuiſſent ipsiſque ſeruis pœna corporis: Nummulariorum verò Corpori aliiſque, ſi qui de eorum numero ad hos conuentus conueniſſent, grauiore adhuc pœna, 50. pondo auri. Quæ ſanè grauiſſima multa eſt.

¶ Porrò hæc lex inſcripta eſt *Studio Præfecto Vrbis*, cuius pariter meminit Theodorus Diaconus apud Palladium *in dialogo*: vbi agit de hoc ipſo exilio Chryſoſtomi, quæque eius occaſione euenêre. De eo alioquin plura in *Proſopographia*.

VI. * Idem AAA. Eutychiano PF. P."

RECTORES Prouinciarum" moneantur," vt conuentus eorum" arceantur inliciti, qui Orthodoxarum" religione ſubfulti, ſpretis Sacroſanctis Eccleſiis aliò conuenire conantur: his qui ab Arſacij," Theofili, Porfyri) Reuerentiſſimorum ſacræ legis Antiſtitum) communione diſſentiunt, ab Eccleſia proculdubio repellendis." Dat. XIV. Kalend. Decembr. CP. Honorio A. VI. & Ariſteneto COSS. [404.]

NOTÆ.

* Memorat hanc legem Baronius *Anno* 404. *num.* 55. 56.

"*Eutychiano*: hic PP. Orientis fuit ſub Arcadio ab Anno D. 397. ad Annum 405. de quo plenè in *Proſopogr.* vide de eo & Palladium *apud Baronium hoc Anno* 404. *n.* 78.

"Per Orientem: veluti Syriæ, &c.

"à te.

"Ioannitarum.

"Orthodoxorum, id eſt, qui licet orthodoxi ſint, tamen, &c.

"*Arſacius* Epiſc. Conſtp. de quo ad *leg. ſuperiorem.*

"*Theophilus* Epiſcopus Alexandrinus.

"*Porphyrius* Epiſcopus Antiochenus.

"id eſt, pro ſchiſmaticis habendis: *Schiſmatici* enim ſunt, qui nullo de religione diſſidio, altare contra altare erigunt vide *tit. infr. de hæretic.*

COMMENTARIVS.

IOANNITÆ, id eſt, Ioanni Chryſoſtomo, qui Conſtantinopoli eiectus fuerat, adhærentes, non intra Vrbem Conſtantinopolitanam modò, verùm & per Prouincias Orientis, per Ægyptum, ac Syriâ nominatim, vbi Antiochia, ſuos extra Eccleſiam conuentus habuêre: Atque vt ab Arſacij Conſtantinopolitani, ita & à Theophili Alexandrini & Porphyrij Antiocheni Epiſcoporum in vnum conſpirantium συμφωνίαν, communione diſceſsêre. Quare hi

nunc

nunc hac Arcadij lege extra Ecclesiam cœtus ſuos agere prohibentur, atque ad communionem prædictorum Epiſcoporum redire iubentur: alioqnin, quantumlibet Orthodoxi, ab Eccleſiâ repelli, neque pro Orthodoxis, ſed ſchiſmaticis haberi iubentur. Huius verò constitutionis meminit Sozomenus, *lib* 8. *c*. 24. ſequentibus verbis: *Διαδέχε) τὴν Ἀντιοχέων Ἐκκλησίαν Πορφύριος καὶ ἐπεὶ τοῖς κατ᾽ αὐτὸν (Ἰωάννην) κεχωρισμένοις ἐπεφορτίσατο. πολλοὶ τῶν ἐν τῇ Συρίᾳ τῆς ἐνθάδε Ἐκκλησίας ἐχωρίσθησαν: καθ᾽ ἑαυτούς τε τὰς συνόδους ποιούμενοι, πραγμάτων καὶ πείρων δεινῶν ἀπεπειράθησαν: χάριν γὰρ τῆς πρὸς Ἀρσάκιον κοινωνίας καὶ Πορφύριον τοῦτον καὶ τὸν Θεόφιλον τὸν Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπον, σπουδῇ τῶν ἐν τοῖς βασιλείοις δυνατῶν* ΝΟΜΟΣ ΕΤΕΘΗ *τοὺς ὀρθῶς δοξάζοντας ἐκτὸς τῶν Ἐκκλησιῶν μὴ συνιέναι: τοὺς δὲ μὴ κοινωνοῦντας αὐτοῖς ἐξωθεῖσθαι.* Meminit & Georgius Alexandrinus *in vita Ioannis Chryſoſtomi p.* 139. *num.* 61. Sed & Theodorus, Romanæ Eccleſiæ Diaconus, apud Palladium *in dialog.* ſimilem huic legem recitat: *Aiebant enim ſe fugiſſe, propter comminationem Regalis Edicti ita continentem. Si quis non communicat Theophilo, Arſacio & Porphyrio, hic Epiſcopatu quidem arceatur, amittat vero ſi quam videtur habere ſubſtantiam pecuniarum ſiue prædiorum.* Repetita verò hæc lex Ann. D. 406. ſub Attico mox Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui Arſacio, Anno proximo 405. 16. Nouembris mortuo ſuffectus fuerat, de qua lege Georgius *in vita Ioannis Chryſoſtomi num.* 63. & Nicephorus *lib.* 13. *cap.* 30. Ingens interea perſequutio excitata aduerſus Eccleſias Dei, Attici instinctu (neque enim cum hoc quoque communicare quiſquam, propter eum quo Ioannem maximè proſequebantur amorem, volebat) iuſſiones Imperiales paſſim circumferebantur in hæc verba: *Si quis Epiſcoporum cum Theophilo, Attico, Porphyrio communicare noluerit, exterris Eccleſiâ eſto.* Quæ cùm ita ſint, apparet, quàm malè nonnullis hæc lex velut ſimilis aptetur *legi* 15. *infr. de hæreticis.* Eſt enim ea lex, quod vel titulus ſatis oſtendit, de hæreticorum cœtibus prohibendis.

¶ Interim tria hîc obſeruanda ſunt. Primò, exemplum reuocandorum ſubditorum ad exemplar & communionem inſigniorum Epiſcoporum & Patriarcharum, de quo iam dictum plenè ad *l.* 2. & 3. *ſupr. de fide Cathol.* Qui ſanè in Orientis Imperio tres erant, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus. De quibus videtur ſenſiſſe & Hieronymus *epiſt. ad Vigilantium. Quid facient Orientis Eccleſiæ? Quid Ægypti? & Sedes Apoſtolica?* Nempe *Sedes Apoſtolica*, Antiochena: vbi ſcilicet Chriſtianorum nomen primum ortum. Secundò, ordo obſeruetur inter hos tres Patriarchas: Nempe rectè Conſtantinopolitanus primo loco *hac leg.* nominatur: ſecundò, Alexandrinus: tertiò, Antiochenus. De cuius ordinis fide & ratione alibi iam dixi. Eúmque ordinem perperam turbatum vides in lege quam Theodorus Romanæ Eccleſiæ Diaconus apud Palladium memorat & apud Nicephorum, ſubmoto ſecundum in locum Conſtantinopolitano. Quod quo conſilio factum fuerit haud adeo obſcurum ei qui naris aliquid habet.

¶ Tandem obſeruandum, hanc legem datam *ad Eutychianum Præfectum Prætorio* hoc Anno 404. pariter vt Theodorus Diaconus *in rebus Ioannis Chryſoſtomi*, ac nominatim in iis, quæ exilij eius occaſione euenère, meminit apud Palladium *in dialogo*, vna cum Studio P.V. cui ſuperior lex inſcribitur, referente Baronio *Anno D.* 404. *n.* 78. vbi tamen *Prætor* malè vocatur.

DE HÆRETICIS.

TITVLVS V.

I. Cod. Ivst. V. *De Hæreticis Manichæis & Samaritis.*

1. Nota hic ordinem titulorum, *de Hæreticis, de Iudæis, de Paganis*, quem eundem ordinem tenet paſſim Ioannes Chryſoſtomus, cùm de his agit: veluti ep. ad Innocentium, *tomo* 4. *Pariſ. edit. p.* 681.

2. Hoc verò titulo, atque in hoc argumento de hæreticis notabiles ſunt maximè ſex conſtitutiones, putà.

Lex 19. vbi hæreticorum *definitio* proponitur.

Lex 65. vbi dicitur non omnes hæreticos eadem auſteritate plectendos.

Lex 9 *&* 34. vbi hæreticis nonnullis certo caſu ſummum ſupplicium indicitur.

Lex 52. 54. vbi variæ rationes continentur, quibus præfractum & peruicax hæreticorum inſtitutum frangatur, & ad Catholicam vnionem reducantur.

3. Tandem notandum, cùm huius tituli ſint leges numero 66. Iuſtinianeo tamen Codice *ſex* tantùm exinde deſumptas contineri, quia ſcilicet cæteræ fermè temporariæ ſunt, vel ſimiles alias habent, vel correctas.

PARATIT

PARATITLON.

1. HÆRETICI per synonyma alia describuntur. *Dicuntur* scilicet sectatores hæresum *l.*14. eos hæresum errorem exagitare *l.*11. opinionem Dei plectibilibus prosanis imminuere *l.*5. eos veræ religionis venerabilis cultum, & Catholicæ obseruantiæ fidem sinceram condemnare *l.*12 eos in Deum miseræ vesaniam coniurationis exercere *l.*15. Dicuntur & diuersi dogmatis sectatores *l.*47. Catholicæ sectæ inimici *l.*42. sacrosanctæ legis inimici prosani *l.*5. *hoc tit.* Catholicæ Sectæ aduersarij, *l.*4. *ne sanct. bapt.*

2. ¶ *Sunt* autem Hæretici (vt ad definitionem secundo loco progrediamur) qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ religionis & tramite deuiant, *l.*28. cum pertinacia scilicet: vnde pertinaces spiritus his tribuuntur *l.*25. & obstinationis animi dementia *l* 6. obstinationis pertinax natura *l.*7. Ideoque etiã dementes vesanique iudicantur *l.*2 *sup. de fide Cathol.* communio dira bis tribuitur *l.*12. dementia *l.*24 error *l.*1.13.19.20.41.60. 63.64. Fucata nomina *l.*13. furor *l.*6. 25. 60. improbitas *l.*4. Infamia hæretici dogmatis, *l.*2. *supr. de fide Cathol.* insania *l.*65. institutio Deo & hominibus exosa, *l.*12. mens profana, polluta *l.*26. perfida mens *l.*12. 63. fucata *l.*37. peruersitas *l.*20. prosana institutio *l.*3. mens *l.*26. mysteria *l.*36. præcepta *l.*24. Religio criminosa *l.*13. execrabilis *l.*61. sæua *l.*43. Ritus prosani *l.*41. sacrilega cohors *l.*21. dogma sacrilegum *l.*8. mens sacrilega *l.*41. Denique passim *sacrilegium* hæreticis tribuitur, *l.*6.7.8.20.21.41.52.53 63. *vltim.* scæuum dogma *l.*19. Secta perfida *l.*15. scelus Sectarum *l.*7. *in fin.* superstitio *l.*5.10.51.55.63. vanitas *l.*76. vitiorum institutio *l.*12. vsurpatio *l.*4. virus, vt restituo in *l.*2. *ne sanctum bapt.* Hæretici verò nihilominus sunt, ij quoque qui, (quod facere solebant) noua nomina probatæ fidei & propositi castioris affectabant, vt Encratitæ, Apotactitæ, &c. Neque enim professione nominum defenduntur *l.*7. *in fin.*

3. ¶ *Opponuntur*, (quod tertio loco notandum,) hæreticis, Catholicæ legis seu religionis obseruatores, cultores *l.*1.6. Orthodoxi *l.*6. *infr.* & *l.vltim.* puræ religioni dediti *l.*7. quos rectæ obseruantiæ cultus & pulchritudo delectant *l.*11. Item hæresibus opponuntur, Catholica communio *l.*46. disciplina *l.*9. Ecclesia *l.*6. 47. 54. fides: vide *suprà de fide Catholica*, *l.*1. obseruantia *l.*54. Catholica obseruatio *l.*5. *in fin.* religio Catholicæ sanctitatis *l.*4. Religio *l.*6.28. sanctitas *l.*4.11. Secta *l.*24.44. veneratio *l.*38. Item perpetua sanctitas *l.*3. pura religio *l.*7. sacra religio *l.*43. Orthodoxorum Secta *lege vlt.* pax *l.*4. Ecclesiæ perpetuæ sanctitatis *l.*2.

4. ¶ *Catalogus* quarto loco hæreticorum & hæreseon hic ex hoc Codice, & hoc potissimùm titulo confici potest. 1. *Aetiani* vel Aëriani, qui per diœcesin Orientis fuère *l.*8. 2. *Apollinariani* seu Apollinarij *l* 14. 33. de quibus quinque sunt hoc titulo constitutiones: tres Theodosij Magni putà *lex* 12.13.14. vna, Arcadij *lex* 33. postrema Theodosij Iunioris *l.*65. qui per Præfecturam Prætorianam Orientis fuère *dictis legibus*. 3. *Apotactitæ*, de quibus *l.*7.11. qui inter alias Manichæorum Sectas fuère: vide *inf. Manichæi.* 4. *Ariani* de quibus agitur vndecim legibus *l.*1.6.8.11.12.13.59 60.65. & *l.vltim.* qui variis locis per Orbem Romanum fuère: per Præfecturam Orientis *l* 6.11.12.13.16.59.60.65. per diœcesin Orientis nominatim *l.*8. quorum hæresis, Venenum Ariani sacrilegij dicitur *l* 6. Ij & Porphyriani vocati lege Constantini *l vltim.* 5. *Ascodrogitæ*, vide *infr. Tascodrogitæ.* 6. *Audiani*: & hi in Præfectura Orientis fuère *l.*65. vt & 7. *Borboriani dict. l.*65. 8. *Donatistæ*, in quos (prætermissis anterioribus Constantini, Gratiani & Theodosij M. constitutionibus) liquidò sunt hoc titulo duodecim Honorij constitutiones *l.*37.38.39.40. 41.43.44.46.52.54.55. vna Theodosij Iunioris, 65. (qui & Montenses dicti *l.*43.) in quibus Circumcelliones *l.*52. Fuère hi per Præfecturam Italiæ *l.*37.38.40. 46 ac nominatim per Africæ diœcesin *l.*52. & Prouinciam Africam *l.*41. 44. 54. 55. item in Præfectura Orientis *l.*65. Superstitio Donatista vocatur *l.*39. Eorum audacia perstringitur *l.*44. desperatio fucatáque perfidia *l.*37. Manichæis iungitur & exæquatur *l.*38. 40. 41. 43. furere non desistebant *l.*38. 9. *Encratitæ*: vide *infr. Manichæi.* 10. *Euthysiastæ*, per Præfecturam Orientis *l.*65. 11. vt & *Euchitæ* pariter *d. l.*65. 12. *Eunomiani*: de quibus occurrunt hoc Codice viginti & vna leges ab Anno Domini 381. seu à tempore secundæ Synodi Oecumenicæ Constantinopolitanæ, puta Theodosij M. leges septem: *lex* inquam 6.8.11.12. 13.17.23 Arcadij leges sex *l.*25.27.31.32.34 36. Theodosij Iunioris leges octo *l.*49 50 58. 59 60.61 65. *hoc tit.* & *l.vltim. infr. ne sanctum baptisma*: quibus adde & Nouellam eius 3. vers. superest, vbi *Eunomianos hæretica fatuitatis auctores* vocat, qui quidem Constantinopoli fuère *l.*58. per Præfecturam Prætorianam Orientis *d. l.*6.11.12 13.17.23.25.27. 31.32.34. per diœcesin Orientis *l.*8. Horum perstringitur dementia *l.*32. facinus *l.*31.

hoc tit. & *d.l.vltim. infr. ne ſunctam baptiſma* : furor *l.*25. 31. 32. immanis furor *l.vltim, infr. ne ſanctum baptiſma* : perfidia *l.*6. perfida mens & nequiſſima ſecta *l* 25. ſuperſtitio *l.*34.49. veſania *d.l.*25. nefarij cœtus ac funeſta conuenticula *d.l.vltim. infr. ne ſanctum baptiſmu* : 13. *Eureſius* hæreticus de quo *l.*28. 14. *Fotiniani*, de quibus *l.*6. 65. vnde & labis Fotinianæ contaminatio *dict. l.*6. qui in Præfectura Orientis fuêre *dictis legibus*. 15. Fryges, de quibus *l.*40. 59. 65. in Præfectura Orientis, *dict. l.*59. 65. Italiæ *l* 40. 16. *Hydroparaſtatæ*, quæ Manichæorum ſecta fuit *l.*7.9.11.65. 17. *Iouinianus* hæreticus in Epiſcopatu & Præfectura Vrbis Romæ *l.*53. 18. *Macedoniani*, de quibus ſunt leges ſex: putà *lex* 11. 12 13. 59.60.65. in Præfectura Orientis *dictis legibus omnibus*. 19. Manichæi: de quibus agitur ſeptemdecim legibus, putà *l.*3. 7. 9. 11. 18. 20. 35. 38. 40. 41.43.59.62. 64.65. *hoc tit.* & *l* 24. *infr. de Paganis*. *l.*3. *infr. de Apoſtatis*. Hi inter hæreticos vel præcipui habiti: quare & noxij dicuntur, *l.*35. eorum cœtus & conuentus execrabiles: *l.*35. neſanda eorum ſecreta & ſceleroſi ſeceſſus *l.*3. *infr. de Apoſtatis* : ad imam vſque ſcelerum nequitiam perueniſſe dicuntur *d.l.*65. mundum ſolicitare *l.*18. à cæteris hæreticis velut inſigniores ſeparantur ſæpè, eóſque præcipuè Imperatores meritiſſimâ ſeueritate perſecuti *l.*40. vide *l.*3. *infr. de Apoſtatis* : & quæ dicam ad *l.*4. *eiuſdem tit.* & enixam in hos Valentiniani 3. *Nouellam* 2. Horum nomina & ſectæ variæ fuêre *l.*7.9.11. (ideò & *officina* Manichæorum dicitur *d. l.*9) putà Encratitæ *l.*7.9.11. Aporactitæ, *l.*7.11. ſeu Solitarij *l.*9. Hydroparaſtatæ *l.*7.9.11.65. Saccofori *d.l.*7.9.11. Fuêre Manichæi intra Præfecturam Italiæ *l.*1.40.45. in Diœceſi Africæ nominatim *l.*35. & quidem Africa Prouincia *l.*41. intra Præfecturam, Epiſcopatum Vrbis Romæ *l.*13. 18 20. 62. intra Præfecturam Orientis *l.*7.9.11. 20. *Marcelliani*, qui in Præfectura Orientis fuêre *l.*65. 21. vt & *Marcianiſtæ d.l.*65. 22. *Meletiani*, vide *infr. ſchiſmatici*. 23. *Meſſaliani* in Præfectura Orientis *d.l.*65. 24. vt & *Montaniſtæ*, pariter *l.*34.48.57.65. *hoc tit.* quorum nefaria ſuperſtitio dicitur *l.*48. 25. *Montenſes*, qui & Donatiſtæ : vide *ſupr. Donatiſtæ*. 26. *Neſtoriani* in Præfecturâ Orientis *l.vltim.* qui & Simoniani *d.l vltim.* 27. *Nouatiani*, de quibus agitur quatuor legibus *l* 2.59.65. *hoc tit.* & *l.*6. *infr. ne ſanctum baptiſmu* : *l.*24. *de Paganis*, qui intra Præfecturam Vrbis Romæ fuêre *l.*2 per Præfecturam Orientis *d.l.*59 65. & *d.l.*6. quique vna cum Sabbatianis tolerabilius habiti quam cæteri. 28. *Pauliani* in Præfectura Orientis *l* 65. 29. Itidem *Pepuzita*, de quibus *l.*59. *hoc tit.* & *l.*24. *infr. de Paganis*. 30. *Pneumatomachi* etiam *l.*11. 31. *Porphyriani* iidem cum Arianis *l.vltim. Phryges*, vide *ſupr. Fryges*. 32. *Priſcillianiſtæ*, de quibus *l.*40.43 48.59.65. qui intra Præfecturam Italiæ fuêre, *l.*40.43. & in Præfectura Orientis *l* 48.59 65. Alij Priſcillianiſtæ intra Hiſpaniam, de quibus accipio *l.*14 *ſupr. de accuſationib.* Horum nefaria ſuperſtitio dicitur *d.l.*48. 33. *Protopaſchita* (Nouatianorum ſecta) de quibus *l.*6. *infr. ne ſanctum baptiſma*. 34. *Sabbatiani* (Nouatianorum ſecta) in Præfectura Orientis *l.*59.65. 35. *Saccofori* Manichæorum ſecta *l.*7.9.11. 36. *Taſcodrocitæ l.*10. qui perperam Aſcodrogitæ, *l.*65. in Præfectura Orientis fuêre *dict. l.*65. in diœceſi Pontica *dict. l.*10. 37. *Valentiniani* in Præfectura Orientis *dict. l.*65. Illud memorabile, per Gallias nullam hæreſin hoc Codice memorari: & ſanè Gallia (teſte Hieronymo) ad hoc æui nulla monſtra aluit. Quidam etiam hæretici nominibus ſuis non deſignantur, ſed de erroribus ſuis denotantur: veluti, qui redempta venerabili lauacro corpora reparatâ morte tabificant, id auferendo quod geminant, *l.*3 qui in vnum Paſchæ diem non conueniunt *l.*9. *in fin.*

5. Suos porrò, quod quintum eſt huius Paratitli caput, hæretici, non minus quam Catholici, ordines Eccleſiaſticos habuêre *l.*26. Antiſtites, *l.*24.28.36.54. Sacerdotes *l.*5.12. 13.52. Principatum tenentes, *l.*19. Magiſtros, miniſtros, *l.*5.8.12.13.52.54. Lectores *l.*19. Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, *l.*5 14.19.22.26.54.57. Clericos *l.*14 19 21.30.31.32. 34.51.57.58.65 Profeſſores *l.*12. ſeu Doctores *l.*3.31.32 qui doctrinam vel myſteria exercebant *d.l.*12. docebant, *l.*24. Harum profeſſionum Pontificium ſibi vel miniſterium vindicabant, *l.*13. ſuas item quandoque habuere Eccleſias, ſuos cœtus, de quibus *poſteà* & in his altaria *l.*4.15. ſua cœmeteria *l.*1. *hoc tit.* ſua diaconica vel decanica *l.*30. ſuas ſolemnitates *l.*12. litanias *l.*30.

6. Quâ verò *conditione*, quo loco ſub Chriſtianis Imperatoribus hæretici habiti fuerint: Quibus *rationibus* peruicax eorum inſtitutum frangere & ad Catholicam fidem ſeu vnitatem eos reducere iidem ſtuduerint: Quibus denique *pœnis* affecerint, docent huius tituli conſtitutiones. Certè partim ratione, partim terrore cum bis actum teſtatur *l.*63.

Primùm hæretici *Edictis* inuitati ad fidem Catholicam: propoſitâ eius formulâ ſecundum diſciplinam Apoſtolicam & Euangelicam doctrinam, & exemplis Epiſcoporum inſigniorum Catholicorum allatis, itémque Synodo Nicæna prælata; vindictâ etiam & vltione propoſitâ, *l.cunctos populos* 2. & 3. *ſupr. de fide Cathol. l.vlt. de his qui ſupr. relig. l* 6. *h.t.*

Cuiuſmodi

Cuiusmodi est etiam Edictum vnitatis seu ἑνωτικὸν Honorij cuius pars est *l.38. hoc tit.* & *lex 3. ne sanctum baptisma.*

Secundò, inuitati *Pœnitentia* & abolitione proposita hæretici ipsi ad fidem Catholicam & vnitatem, quocunque tempore, vt *l.40.41.52 62.64.hoc tit.* & *l.4.ne sanctum bapt.* vt & hæreticorum vxores, filij, serui: de quo *infrà.* Et tempus certum ad id quandoque præfinitum *d. l 62.* Tertiò, *Collatio* quandoque cum his instituta de Religione, cognitórque super eo datus: cuiusmodi fuit collatio Carthaginensis, & Marcellinus Tribunus & Notarius cognitor: quò pertinet *lex 55. hoc tit.* & *l vlt.infr. de Religione.*

Deinceps variis admodum interdictis, pœnísque aduersus hæreticos, résque eorum actum: Quam in rem præter alias Constitutiones, singulares maximè sunt & plenissimæ *lex 52.& 54.* Nempe *Doctores* hæreticorum *docere* seu fidem insinuare vetiti *l.3.5.13.24. hoc tit.* sibique adeò tantùm nocitura sentire, non verò aliis obfutura pandere, permissi *d.l 5.* seu domestico secreto soli fouere virus impiæ disciplinæ *l.2. ne sanctum baptisma:* contra ritus suos exercere docereque prohibiti *d.l.13.* alioquin, graui censione multati, veluti Manichæi: *d l.3.* vrbibus pulsi, inque exilium trusi: vt Eunomiani, Macedoniani, Ariani, Apollinarij *l.13. 14. 31. 32. 33. 45.* Imò & *disputare* de religione publicè turbis coadunatis vetiti: de quo titulus *supr. de his qui super relig.* & *l.46. hoc tit.* alioquin competenti pœna & digno supplicio coërceri iussi *l.2 eod.tit.*deportatione & exilio *l.3.eod. tit.* *Episcopi, Clerici,* Sacerdotes ab hæreticis, ordinari, institui, confirmari prohibiti *l.12, 14.21. 22 24.26 27 37 58.65* Creati, pro Episcopis vel Clericis non habiti *d.l.24 26.28.l 1.infr.ne sanctum baptisma:* Priuilegiis Clericorum quibus Catholici fruebantur non fruiti, imò muneribus constricti & subiecti *l.1. hoc tit.*& *l.2.3. supr. de Episcopis.* Vrbibus seu ciuitatibus quandoque hactenus pulsi, quandoque etiam in exilium missi, vel deportati *l.13.19. 30.31.32.34.52.54.* veluti Eunomiani, Montanistæ, *d.l.31.32.34.57.58.* Apollinarij *l.33.* Donatistæ *l.52.54.* Idque aliquando bonis omnibus confiscatis, *l.34.54 hoc tit.* & *l.vltim. ne sanctum baptisma:* Aliquando decem libris auri multati vnà cum ordinatoribus, & ad conueniendum loca præbentibus nonnullis. Quæ pœna à Theodosio Magno constituta *l.21.* probata deinceps Honorio *l.39.*& Theodosio Iun. *l.65.* Imò & si pauperes essent, ea multa de communi Clericorum corpore vel donariis illata, *l.65.* Quandoque plumbo contusi, exilio coërciti, vel deportati *l.53.* Et ad soluendam eorum societatem viritim ad singulas quasque regiones in exilium missi, exilij discretione fulti, solitarij, & longo spatio positis inter se insulis in perpetuum deportati *l.52.54.63.*

Cœtus & conuentus tractatúsque hæreticorum (qui infausti & damnati conuentus dicuntur *l 34.* nefarij cœtus, funesta conuenticula, *l.vltim. infr. ne sanctum baptisma*, inlicitæ, & profanæ coitiones, *l.7.* conciliabula *l.5. hoc tit.*& *l.2. supr. de fide Catholica:* conuenticula *l.7.10. hoc tit.* & *d.l.vltim.* congregationes *l 6.*) ad ritus suos celebrandos prohibiti, *l.4.5.6.10.11.12.14 15.19.20.2 .26.30.45.52.53.54.56.65.hoc tit.* & *vltim. infr.ne sanctum. bapt.* speciatim Apollinariorum *l.12.14.33.* Arianorum *l.11.12.* Eunomianorum, *l.11.12. 33.36 58. hoc tit.* & *d.l.vltim. infr. ne sanctum baptisma:* Iouianorum *l 53.* Macedonianorum, *l.11.12.* Manichæorum, *l.3.7.9.11.35.* Montanistarum, *l.34.57.* Nestorianorum *l.vlt* Tascodrocitarum *l.10.* Cœtus inquam hæreticorum vetiti, seu *colligere* vetiti, *l 14.20.21.* (vnde collectiones *l.36.*) Idque tam priuatis quam publicis locis, *l.9.12.16 30.* clarè vel apertè, *l.vltim.* palàm vel in secreto, *l.46.* Tam nocte quàm die, ad Litaniam fortè faciendam *l.36.* Aliquando, intra ciuitates tantùm claràsque vrbes seu oppida, *l.6 in fin.l.7.vers. illud etiam l.65.* Aliquando vbique, tam intra vrbes seu mœnia, quàm suburbana territoria earum, villas, oppida, *l.4.6 7.8.9.12 34 45.53.58.63. vltim. hoc tit.* & *l.vltim. infr. ne sanctum baptisma:* Quem in finem Doctoribus hæreticorum commeandi extra vrbes suas, ad quælibet alia loca, aut euagandi ad vrbes potestas adempta, *l.12.* Vrbibus præcipuis pulsi *l 13.14.33.hoc tit.*

¶ Prohibiti verò cœtus hæreticorum, & disputationes in his, sub *pœna* proscriptionis, & exilij seu deportationis *l.34.36.45.51.58 63.vltim. hoc tit.* & *d.l vltim. infr. ne sanctum baptisma.* Imò & sanguinis quandoque in specie *legis 51.& 52.* & pernicies *l.4.*

¶ Iniunctáque cura, cœtus videlicet hæreticorum prohibendi, 1 *Iudicibus* seu Rectoribus Prouinciarum *l.4.24.40.46.65.* idque inter præcipua exequi iussi *l.46.* sub pœna iis qui id non prohibuissent vel dissimulassent, perniciei *d.l 4* dignitatis amissionis, *l.48.* grauioris etiam motus Principis *d.l.46.* multæ *l.46 52. hoc tit.* & *l.4. infr. ne sanctum baptisma:* 2. *Officialibus* item Magistratuum Iudicum, *l.12. in fin. l.24.30 40 46.65 hoc tit.* & *d l.4. ne sanctum baptisma:* alioquin sententiæ damnationíque subdi iussi, *d.l.12.* multa his imposita *d l.30.40 46.* 3. *Defensoribus* item ciuitatum *l.4 .45.65.h.t.*& *d.l.4. ne sanct.bapt.* 4. *Principalibus* vrbiũ & Decurionibus *l.12.40.45.46.65.h.t.*& *l.4.* Imò & priuatis in sp.*l.11.*

† Loca ipsa seu *Fundi* domúsque & habitacula (quæ magnorum fermè erant *l.2. infr. ne sanctum baptisma:*) in quibus cœtus seu conuentus, ritusve hæreticorum habiti fuissent, domino sciente, vel confiscata *l.3.4.8.12.21.30.33.34.36.40.45.57.58.l.2.4.* & *l.vltim.infr.ne sanctum baptisma*: vel Ecclesiis & Clericis vindicata, *l.65*. His etiam quibus aliena prædia seu possessiones commissæ erant, veluti conductoribus, procuratoribus, actoribus, villicis, qui hos cœtus fuissent, variæ pœnæ indictæ *l.21.34.36.40.52.54.57.65. hoc tit.* & *l.4. ne sanctum baptisma:* quandoque etiam vltimæ animaduersionis, *l.34.* & vltimi supplicij *l.36.* Tandem Catholicis quibúsque cœtus hæreticorum disturbandi potestas data *l.11. in fin.*

Participes, conscij quoque eadem pœna qua superstitionis authores *l.63.*

Ecclesiæ hæreticorum opponuntur Ecclesiis perpetuæ sanctitatis *l.2.* quas pax nostra obtinet *l.4.* dicuntúrque conciliabula, *l.2. supr. de fide Catholica*: mysteriorum loca, *l.6.* domus & habitacula in quibus profana institutione docebant *l.3.* loca in quibus falso religionis obtentu altaria locabant *l.4.* non Ecclesiæ *d.l.2.* verùm ad imaginem Ecclesiarum parietes priuati *l.11.* feralium mysteriorum sepulchra *l.7 vers. illud etiam*, antra feralia *l.57.* si Ecclesiæ Catholicæ ex ereptæ fuissent, eidem restitui iussæ, *l 2. in fin. 6 in fin. 52.65. hoc tit.* & *l 2. infr. ne sanctum baptisma*: proprias verò Ecclesias *hæretici* fabricare vel habere prohibiti, *l.1.2.6.7.8.12.30.65. hoc tit. l.vltim. de fide Catholica:* tum in ciuitatibus tum in agris *l.8.12.* etiam in priuatis domibus vel locis priuatis *l.30.* Vt & diaconica vel decanica *l.30.* Iisdémque Ecclesiis quid donare vetiti *l.65.* Ecclesiæ alioquin quandoque vindicatæ seu addictæ Ecclesiis Catholicis veluti Montanistarum *l.43. 57. hoc tit.* vide & *l.65.* Priscillianistarum *d.l.43.* imò & Donatistarum tandem *l.43.52 in fin. l.54. hoc tit. l.2. infr. ne sanctum baptisma*, vnà cum prædiis ad eas pertinentibus *l.52. in fin.* cum donariis & donationibus in huiusmodi Ecclesias factis *d. l.57. & 65.* Quandoque Ecclesiæ hæreticorum, domúsque & habitacula in quibus docebant fisco vindicatæ, *l.3.4.8.12.21.30.* Solis Nouatianis suas Ecclesias suáque cœmiteria reliquit Constantinus Magnus *l.2. hoc tit.*

Præter pœnas superius propositas in Doctores hæreticorum, in Episcopos & Clericos, in cœtus hæreticorum, eósque qui eos fuissent, locorum & Ecclesiarum proscriptiones, sequuntur Pœnæ hæreticorum in commune. Sanè, neque omnes hæretici eadem austeritate habiti, vt disertè illis verbis profitetur Theodosius Iun. *l.65. seu penult.* Et colligere etiam est ex *l.9. hoc tit.* Sic Theodosius Magnus *l.7. de Manichæis*: Tamen quoniam quid consuetudo & obstinationis peruicax natura mereatur, in hac tanta quam specialiter vigere volumus sanctione, iustæ sensu instigationis, agnoscimus, eos etiam qui post legem primitus datam, nequaquam ab illicitis & profanis coitionibus refrænari diuina saltim monitione potuerint, tanquam in ipsius statutæ legis iniuriam, velut sacrilegij reos tenemus, seueritatem præsentium statutorum, non tantùm ad constituendæ, sed ad vlciscendæ legis sanximus exemplum, ita vt nec defensio temporis prosit. Sic & Honorius *l.40.* (vnde interpolata lex *Manichæos 4. Cod. eod.*) Præcipue tamen Manichæos, vel Phrygas, seu Priscillianistas meritissima seueritate persequimur. Sic & Arcadius *l.25.* Eunomianos speciali commemoratione damnare se ait: vbi quatuor genera seu gradus constituuntur à § *posthac*, ad §.*nullus*. Sed neque iidem eodem semper pœnæ genere affecti: Sed auctis pœnæ certis gradibus *l.52. 54. 62.* post longam patientiam *l.54.* proue consuetudo obstinationis & pertinax natura mereretur, iustæ sensu instigationis *l.7.* post frustratam spem correctionis, *l.25.* Sed & statutæ iam olim in hæreticos grauiores pœnæ, tandem ad alios, certis de causis & procacia eorum augescente, productæ. Enim verò in commune hæretici. I. *Infamia* notati seu infames habiti *l.7.54.* seu notabiles, *d.l.7.* vnde & hæretici dogmatis infamia, *l.2. supr. de fide Catholica*, & famosa hæreticorum nomina, *l.13.* quod & de Donatistis etiam tandem cautum *l.54.* à cœtibus honestorum & conuentu publico segregati *d.l.54.* II. *Traducti* seu infamiæ obiectati Edictis publicis. Ita Honorius, rescriptum quod Donatistæ à Iuliano impetrauerant proposito programmate celeberrimis in locis anteferri voluit, vna cum gestis & precibus eorum, quò omnibus innotesceret Donatistarum desperata fucatáque perfidia, *l.37.* Sic *Nomina* his indita odiosa: Arianis, Porphyrianorum: Nestorianis, Simonianorum *l.vltim. hoc tit.* III. à *Romana* propemodum conuersatione quandoque quidam submoti, veluti Manichæi, Eunomiani, Montanistæ, Priscillianistæ *l.48.* Romano iure non viuebant *l.17.* nihil commune cum reliquis, cum mundo habebant *l.17.18* nihil ex moribus, nihil ex legibus his cum exteris commune fuit, *l.40.* quæ pœna peregrinorum mutandæ conditionis dicitur *l.36.* IV. Et ideò *Militare* prohibiti, *Dignitatibúsque* omnibus fungi in quacunque Militia, Palatina, administratione Prouinciæ, *l.25.*

942.

9.42.48.58.61.65. Quâ parte elegans est Honorij dictum *d. l.42. Nullus nobis sit aliquâ ratione coniunctus qui à nobis fide & religione discedat.* Quod à Theodosio Magno primùm statutum docet *lex 29.* & indicat *lex 25.* ab Arcadio id confirmatum nominatim in Eunomianos *l.25. 29.* ab Honorio *l.42.* à Theodosio Iun. in Montanistas, Priscillianistas, aliósque *l.48.* in Eunomianos & alios *l.58.61.* in omnibus hæreticis *l.65.* Et si qui in vrbe militare dignoscerentur vna cum his quibus conniuentiam præstarent, extra mœnia vrbis pulsi, *l.29.* Et tamen neque à castrensi seu armata militia prohibiti *l.65.* neque à Curia aut cohortali militia, *l.48.61.65.* V. *Intestabiles* fuêre, id est testamenti condendi in quamcunque personam criminis societate coniunctam, vel ex testamẽto capiendi ius iis denegatum, quod de Manichæis nominatim cautum *l.7. 9 18. 65. hoc tit.* & *l.3. infr de Apostatis*: de Eunomianis non tamen perpetuò: intestabiles scilicet facti *l.17.25.49.50.58.* testabiles rursum redditi & viuere iure Romano permissi, *l.23.36.* Donatistæ tandem etiam intestabiles redditi, *l.54. hoc tit* & *l 4. infr. ne sanctum baptisma.* Quare hæreticorum bona, hísque delata, velut caduca fisci viribus vindicata *l.7 9.17 49.* vel populo, Romæ *l.18.* non obstante quacunque temporis proscriptione, *l.7.* de quo posteà: sic etiam, vt ea peti à Principe non possent, verùm in iure fisci manerent semper *l.49 50.* Exceptæ tantùm certæ personæ, in quas testari possent *l 65.* VI. *Donandi* item, donationésque capiendi ius hæreticis conuictis denegatum: nominatim Manichæis *l.7.9. 40 65.* Eunomianis *l.36. 49. 50 58.* Donatistis tandem etiam rebaptizantibus *d.l.4 infr. ne sanctum bapt* VII. *Contrahendi*, emendi, vendendi etiam ius ademptum Manichæis, Phrygibus, Priscillianistis, *d.l.40 & 48.* Montanistis, *d l 48.* Donatistis tandem etiam rebaptizantibus & rebaptizatis *d.l.4. infr. ne sanct. bapt.* VIII. *Contrahendi*, emendandi, vendendi etiam ius ademptum Manichæis, Phrygibus, Priscillianistis, *l.40. & 48.* Motanistis, *d.l.48.* Donatistis tandem etiam rebaptizantibus & ab his vltro rebaptizatis *l.54. h.t.* & *d.l.4. infr. ne sanctum bapt.* IX *Multa* etiam imposita hæreticis nonnullis, nisi ad Catholicam redirent, *l 39.52 54.* pro qualitate & conditione personarum. X. Ex sedibus suis, vrbibus & Prouinciis quandoque *pelli* nonnulli iussi, *l.13.14.15.16.18.20.29 62.65.* ab omnibus locis, à mœnibus vrbium, à congressu honestorum, à communione Sanctorum *d.l.14.* etsi non omnes neque semper *l.10.* Deportati *l.52.57.58.* Proscriptione bonorum plecti iussi vel statim *l.18.40.53.* vel si post multam non emendati fuissent, *d.l.40.* Plumbo etiam hæresiarchæ quandoque contusi *l.53.* vt & conductores, procuratores, domum cœtibus ritúque hæreticorum præbentes, *l.4 ne sanctum baptisma*: Doctores Manichæi graui censione multari iussi à Valentiniano Sen *l.3.* Perniciem minitari *l.4.* Rebaptizantibus & rebaptizatis supplicium quoque impositum *l.6.* & *vltim. ne sanctum baptisma.* Quandoque minitati Impp. veluti Theodosius in *l. cunctos populos*, pariter diuinam vindictam & vltionem motus sui, quam ex cœlesti arbitro sumerent. XI. Quod pœnam sanguinis, seu vltimum suppliciũ attinet nulla lex occurrit, quâ generaliter vltimum supplicium hæreticis imponatur, verùm singularibus casibus eam minitati Imperatores. Prima omnium hoc Codice Theodosij M. lex occurrit Anno Domini 382. de summo supplicio hæreticorũ, Encratitas scilicet, Saccoforos, Hydroparastaras & Manichæos summo supplicio & inexpiabili pœna iussit affligi, puta *l.9. h.t.* 2. Exinde filij quoque eius supplicia hæreticis indicta firmauit *l.16* 3 Procuratoribus item possessionum, in quibus prohibiti hæreticorũ cœtus agitati fuissent, veluti Eunomianorũ, Montanistarũ, vltima animaduersio, seu vltimum supplicium impositum *l.34. & 36.* Clericos item Eunomianorum & Montanistarum, si post prohibitionem vrbibus eiecti, in aliquâ vrbe deprehensi fuissent vel domum aliquam ingressi fuissent ad celebrandam superstitionem suam, ademptis bonis vltimâ animaduersione plecti iussi, *d.l.34.* 4. Codicum item recentatores, noxiorum quandoque capite plecti iussi, *d.l 38. in fin.* 5. In seditionis item concitatores, si turbæ conuenerint, aculeos acrioris commotionis exerendos statuit, *l.38.* 6 Exurgentibus etiam variis hæresibus quibusdam supplicium iustæ animaduersionis indictum *l.43.44.* 7. In commune hæreticis quibusdam si in publicum conuenirent quandoque seuerissimum supplicium *l.15.* seuerissima emendatio imposita *l.35.* imò & pœna proscriptionis & sanguinis, *l.51. 56.* iudicium etiam comminati Manichæis si vrbe non egrederentur *l.18.* 8. Austeriorem etiam sententiam his comminati Principes, si damnata & vetita pertinaci improbitate repeterent *l.52.* criminibus debitâ seueritate plecti *l.63.* 9. Quandoque si quinquies multati ab errore non reuocarentur, acerbius à se iudicandum de solida eorum substantia & statu definitum *l.54.* vt & coërcitos verberibus, exiliis mancipandos *d.l.54.§.8.* Et hæc quidem de pœnis hæreticorum: Quibus adde.

Initæ inuentæque & aliæ rationes & media aduersus hæreticos, quibus eorum partes frangerentur. 1. Nempe, publica hæc accusatio quandoque facta seu publicum crimen, veluti in Manichæos, Phrygas, Priscillianistas, *l.40.* 2. Exciti indices & delatores *l.9.* in Encratitas, Saccophoros, Hydroparastatas sine inuidia delationis, & ita vt nemo præscriptione communi exordium accusationis infringere posset. 3. Imò & Inquisitores & Executores quandoque dati seu missi ad cohibendos, inuestigandos, eruendósque è latebris hæreticos, offerendósque

iudicio, purà Encratitas, Saccophoros, Hydroparastatas, Manichæos, *l.9.12.13.in fin.*15.31.32. Donatistas furentes & seditiosos. Item & quorundam hæreticorum cœtus communi omnium conspiratione impediri, eósque pelli statutum *l.*11. 4. Imò seruis etiam accusatio dominorum permissa, & ad Ecclesiam Catholicam à domino transire *l* 40.5. Iisdémque, si ad ritus hæreticos à dominis adigerentur, refugiendi ad Ecclesiam Catholicam potestas vna cum præmio libertatis data, *l* 4. *ne sanctum baptisma.* 6. Contra serui ingenuique alienæ potestari subditi, puniti, si hæreticorum mysteriis initiari se veluti anabaptismo paterentur *l.*65. 7. In seruos & colonos hæreticos dominis coërcitio data, imò & tertiæ partis peculij retentio *l* 54.§ 9. Iuxta ea quæ supra diximus, de conductoribus, procuratoribus, latebram præbentibus, occultatoribus hæreticorum seueræ pœnæ impositæ, *l.*35.54. 8. Neque uxoribus parcitum aut mulieribus, *l.*52.54. 9. Neque filiis hæreticorum, quibus bona paterna adempra, nisi ad Catholicam redirent, veluti Manichæorum, *l* 7 9.40. Donatistarum rebaptizantium *l.7. infr. ne sanctum baptisma.* 10. Contra redeuntibus & pœnitentibus commodum paternæ successionis propositum & abolitio data *d.l.*50.41.65. 11. In mortem etiam inquisitio quandoque tendebat, atque adeò hæreseos crimine non soluebatur, *l.*40. 12. Neque præscriptioni locus erat hâc parte *l.*9. Neque defensio temporis quandoque proderat *l.*7. siue de accusatione hæreseos ageretur, *d l.*9. siue de bonis *d.l.*7. 13. Libri etiam hæreticorum quæri & comburi iussi sub aspectibus Iudicum: veluti Eunomianorum, Montanistarum *l.*34 Nestorij *l. vltim.* eorúmque occultatores seueriter puniti *d.l* 34. *infr.* 14 Rescripta Imperatorum, sanctionésque, etiam pragmaticæ & adnotationes, beneficiáque specialia contra generales sanctiones, in fauorem hæreticorum quandoque & quorumdam (spe fortè correctionis *l.*15.) nullius momenti, imò & pro falsis haberi iussa, *l.*5.6.14.16.25 47.49. *in fin.* *l.*51.52.58.63.66. 15. Imò & publicè proposita vna cum precibus hæreticorum, in despicatum eorum *l.*37. 16. Nomina odiosa constitutionibus, hæreticis imposita *l vltim. hoc tit.*

II. de SCHISMATICIS eorúmque pœnis agitur *l.*1.62.63.64. *hoc tit.* & l.4. *infr. ne sanctum baptisma.*

Sub finem huius Paratitli adnotare & sub vnum conspectum dare iuuat, quorum Imperatorum singulæ huius tituli constitutiones sint.

CONSTANTINI M. sunt duæ leges, purà *lex* 1 *&* 2.

Nullæ verò hic Constantij leges occurrunt, quia & ipse hæreticus fuit.

VALENTINIANI Senioris lex vnica, purà *lex* 3.

Nulla Valentis, quia & ipse hæreticus fuit.

GRATIANI duæ: purà *lex* 4 5.

THEODOSII M. quindecim: purà *lex* 6.7.8 9.10.11.12.13.14.16.17.19.21.22.23.

VALENTINIANI Iun. tres: purà *lex* 15.18.20.

ARCADII duodecim: purà *lex* 24.25.26.27.28.29.30.31.32.33.34.36.

HONORII octodecim: purà *lex* 35.37.38.39.40.41.42.43.44.45.46.47.51.52.53.54.55.56.

THEODOSII Iun. decem: purà *lex* 48.49.50.57.58.59.60.61.65.66. *seu vlt.*

VALENTINIANI Tertij Placidiæ F. tres: purà *lex* 62.63.64.

¶ PRIVILEGIA *Clericis concessa ad Catholicos solos pertinere, non ad Hæreticos & Schismaticos.*

I. * Imp. CONSTANTINVS A. ad Dracilianum."



RIVILEGIA, quæ contemplatione religionis indulta † sunt, Catholicæ tantùm legis obseruatoribus" prodesse oportet: Hæreticos autem," atque Schismaticos," non tantùm" ab his priuilegiis alienos esse volumus, sed etiam diuersis" muneribus constringi, & subici." PP. Kalend. Sept. Generasto, Constantino A. VII. & Constantio COSS. [326]

NOTÆ.

* *Lex* 1. *Cod. Iust. eodem tit.* Extat quoque apud Baronium *Anno* 326. *num.*16.
" In Codice Iust. tribuitur *Constantino, Constancio & Constanti* malè.
" *Præfectum Vrbi*, additum *Cod. Iust.* Pessimè, de quo mox. Eidem *Draciliano* inscribitur *lex* 1. *supr. de vsuris*: vbi de eo plenè dixi.
† A quo & quando, mox dicam.
" Clericis scilicet Obseruantiæ etiam vox propria Clericis.
" Absunt hæc, *autem atque schismaticos* à Cod. Iust.
" *Schismaticos.* De his agitur quoque *l.*62.63.64. *hoc tit.* & *l.*4. *infr. ne sanctum bapt.*
" *Solum.*

"*Solum.* Cod. Iustin.
"*Diuersis.* id est, omnibus quæ diuersi generis sunt.
"Supplendum fortè, *Dat. Romæ* : vide Chronolog. Theodos.
"In nonnullis Codicibus Iustinianeis, *Geralli* : in aliis *Geni casso* : verùm de hoc mox.
"*Constantio* C. C O S S. ita in V. C.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. duæ in Hæreticos & Schismaticos constitutiones primo loco occurrunt *hoc titulo* : Quibus addendæ sunt eiusdem Imperatoris tres aliæ in hæreticos constitutiones *titulo de Episcopis, Eccles. & Cleric.* putà *lex* 1.27. Hæc nostra est, de PRIVILEGIIS, ac nominatim de immunitate à muneribus publicis, quæ à Constantino M. iam antea Clericis Catholicis concessa fuerat : quod vt ex Eusebio *lib.* 10. *cap.* 7. Sozomeno, *lib.* 1. *cap.* 9. & *d. l.* 1. 2. 7. *supr. supr. de Episcop.* ita ex hac quoque lege discimus. Hæretici verò & Schismatici duplici statim ratione ea priuilegia interturbare studuerunt, & quidem sub ipsomet Constantino Magno huius priuilegij auctore; atque ita inter ipsa statim huiusce priuilegij initia. Primùm, apertè, per factionem & iniuriam, liuorem, *διὰ ἐξουσιάζοντας ἱερεῦσι*, id apud Iudices (fortè *Gentiles*) agendo, ne Clericis Catholicis sua constarent priuilegia : vt ostendunt tres illæ Constantini Magni constitutiones: putà *d. l.* 1. 2. 7. *supr. de Episcop.* & quarta insuper epistola Constantini apud Eusebium *lib.* 10. *cap.* 7. Secundò, eadem sibi priuilegia, quasi communia pariter vindicando. Verùm, præterquam quod Constantinus Magnus disertim *Catholicæ Ecclesiæ Clericis* ea indulserat, vt ex *d. epistola* liquet & *d. l.* 1. *supr. de Episcop.* huic posteriori molitioni obuiare subinde necesse habuit. Et verò eò spectat hæc *lex* 1. quâ nominatim id cauetur, *Priuilegia illa, nonnisi Catholicæ Ecclesiæ Clericis competere, non etiam hæreticis aut schismaticis. Contemplatione* scilicet *religionis*, quæ *indulta* sunt, hæreticis aut schismaticis, qui religionem eiúsque pacem interturbant & euertunt, competere non possunt. Quod axioma hinc elici potest.

Cæterùm *εὐστόχως* omninò coniecit Emin. Baronius, spectare hanc legem ad *Arianos & Meletianos*. Argumenta ipse, quæ Baronius non adeò expressit, addam. Primùm ipsa temporum ratio id suadet : superiore enim anno Concilio Nicæno vtrique illi damnati fuerant. Secundò coniunctio vtrorúmque, putà *hæreticorum & schismaticorum* spectanda hic est : Nam & hoc ipsum tempus est, quo paucis post Concilium Nicænum mensibus, Alexandro mortuo, Meletiani Ecclesias rursum turbare cœperunt : vt ex Athanasij *Apol.* 2. & Sozomeno *lib.* 2. *cap.* 20. liquet. Et ab Eusebio Nicomediensi illecti in societatem cum Arianis coiêre, de quo præter Athanasium videndus Epiphanius, *hæresi Meletianorum* 68. Athanasio, qui hoc anno Alexandro suffectus fuerat, ab his apud Imperatorem Constantinum variis criminibus appetito, & Athanasio vicissim apud Imperatorem in hæreticos & schismaticos sese efferente : quin & ipsomet Imp. pacis nequidquam auctore, suasore, quod *libro* 3. *de vitâ Constantini* scriptum. Et alioquin *hæretici schismaticis* non malè iungũtur. Nam etsi hæretici continuò non sint, qui à communionis vnitate diuertunt, nec schisma, qui & *διχοστασία* dicitur, hæresis sit : plerumque tamen vel in hæresim schisma desinit (vt de schismate Donatistarum dicitur *l.* 4. *infr. ne sanctum baptisma*, & apud Augustinum) vel cum hæreticis schismatici fermè coire solent, in mutuum auxilium videlicet.

¶ Tertiò, inscriptio huius legis simul & subscriptio attendenda venit. Nempe *Draciliano* hæc lex inscribitur : Cæterùm, Dracilianum hunc vices agentem Præfecti Prætorio fuisse ostendit, non tantùm Constantini epistola ad Macarium Episc. Hierosolym. referente auctore vitæ Constantini *lib.* 3. *cap.* 30 Sed inscriptio *l.* 1. *supr de vsuris*, quæ superiore Anno 325. data est. Atqui legis illius subscriptio præfert *PP. Cæsarea*, vnde liquet, eum vices egisse Præfecti Prætorio per diœcesim aliquam Orientalis Imperij : nam vt maximè haud adeò definiri posse videatur, quænam ista sit Cæsarea, cùm plures eo nomine fuerint : in Cappadocia scilicet, Palæstina, Paneade, Cypro, attamen omnes illæ in Oriente fuêre. Nam Mauritaniæ Cæsarea huc non pertinet. Sunt quæ suadere videantur, accipiendam ibi Cæsaream Cappadociæ, & sic Ponticæ metropolim, vbi Vicarius Ponticæ agebat, quod etiam discimus ex Chrysostomo *epist ad Olympiadem* 131. *p.* 95. Legésque ibidem fermè proponi solitæ : proinde Dracilianum per Ponticam Vicarium fuisse quis censeat; (cùm hoc tempore Vicarius Orientis, ita specialiter dicti, esset Maximus, vt docet *lex* 12. *supr. de Decurion.*) De quo certius adhuc aliquid dici posset, si liqueret, quisnam locus ille sit, qui huic legi subscriptus est, putà *Generallum*, quem nullibi reperio. Vt ad Ponticam hanc legem quis referat, facit etiam, quod Meletiani Arianis sese in Ponticâ Eusebio Nicomediensi Episcopo hac tempestate post Concilium Nicænum coniunxerint, vt vel Athanasius *Apologia secunda* & Epiphanius *hæresi* 68. ostendit. Verùm quid verbis opus? Dracilianum, cui lex hæc inscribitur, & *l.* 1. *supr. de vsuris*, Palæstinæ viciníisque Prouinciis Præfectorum vice præfuisse disertè comprobat prædicta Constantini M. epistola ad Macarium Episcopum Hierosolymitanum, apud auctorem vitæ Constantini *lib.* 3. *cap.* 40. & Socratem *lib.* 1. *cap.* 9. *p.* 523. & Theodoretum, *lib.* 1 *cap.* 17. quam hoc ipso Anno 326. memorat Baronius *num* 31. Et sanè dicta *lex* 1. *supr. de vsuris*, dicitur *proposita Cæsareæ*, quæ sanè metropolis Palæstinæ fuit. Quid si igitur in subscriptione huius legis reponamus *P. P. Gera asto*, id est, *proposita in Gerâ ciuitate.* Quæ *Gera* prope Pelusium in Maræotide proximè ad Palæstinam fuit, vt ex Ptolemæo, Itinerario vtroque, Theophilo Alexandrino, Sozomeno *lib.* 8. *cap.* 19. liquet. In qua quidem *Maræotide* Meletianos suum schisma hoc tempore fouisse, conuentúsque habuisse, expressè testatur Athanasius, *Apol.* 2. & Epiphanius *d. hæres.* 68. *cap.* 6. & 8. Et quid si in subscriptione *huius leg.* reponat quis *Genezaretot* (Neque enim hîc quadrat *Geresto*, quæ vrbs Eubææ vel Arcadiæ erat.) Et *Genezaretum* pro Tiberiade accipiamus? verùm omnium maximè mihi placet *Gera asto.*

¶ Ex collatione interim earum constitutionum, quæ his annis, *ad Dracilianum vices agentem Præfecti Prætorio*, & ad *Maximum Vicarium Orientis*, scriptæ sunt, colligere licet, Vicarium hoc tempore alium fuisse, qui *Orientis* dicebatur : sub quo erat Syria Cœle, Syria Phœnice (& si quæ aliæ) vt docet subscriptio *legis* 4. *de Veteranis* : *l.* 10. *de Decurionib. l.* 1. *de Gladiatoribus.* Alium verò qui

vices

vices Præfecti Prætorio ageret in *Palæſtina, & vicinis Prouinciis*; vt docet *hæc lex l.1.ſupr.de vſuris*. Hac verò lege apertiſſimè refutatur Arianorum & Meletianorum mendacium, apud Epiphanium, *hæreſi 68.* quod etiam tantò pôſt reponit Philoſtorgius, *lib.2. cap.1.* qui ſparſere Conſtantinum poſt Concilium Nicænum, quod ſuperiore Anno habitum, ἐπιτροπὴν iam fauiſſe, Arianiſque & Meletianis conceſſiſſe, vti ſeparatim in cœtum coirent. Quam calumniam alioquin reuincunt ipſæmet Conſtantini literæ apud Athanaſium, *Apol 2.* & hæc lex. Præterquam quod tam olim Athanaſ. ad *ſolit. vit. ag.* Epiphanius *hæreſi 69.* Theodoretus *lib.1. cap.5.* diſertè teſtantur Conſtantinum ſemper in fide integrâ integrum manſiſſe. Quamquam nimis clemens viſus nonnullis, quòd Arium ab exilio reuocauerit; interdicto quidem ei primùm Alexandriæ ingreſſu, mox tamen indulto: de quo Socrates *lib.1. cap.1. in princ.* item *lib.2.cap.15.* & Nicephorus, *lib.7.cap.5. pag.492.* Hac etiam lege manifeſtè teſtatur, Conſtantinus, quàm diuerſo iure hæreticos & ſchiſmaticos atque Catholicos habuerit, haberiſque voluerit: quod quidem ex proxima *l.2.* intelligimus, quæ hoc ipſo anno data eſt, vbi à cæteris hæreticis Nouatianos tantùm exceipit.

¶ NOVATIANIS *ſuas Eccleſias, ſuáque cœmiteria relinquenda eſſe.*

II. * Idem A. ad Baſſum."

NOVATIANOS non comperimus prædamnatos," vt iis quæ petiuerunt crederemus minimè largienda. Itaque Eccleſiæ ſuæ domos, & loca ſepulcris apta ſine inquietudine eos firmiter poſſidere præcipimus: ea ſcilicet, quæ ex diuturno tempore vel ex empto habuerunt, vel qualibet" quæſiuerunt ratione. Prouidendum" erit, ne quid ſibi vſurpare conentur ex his quæ ante diſcidium" ad Eccleſias perpetuæ" ſanctitatis pertinuiſſe manifeſtum eſt. Dat.IX." Kalend. Octobr. Spoleti," Conſtantino A. VII. & Conſtantio COSS. [326.]

NOTÆ.

* Abeſt *hæc lex à Cod. Iuſt.* velut temporaris. Memorat eam Baronius *Anno D.326 num.27.*

"*Baſſus* hic, an Præfectus Prætorio fuit? an potius Vicarius Italiæ, vt *l.vnic. ſi quis eam.cuius tutor*, his conſulibus?

"*Prædamnatos vt*, id eſt, vſque adeò damnatos, vt,&c. de quo mox plura: niſi malit quis *perdamnatos*. Quod non admitto.

"veluti Teſtamento; legato.

"*tandem*, ſcilicet vel *tamen*, vel *enim*. niſi malis *Proin videndum*: vel *Porrò videndum erit*.

"*Schiſma*, diſcidium: de ſchiſmaticis in *Paratitlo*.

"*Perpetuæ ſanctitatis Eccleſia*, id eſt, Catholicæ: quibus ſchiſmaticæ opponuntur. Sic *religio Catholicæ ſanctitatis* opponitur cœtibus hæreticorum *l.3. infrà*.

"*IX. IV.* Conſtantinus M. quippe hoc tempore ad V. Kalend. Octobris vſque Romæ ſubſtitit, indéque V.Kal. Octobris profectus eſt: ad quem diem Kalendarium Conſtantinianeum *Profectionem Diui* (Conſtantini ſcilicet) adnotat. vel *prid.* vt ita etiam iungenda videatur *l.3. Cod. de diu. reſcrip.*

"*Spoleti* data hæc lex à Conſtantino Magno Anno 326. Ibidem Accepta Iuliani *lex 5. ſupr. de Profeſſoribus & Medicis.* Anno 326. Verùm de hoc mox plura.

COMMENTARIVS.

NOVATIANIS ſuas Conſtantinus M. hâc conſtitutione, quæ data eſt Anno D.326. Eccleſias, ſuáque cœmiteria reliquit: iure iam olim (iotta 80. circiter annos, nam hæc huius ſchiſmatis ætas ſeu æra eſt) quæſita, emptionis aliove iuſto titulo, at non etiam eas, quæ ad Eccleſias Catholicas aliquando & ante ſchiſma pertinuerunt, cùm alias hæretici Eccleſias fabricare vel habere vetarentur: de quo vide *Paratitlon*: & Conſtantinus ipſe vetuerit, vt ex hâc Nouatianorum exceptione intelligimus: de quo ad *l.1. ſupr.*

¶ Et rationem ſimul & occaſionem præmittit his verbis: *Nouatianos*, inquit, *non comperimus prædamnatos, vt iis quæ petiuerunt minimè largienda crederemus.* Nempe inquietare hoc tempore Nouatianos nonnulli inſtituerant, quaſi de ſchiſmate vel maximè notos, déque hæreſi notatos: Verùm de eo conqueſti apud Conſtantinum Nouatiani, ſibi ſua relinqui petiêre; Neque enim ſe prædamnatos, ita, vt ſua ſibi non relinquerentur. Et fidem habuit Nouatianorum allegationi Conſtantinus M. *Nouatianos*, inquit, *NON COMPERIMVS prædamnatos.* Atqui hæc impoſtura videtur, eáque circumuenta Conſtantini religio. Quid enim? Non & Romanâ iam dudum Synodo 60. Epiſcoporum, totidémque Preſbyterorum, Nouatianos damnatos apertè clamat epiſtola Cornelij Papæ apud Euſebium, *lib.6. Hiſtor. Eccleſ. cap.35.* & Hieronymum, *de ſcript. Eccleſ. cap.66?* Non & alibi, tum in Italia, Africâ aliiſque locis, errorem eum damnatum, teſtis eſt eiuſdem Epiſtola? Non Rheticius Epiſcopus Auguſtodunenſis (qui inter alios Iudex à Conſtantino Magno delegatus fuit in cauſa Donatiſtarum Anno 313.) acerrimâ diſputatione Nouatianos refutauerat? Imò, non ſuperiore Anno Concilium Nicænum *can.8.* cum *Catharos* ad Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam ineitat & Nouitianos, eos damnatos indicat, atque Eccleſiâ excluſos? Non ipſe Conſtantinus Aceſio Nouatianorum Epiſcopo ad Concilium Nicænum vocato, eóque ſchiſma ſuum defendente, teſtatus eſt, quid iudicij ſui de Nouatianis eſſet, cùm dixit: *Erigito tibi ſcalam Aceſi & cœlum ſolus aſcendito*; ſi fides Socrati, *lib.1.cap.7.* Imò non & author vitæ Conſtantini *lib.3.cap.61.62.* & Sozomenus *lib.2.cap.30.* Conſtantini M. conſtitutionem memorant, qua vt Valentinis, Martionitis, Paulianis, Cataphrygibus, ita (& primo quidem loco) Nouatianis coeundi publicè,

blicè, priuatim ius ademit, vniuersásque domos, in quas coire soliti, euerti iussit, vel Ecclesiis adiungi? Quid est igitur quod Constantinus hîc ait, *Nouatianos non comperimus prædamnatos?* Non placet, quod tentat Baronius, Nouatianos fortè non fuisse prædamnatos, vt hæreticos, sed vt Schismaticos. Nam & verius est, quod idem mox, fatetur, Nouatianos inter hæreticos iam censitos & sic damnatos. Atque etsi vt schismatici tantum damnati fuissent, an ideò minus prædamnati? An ideò minus his Ecclesiæ suæ detractæ, hisve coeundi libertas facta à Constantino? Quare & vocem *prædamnatos* attendi velim, & illa potius continuo filo ita legi; *prædamnatos vt*, &c. Nempe, non negat Constantinus hîc antea damnatos Nouatianos, verùm ita damnatos, adeò exosos, vt propterea his sua adimi deberent; *prædamnatos* igitur *vt*, &c. id est tam atroci antea stilo & sententia confossus, vt ad hæreticorum aliorum instar & exemplar reuocandi sint. Hæc vis formulæ istius mihi videtur *prædamnatos vt*, &c. Quam vocem Glossæ Philoxeni, hinc vt puto, explicant *Prædamnatos*, προκατεγνωσθέντας, nisi fortè hîc reponendum cui videatur *perdamnatos*, id est, absolutè damnatos, quod non puto. Et id verò est, quod Sozomenus, *lib* 2. *cap*. 30. hæreticorum comparationem instituens, disertè ait, Nouatianorum aliam & meliorem sub Constantino Magno fuisse conditionem, quam aliorum hæreticorum, in quos neque lex Constantini exercita fuerit: Qui ite ait, Nouatianos, tum quod duces probos consequuti essent, & circa τὸ θεῖον, id est, circa diuina fidémque, eadem cum Ecclesiâ sentirent, non multum incommodi ex superiore Constantini lege tulisse: οὐδὲν μέγα ἐβλάβησαν ὑπὸ τούτου τοῦ νόμου. Partimque Imperatorem, qui subditis suis non tam exitio quàm terrori esse instituisset, de legis seueritate non nihilum vltrò remisisse, ἑκὼν ὑφεῖναι. Partim Acesium hac tempestate Nouatianæ sectæ Episcopum Byzantij, quòd ob vitæ integritatem Imperatori charus esset, Ecclesiæ suæ præsidio fuisse. Hoc igitur est, quod nunc Constantinus ait, se *non comperisse*, Nouatianos ab Ecclesia adeò prius damnatos, vt æqua cum cæteris lege & seueritate, puta cum Cataphrygibus, Valentinianis, Marcionistis habendi videantur: quidquid ipse ad terrorem potiùs antea constituisset: & quidem ante Concilium Nicænum, vt existimo. Nam hæc illa proculdubio causa est, non quam Sozomenus putat, cur in illa quam memorat Constantini constitutione nulla Arianorum mentio fiat. Et proinde nullus dolus malus hac parte in auctore vitæ Constantini putandus est, quasi ex ea constitutione Arianorum nomen suppresserit, quod tamen Baronij iudicium est.

¶ Quicquid sit, & quantamcunque in Nouatianos lenitudinem hac lege Constantinus testetur, attamen de his quid iudicij sui esset satis vel hâc ipsâ lege ostendit tribus his, 1. Nempe enim hoc *Discidium*, id est, schisma in Ecclesiam inoexisse ait, 2. Iísque adeò *Ecclesias perpetuæ sanctitatis* opponit: 3. Tandem, ne quid ex his à Nouatianis vsurpetur, sedulo prouideri vult. Quare vt ab vna parte Constantini studium in Catholicam Ecclesiam hinc elucet: ita ab altera lenitas illa eius, erga Hæreticos & Schismaticos, vel potius prudentia πολιτικὴ, non omnes errores vel hæreses eodem pede, non eâdem pœnarum perticâ metientis: Et quidem nominatim Nouatianos ab aliis distinguentis. Quam in rem expressus est quoque Socratis locus sub Theodosio Magno *lib*. 5. *cap*. 10. ὁ βασιλεὺς θαυμάσας αὐτῶν τὴν περὶ τὴν πίστιν ὁμόνοιαν, ΝΟΜΩ ἐκέλευσε, ἐπὶ μὲν οἰκείων κρατεῖν ἀδεῶς συνακτηρίων τόπων: ἔχειν δὲ καὶ πρεσβεῖα τὰς Ἐκκλησίας αὐτῶν, ἅπερ καὶ οἱ τῆς αὐτοῦ πίστεως ἔχουσιν. Neque minus expressus Sozomeni locus *lib*. 8. *cap*. 1. sub Theodosio Magno & Arcadio, ὅτι γὰρ τοῖς αὐτοῖς ἐπιτιμίοις, οἱ νόμοι ἴσας τοῖς ἄλλαις αἱρέσεσιν ἐνοχοὶ ἦσαν: & causas mox reddit. Eáque etiam mens fuit Theodosio Iuniori *l*. 5. *infr. hoc tit.* vbi disertè ait: Non omnes eadem austeritate plectendos. Quare neque Baronij sententiam amplecti oportet, qui sanctionem Constantinianam, cuius author vitæ Constantini, & Sozomenus meminêre, quâ Nouatiani cæteris hæreticis æquati, imò & primo loco positi, consultiorem hâc putat.

¶ Illud indagandum superest, ad cuius loci Nouatianos hæc lex pertineat? Singula curiosius excutienti mihi, ita videtur, pertinere eam ad Nouatianos *Italiæ*: Bassus enim, cui hæc lex, sine dignitatis titulo inscribitur, Vicarius Italiæ nominatim, his ipsis Coss. dicitur in inscriptione *l. vnic. supr. si quis eam cuius tutor fuerit*.

¶ Neque illud omitti velim, Datam hanc legem à Constantino Magno *Spoleti*, quò scilicet Româ hoc tempore digressus fuerat. De quâ alioquin vltimâ omnium Constantini Magni mora Romæ vide, quæ dixi plenè ad *l*. 3. *supr. de infirm. his, quæ sub Tyr.* Denique de Nouatianorum statu Romæ pacato, vsque ad Innocentium Episcopum Romanum videndus egregius Socratis locus, *lib*. 7. *cap*. 11. Vt proinde ad Nouatianorum Romæ nominatim statum hæc lex pertinere mihi videatur; ad cuius populum hoc ipso tempore Constantinus pridie Kalend. Octobris *legem* 3. *Cod. de precibus Imp. offer.* quæ huic socianda videtur, dedit: Nam vt *hâc leg.* cuidam Nouatianorum petitioni velut iustæ defert aduersus iniustam proculdubio aliorum postulationem, ita contrà eâ *l*. 3. definit, *nec damnosa fisco, nec contraria iuri POSTVLARI oportere.*

¶ MANICHÆORVM *conuentus prohibiti, doctoresque eorum grauiter multari, domúsque confiscari iubentur.*

III. * Impp. VALENTINIANVS & Valens" AA. ad Ampelium PF. P."

VBICVMQVE" *Manichæorum* conuentus ?, vel turba huiusmodi reperitur, Doctoribus graui censione" mulctatis, domus & habitacula, in quibus profanâ institutione docetur, fisci viribus" indubitanter adsciscantur." Dat. VI. Non. Mart. Treu. Modesto & Arintheo COSS. [372.]

NOTÆ.

* Abest hæc lex, eò quod aliæ pleniores sint in Manichæos leges. Memorat eam, déque eâ agit Baronius *Anno* 372. *num.* 111. 112. 113. Sed & huius mentio fieri videtur *l.* 3. *infr. de Apostatis*.

" Addendum est & *Gratiani* nomen: vide Consularia Theodos.

" ✻ *hic & l.* 3. *supr. de denunciat.* PF. V. vt docet superiore Anno *lex* 1. *supr. de Equis curulib. l.* 21. *supr. de Episcopis*: *l.* 1. *supr. de naturalib. fil.* l. 10. *supr. de malef. l.* 32. *supr. de cursu publ.* & hoc ipso Anno nonnullæ aliæ leges: Item Ammianus Marcellinus, *lib.* 28. *p.* 386. *&* 396. vid. *Prosopogr.*

" veluti in Vrbe Româ.

" *Censio* pro iudicio: de qua voce in *Gloss.* ex Symmacho *epist.* 6. Auctarij: & *lib.* 10 *epist* 58. ad Valentinianum *huius leg.* auctoris, filium. Quare errant qui de pecuniaria pœna id accipiunt.

" Vires fisci: vid. *Gloss. Theod.*

" Hiatus hic est Annorum 46. per quod tempus *Constantius*, *Iulianus*, *&* *Iouianus* imperium rexêre; quorum nullæ hunc in titulum in *hæreticos* constitutiones relatæ sunt: Constantius quippe & ipse hæreticus fuit, & hæreticis fauit: Iulianus Apostata Catholicos cum hæreticis studio collisit, quidlibet sentiendi libertate eoque data: Iouianus momentaneus Princeps ἐθελοθρησκείαν omnibus dedit: pariter vt inter initia Valentinianus *huius leg.* auctor, cuius etiam VALENTINIANI Senioris vnica hæc constitutio in *Manichæos*, hoc titulo occurrit: Qui quidem Manichæi velut hæreticorum pessimi, peculiare semper odium meruerunt: de quo vide *Paratitlon*.

COMMENTARIVS.

MANICHÆORVM igitur cõuentus, scholæ item seu institutiones, hâc Valentiniani Senioris constitutione, emissâ ad Ampelium Præfectum Vrbis Romæ (vt paulò ante ostendi) prohibentur. Ita quidem, vt Doctores ipsos docere ἐκκλησιάζειν repertos graui censione, id est, iudicio multari iubeat: ipsásque domos & habitacula confiscari. Cuius legis Valentinianeæ mentio fit *l.* 3. *infr. de Apostatis*.

¶ Nempe Manichæi, vt cæteroquin præ cæteris hæreticis eximij (vt loquitur Theodosius Iun. *leg.* 65. *infr.*) quos & idem Deo semper offensos vocat Nou. de Iudæis, &c. 3. *vers. superest*, ad imam vsque scelerum nequitiam peruenerant, (vt docet quoque *lex* 35. 65. *infr. hoc tit.* & *lex* 3. *infr. de Apostatis*, & Nouellâ *Valentiniani* 2.) ita & à Valentiniano Sen. quoque peculiari iure odióque habiti fuêre: pariter vt à Valentiniano Iun. filio eius, quod docet *d. lex* 3 *infr. de Apostatis*, à Gratiano, de quo ad *l. prox.* Vt maximè enim Imperator hic leges in exordio Imperij sui dederit, quibus vnicuique, quod animo imbibisset, colendi, liberam facultatem tribuit, vt docet *l.* 9. *supr. de maleficis*, (quæ data fuit superiore Anno 371.) & Ammianus Marcellinus *lib.* 30. atque ideò non Paganis tantùm suæ religionis & sectæ libertatem fecerit, verùm & hæreticis (vnde factum, vt *Auxentius* Mediolani securus egerit, neque ipse Valentinianus coniugium Arianæ fœminæ Iustinæ detrectauerit) vnde Suidas ex incerto authore Οὐαλεντινιανὸς τὰ τῶν ἀρειανῶν φρονῶν, οὐδὲν τοὺς ἐναντίους ἐλύπει: (in quo tamen neque eum perstitisse docet *l.* 5. *infr.* nominatim circa Donatistas, vt ostendi *lex* 1. 2. *infr. ne sanctum baptisma*: vnde illud Augustini, *epist. ad Donatistas* 166. *Huic successit Valentinianus: legite quæ contra vos iusserit.*) Attamen Manichæorum conuentus & institutiones prohibuit *hâc leg.* pariter vt Magiæ & Maleficiorum exercitium *d. l.* 9. & *l.* 10. *eiusdem tituli* (quæ eidem Ampelio Præfecto Vrbi inscribitur.) Et verò pari ratione, quia & ipsi Manichæi inter cætera nefaria sua secreta (vt vocantur *d. l.* 3. *infr. de Apostatis*,) curiosas seu Magicas artes tractabant, earúmque scientiam profitebantur, ac ἀθέμιτα καὶ ἐπῳδὰς καὶ μαγγανείας vsurpabant, vt docet Epiphanius, *hæresi Manichæorum* 66. *num.* 13. *&* 88. Quare & olim maleficis peculiari nexu cohæsêre: vnde etiam titulus in Codice iam Gregoriano, *de maleficis & Manichæis*, & apud auctorem Coll. legum Mosaicarum *de Mathematicis & Manichæis*. Atque hoc etiam contemplatu Valentinianum hanc ad legem descendisse, præter superiora horum insuper temporum historia perdocet. Nempe in Magos & maleficos seueriter hoc & superiore Anno inquisitum comperio: negotio eiusce rei eidem Ampelio Præfecto Vrbi, (cui hæc lex inscribitur) dato: quod Ammianus Marcellinus *lib.* 28. *pag.* 386. & *l.* 9. 10. *supr. de maleficis*: & *l.* 5. *indulgentiis criminum*, è quibus *d. l.* 10. vt dixi, eidem Ampelio Præfecto Vrbi inscribitur.

¶ Quare ex his iam liquet, nihil commune habere hanc legem cum his quæ narrat longè post Augustinus, *de moribus Manichæorum lib.* 2. *cap. vltim.* & *contra Faustum lib.* 5. *cap.* 6. contra quam putabat Baronius. Sed & Ambrosij locos *epist.* 81. de impietate Manichæorum Imperatoris austeritate damnata huc non pertinet, verùm ad *l.* 18. *infr.* vt rectè Baronius obseruauit *Anno* 389. *num.* 62.

¶ Tandem Gratiano quoque aliquando similis mens fuit, vt ex Socrate *lib.* 9. *cap.* 2. & Sozomeno *lib.* 7. *cap.* 1. ad *l. prox.* ostendam, quod à nonnullis *huic legi* malè aptatur.

¶ Hâc interim lege exemplum habemus Principis non omnes hæreticos eâdem lege habentis.

¶ GRATIANI *prima in hæreticos constitutio*.

IV. * Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. ad Hesperium PF. P."

OLIM, (pro religione Catholicæ sanctitatis," † vt cœtus hæreticæ vsurpationis conquiescerent) iussimus, † "*Siue in oppidis, siue in agris, extra" Ecclesias quas nostra" pax" obtinet, conuentus agerentur, publicari loca omnia, in quibus falso religionis obtentu altaria" locarentur*: Quod, siue dissimulatione Iudicum," seu profanorum" improbitate, contigerit, eadem erit ex" vtroque pernities." Dat. x. Kalend. Maij, Treu. Valente" & Valentiniano AA. COSS.

NOTÆ.

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* velut temporaria. Memorat eam Baronius *Anno* 376. *n.* 12.
" *Hesperius* Italiæ Præfectus Prætorio fuit sub Gratiano : vid. *Prosopogr.*
" Sic Ecclesiæ *perpetua sanctitatis* in *l.* 2. *sup.*
† Constitutio Gratianea anterior aduersus hæreticos notetur.
" Expulsi Ecclesiis *l.* 2. *infr. ne sanctum bapt.*
" Catholica. Lucifer Caralitanus *p* 349.
" *Pax* Catholicorum hæreticis & hæresibus opposita, Catholica communio, obseruantiæ
" *Altaria*, de Christianis *hâc leg.* & *l.* 15. *hoc tit.* & *l.* 27. *infr. de Episcopis.*
" quidam substituunt *Iudæorum* malè.
" *Profanorum*, id est, hæreticorum, nisi alia vox hic substituenda : veluti *pro Officiorum*. Quod non puto.
" ex vtraque causâ.
" an *Perniciei*, pro nece & capitis supplicio?
" An supplendum *V.* & sic referenda hæc lex ad *Annum* 376? an verò ad *Annum* 378? Mox inquiram.

COMMENTARIVS.

GRATIANI Imp. duæ in hæreticos constitutiones sequuntur : putà hæc lex & *lex prox.* 5. Hæc inquam lex Gratiani est, non Valentis, etsi nomen eius illi inscriptum pro more tum recepto. Et certè nulla Valentis in hæreticus lex hic occurrit : nam & ipse hæreticus fuit. Hæc verò est de CONVENTIBVS hæreticorum extra Ecclesias : CONVENTVS scilicet seu cœtus hæreticorum extra Ecclesias Catholicas, tum in oppidis, tum in agris GRATIANVS, sub pœna confiscationis loci, iam olim prohibuerat (vt *hâc leg.* nominatim profitetur) seu dudum, & quidem præcepto ad Nesentium emisso, vt idem profitetur *l.* 2. *ne sanctum baptisma.* Verùm quia partim Iudicum dissimulatione, partim improbitate profanorum seu hæreticorum, huic sanctioni non parebatur, Gratianus hanc legem superiori constitutioni firmandæ emittendam credidit, pœna grauissima vtrisque indicta.

¶ De vtraque constitutione videndum. Et quidem quando ex latæ fuerint. Igitur etsi consulatus huic legi subscriptus, id non apertè doceat quandoquidem numerus Valentiani consulatus, quem sæpè Valens repetiit, hic omissus est; subsidium tamen aliquod ex inscriptione suppetit, vbi *Valentis*, *Gratiani & Valentiniani* nomina extant. Nempe, vt fine Anni 375. mortuo Valentiniano Sen. tres illi, putà Valens, Gratianus & Valentinianus imperio potiti sunt, ita nonnisi posteà factum, vt Valens primo loco cum Valentiniano Iuniore scilicet consulatum gereret : & quidem bis, Anno Domini 376. & 378. Proinde horum alterutro consulatu seu Anno latam hanc legem oportet, sed vtro minus liquet. Verùm tamen ne ad Annum 376. referatur, facit : Primùm *Hesperij Præfecti Prætorio* nomen inscriptum huic legi, qui vtique Anno 376. Præfectus Prætorio nondum erat, sed Proconsul Africæ tantùm *l.* 4. *de Scenicis*, postea demum quippe Præfectus Prætorio fuit *Anno* 378. & 379. vt complures leges docent. Imò Anno 377. P.P. Nam..... inscriptio est *l.* 34. *de cursu publ.* vt ad eam legem ostendo. Secundò facit, quod *hâc leg.* Gratianus ait, se OLIM hoc ipsum statuisse : atqui quomodo olim id statuisse potuit, qui non nisi fine Anni superioris 375. Imperij habenas patre mortuo adeptus est? Nam vt maximè iam Anno 375. Gratianus, Augustus à patre renunciatus fuerit, & vt Theodoretus ait, ἐκεῖνο δέ γε νεώτερος ἀπολείπετο τῆς βασιλείας, nullas tamen ab eo constitutiones superstite patre latas comperio. Quid quod Patri mens alia fuit, nempe, vt coire possent hæretici, Manichæis solis exceptis, vt ostensum ad *l.* 3. *suprà?* Fuerit itaque hæc lex referenda ad Annum 378. Et sic priorem constitutionem, cuius hic meminit, ante biennium cum dimidio ferre potuerit, & sic OLIM. Quare nec reclamat *d. l.* 2. *infr. ne sanctum baptisma*, quæ cùm data sit fine Anni 377. & ipsa dicit DVDVM id à se constitutum : & rectè id dudum constitutum dici potest, quod ante biennium fermè constitutum.

¶ Fuit igitur in ea sententia Gratianus biennio integro & dimidio superstite Valente, vt cœtus hæreticorum in commune prohiberet. Atqui posteà, Valente mortuo, id est, post hanc legem, Gratianus ad Imperium Orientale iam profectus (vt inquit verus author apud Suidam *in voce* Γρατιανὸς) proculdubio necessitati temporum cedere coactus, constitutione *Sirmij* data (quod indicat *lex* 5. *prox.*) coeundi libertatem hæreticis ibi fecit, ἄδειαν τῆς θρησκείας καὶ ἀδεῶς ἐν τοῖς εὐκτηρίοις συνάγεσθαι, exceptis tantùm Manichæis, Eunomianis, & Photinianis, vt author est Socrates, *lib.* 5. *cap.* 2. & 4. Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 1. *in fin.* & Anonymus ille apud Suidam *in voce* Γρατιανός. Verùm Gratianum aliam mox rursum mentem induisse, docebit *lex* 5. *infr. prox.* testatur & Theodoretus *lib* 5. *cap.* 3. qui multa alioquin ibi fusbidè narrat, vt ostendimus iam ad *l cunctos populos supr. de fide Catholicâ*, & *l.* 25. *supr. de Episcopis.*

¶ Quod pœnam *hâc leg.* propositam attinet, Gratianus *perniciem* in genere minatur, id est exitium. De pœna hæreticorum conuentus agentium & Iudicum dissimulantium, vide *Paratitlon.*

¶ GRATIANI *secunda in hæreticos constitutio.*

V. * Imppp. GRATIANVS, VALENTINIANVS, & Theodosius AAA. ad Hesperium PF. P."

OMNES" vetitæ legibus & diuinis & Imperialibus, † hæreses perpetuò conquiescant. Quisquis opinionem" plectibilibus" Dei profanus imminuit, sibi tantummodò nocitura sentiat, aliis obfutura non pandat. Quisquis" redempta venerabili lauacro corpora reparatâ morte tabificat, id auferendo quod geminat, sibi" solus

talia nouerit, alios nefariâ institutione non perdat. Omnésque peruersæ istius superstitionis Magistri, pariter & Ministri, seu illi Sacerdotali assumptione *Episcoporum* nomen infamant, seu, quod proximum" est *Presbyterorum* vocabulo religionem mentiuntur, seu etiam se *Diaconos*, cùm nec Christiani quidem habeantur, appellant, hi conciliabulis damnatæ dudum opinionis abstineant. Denique antiquato Rescribto † quod apud Sirmium nuper emersit, ea tantùm super Catholicâ obseruatione permaneant, quæ perennis recordationis Pater" Noster, & nos ipsi, victurâ" in æternum æquè" numerosa iussione mandauimus. Dat. III. Non. Aug. Med. Accep XIII. Kalend. Sept. Ausonio & Olybrio COSS. [379.]

NOTÆ.

* Prima tantùm huius legis sententia relata est in *legem omnes 2. Cod. Iust. de haret.* Eum in Annales suos quoque retulit Baronius, déque eâ egit, *Anno* 379. n. 11. 12.
"*Gratianum* esse huius legis auctorem mox ostendam.
"*Hesperius* PP. Italiæ sub Gratiano: vid. *Prosopogr.*
"non modo Manichæi & Eunomiani, verùm omnes.
† Constitutiones Imperiales contra hæreticos.
"Inuersa locutio: Recta, *opinionem Dei*: *opinio Dei*, id est, opinio de Deo, seu fidei.
"*Plectibilius*, in editione Cujaciana & Quartanâ. *Plectibilia*, sunt crimina: de quo mox.
"Ita & biennio fermè antea *l. 2. infr. ne sanctum bapt. Quod si errorem suum diligunt, sum malis domesticóque secreto soli tamen foueant vires impia disciplina.*
"de hoc, speciali titulo *infr. ne sanctum baptisma iter.*
"*Presbyteri*, proximi Episcopis: de quo mox.
† meo Gratiani, de quo etiam ad *l. super.*
"atque.
"Valentinianus Sen. vide & *l. 1. & 2. infr. ne sanctum bapt.* & quæ dixi ad *legem 3. supr.*
"victura in æternum iussio: vid. *Paratit. de const. Princ.* à viuendo non à vincendo, vt Græci.

COMMENTARIVS.

Coetvs seu conciliabula omnium omninò hæreticorum; itémque suas hæreses hæretici pandere, aliósque in his instituere, hac constitutione ab Imp. prohibentur: reuocato rescripto Sirmiensi nupero: firmatis contrà Valentiniani Sen. Patris sui, suísque in contrarium iussionibus.

§ Cuius verò Principis hæc constitutio sit, ante omnia inquirendum nobis est. Illud statim apparet, Theodosio Magno eam non tribuendam, quod tamen P. Fabro quoque visum *in Dodecamero cap. 9. pag.* 170. quandoquidem Patrem suum eiúsque constitutiones, auctor *huius leg.* allegat, quod vtique de Valentiniano Sen. Gratiani & Valentiniani Iun. patre accipiendum est. Cuinam igitur ex his tribuenda duobus? Sanè, si solâ standum est legis inscriptione & subscriptione, tum Valentiniano Iun. tribuenda ea videatur: Dicitur enim hæc lex data Anno 379. *Mediolani*: vbi scilicet Valentinianus hoc tempore hærebat: at Gratianus in Gallia Treuiris fuisse hoc tempore videatur, vt suadet *lex 26. supr. quorum appellat. l. 1. de Princip. agent. lex 12. supr. de Medicis*: Zosimus *lib. 4. pag.* 781. Ausonius *Gratiarum act.* Socrates *lib. 5. cap. 6.* Item inscribitur hæc lex *Hesperio Præfecto Pratorio*, qui vtique Italiæ Præfectus Prætorio erat, vt docet vel hoc ipso Anno *l. 11. supr. de lustrali collat.* & subscriptio *l. 15. supr. de nauicul.* vbi plenè dixi: Atqui in Imperij diuisione Valentiniano Iuniori Italiam, Illyricum, & Africam cessisse scribit Zosimus, *l. 5. p.* 746. Quanquam de Roma ipsa & Africa non tam liquida fides: occurrunt enim hoc Codice constitutiones, ex equo, partim Gratiani, partim Valentiniani ad Magistratus Vrbis Romæ & Africæ, vt videatur Roma cum Africa communes inter vtrumque mansisse. Verùm longè alia plura & potiora sunt, quæ hanc legem *Gratiano* vindicent. Primò rescriptum, quod *hâc leg.* antiquatur, quod apud Sirmium scilicet nuper emerserat. Quibus verbis omninò indicatur lex à Gratiano edita, post Valentis obitum, cuius meminerunt Socrates, *lib. 5. cap. 2. 4.* Sozomenus *lib. 7. cap. 1.* Suidas *in voce* Γρατιανός, & Ioannes Antiochenus, *in Excerptis Constantinianis, pag.* 846. de qua actum quoque *l. supr.* quâ cautum fuerat, vt sine fraude vel metu, quam quisque fidem profiteretur, impunè sectaretur, omnibúsque adeò passim coeundi licentia esset, exceptis tantùm Manichæis, Photinianis & Eunomianis. Et sanè initio huius anni Gratianum in Pannonia Sirmij extitisse docet etiam *lex 1. supr. de Palat. S. L.* Zosimus *lib. 4. pag* 451. Ausonius *Grat. act.* Socrates *lib. 5. cap. 5.* vbi & Theodosius ab eo in Imperij societatem adscitus fuit. Atqui non antiquari potuit à Valentiniano Iun. collegæ sui in Imperio lex: verùm ab eodem antiquatam oportet, à quo & lata fuerat. Non est antiquandæ legis ratio latore superstite, nisi vbi lata & per quem ipsum lata ea est: non alibi, non à collegâ. Secundò, argumentum vtriusque legis respondet. Illâ Sirmiensi omnisi Manichæis, Photinianis, & Eunomianis coeundi licentia adempta fuerat: hâc iam, omnibus. *Omnes*, inquit, *vetita legibus diuinis Imperialibus hereses conquiescant.* Ac si diceret, non vt anteà pauci tantùm hæretici, verùm omnes omninò, discrimine nullo. Tertiò, Valentinianum Iun. hæc lex auctorem habere non potest, qui vtique ad Annum vsque 388. id est, ad id vsque tempus, quo à Maximo ad Theodosium confugere coactus & ab eodem ad rectam fidem traductus fuerat (vt ostensum ad *l. vltim. supr. de fide Cathol.* & *l. 1. supr. de his qui supr. relig.*) hæreticis Arianis fauit, à quo toto cœlo hæc constitutio recedit. Quartò, *victuras in æternum suas & numerosas iussiones* cõtra hæreticos latas, memorat *hæc lex in fin.* & firmat: atqui nullæ tales Valentiniani Iunioris esse possunt, non modò, quia mens ei alia hâc parte fuit: verùm, quia ab Anni 375. fine, quo Imperator factus est, ad hunc Annum vsque, nullæ eius constitutiones occurrunt. Quid igitur? Gratianus apertè *hâc leg.* indicat & *legem 4. supr. prox.* & *l. 2. infr. ne sanctum bapt.* & anteriores, quæ his ipsis legibus memorantur. Postremo subscriptio huius legis nequicquam obstat, *Dat. Med.*

Med. Quia hoc tempore Gratianus Imp. ex Pannonia Sirmio in Gallias reuersurus per Venetiam (vbi *Aquileia*) & Liguriam, (vbi *Mediolanum*) prius transiit; vt docet Ausonius *in Gratiarum act.* Quare datæ ab eo mense Iulio huius anni Aquileiæ *lex 2. supr. de seruor. l. 11. supr. de lustrali coll.* Mediolani verò eodem mense Iulio extremo & Augusto, non hæc tantùm lex, verùm etiam *lex 4. Con quemrestam.*

¶ Tandem igitur obseruentur tria hæc momenta voluntatis & temporis in Gratiano: Nempe Valente superstite, in hæreticos omnes insurrexit; Valente mortuo, in Orientem profectus, nonnisi in Manichæos, Photinianos, Eunomianos; in ex *hac lege* in omnes rursum.

¶ Porrò non dubito, quin Ambrosio Mediolanensi Episcopo auctore Gratianus hanc constitutionem emiserit, vel communicato saltem cum eo consilio. Hoc ipso sanè tempore Ambrosius Gratiano petente, Libros *de fide* scripsit, vt apparet ex *fine lib. 2.* vbi Valentis necem, vt puto perstringit, Gratiano ad bellum profecto: vide *prologum lib. 1.* & Prosperum *Chronico*, *COSS. proximus* 380. Hæc cùm ita sint, apparet de duplici errore Petri Fabri *in Dodecamero de Dei nomine atque attributis, cap. 9. pag. 170.* cùm & Theodosio, Imp. (cuius certe nomen *huic legi* pro more, non quasi auctoris inscriptum) tribuit: & quod de Sirmiensi rescripto hic dicitur, interpretatur de Sirmiensi Concilio: vel certè de rescripto aliquo Constantij de Arianismo fouendo & propagando. Ineptissimè: conditor enim *huius legis* Anno 379, ait RESCRIPTVM NVPER emissum; quomodo verò nuper emissum, quod ante viginti annos emissum fuerit? Et dilucidè auctor *huius legis* Parentis sui & suas quasdam constitutiones generales opponit RESCRIPTO cuidam à se solo emisso Sirmij: rescripto, inquam, quod ab eo aliquando elicitum fuerat Sirmij constituto, post mortem Valentis, cuius vt dixi, meminerunt Socrates, Sozomenus, Suidas, Ioannes Antiochenus. Neque ferendus nuperus scriptor in collat. de Concilio Sirmiensi *sect. 5. cap. 3. pag. 134.* qui tentabat istud accipere de Iuliani rescripto Sirmij fortè edito, in fauorem Donatistarum. Quæ sententia refutatur iis ipsis quæ modo dixi aduersus P. Fabrum: quibus adde rescriptum istud fuisse in fauorem hæreticorum, & quidem plurimorum, non in fauorem Donatistarum Schismaticorum. Denique apertus error eius confundentis hoc rescriptum quod hic indicator, cum eo Iuliani rescripto quod in Donatistarum fauorem præcesserat, quodque antiquatur *l. 37.* Duo interim *hac lege* obiter notanda. Primò, quod omnes hæreses Gratianus in duplici genere ponit, seu ad duo summa genera reducit: vnum eorum qui prauè de Deo sentiunt, & vt ipse loquitur *opinionem plectibilibus Dei profani imminuunt*, id est, opinionem & fidem de Deo criminosis opinionibus & hæresibus adulterant: *plectibilia* sunt crimina, delicta improbanda; Sidonius Apollinaris *lib 4. epist. 13. Et quoniam nemo fermè est qui plectibilibus careat occultis*: vnde & *plectibilis vita* eidem Sidonio *lib. 6. epist.* 1. inuidia plectibilis *lib. 3. epist. 6.* de quo & plura in Glossis: Quare coniectura eorum valeat qui, *placabilis* Dei, hic reponendum tentabant, quasi in Nouatianos istud dictum sit, qui Deum negabant placari pœnitentiâ post baptismum. Alterum est, eorum qui baptisma iterant, & vt ipse loquitur, *qui redemptâ venerabili lauacro corpora reparatâ morte tabificant, id auferendo quod geminant*: quod eleganter & Theologicè admodum dictum e de quo *suo tit. ne sanctum baptisma.*

Notandum & illud obiter: quod in recensu trium ordinum Ecclesiasticorum ἡγεμόνων, Episcoporum nomini, *proximum Presbyterorum* vocabulum vocat. Presbyteri proximo gradu ab Episcopis. Vnde *in secundo Sacerdotio constituti* dicuntur Optato Mileuitano *lib. 1.* Gregorius Nazianzenus, de vita sua, vbi se Presbyterum creatum ait:

εἶτ᾽ ἦγε τιμῶν τῆς ἀμείνον
Κάμπτει βιαίως εἰς θρόνον τὸν δεύτερον

Presbyter Antistites in ordine secundo, Odoni Derobetinco

Antistes fuit in Ordine secundo
Fratrem & fasce leuatis Episcopali:
Nam de Pontificis tenore summi
Ille insignia sumpsit, hic laborem.

Dorobernicus de S. VVilfrido, quando factus est Presbyter

Tandem colla iugo subdens deiecta petito
Ordinis aptatur cælebs in honore secundi

Inde & Presbyteri fastigium, *l. 121. supr. de Decurionibus*: superiorque illi locus tribuitur inter Clericos *l. 19. supr. de fide testium.* Quare & Claudianus Presbyter, Mamerti Viennensis Episcopi frater vocatur Sidonio *lib. 4. epist. 11.* & *lib. 2. constit. Apostol. cap. 28.* σύμβουλοι τῶν Ἐπισκόπων dicuntur. De Presbyteris fortè intelligendum quod rescripto quodam Constantini ad Chrestum Syracusanum Ep. apud Euseb. *lib. 10. cap. 6.* iubet: δύο γέ-τινας ἐκ τοῦ δευτέρου θρόνου. In supposita quoque Theodosij & Valentiniani constit. quam addidit Sirmondus *in append. Cod. Theod. de sanctis*, inquit, *Sacerdotibus, & secundis Sacerdotibus, vel etiam Leuitis*; vbi in fine apertè *Episcopi Presbyteri Diaconi* nominantur.

¶ THEODOSII M. Prima *hoc titulo in hæreticos constitutio Anno Domini* 381.

VI. * Idem AAA." Eutropio PF. P."

NVLLVS" Hæreticis mysteriorum" locus, nulla ad exercendi" animi obstinatioris" dementiam pateat occasio. Sciant omnes, etiamsi quid speciali quolibet Rescribto, per fraudem elicito," ab huiusmodi hominum genere impetratum est," non" valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab inlicitis congregationibus turbæ. Vnius & summi Dei nomen vbique celebretur: *Nicænæ* fidei, dudum" à maioribus traditæ, & diuinæ religionis testimonio atque adsertione firmatæ, obseruantia semper mansura teneatur:" *Fotiniana*" labis contaminatio,

Arriani sacrilegij venenum, *Eunomiæ* perfidiæ crimen, & nefanda, monstruosis nominibus auctorum, prodigia sectarum] ab ipso etiam aboleantur auditu. ¶ Is autem Nicænæ adsertor fidei, & *Catholicæ* religionis verus cultor accipiendus est, *Qui omnipotentem Deum, & Christum filium Dei vnum nomine confitetur, Deum de Deo, lumen de lumine: qui Spiritum sanctum (qui id quod ex summo rerum parente speramus, accipimus) negando non violat: apud quem, intemerata fidei sensu, viget incorrupta Trinitatis indiuisa substantia, quæ Græci adsertione verbi, οὐσία rectè credentibus dicitur.* Hæc profectò nobis magis probata, hæc veneranda sunt. Qui verò hisdem non inseruiunt, desinant adfectatis dolis alienum veræ religionis nomen adsumere, & suis apertis criminibus denotentur: ¶ Ab omnium summoti Ecclesiarum limine penitùs arceantur, cùm omnes hæreticos inlicitas agere intra oppida congregationes vetemus: Ac si quid ereptio factiosa temptauerit, ab ipsis etiam vrbium mœnibus exterminato furore propelli iubeamus, vt cunctis Orthodoxis Episcopis, qui Nicænam fidem tenent, Catholicæ Ecclesiæ toto orbe reddantur. Dat. IV. Id. Ian. CP. Eucherio & Syagrio COSS. [381.]

NOTÆ.

* *Lex 2. Cod. Iust. de summa Trinitate & fide Catholica*, sub quo titulo hæc lex non minus rectè collocata est. Memorat *hanc legem* Baronius, *Anno* 381. *num.* 8. Hæc ipsa porrò lex esse videtur, quam memorat Sozomenus, *lib.* 7. *cap.* 6. Theodoretus *lib* 5 *cap* 16.

Eutropius sub Theodosio M. PP. Orientis scilicet: de quo mox.

Malè in nonnullis editionibus: *Nullos hæreticos.*

Malè in nonnullis libris Cod Iust. *ministeriorum*, vbi rectè Alciatus *mysteriorum* reposuit. Sanè & Paratitla Græca ita: μυστήρια μὴ τελείτωσαν quam lectionem confirmat hic Codex, vt Leonclauius rectè obseruauit p. 182. Quare Molinæus hac parte errauit, qui *ministeriorum* tuebatur: *Mysteriorum* itaque *locum*, hic pro loco, in quo mysteria sua peragunt hæretici: Nam de his hic agitur; & per contemptum *Mysteriorum* vox hæreticorum ritibus tribuitur; vt proinde Vir doctissimus lapsus sit nuper, qui Ecclesiam hic *mysteriorum locum* dici putauit, præcipuè propter Eucharistiæ mysterium, quod ibi agitur. Cæterùm eadem mysterij vox in l. 7. 12. 21. 24. 26. 36. 54. 57. 58. 65. *infr.* & l. 27. *supr. de Episcop.* & l. 4. *infr. ne sanctum bapt.* Etsi mysterij quoque vox non vno loco occurrat.

Exercendam Cod. Iust. & meliùs: quanquam & illud defendi posse scio.

Hæresis, obstinationis animi dementia. Et hinc Alciati quoque obseruatio est, pertinaciam esse, quæ hæreticum hominem faciat: vide & l. 25 28. *infr.* vbi dicam plura.

de iure conueniendi, coeundi.

sit Cod. Iust.

Rescripta ab hæreticis contra ius elicita, nullius momenti sunt: *hâc leg.* & l. 14. 16. 47. 49. 51. 52. *infr.* Cod. in nonnullis,

Dudum, putà ante 56. annos, nempe Anno 326.

Nota Nicænæ fidei traditionem præferri, vtpote diuinæ religionis testimonio atque adsertione firmatam: cui similis, vide *l. cunctos populos supr. de fide Cathol.*

teneat.

Sequitur periodus integra, vbi enumerantur hæreses, vsque ad *Is autem*, abest à Cod. Iust.

vid. Augustinum ad *Bonifacium* 87.

seu *Eunomiana* Hoc verò tempore *Eunomius* adhuc viuebat: de qua Eunomianorum hæresi viginti præterea leges hoc Codice sunt: Qui & deinceps veluti antesignani hæreticorum primi nominantur: de quo ad l. 8.

Vno nomine Cod. Iust. in quodam, *Vnum Deum vno nomine.*

Deus de Deo, lumen de lumine. Ita in Symbolo Constantinopolitano hoc..... Θεὸν ἐκ Θεοῦ, Φῶς ἐκ Φωτός: vide & Ambrosium, *de fide, lib.* 2. *cap* 8.

Loco horum verborum, *qui id quod.* in Cod. Iust. *quem ex summo*, &c. Constantius hic ita rectè emendat, *à quo id quod*, &c. Neque tamen hic locus ad processionem Spiritus sancti pertinet, quod vulgo creditur: vnde Accursius notabat, hoc loco confirmari Græcorum errorem de processione Spiritus sancti à solo patre. Et Alciatus hic subaudiri nolebat *& à Filio. Ioan.* 15 *v.* 26. & 16. *v.* 14 15. Spiritus dicitur à Patre procedere, ἐκπορεύεσθαι mitti, & accipere, à Filio & 1. *Cor.* 12. 3. Singulis varia dona distribuens prout libet Et Spiritus cœlestium donorum largitor dicitur Sic in Symbolo Constantinopolitano, καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. Interim hoc dicto tangit Pneumatomachos Theodosius, de quibus vide saltem Epiphanium *hæresi* 74.

Et accipimus Cod. Iust. addito voce &; nil opus.

Sensus Cod. Iust. Melius hic, *sensu.*

in Cod. Iust. οὐσία: verùm οὐσία hic omninò retinendum: de quo mox.

probanda Cod. Iust.

Inuertè Cod. Iust. *non hisdem.*

Græca Paratitla ἄτιμοι ἔστωσαν, id est, infames sunto. Non ita rectè, etsi id Leonclauius probet p. 182. *Semiariani* (& si qui alij) perstringuntur hic, qui suum nomen euitantes τὸ ὄνομα ἀρνούμενοι, affectatis dolis veræ religionis nomen adsumebant; quod Epiphanius *hæresi* 73. initio eleganter describit: vide & finem l. 7. *prox. infr.*

atque ab omni Cod. Iust.

at Cod. Iust.

eruptio Cod. Iustin. rectè. *Eruptio* scilicet factiosa cùm congregatio hæreticorum erumpit & in cœtus vel Ecclesias congregatur.

itaquoque Cod. Iust. Attenim fortè rescribendum *Iun.* mox vt tentabo.

COMMENTARIVS.

THEODOSII M constitutiones quindecim in hæreticos sequuntur: putà l. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14 16. 17. 19. 21. 22. 23. Quibus addatur & *l. cunctos populos* 2. & l. 3. *supr. de fide Catholica.* E quibus quinque, putà *d. lex* 6. 7. 8. *lex cunctos populos*, & *d. l.* 3. pertinent ad historiam antecedentia & sequelam CONCILII CONSTANTINOPOLITANI. Ex his verò legibus, & quidem tot numero colligitur, quantum negotij Theodosio Magno, cum hæreticis fuerit, quámque constans Catholicæ fidei adsertor fuerit.

¶ Hâc lege COETVS hæreticorum, ac speciatim trium, *Photinianorum* scilicet. *Arianorum* & *Eunomianorum* abscisè prohibentur: vice versâ Orthodoxis Episcopis Ecclesiæ toto orbe reddi iubentur: *Orthodoxis*, inquam, id est Nicænam fidem

f[...]m sequentibus: Quænam autem illa fides sit [...] simul ostenditur, seu ἔκθεσις eius proponitur: oe quâ aliquid postea.

¶ Porrò singula huiusce penè legis introspicienti, ea fermè sententia placere possit, in subscriptione legis, emendandum diem, atque adeò reponendum *IV. Id. Iun.* vel *Iul.* non *IV. Id. Ian.* atque adeò hanc constitutionem, à Theodosio M. non ante Concilium Constantinopolitanum, verùm statim post promulgatam decretis eius firmandis videlicet, pariter vt mense Iulio extremo, ab eo promulgata *lex 3. supr. de fide Catholica.* Nempe, qui Theodosius Magnus paulò pusteaquam ad Imperium peruenit, & post præparatoriam, sic vt dicam, legem, *cunctos populos, supr. de fide Catholica*, extremo Anno superiore 380. in Vrbe Constantinopolitanâ nominatim Arianis ereptas Ecclesias Orthodoxis restituerat (vt testatur Socrates, *lib. 5. cap. 7.* Sozomenus, *lib. 7. cap. 5.* Marcellinus, *Chronico*: Chronicon Alexandrinum;) is plenius nunc & (vt ipse fine huius legis loquitur) TOTO ORBE Orthodoxis Ecclesias reddi satagit, post Synodum videlicet Constantinopolitanam, quæ mense Maio, Iunio, Iulio his ipsis Coss. habita, (vt testatur Socrates, *lib. 5. cap. 8.* & Canones ipsi Constantinopolitani.) Et sanè præter ipsam temporum rationem, & eum quem dixi Theodosij processum, tota hæc lex ad instar Cõcilij Constantinopolitani, pariter vt *d. l. 3. supr. de fide Catholica* effecta videatur. Comparentur primùm illa: *Nicænæ fidei*, &c. item illa, *FOTINIANÆ labis contaminatio, ARIANI sacrilegij venenum, EVNOMIANÆ perfidiæ crimen*, &c. cum *canone* 1. Concilij Constantinopolitani, & imitamentum ilicò apparebit. Nempe sic canon ille habet: μὴ ἀθετεῖσθαι τὴν πίστιν τῶν πατέρων τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ, τῶν ἐν ΝΙΚΑΙΑ τῆς Βιθυνίας συνελθόντων, ἀλλὰ ΜΕΝΕΙΝ ΕΚΕΙΝΗΝ ΚΥΡΙΑΝ, καὶ ἀναθεματισθῆναι πᾶσαν αἵρεσιν καὶ ἰδικῶς τὴν τῶν ΕΥΝΟΜΙΑΝΩΝ, εἴτουν Ἀνομοίων· καὶ τὴν τῶν ΑΡΕΙΑΝΩΝ, εἴτουν Εὐδοξιανῶν· καὶ τὴν τῶν Ἡμιαρειανῶν, εἴτουν πνευματομάχων, καὶ τὴν τῶν Σαβελλιανῶν, καὶ τὴν τῶν Μαρκελλιανῶν, καὶ τὴν τῶν ΦΩΤΕΙΝΙΑΝΩΝ, καὶ τὴν τῶν Ἀπολλιναριστῶν: vbi vides pariter vt in *hâc* Theodosij Magni *leg.* *Fotinianos* & *Arianos* nominatim perstringi: quomodo & Ambrosius *in orat. de excessu Theodosij, pag. 61.* eosdem perstringit: & quidem eodem ordine vt hic *Fotinianos* & *Arianos*. Et idem *lib. 1. de fide cap. 1.* in expositione fidei Catholicæ ad Gratianum, *Sabellium, Fotinum & Arium.* Secundò, comparetur Symbolum seu formula fidei Concilij Constantinopolitani à Gregorio Nysseno, Concilij auctoritate conscripta, eum ea quæ hic proponitur & res & verba imitamentum apertè prodent: πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, &c. καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ [Θεὸν ἐκ Θεοῦ] φῶς ἐκ φωτός, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, &c. καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ κύριον τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν. Tandem comparetur etiam Synodica Concilij ipsius ad Damasum, &c. & pariare *hanc leg.* cum ea deprehendas; de quo mox rursum.

¶ Verùm contra, putet quis, constitutionem hanc ante Cõcilium Constantinopolitanum emissam, neque quicquam in subscriptione eius immutandum, etsi mens ea[...] Concilij Constantinopolitani sit. Et quidem argumento sequenti. Enim verò post latam à Theodosio M. legem *cunctos populos*, item post Gregorium Nazianzenum, Demophilo Vrbe submoto (de quo vide & Philostorgium *lib. 9. cap. 19.*) Constantinopolitanum Episcopum eũ stitutum, tandem post Ecclesias Catholicis Constantinopoli superioris Anni fine restitutas, labefactatum aliquantum Theodosij animum, erectum contra hæreticorum memorat Sozomenus *lib. 7. cap. 6.* & Gregorius Nazianzenus ipse *de vita sua & ad Arianos*. Vnde Gregorio Nazianzeno Theodosius visus paulò frigidior, vt liquet ex eius *carm. de vita sua*. Id quod hâc ipsâ lege indicatur, Rescriptum videlicet aliquando à Theodosio per fraudem ab hæreticis & affectatos dolos elicitum & impetratum: Sed & hæreticos factiosè erupisse. Quo sanè tempore certum est, hæreticos, & in his quidem Arianos, tumultum concitasse, (sic vt armato milite opus fuerit Ecclesiam adire, & illuc Gregorium introducere, vt ex eius *carm. de vita sua liquet*) animósque resumpsisse: ἀλλ᾽ αἴρεσιν συνέστη Θεῷ καὶ ἡμᾶς ὑπὸ σφισιν ἀναφέρων, vt ex parte Sozomenus ait. Quare cùm hæc omnia perpendo, hæc ipsa illa lex videri possit, quam Sozomenus ibidem memorat, recollecto à Theodosio animo expressam, Amphilochij Iconiensis Episcopi suasu: Ἀσχαλήσας, inquit, ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τῷ ἀξιωθῆναι, καὶ τὰς ἐν ἀγορᾷ ἔριδας καὶ συνόδους ἀπηγόρευσε, καὶ διαλέγεσθαι περὶ οὐσίας καὶ φύσεως Θεοῦ, ἐκ διατάξεως ἔταξε, τοῦ θεσμοῦ περὶ τούτου καὶ τιμωρίας ὁρίσας. Et huc iam trahenda fuerint illa huius legis verba. *Hæc profectò nobis MAGIS probata: hæc veneranda sunt.* Quæ vtique verba erecti rursum animi indicia sunt. Quod temporis verò συνέδρων attinet, Sozomenus rem omninò eam ad hoc tempus refert, vt paulò post latam *l. cunctos populos*, ita paulò ante Concilium Constantinopolitanum. At Theodoretus *lib. 5. cap. 16.* rem eandem & legem ad Annum Domini 388. refert, sic tamen, vt neque sibi constet in charactetismo temporis. Cedrenus *pag. 261.* eodem tempore, quo Concilium habitum tefert.

¶ Neque illud etiam transmittendum, hæreticorum intra oppida congregationes nominatim *hâc leg.* prohiberi. Et verò Socrates *lib. 5. cap. 7.* & Sozomenus *lib. 7. cap. 5.* nominatim testantur, post restitutas Orthodoxis Constantinopoli Ecclesias Anni superioris fine, Demophilum Arianorum Episcopum Constantinopoli digressum: de quo Philostorgius quoque *lib. 9. cap. 10.* extra ciuitatem Constantinopolitanam conuentus porrò egisse, περὶ τῆς πόλεως ἐκκλησίαζε, ait Sozomenus, ἔξω τῶν πυλῶν τὰς σύνοδους τὰς συναγωγὰς τῷ εἶναι ἐποίησαν, ait Socrates. Quare historicam veritatem huius legis nesciunt aut non attendunt, qui hanc legem habere quoque locum *in extraurbanis* congregationibus hæreticorum produnt: Nempe enim *falsus* hac lege prohibentur hæreticorum cœtus intra alia oppida seu vrbes alias, extra Vrbem Constantinopolitanam.

¶ Nonnulla interim hîc notanda veniunt: Primò hæreticos *hâc leg.* non ideò scil. vrbibus ob hæresim pelli, sed tum demum si cœtus illicitos ibi agitent. Aliis sanè legibus hæretici quandoque vrbibus pulsi *l. 14. 15. 16. 18. 20. 49. 62. 65. infr.* de quo plura in *Paratitlo*.

Secundò notanda etiam *hâc leg.* fidei Catholicæ & Nicænæ ἔκθεσις de sacrosanctâ Trinitate, quæ Christianæ fidei fundamentum est, quâque pleræque hæreses proscriptæ sunt: cui similes de Trinitate ἐκθέσεις idem Imp. proposuit, *l. cum Deus populos*, & *l. 3. supr. de fide Cathol.* vbi inter alia obseruandum quod de ὁμοίας nomine additur: *Apud quem intemeratæ fidei sensu, viget incorrupta Trinitatis indiuisa substantia, quæ Græci assertione verbi* ὁμοα[...]

ἰδίᾳ πιστοῖς credentibus dicitur. Nempe ἰδία apud Patres Græcos, aliter atque apud Philosophos & Aristotelem, significat generale & commune quid inter plures personas, sicut ἄτομον indiuiduum singulare. Sic sanè secunda Synodus Constantinopolitana Oecumenica in Synodica epistola ad Damasum aliósque Romæ congregatos Episcopos, ex legitimâ Christiani baptismi formulâ concludit, vnam esse Patris & Filij, ac Spiritus sancti ἰδίας in tribus perfectis hypostasibus, siue tribus perfectis personis: apud Theodoretum, *lib.5.cap 9.* δηλαδὴ θεότητος τε ἐ, δυνάμεως ἐ ἰδίας μιᾶς, τῦ πατρὸς, ἐ τῦ υἱῦ, ἐ τῦ ἁγίυ πνεύματ۞ πιςευομένης, ὁμοτίμυ τε τῆς ἀξίας ἐ συναϊδίυ τῆς βασιλείας ἐν τρισὶ τελείαις ὑποςάσεσιν, ἤγυν τρισὶ τελείοις προσώποις. Eodem modo Basilius *epist.43. 349. 391.* Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, vt alios omittam. Cæterùm indiuisam substantiam seu ἰδίαν hic rectè vocat Theodosius, quomodo tetro in prædicta canonica *epistola* per hanc vocem ἡ ἰδία, ἡ φύσις, ἢ θεότης πιςευομένη dicitur.

¶ Notari tertiò cupio, hanc legem & proximam 7. in hæreticos latas, Eutropio Præfecto Prætorio inscribi: quem Gregorius Nazianzenus *epist.137.* ad eum ex P.P. iam scribens, *Magnum,* Μέγαν, Eutropium vocat; & *epist.138.* ὑψηλότατον ἄρχοντα censuisse eum ait, & in Imperio seu Magistratu virtute magis, quàm potentia admirabilem fuisse probitatéque & doctrina excelluisse: Neque dubito, à Gregorio adeò commendatum, propter indictum hæreticis odium.

Quartò, tres nominatim hæreses hic perstringi singulari enumeratione, quæ abest à *C.Iust.* notandum, quæ tum scilicet plurimùm inualuerat: quæ & ipsæ prædicto canone Constantinopolitano continentur: nempe Ariani, Eunomiani, Photiniani: *Eunomiani*, inquam, quorum hæc hoc Codice antiquissima mentio occurrit sub Theodosij Magni initia: Vbi etiam notandum, sua singulis nomina & crimina tribui: *Arianis* sacrilegij venenum: *Eunomianis* perfidiæ crimen: *Photinianis* labis contaminationem: Arianis scilicet *sacrilegium*, propter diuinitatem Filio Dei detractatam: Eunomianis, *perfidiam*: Fotinianis, *labem*. Tandem minatur *hac leg.* Theodosius exilium hæreticis, seu Vrbibus pellendos, si quid eruptione factiosâ contra *hanc legem* tentauerint. Certè Philostorgius scilicet *lib.9.cap.19.* hoc tempore Theodosium, Arianos & Eunomianos vrbe expulisse: (quem sequitur & Nicephorus *lib.12.cap.8.*) vbi tres præcipuos Episcopos memorat, de quorum vno Demophilo consentit & Sozom. *lib.7.cap 5.*

Circa *Eunomianos* nominatim quis Theodosij Magni sensus fuerit, quæque de his constituerit, quis denique eorum status tum fuerit, ostendunt præter hanc legem sex eius leges: *lex 8.11.12.13.17.23. hoc tit.* Item quod Arcadius indicat *l.25.* vt & quæ narrat Philostorgius *lib.9. cap.18. 19. lib.10. c.1.4.6.* Et autem hæc, vt dixi *hâc lege*, antiquissima hoc Codice Euuomianorum mentio: nempe enim tum Eunomianorum secta primùm inualuit simul & damnari cœpit: *v.Philostorgium.*

¶ THEODOSII M. *Secunda in hæreticos Manichæos nominatim constitutio Anno Domini 381.*

VII. * Idem AAA. Eutropio PF. P."

SI qui Manichæus Manichæave, ex die latæ dudum Legis, † ac primitùs à Nostris Parentibus," in quamlibet personam condito testamento, vel cuiuslibet titulo liberalitatis atque specie donationis, transmisit proprias facultates, vel quisquam ex his aditæ, per" quamlibet, successionis, formam, conlatione" ditatus est, quoniam hisdem, sub perpetuâ iustæ" infamiæ notâ, testandi ac viuendi iure Romano" omnem protinus eripimus facultatem, neque eos aut relinquendæ aut capiendæ alicuius hæreditatis habere sinimus potestatem, totum fisci nostri viribus imminentis indagatione societur: Siue" id marito, siue propinquo, aut cuilibet benemerito," siue etiam filiis, quos tamen vitæ eius" & criminis facinora sociata coniungant, siue etiam per interpositam quamlibet personam profuturam," eidem qui" è tali hominum genere & grege reperitur, inlicita liberalitate prouenerit, caduci titulo vindicetur. ¶ Nec * in posterum tantum huius emissæ per Nostram Mansuetudinem Legis forma præualeat, sed in præteritum etiam quidquid talium personarum aut proprietas" reliquit, aut successio habuit, vsurpatio" fiscalis commodi persequatur. Nam licet *ordo" cœlestium" statutorum sequuturis post, obseruantiam sacratæ Constitutionis indicat, neque actis" obesse consueuerit*, tamen quoniam &" quid consuetudo" obstinationis pertinax natura mereatur, in hâc tantum quam specialiter vigere volumus sanctione, iustæ sensu instigationis" agnoscimus, eos qui etiam post Legem primitùs datam, nequaquam ab inlicitis & profanis coitionibus refrenari diuinâ" saltim" monitione potuerint, tanquam in ipsius depictæ" legis iniuriam, veluti sacrilegij reos tenemus, seueritatem" præsentium statutorum non tantùm ad constituendæ, sed ad vlciscendæ Legis sanximus exemplum, ita vt nec defensio temporis prosit. ¶ His * tantùm filiis paternorum vel maternorum bonorum successio deferatur, qui licet ex Manichæis orti, sensu tamen & affectu propriæ salutis admoniti, ab eiusdem vitæ professionísque collegiis purâ semet dediti religione demouerint," tali inmunes à crimine. ¶ Illud * etiam huic adicimus sanctioni, Ne in conuenticulis oppidorum," ne in vrbibus claris," consueta feralium mysteriorum sepulchra" constituant, à conspectu celebri

celebri" ciuitate" penitus coërceantur." ¶ Nec * se sub simulatione fallaciæ" eorum scilicet nominum, quibus plerique, vt cognouimus, probatæ fidei & propositi" castioris dici ac signari" volent," malignâ fraude defendant; cùm præsertim nonnulli ex his *Encratitas*, *Apotactitas*," *Hydroparastatas* vel *Saccoforos* nominari se velint, & varietate nominum diuersorum velut religiosæ professionis officia mentiantur: Eos enim omnes conuenit, non professione defendi nominum, sed notabiles atque execrandos haberi scelere sectarum. Dat. VIII. Id. Maij," cp. Eucherio & Syagrio coss. [381.]

NOTÆ.

* Meminit huius legis Baronius, *Anno D.381. num.*80. Fit & huius quoque legis mentio *l.9. infr. hoc tit.* vbi ea confirmatur. Iungenda etiam huic videtur *lex 1. infr. de Apostatis*, argumento etiam *l.3. eod. tit. infr. de Apost.*

Eutropium, Orientis sub Theodosio M. PP.

Anno D.380 Februario mense decurrente, & sic ante 14. & quod excurrit menses ad eundem Eutropium Præfectum Prætorio. Intelligi enim hic puto *legem cunctos populos supr. de fide Cathol.* cuius pars est *l.25. supr. de Episcopis*, quæ in Cod. Iust. inscribitur *Eutropio P. P.*

Constantino M. & Valentiniano.

Incerta locutio, pro *adita successionis per quamlibet formam*: vide quæ noto ad *l. vnic. ne sine iussu principis.*

accusatione

Fortè *inulta*: vide quæ notaui ad *l.1. supr. de secund. nupt.* quæ hoc ipso anno, imò & mense lata eiusdem Theodosij est.

vide *l.17.18 40. hoc tit.*

Donationis titulo quatuor, iustissimi aliàs hic designantur: quæ coniugi fit; quæ propinquis, quæ benemeritis, quæ filiis.

ob benemerita donatio plerumque fit.

eiusdem.

ϰ. profuturum.

qua tali.

Caduci titulum obserua.

* *Secunda* pars huius legis. Hanc legem pertinere etiam ad præterita; de quo iam etiam ad *l 3 supr. de constitut Princip.* vid & quæ mox dicam.

id est, de propriis & patrimonio suo tales personæ reliquerunt.

Vsurpatio, bono significatu.

Ordo, id est forma, et paulò ante vocatur regula, consuetudo.

Cælestia statuta sunt Imperatoria: vid. *Gloss*

est qui *ante acta* reponat: quo nil opus: *Acta*, sunt ante acta, præterita.

id est, *etiam* vel retrahenda hæc vox ad vocem pertinax.

Instigationis, id est, indignationis.

Diuinâ nostrâ, Imperatoria: qui huius seculi fuit stylus: vid. *Gloss.*

pro saltem.

an *Depicta*, id est, oculis omnium subiectæ, propositæ, manifestæ, publicæ? An *despecta*? An *dicta*?

& seueritatem.

* *Tertia* huius legis pars. Excipi ab *hac leg.* Filios Manichæorum Catholicos.

dimouerint.

* *Quarta* huius legis sententia: de *Cœtibus* Manichæorum vbique prohibitis.

Oppidorum conuenticula & *Vrbes Claræ* opponuntur.

de *Claris Vrbibus*: vid. Eidyll. Ausonij: clariores vrbes *l.26. de operib. publ.*

Sepulchra feralium mysteriorum pro locis, & fermè abditis, cultus hæreticorum.

non admitto nonnullorum emendationem hic, *celebris.*

ϰ. Conuentibus.

pro simplici, arceantur.

* *Quinta* & postrema sententia: Nominibus probatæ fidei & velut propositi castioris, huius legis seueritatem eludi non posse.

est qui malit *fallaci*, quod non admitto.

Signari, pro designari, *hic*, & *l.5. de Prætorib.*

ϰ. volunt, vel *vellent*

de *Apotactitis* rursum *infr. l.1.* ἀποτακτίτας etiam Græca Paratitla habent in *l. 5. Cod. de hæreticis*: vbi volgo Carpocratitæ.

Sub tempus Concilij Constantinopolitani.

COMMENTARIVS.

MANICHÆIS infamiæ pœnâ indictâ, viuendi cum cæteris iure communi, ac speciatim testandi, donandi, inter se capiendi ius, coeundi item in oppidis vel vrbibus potestas, quocunque tandem illi nomine censeantur, hac Theodosij M. constitutione, sub tempus Concilij Constantinopolitani, adimitur. Quocunque, inquam, nomine censeantur: etsi se sub simulatione fallaciæ eorum nominum quibus probatæ fidei & propositi castioris dici ac signari volunt malignâ fraude defendant: de quo mox.

¶ De *Coeundi* iure Manichæis adempto iam dictum *l.3. supr.* idémque rursus ab eodem Theodosio M. cautum *l.11. infr.* *Intestabiles* idem rursum esse iussi ab eodem Theodosio *l.9. infr.* quæ huic quam similis est, & Valentiniano Iuniore *l.18. infr.* & *l.3. infr. de Apostatis*, Theodosio Iun. *l.65. hoc tit.* Quod ius ad Eunomianos aliquando productum ab ipso Theodosio *l.17.* & postea, vt docet *l.25.49.50.58. infr. hoc tit.* Huius sanè iuris meminerant & Patres Africani in Cócilio Carthaginensi, quod habitum Anno D.404. atque ad Donatistas extendi petiére. *Petendum etiam, vt lex quæ hæreticis vel ex donationibus vel ex testamentis aliquid capiendi vel relinquendi denegat facultatem, ab eorum* (Imperatorum) *quoque pietate hactenus repetatur, vt eis relinquendi vel sumendi ius adimat, qui pertinaciæ furore cæcati in Donatistarum errore perseuerare voluerint.* Et verò propagatum hoc ad Donatistas, vt ostendit *l.54. infr. hoc tit.* & *l.4 infr. ne sanctum baptism* vbi plura etiam ex Augustino. Denique de Apostatis idem cautum *l.2. infr. de Apostat.* quam obseruandum est ab eodem Theodosio M. hoc ipso Anno & mense datam (sic vt

tam propè huic iungendam existimem, & *l.2.3.4.6. infr. de Apostatis.* Nempe vt exempla, & pœna non ibi consistunt, vnde cœperunt; pœnæque adeò huius vsus, qui in *Manichæis* primùm inducta fuit, vtpote inter hæreticos præcipuis, quique vt loquitur *l.65.infr.* ad imam vsque scelerum nequitiam peruenerant, mox ad alios propagatus: quam videlicet consuetudo obstinationis & pertinax natura (vt hæc lex alioquin loquitur) in ipsius depictæ seu despectæ, datæ legis iniuriâ, mereri id tādem visa: Quod summopere obseruandum. Nempe, vt non omnes hæretici eodem pœnæ genere plexi, ita nec iidem eodem semper. Porrò huc pertinet omninò quod Sozomenus *lib.7. cap.12. extremo* scribit, Theodosium M. hæreticorum alios iussisse, τὰς δὲ ἀτίμους εἶναι, καὶ πολιτείας ὁμοίας μὴ μετέχειν τοῖς ἄλλοις. Quod *Infamiam* attinet hæreticis impositam à Theodosio Magno, primùm ea nonnullis indici cœpit: vt ex Sozomeni loco modò laudato liquet: & ex eius constitutionibus discimus, quarum prima omnium est famosa lex *cunctos populos supr. de fide Catholica*, hæc altera eiusdem *lex 7.* Exinde hæretici dogmatis infamia *d. l. cunctos populos*: seu hæresis infamia, Sulpitio Seuero *lib.2. sacræ histor.* non *vno loco*; famosa hæreticorum nomina *l.13. infr. hoc tit.* Propagata ea & in Donatistas *l.54. infr.* Singularia nunc alia huius legis hæc notentur. Primò, intestimos etiam alioquin donationis & successionis titulos *hâc leg.* Manichæorum respectu infringi: cuiusmodi quatuor recensentur, in maritum, propinquum, benemeritum, imò & filios, nisi orthodoxi sint. Secundò, huius legis seueritatem etiam ad præterita extendi, pariter vt in Eunomianis, *l.17. infr.* contra communem vsum, de quo vide *l.3. supr. de constit. Principum*: vbi elegantissimam *huius leg.* sententiam expendo. Quod postremum *huius leg.* caput attinet, de eo mox.

¶ Historica hæc *hâc leg.* notanda veniunt. Primò, *initio legis* indicat Theodosius, latam à se dudum legem in Manichæos. Dubium verò, an indicet legem generalem à se in hæreticos latam, ante 14. menses, putà *l. cunctos populos supr. de fide Cathol.* cuius pars est *l.25. supr. de Episcopis*: an specialem aliquam in Manichæos: cuiusmodi nulla extat. Quod idem quæri potest. Secundò, de legibus quas à Parentibus suis latas ait, nempe Constantino, Valentiniano, cuiusmodi est *lex 3. supr. hoc tit.* Tertiò, obseruetur ex fine legis, vt & *l.9. infr.* Manichæorum varia Nomina fuisse: Manichæósque adeò, vt commune odium, pœnásque in Manichæos euitarent, varietate nominum diuersorum velut religiosæ professionis officia mentitos sub simulatione fallaciæ, maligńáque fraude se defendere sategisse: denique nominibus se velut probatæ fidei & propositi castioris dici ac signari; id est, designari voluisse: vt hæc omnia eleganter hi dicuntur. Hinc adeò *Encratitarum, Apotactitarum, Hydroparastatarum, Saccofororum,* nomina. Quæ omnia, etsi probatam fidem & propositum castius præ se ferrent, attamen Manichæam fermè sectam tuebantur: vna perfidia, etsi probata nomina. Quod præter hanc legem tursum ostendit eiusdem Theodosij M. constitutio Anno proximo 382. *l.9. infr. hoc tit.* & 383. *l.11. infr. hoc tit.* Id quod velut singulare notandum: Nam alioquin Encratitæ, Apotactitæ, Hydroparastatæ, Saccofori, non propriè Manichæorum sectæ fuēre: imò nonnullæ Manichæis antiquiores. Encratitæ quippè, Apotactitæ, Tatiani ἀπόσπασμα erant, quod sub Antoninis fuit, vt ostendit Epiphanius, *hæresi* 47. 61. & in synopsi *tom.1. lib.2.* & Eusebius *Chronico.* Quanquam & Philastrius *hæresi* 83. abstinentes (id est Encratitas) Manichæorum particulam facit. Hydroparastatæ etiam peculiare genus fuit à Manichæis diuersum, imò ab Encratitis & Apotactitis vt videtur diuulsum, qui aqua sola vtebantur, vinum damnantes etiam in Eucharistiæ Sacramento, vt idem Epiphanius *hæresi* 46. 47. docet: vide & Philastrium *in hæresi Aquariorum* 77. Denique Saccofori proximè Hydroparastatis his iunguntur, quomodo Apotactitæ Encratitis: sic enim de his *hâc leg.* Hydroparastatas vel Saccoforos, vt & *l.9. infr.* cum Saccoforis siue Hydroparastatis, & *l.11. infr.* Saccofori Hydroparastatæ: vt fortè Saccofori nonnisi sacci gestamine ab illis distulerint. Quales in Mesopotamia Monachos, comam muliebrem in modum promittentes & σάκκῳ φανερῶς ἐπενδεδυμένους, describit & proscribit Epiphanius *hæresi Massalianorum* 80. quos Massalianos à Mane profectos conijcit. Sanè & in eo cum Manichæis nonnulli ex superioribus conueniebant: quod duo principia statuerent: vt docet Epiphanius *hæresi* 47. & 80. & malas dicerent nuptias & cibos auersarentur.

¶ Cæterùm *Encratitas* dixeris abstinentes, continentes, nempe quod ἐγκράτειαν iactarent, prodigiali appellatione (ait *lex 9. infr.*) continentiam & abstinentiam à nuptiis, quas damnabant & Satanæ tribuebant, & ἐμψύχων seu animatorum vsum. Encratitarum similes erant ἀποτάσσεσθαι Apotactitæ seu Ἀποτακτικοὶ, quasi diceres, Renunciantes, iidémque & *Apostolici* vocabantur, nempe bonis omnibus renunciabant & de ἀκτημοσύνῃ gloriabantur. Vide Epiphanium *hæresi Apostol.* 61. & *Synopsi tom.1. lib.2.* Porrò & aliis portentosis superstitionibus censebantur, fidémque Catholicam turbabant. Hæ igitur hæreticorum fraudes, hæc commenta fuēre, & quidem Manichæorum, vt alia nomina & speciosa adsciscerent. Verùm Imperator *hâc leg.* velut sipario remoto, omnes vno elogio complectitur, eisdémque pœnis subiicit. Nil scilicet possunt affectata & speciosa nomina, si reuera hæresim tegant; alioquin simplicia, quæ cum veritate congruunt nomina, nemo ideò iure damnauerit. Res est excutienda, non nomini innoxio bellum indicendum: quam in rem vide quæ vel Tertullianus *Apologetico & adu. Nationes*, de Christianorum nominis odio.

¶ Tandem neque temporis circumstantia in huius legis subscriptione silentio transmittenda: Nempe data lex proponitur *VIII. Id. Maij Constantinop.* Eucherio & Syagrio Coss. id est, eo ipso fermè tempore, quo Concilium Constp. habebatur. Author enim est Socrates *lib.5. cap.8.* Patres ad Concilium conuenisse his Coss. *mense Maio.*

¶ Theo

¶ THEODOSII M. Tertia *in hæreticos*, Eunomianos, *Arianos*, *Aëtianos nominatim*, *constitutio*, *Anno D.*381.

VIII. * Idem AAA. ad Clicherium Com. Orientis."

NVLLVM *Eunomianorum*," atque *Arrianorum*, vel ex dogmate *Ethi*" in ciuitatibus vel agris fabricandarum Ecclesiarum copiam habere præcipimus. Quod si temerè ab aliquo id præsumptum sit, domus eadem, vbi hæc constructa fuerint quæ construi prohibentur, fundus etiam vel priuata possessio protinùs fisci nostri viribus vindicetur: atque omnia loca fiscalia statim fiant, quæ sacrilegi huius dogmatis vel sedem" receperint, vel ministros. Dat. XIV. Kal." Aug. CP. Eucherio & Syagrio COSS. [381.]

NOTÆ.

* Memorat *hanc legem* Baronius, *Anno* 381. *num.*80.
"*Orientis*: cuius quindecim Prouinciæ erant: Palæstina, Phœnicè, Syria, Cyprus, Cilicia, Palæstina secunda, Palæstina salutaris, Phœnice Libani, Eufratensis, Syria salutaris, Osihoëna, Mesopotamia, Cilicia secunda, Isauria, Arabia, vt ex Notitia Imp. liquet.
"An reponendum *Aëtij*: De eo mox.
"*Sedem*, id est, Ecclesiam.
"hoc mense Iulio huius Anni finita Synodus Constantinop.

COMMENTARIVS.

EVNOMIANI, ARIANI, AERIANI per diœcesim Orientis, ECCLESIAS in ciuitatibus vel agris fabricare, à Theodosio Magno prohibentur Anno Domini 381. sub pœna confiscationis loci, in quo Ecclesia ædificata fuerit.

¶ Nempe Theodosius M. fidem Catholicam omni ope firmatam, infirmatas verò hæreses cupiens id negotium non tantùm Patribus seu Episcopis (ac nominatim quos ad Synodum Constantinopolitanam conuocauerat) delegandum credidit, verùm & ipse quod suarum erat partium præstitit. Primùm *igitur* inter initia Imperij sui, & ante eam, quam dixi Synodum Anno Domini 380. III. Kal. Martias, cunctos populos sibi subditos ad rectam fidem reuocandos credidit, formula & exemplaribus fidei Catholicæ in id propositis *l. cunctos populos, supr. de fide Cathol.* Inde mense Decembri eiusdem Anni 380. Ecclesias Constantinopoli ereptas Arianis, orthodoxis restituit teste Socrate *lib.*5. *cap* 7. Sozomeno *lib.*7. *cap.*5. Marcellino, *Chronico*. Mox initio Anni sequentis 381. omnes vbique Ecclesias Orthodoxis Episcopis restitui iussit & hæreticis eripi *l.*6. *supr. hoc tit.* Hæc ante Synodum Constantinopolitanam. Atenim post eam statim hoc adhuc mense Iulio habitam, & sua & Patrum instituta illico tueri in animum seriò induxit. Quare cùm per Asiam & *Orientem* (vbi plerique hæreticorum diffusi erant) suis hæreticos præceptis partim minus obsequentes, partim etiam mentem suam eludere videret, pérque Orientem hæreticos quibus Ecclesiæ ereptæ Catholicisque restitutæ fuerant, alias Ecclesias excitare, tum in vrbibus, tum in agris videret, fabricandarum iis Ecclesiarum ius & potestatem, *hâc constitutione* adimendam credidit. Mox, cùm per Asiam hæreticos nonnullos adhuc Ecclesias retinere videret, omnes omninò Catholicis restitui iussit *l.*3. *supr. de fide Catholica.* Atque ita quidem clarè hæc distinguenda sunt, quatuórque illæ quas dixi constitutiones Theodosij M. in vnam lineam coniiciendæ sunt.

¶ Nunc de hac speciatim constitutione. Nempe, statim vt ad finem perducta Synodus Constantinopolitana hoc ipso mense Iulio VII. Iduum Iuliarum (vt ad *d. l.*5. *supr. de fide Cathol.* probatum est) non vt Baronius prodidit, dum adhuc Synodus ageretur, hæc constitutio à Theodosio M. in Eunomianos, Arianos, Aëtianos emissa fuit ad ipsius Synodi exemplum, imitamentum. Nam & ita *can* 1. *eius Synodi*: *ἀναθεματισθῆναι πᾶσαν αἵρεσιν, καὶ ἰδικῶς τὴν τῶν* ΕΥΝΟΜΙΑΝΩΝ, *εἴτουν* ΑΝΟΜΟΙΩΝ, *καὶ τὴν τῶν* ΑΡΕΙΑΝΩΝ, *εἴτουν Εὐδοξιανῶν, καὶ τὴν τῶν ἡμιαρειανῶν, εἴτουν πνευματομάχων.* Ex his autem & pluribus tres tantùm hîc perstringi videmus, nempe *Eunomianos*, *Arianos*, *Aëtianos*, quæ affines inter se hæreses fuêre, de quo vide quæ incertus Author apud Suidam in *v. Κένος*, quique fermè per Orientis diœcesin fuêre. Sanè & Epiphanius *hæresi Anomœorum* 76. Aëtianos qui iidem cum Anomœis sunt (qui scilicet inæqualem seu dissimilem Patri Filium, Filio Spiritum sanctum dicebant) *ἐν τοῖς τοῦ Ταύρου μέρεσιν* primùm fuisse docet, atque inde longè latéque propagatam eorum *κακοδιδασκαλίαν*. Denique hæc lex imitamentum est canonis 1. *Constantinopolitani.* At *lex* 3. *supr. de fide Cathol. μίμημα* est *canonis* 2. & 3.

¶ De *Eunomianis*, (de quorum statu in vniuersum sub Theodosio Magno semel dixi, ad *l.*6. *supr.*) Speciatim duo hic notanda. Primùm eos deinceps à Theodosio Magno velut hæreticorum antesignanos primos memorari ab hoc Anno Domini 381. vt *hâc leg.* ita & *l.*11. 12. 13. *infr.* Hoc scilicet tempus est, quo Eunomius & Eunomiani maximè furere cœperunt: de quo vid. Philostorgium *lib.*10. Secundò, Gregorium Nyssenum ad Constantinopolitanam Synodum attulisse de domo libros à se scriptos *aduersus Eunomium*, quos & Gregorio Nazianzeno & Hieronymo ibi legit: vide Hieronymum *de scriptorib. Eccl. in Greg Nyss.*

¶ Et hæc de Arianis Eunomianis. His verò iunguntur tertio loco *hâc leg.* qui *ex dogmate. Ethi* erant, vbi repono *Aëtij*: nempe etsi Eunomiani iidem cum Aëtianis essent: quorum etiam Eunomianorum nomen Aëtij iam absorpserat: v. Epiphanium *hæresi* 76. attamen ex dogmate Aëtij erant, & aliæ peculiares sectæ, veluti Eudoxiani, &c. vide *Philostorgium passim.*

¶ THEODOSII M. Quarta *in hæreticos*, Manichæos *nominatim conſtitutio Anno Domini* 382.

IX. * Idem AAA. Floro PF. P.ª

QVISQVIS *Manichæorum*, vitæ ſolitariæ[b] falſitate, cœtum bonorum fugit, ac ſecretas vrbes[c] eligit peſſimorum, ita,[d] vt profanator atque corruptor Catholicæ, (quam cuncti ſuſpicimus[e]) diſciplinæ, Legi † ſubiugetur, vt inteſtabilis viuat, nihil viuus impendat[g] inlicitis: nihil moriens relinquat indignis: omnia ſuis non moribus, † ſed naturæ[h] reſtituat: aut proximis,[i] ſi deerit legitima ſucceſſio, melius regenda dimittat, aut fiſci dominio, deficiente agnatione, ſine fraude molitionis intelligat obligata. Hæc de *Solitariis*. ¶ Ceterùm quos Encratitas[k] prodigiali appellatione cognominant, cum Saccoforis[l] ſiue Hydroparaſtatis,[m] refutatos[n] iudicio, proditos crimine, vel in mediocri[o] veſtigio facinoris huius inuentos, ſummo ſupplicio & inexpiabili pœnâ iubemus affligi: manente ea condicione de bonis, quam omni huic officinæ[p] impoſuimus, à lacæ dudum legis † exordio. Sublimitas itaque Tua det Inquiſitores,[q] aperiat,[r] forum, iudices[s] denuntiatoréſque, ſine inuidia[t] delationis, accipiat, nemo præſcribtione communi[u] exordium accuſationis huius refringat. ¶ Nemo tales occultos cogat latentéſque conuentus, agris[x] vetitum ſit, prohibitum mœnibus, ſede publica priuatáque damnatum. ¶ Ac ſumma exploratione rimetur,[y] Vt quicunque in vnum Paſchæ diem non obſequenti religione conuenerin, ttales indubitanter, quales hac lege damnauimus, habeantur. Dat. Prid. Kalend. April. CP. Antonio & Syagrio COSS. [382.]

NOTÆ.

* Memorat *hanc legem* Baronius *Anno* 382. *num.* 68.

[b] *Solitary* hinc mox vocantur.

[c] Fortè *turbas*: Nam & hic opponi videntur cœtus bonorum (publici) & ſecretæ turbæ peſſimorum. Alij tentant hic *ſedes*.

[d] *Ita, &c. legi ſubiugetur.*

[e] rectè; neque mutandum in *ſuſcipiunt*.

[f] *f. motibus*, vt *l.* 3. *infr. de Apoſtatis, pro motibus Iudicum.* Quanquam oil temerè mutem.

[g] *Impendere* eſt domeſtice: erogare v. paſſim apud Tertull. Symmach.

[h] *Natura*, id eſt, naturalis & *legitima* ſucceſſio, *vt mox* vocatur.

[i] agnationi mox.

[k] de his *Encratitis* actum *l.* 7. *ſupr.* & *l.* 11. *infr.*

[l] de his *Saccoforis.* & *l.* 7. *ſupr.* & *l.* 11. *infr.*

[m] de his *Hydroparaſtatis*, & *l.* 7. *ſupr.* & *l.* 11. 65. *infr.*

[n] Sic & *l.* 28. *infr. vel loui argumento.*

[p] *Officina* Manichæorum, cuius videlicet variæ ſectæ erant, quæque nouas ſubinde produceret. Sic quoque Chryſoſtomus initio homil. 2. in 1. Tim. 4. περὶ Μανιχαίων, ϗ Ἐγκρατιτῶν, ϗ Μαρκιωνιστῶν, ϗ παντὸς αὐτῶν τοῦ ἐργαστηρίου τοῦ τοιούτου φθορᾶς: vbi rectè Interpres vertit pariter, *omnis illorum officina.*

[q] *Inquiſitores* hæreticorum Manichæorum *hâc leg.* & *l.* 13 *in fin.* 15. 31. 32. 35. 52. *infr. hoc tit.*

[s] in editione Quartanâ malè *Iudices*: quam Viri docti qui præ oculis habuerunt nonnulli ex coniecturâ tamen hîc *indices* rectè reſtituunt.

[t] abſque metu delationis *l.* 3. *ſupr. de raptu vel matrim. ſanctim.*

[u] *Præſcriptio communis*, qua exordium accuſationis infringitur, id eſt, exceptio quâ accuſator ab accuſatione repellitur: de cuiuſmodi præſcriptionibus: vid. *ſupr titulum de accuſationibus & inſcriptionibus, tit. ne præter crimen maieſtatis.* In cauſis & actionibus ciuilibus & ſuæ ſunt præſcriptiones communes, ſeu vulgares exceptiones. quibus exordium actionis infringitur, quáſque initio opponi oportet. Inter alias verò eſt quoque præſcriptio temporis, quæ hâc parte non obſtat: vid. *l.* 7. *ſupr.*

[x] id vetitum ſit.

[y] *Rimetur* paſſiuè.

COMMENTARIVS.

I. IN MANICHÆOS eſt hæc altera Theodoſij M. conſtitutio hoc Codice: quâ inteſtabiles ij rurſum, pariter vt *l.* 7. *ſupr.* eſſe iubentur (de quo ad *d. l.* 1. *ſupr.* etiam ex Sozomeno) cœtúſque eorum vbique prohibentur, etiam in agris, etiam priuatim, quos agitaſſe illi videntur poſt priorem illam legem, puta *l.* 7. quâ *oppidorum & vrbium conuenticula* ſoris his interdicta fuerant. Quinimò Theodoſius M. *hâc leg.* cenſuram erigens, ſectarum iam inter Manichæos diſcrimine facto, Encratitis, Saccoforis, Hydroparaſtatis, (de quibus ad *d. l.* 7.) criminis ſui conuictis, ſummum ſupplicium imponi iubet. Quæ altera eſt hoc Codice lex, quâ vltimum ſupplicium ſeu pœna ſanguinis hæreticis nonnullis imponitur, vt & Honorij *lex* 35. *infr.* Viri docti ſanè error eſt, qui hanc pœnam in ſp. *hâc leg.* hæreticis qui turbis coactis conuenirent, & vim facerent, impoſitam tradit. Adde & tertium caſum in ſp. *l.* 34. Nulla ſanè hoc Codice lex extat, quâ hæreticis generaliter, & promiſcuè pœna capitis imponatur, ſed tantùm vbi circumſtantiæ accedunt, quæ grauius crimen reddunt. Tribus etiam in id ſingulatiter conſtitutis.

¶ 1. Inquiſitores in id à Præfecto Prætorio dari iubentur. 2. Delatores & Iudices excitantur

(quod

(quod solemne fuit in aliis atrocibus & prætuptis criminibus, quod ostensum ad *l.4. supr. de accusationibus.*) Publicam proinde hanc accusationem reddit: pariter vt Honorius *l.35.& l.40.infr.* Quomodo & Apostatarum accusatio publica *l.3.vltim. de Apostatis infr.* & anabaptismi *l.45. infr. ne sanctum bapt.* 3. Exceptiones communes, quibus alioquin accusatores ab accusando repelli possunt, submouentur: quod & ipsum singulare est, cum alias in Maiestatis crimine tantùm id constitutum sit: vt docuit titulus suprà, ne præter crimen maiestatis,&c.

¶ Vt ad Inquisitores accedam, Non occurrit mihi antiquior horum *Inquisitorum* ad conquirendos hæreticos constitutorum mentio quàm hæc ipsa. Et quidem, quod obseruandum, Inquisitorum horum vsum primum à Theodosio Magno institutum reperio ad eruendos hæreticos, quorum secta prodigiis & portentis propior erat, veluti Manichæos (quod & ipsum Honorio placuit *l.35.infr. hoc tit.*) Quare & mox Inquisitores dari ab eodem, vt à filio eius Arcadio, eruendis Doctoribus & Auctoribus, Clericis maximè execrabilium superstitionum, hæreseon, veluti Eunomianorum & similium. Vt ita vrbibus expellerentur *l.13.25.31.32.35.52. infr. hoc tit.* coetusque eorum vel sic prohiberentur, toties alioquin frustra interdicti. De reliquo in nudos communium hæreseon sectatores Inquisitores datos hoc Codice non reperio: ac multò minus in vitam & & sanguinem eorum inquisitum deprehendo. Denique hæc lex apertissimè ostendit, hâc parte discrimen hæreticorum hâc in re habitum. Imò & inter ipsos Manichæos distinctionem factam, qui alioquin in commone ad imam vsque scelerum nequitiam peruenisse dicuntur *lege 65. infr. hoc tit.* & aliàs vno fasce comprehendi solent: vt docet *lex 8. supr.* 11. *infr.* Atquin hic Manichæus Solitarius, vt discertè vocatur, ab aliis distinguitur, neque in eum Inquisitores dari iubentur, verùm in alios.

¶ Solitarius Manichæus initio legis ita describitur: Quisquis Manichæorum, vitæ solitariæ falsitate coetum bonorum fugit, ac secretas turbas eligit pessimorum: Mox profanator atque corruptor Catholicæ disciplinæ vocatur. Nempe institutum eorum erat, peculiari non seductionis vitæ proposito, sed reuera vitæ solitariæ falsitate, coetum bonorum fugere, pessimorum secretas turbas eligere. Quare non alij mihi hi aliquando visi, quàm Apotactitæ, qui scilicet ita solitariam vitam agebant, vt nuptias quoque damnarent & abominarentur; verùm cùm video hic Solitarios ita describi: verbona babacripr, iam alios ab Apotactitis solitarios fuisse oportet: Apotactitas enim bonis omnibus renunciasse & ἀκτημοσύνῃ gloriatos vel ex Epiphanio liquet. Quare propria Manichæorum secta fuerit Solitariorum inter innumeras alias, quæ subinde exortæ: itaque officinam elegantet vocauit Theodosius Magnus *hâc lege.*

II. De his qui PASCHA non eodem die cum orthodoxis celebrarent est secundum huiusce legis caput. Nempe vult Theodosius Magnus eos eadem lege & seueritate, qua superiores hæreticos haberi. Quibus verbis intelliguntur *Quartadecimani* (de quibus nota est historia) item, *Audiani*, qui cum Iudæis Pascha celebrabant, hoc est, tempore quo Iudæi Azyma sua peragunt: vt testatur Epiphanius *heresi Audianorum* 70. qui & id docet, istos per hæc tempora paucissimos numero fuisse, vixque duobus in *vicis* δυσὶ κώμαις, constitisse in partibus exterioribus Chalcidiæ (quæ ad *Antiochiam* sita est) vltra Damascum & Mesopotamiam. *Sabbatiani* enim & *Protopaschitæ* post hanc demum legem exorti sunt, qui & ipsi alioquin alio tempore quam orthodoxi festiuitatem Paschæ celebrare instituerunt, de quibus *l.59. infr. hoc tit.* & *l.6. infr. ne sanctum bapt.* & *l.24. infr. de Paganis*, vbi diaam plura, &c. nominatim, cur tantopere iamque seuerè Imperatores Paschæ celebritatem vindicauerint ab hæreticorum nouitatibus.

¶ Hæc interim lex ostendit, quàm parum Theodosius Iun. *hanc legem* attenderit, cum *l.6. infr. ne sanctum baptisma*, scribit *vers. Illud etiam*, istud à retro Principibus dissimulatum.

¶ THEODOSII M. Quinta *in hæreticos*, Tascodrocitas *nominatim constitutio Anno Domini* 383.

x. * Idem AAA. Constantiniano" Vic. dioeceseos Ponticæ."

TASCODROCITÆ" à sedibus quidem suis minimè propellantur: ad nullam tamen Ecclesiam hæreticæ superstitionis turba" conueniat: aut si fortè conuenerit, à conuenticulis suis sine aliqua mora propulsetur. Dat. XII. Kalend. Iul. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino COSS. [383.]

NOTÆ.

* Omisit *hanc legem* Baronius in Annalibus suis Ecclesiasticis.

"*Constantino*, in *l.9. supr. de desertoribus*, quæ hoc ipso Anno paucis post diebus data est: Sed *16. Constantiano*, vt *l.49. supr. de Decurionib. l.12. supr. de exactionib.* quæ hoc ipso Anno data est, & *l.42. supr. de cursu publico*, quæ superiore Anno data est.

"*Pontica* dioeceseos vndecim Prouinciæ fuêre: vt præter Notitiam Imperij docet Theodoretus, *lib.5. cap.28.* nempe, Bithynia, Galatia, Paphlagonia, Honorias, Hellespontus, Pontus Polemoniacus, Armenia prima, Armenia secunda,&c.

"*Tascodrogita*: alibi *Ascodrogita.*

"Ita *l.6. supr.* arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ.

COMMENTARIVS.

TASCODROGITARVM, (de quibus agitur alterâ adhuc constitutione Theodosij Iun. putà *l.65.*) conuentus, seu conuenticula à Theodosio M. per Dioecesin Ponticam *hâc leg.* quæ lata est Anno D.383. prohibentur: at non etiam sedibus suis expelli iubentur. Satis scilicet Theo-

doſio viſum, cœtus eorum prohiberi: Nimis viſum, eos ſedibus expelli. De quo tamen Conſtantianum Vicarium Ponticæ diœceſeos ad Theodoſium retuliſſe colligo (vt cæteroquin enim referendi de his, quæ ad publicam tranquillitatem & tuitionem facere putaret, diligentem fuiſſe ex aliis ad eum datis conſtitutionibus colligo, puta ex *l.7. ſupr. de deſert. l.94. ſupr. de Decurion. l.12. ſupr. de exactionib.*) ſic tamen vt idem propenſior eſſet in eam ſententiam, Taſcodrogitas ſedibus ſuis minimè pellendos, id quod initium legis, largientis formulâ conceptum, oſtendit: *Taſcodrogitæ à ſedibus QVIDEM ſuis minimè propellendis, ad nullam TAMEN Eccleſiam*, &c. Ac ſi diceret Imperator, eſto Taſcodrogitas ſedibus ſuis minimè pellendos, ſed tamen hoc obtentu cœtus eorum minimè tolerari oportet.

§ TASCODROGITÆ quinam fuerint, hîc videndum eſt. De his certè agit Epiphanius, qui ante ſeptennium fermè ſcribebat, *hæreſi Phrygum* 48. & Auguſtinus *hæreſi* 63. Τασκοδρουγίτας vocat Epiphanius. Et nominis rationem reddit à τασκὸς, quod illis ſignificat *paxillum*, & δροῦγγος, *id eſt naſus*, & roſtrum: nempe quod inter orandum indicem digitum manus, naſo imponerent, vt animi triſtitiam & affectatam quandam ſanctitatem præ ſe ferrent. Quare & idem Πασσαλορυγχίτας vocat: Iidem igitur Taſcodrogitæ & Paſſalorynchitæ: quos Philaſtrius *hæreſi* 76. eodem penè modo cum Epiphanio deſcribit: additque digito ora & labia pariter compeſcuiſſe, Dauidico illo niſos *Pſalm.140. verſ.3. Pone, Domine, cuſtodiam ori meo & oſtium circumſtantiæ labiis meis*, ſilentiúmque obſeruaſſe Pythagorica vanitate. Quare & Theodoſius hæreticam SVPERSTITIONEM vocaſſe videtur ob ſuperſtitioſam eam quam dixi obſeruantiam: & Epiphanius hanc hæreſim σύζυγον, germanam facit Quintillianorum, Priſcillianorum & Pepuzianorum. Denique hoc nomen vel penes Phrygas, vel penes Quintilianorum hæreſin reſidere. Quare & illi ipſi mihi omninò videntur, quos *inter Phrygas latentiore vocabulo* appellari, ait Theodoſius Iunior *l.59. infr.* Iidem verò cum his Aſcodrogitæ, de quibus *l.65. infr.* ſeu Aſcodrogi, vt vocantur Nouella Theodoſij Iun. 3. *in fin.* etſi Philaſtrius diſertè eos à Paſſalorynchitis ſeparet, & Theodoretus *de fabulis hæreticorum* aliter deſcribat, dum illorum dogmata pluribus exequitur. Vtrique certè in Pontica fuêre, Philaſtrius Aſcodrogitas in Galatia ponit. Hæc lex Taſcodrogitas apertè in *Pontica* collocat. Tandem, quod ex Epiphanio colligere licet, in Cappadocia & Galatia fuêre.

¶ THEODOSII M. Sexta *in hæreticos omnes conſtitutio Anno Domini* 383.

XI. * Idem" AAA. Poſthumiano PF. P."



OMNES omninò, quoſcunque diuerſarum hæreſum error exagitat, (id eſt Eunomiani, Arriani, Macedoniani Pneumatomachi:" Manichæi, Encratitæ," Apotactitæ, Saccofori, Hydroparaſtatæ) nullis circulis" coëant, nullam colligant multitudinem, nullam ad ſe populum" trahant, nec ad imaginem Eccleſiarum parietes priuatos oſtendant: Nihil vel publicè vel priuatim, quod Catholicæ ſanctitati officere poſſit, exerceant. Ac ſi qui extiterit, qui tam euidenter vetita tranſcendat, permiſſa omnibus facultate," quos rectæ obſeruantiæ cultus & pulchritudo delectat, communi omnium bonorum conſpiratione," pellatur. Dat. VIII. Kal. Aug. CP. Merobaude II. Saturnino COSS. [383.]

NOTÆ.

* Inſeruit & *hanc legem* Baronius Annalibus ſuis Eccleſiaſticis *Anno* 383. *num* 34. eámque pariter vt *leg. prox.* 12. rectè quò oportuit; retulit verò eam eo Anno à *num.* 24. vſque ad *num.* 35. Hanc & ſequentem legem intelligit quoque Sozomenus, *lib* 7. *cap.* 12. *in fin.* Et ad vtramque multum facit Gregorij Nazianzeni *epiſt.* 71. *ſeu* 68. quæ Poſthumiano Præfecto Prætorio pariter inſcribitur, cui lex hæc inſcripta & *epiſt.* 72. *ſeu* 69. Saturnino, qui huic legi ſubſcriptus eſt conſul: περὶ Ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης.

"Tribuenda hæc lex & ſequentes nouem, nempe 12 13. 14 15 16. 17 18. 19. 20. *Valentiniano, Theodoſio & Arcadio.*

"*Poſthumianus* ſub Theodoſio M. PP. Orientis ſcilicet: ad quem extat quoque vt dixi illa Gregorij Nazianzeni *epiſt* 71. *vel* 68. vbi apertè & Chriſtianum eum fuiſſe, & Præfecturam eius indicat. Prætorianam ſummam: cum aliis, tum hiſce potiſſimum verbis: ἀλλ' ἐπὶ τὸ ἀκρότατον τῆς ἐξουσίας. Nempe Præfectura Prætoriana, ſumma poteſtas: Et quidem Orientis, cum ſub eius diſpoſitione Cappadociam fuiſſe docet: vide plura in *Proſopogr.*

"*Macedoniani Pneumatomachi*; ita continuè legendum: Iidem enim Macedoniani & Pneumatomachi.

"De Manichæis, Encratitis, Apotactitis, Saccoforis, Hydroparaſtatis dictum ad *l.7. ſupr.*

" *Circulus*, cœtus & corona populi: vid. de hac voce Sidonium, *lib.* 1. *epiſt* 11. & ibi Doctiſſ. Sauaronem; κύκλος Græcis, inde κυκλεύειν qui corona hominum cinguntur apud Socratem ... κυκλοῦται.

"Eſt qui hic intercidiſſe putet vocem *accuſandi*. atque adeò hic reſtituendam. Quod non admitto.

"Conſpiratio de bonis quoque dicitur.

COMMENTARIVS.



COETVS hæreticorum, ac nominatim Eunomianorum (qui & hic primo loco nominantur, de quo dixi ad *l.8. ſupr.*) Arrianorum, Macedonianorum Pneumatomachorum omnium, hac rurſum conſtitutione a Theodoſio M. prohibentur Anno D. 383. ita quidem, vt omnibus eos inde pellendi facultatem præbeat ſeu permittat Nempe publicam diſciplinam cuique bono vindicare hâc quoque parte permittit: viâ facti ſcilicet, non nuda publica accuſatione, quam huius legis ſententiam nonnulli falsò putant: exiſtimantes etiam, illis verbis *permiſſâ omnibus facultate* reſtituendam vocem *accuſandi*. Non eſt ſcilicet hæc lex de publica accuſatione, ſed de publica

blicâ vindictâ viâque facti & expulsione: Et sic eò etiam pertinet *lex 9. supr.* & *lex 49. infr.*

¶ Historia autem huius legis hæc est. Post Constantinopolitanam Synodum Oecumenicam Anno D. 381. quâ Eunomiani, Ariani, Macedoniani seu Pneumatomachi inter cæteras hæreses condemnati sub Theodosio Magno fuerant, Ecclesiæ Orthodoxis Episcopis restitui iussæ fuerát: vice versâ hæreticorum quos dixi cœtus prohibiti *l. 8. 9. supr.* integro biennij lapsu. Nihilominus in multis Imperij Præfecturæ Orientalis partibus tumultus exinde exorti & hæretici Imperialium constitutionum executioni omni opere intercessere. Quare Theodosio visum hoc Anno 383. (quo videlicet hæc & proximè sequens lex datæ sunt) nouam *Synodum Constantinopoli indicere*, quod etiam conuentum mense Iunio, vt memorant Socrates, *lib. 5. cap. 10.* & Sozomenus, *lib. 7. cap. 12.* conuocatis ad eam antesignanis hæreseon, tum maximè vigentium *τῶν ἀκμαζουσῶν τότε αἱρέσεων*: eo fine nempe, vt tandem *paci* Ecclesiæ consuleretur, atque in vnam fidem mutuo Episcoporum congressu, coiretur. Et verò Arianorum, Eunomianorum, Macedonianorum antesignani eò conuenere, tentatique ibi eorum animi duplici potissimùm ratione. Prouocati quippe primùm ad Patres & Scriptores qui Ecclesiæ distractionem præcessérant. Deinde formula fidei à singulis expetita: verùm irrito hæc omnia conatu. Quare ad iussiones & sanctiones animum rursum appulit Theodosius Magnus, hac primum constitutione emissa, plenius mox *l. prox. sequ.* cuius vtriusque, sed & aliarum deinceps summam Sozomenus post superiora sic expressit: *ὁ δὲ βασιλεὺς νομοθετῶν, ἐκέλευσε τοὺς ἑτεροδόξους μήτε ἐκκλησιάζειν, μήτε περὶ πίστεως διδάσκειν, μήτε ἐπισκόπους, ἢ ἄλλους χειροτονεῖν, καὶ τοὺς μὲν πόλεων, καὶ ἀγρῶν ἐλαύνεσθαι, τοὺς δὲ ἀτίμους εἶναι καὶ πολιτείας ὁμοίας μὴ μετέχειν τοῖς ἄλλοις, καὶ χαλεπὰς τοῖς νόμοις ἐνέγραφε τιμωρίας, ἀλλ' οὐκ ἐπεξῄει· οὐ γὰρ τιμωρεῖσθαι, ἀλλ' εἰς δέος καθιστᾶν τοὺς ὑπηκόους ἐσπούδαζεν: ὅπως ὁμόφρονες αὐτῷ γένοιντο περὶ τὸ θεῖον· ἐπεὶ καὶ τοὺς ἑκουσίως μεταπιθομένους ἐπῄνει.* Quanquam neque omnia illa quæ hoc loco Sozomenus memorat, his constitutionibus exprimantur. Certè quæ de Episcopis creari vetitis à Sozomeno adiiciuntur, iis fidem faciunt ites leges proximæ, vbi dicam ex Gregorio Nazianzeno quoque.

¶ Rectè intereà omninò à Baronio obseruatum, *Posthumianum Præfectum Prætorio*, cui vtraque lex inscribitur, sed & *Saturninum* Consulem huius ipsius anni, qui huic & proximæ legi subscriptus est, iisdem subscriptum, hunc illum esse Posthumianum, hunc illum Saturninum, ad quos duæ extant Gregorij Nazianzeni Epistolæ *περὶ εἰρήνης Ἐκκλησιαστικῆς*, *puta 71. seu 68.* ad Posthumianum (vbi apertè eum peruenisse *ἐπὶ τὸ ἀξίωμα τῆς ἐξουσίας*, id est, *Præfectum Prætorio* fuisse, testatur, simul & Christianum eum fuisse antequam ad Præfecturam peruenisset, quâ ipsâ etiam epistolà huius ipsius *Synodi* indictæ meminit) & *72. seu 65.* ad Saturninum, eo videlicet fine scriptæ, vt ipsorum interuentu & authoritate, quorum in Imperio potestas maxima erat, negotium pacis Ecclesiasticæ in ea quàm dixi Synodo, promoueretur: quod & inscriptiones illarum Epistolarum apertè præferunt *περὶ εἰρήνης*, vel vt plenius *περὶ Ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης*. Eò etiam, si opus sit, Posthumianum hortatur ad seueriora remedia, quibus seditiosi compescerentur, *νῦν δ' ἔτι σφοδρότερον ἐπιτιμῆσαι στασιάζουσιν*. Atque hoc etiam argumento liquet, quàm rectè hæc lex cum sequenti ad eam, quam memoraui, Synodi illius historiam referatur. His accedat, quod *hac lege* earum tantùm hæreseon mentio fiat, puta Eunomianorum, Arianorum, Macedonianorum, quorum antesignanos nominatim Synodo interfuisse Socrates & Sozomenus testantur. Nam quod *Manichæi* insuper in ea memorantur, id aliunde ortum habet: nempe, quod Manichæi etiam dum, cùm cæterorum hæreticorum ratio aliqua haberetur, nunquam non seuerissima lege habiti fuerint, neque Synodis eam ad rem opus fuerit; quod docuit iam *l. 7. & 9. supr.* sub eodem Theodosio ante annum & biennium latæ. Quare liquet, Theodosium in eos sanctionem huius legis promulgasse nominatim, qui Synodo interfuissent, & quorum in ea animi frustra tentati fuerunt. Atenim mox *l. prox.* plenius hac parte consultum, mox vt dicam, & seuerius.

¶ Theodosii M. Septima *in hæreticos omnes constitutio Anno Domini* 383.

XII. * Idem AAA. Posthumiano PF. P."

VITIORVM institutio," Deo atque hominibus exosa Eunomiana scilicet, Arriana, Macedoniana; Apollinariana, cæterarúmque sectarum, quas verè religionis, venerabili cultu Catholicæ obseruantiæ, fides sincera condemnat, neque publicis neque priuatis aditionibus," intra vrbium atque agrorum ac villarum loca, aut colligendarum congregationum, aut constituendarum Ecclesiarum copiam præsumat, nec celebritatem perfidiæ suæ vel solemnitatem diræ communionis exerceat: Neque vllas creandorum Sacerdotum vsurpet atque habeat ordinationes." Eædem quoque domus, seu in vrbibus seu in agris, in quibus passim turbæ professorum" ac ministrorum talium colligeotur, fisci nostri dominio iuríque subdantur: Ita vt hi qui vel doctrinam vel mysteria conuentionum talium exercere consueuerunt, perquisiti ab omnibus vrbibus ac locis propositæ legis vigore constricti expellantur à cœtibus, & ad proprias vnde oriundi sunt terras redire iubeantur; ne quis eorum aut commeandi ad quælibet alia loca, aut euagandi ad vrbes habeat potestatem. Quòd si negligentiùs ea quæ Serenitas Nostra constituit impleantur, Officia prouincialium Iudicum & Principales vrbium, in quibus coitio vetitæ congregationis reperta monstrabitur, sententiæ damnationíque subdantur. Dat. III. Non. Sept. CP. Merobaude II. & Saturnino COSS. [383.]

NOTÆ.

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus Ecclesiasticis indidit rectè Baronius *Anno* 383. *num.* 35.
'' *Institutio.*
de hac voce vide *Glossarium Theodos.* Sunt qui hic reponant, *coitionib.* quo nil opus.
'' *Ordinationes.*
'' *Professores.*

COMMENTARIVS.

CONTRA COETVS hæreticorum PLENIOR tantùm est hæc Theodosij M. constitutio distinctiórque & seuerior lege *prox. superiore:* quæ ante mensem & quod excurrit, data fuerat.

¶ Primùm igitur, cùm in Eumianos *forte* seu speciatim Arianos, Macedonianos, Manichæos lata lex superior fuisset: inde cæteri hæretici, ac nominatim *Apollinariani:* (de quibus agitur quatuor insuper legibus, putà *l.* 13.14.33.65. Nam & hi separatos ab Ecclesia conuentus agebant, de quo ex Sozomeni *lib.* 6. *cap.* 25. *in princ.* Gregorius Nazianzenus *Orat.* 76. ad Nectarium Episcopum Constantinopolitanum conquetitur hos ipsos quatuor Hæreticos, in quos est hæc lex, Arianos, Macedonianos, Eunomianos, Apollinarianos in cœtus coisse Ecclesiasticos, & ad id ab Imperatore prohibendum, eundem Nectarium hortatur vt curam suam intendat: quod ab ipso prudenter factum, *huic legi* vel similibus mox occasionem præbuit) eâ lege non expressi, vinculis eius sibi soluti visi fuissent, déque eo etiam Iudicis Officiales, Principales Vrbium dubitare cœperunt: atque ex inde superiores constitutiones exequi destitere, quod etiam ex fine huius legis colligere licet. Quare vt Apollinarianos, ita & cæteras sectas omnes fidei Catholicæ aduersas, peremptoriâ formulâ ad eandem seueritatem pertinere declarat *hac lege.* Theodosius M. & nominatim *Apollinarianos*, qui ante biennium primùm A. D. 381. Synodo Constantinopolitanâ Oecumenica non minùs condemnati fuerant, neque minùs Theodosianis Constitutionibus post eam Synodum comprehensi videbantur, quam cæteri. Et hi tamen hac tempestate eandem mouêre. Quare hos nominatim & speciatim reprimere cæterísque subinde connumerare Theodosius M. necesse habuit, vt *hac leg.* ita & duabus *legibus proximis*, putà *l.* 13. 14. *in fin.* Qui quidem & vel maximè Patribus exusi fuêre: veluti Gregorio Nazianzeno *d.* siue epist. siue Oratione.

¶ Secundò, neque superiore lege expressè hæreticis prohibitum fuerat, ne in *Agris etiam & Villis* cœtus suos celebrarent, id verò hac lege nominatim exprimitur, pariter vt *l.* 8. *supr.*

¶ Tertiò, Sacerdotum seu Episcoporum nominatim creandorum, ordinandorum potestas hac lege hæreticis adimitur, quam Theodosianæ constitutionis partem Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 12. expressit, eo loco, quem ad *l. supr.* retuli. Idémque constituitur ab eodem *l.* 13. 14. & 22. *infr.* Gregorios etiam Nazianzenus, vt superiore *epist.* ad Nestorium queritur Macedonianos Episcopos sibi creasse, ita *epist.* 77. ad Olympium, Imperiales constitutiones (Theodosij scilicet) βασιλικὰς διατάξεις laudat, quibus nominatim Apollinarianis Episcoporum creandorum & ordinandorum potestas adempta fuit: simul, & pœnæ his indictæ.

¶ Quartò, domus in quibus conuentus suos habuerint hæretici, confiscari iubentur: pariter vt *l.* 8. *supr.*

¶ Quintò, *Doctores* & *Sacerdotes* hæreticorum, qui ad alia loca commeare & euagari solebant, docendi, vel mysteriorum suorum exercendorum causâ, vbique perquiri & ad proprias vnde oriundi sunt terras, redire iubentur: Nempe περιοδευταὶ hæretici, vagi, neque vllo satis certo loco consistebant: turbæ alicuius aut fauendæ, aut colligendæ causâ: & sic pacis publicæ modo hîc modo illic turbandæ. Huc verò omninò & adprimè spectat Gregorij Nazianzeni querela *ep. ad Olympium* 77. de Apollinaristis, quos ipse lentè leniterque tulerat, vt paulatim eos emolliret, qui tamen peiores facti fuerant: ἐτόλμησαν οἱ κακοὶ καὶ κακῶς ἀπολούμενοι πρὸς τοῖς ἄλλοις, καὶ καθῃρημένους Ἐπισκόπους ὑπὸ πάσης ἀνατολικῆς καὶ δυτικῆς Συνόδου κελεύσαντες, ἢ τίνων καταχρησάμενοι, οὐ γὰρ ἔχω τοῦτο εἰπεῖν ἀκριβῶς, καὶ πάντων καταπεξανιστάντες βασιλικῶν διατάξεων, καὶ ὑμετέρων προσταγμάτων, Ἐπισκόπου ὄνομα ἐπιθεῖναί τινι τῷ παρ' αὐτοῖς ἀσεβῶν καὶ κιβδήλων. Subiicitque ea ferri non oportere: mitiùs tamen ea, quàm tanta audacia mereretur, vindicanda. Ecce enim & de Apollinaristis nominatim hæc Gregorij querela est: & de Episcopis ab his ordinatis, & quidem quod territum, contra Imperiales constitutiones: Idque, quod quartum, non modo accersitis, verùm & transeuntibus: & quod vltimum illis omninò huius legis verbis conuenit: *& ad proprias vrbes vnde oriundi sunt, & terras redire iubeantur, ne quis eorum aut commeandi ad qualibet alia loca aut euagandi ad vrbes habeat potestatem.*

¶ Postremùm, Theodosius Officialibus Iudicum & Principalibus Vrbium pœnam comminatur, huiusmodi cœtus non prohibentibus. Nempe vt Officiales, ita Principales vrbium ea cura respexit, ne quod publica tranquillitas detrimentum pateretur: de quo plenius dixi *tit. de Decurionibus.* Atque hi sunt præter ipsos Iudices, quibus per constitutiones paternas (id est Theodosij M.) Arcadius super hoc curam mandatam ait, *l.* 24 *infr.* & *l.* 13. *infr. de Paganis.*

¶ De reliquo eodem spectat hæc lex quò superior: & hic deriuanda, quæ ad eam ex Socrate, Sozomeno, Gregorio Nazianzeno notaui: de Synodo nonâ Constantinopoli hoc tempore indicta, déque Posthumiano P. P. cui hæc lex & superior inscribuntur. Verùm, quàm parum, vel quàm lentè hæc lex executioni tradita fuerit, & quidem in ipsa Vrbe Constantinopolitana, ostendet *lex prox.* haud integris quinque mensibus post hanc legem lata & inscripta Cynegio Præfecto Prætorio, qui Posthumiano in præfectura successit: sed & longo pòst interuallo Anno 388. *l.* 14.

¶ THEODO

¶ THEODOSII M. Octaua *in hæreticos omnes constitutio Anno Domini* 384.

XIII. * Idem' AAA. Cynegio PP."



EVNOMIANI, Macedoniani, Arriani, necnon Apollinariani; inter sacræ religionis officia, pro suis erroribus, famosa sunt nomina. Omnes itaque qui harum professionum vel Pontificium" sibi, vel Ministerium vindicarunt:" qui se fugati" nominis asserunt Sacerdotes," quique in criminosa religione Ministrorum sibi imponunt; qui docere se dicunt, quod aut nescire aut discere" sit dedecorosum, omnibus huius Vrbis latebris, indagine curiosiore perspectis, sine vllâ gratiæ interuentione pellantur: in aliis locis viuant, ac penitùs à bonorum congressibus separentur. Dat. XII." Kal. Febr. CP. Richomere & Clearcho, COSS. [384.]

NOTÆ.

* Inseruit *hanc* quoque *legem* Baronius *Anno* 384. *num.* 38. déque ea pluribus agit *d. num.* 18. 39 40 41.

' Imò repone Impp. Valentinianus, THEODOSIVS & Arcadius: vid. *Chronolog.*

" *Cynegius* PP. sub Theodosio M Orientis, Posthumiani in Præfectura illâ successor: & quidem de nupero admodum: sinè enim Anni superioris, id est, ante tres Septimanas Posthumianus adhuc Præfectus Prætorio erat: vt ostendit *lex* 7. *supr. de honor. codicill.*

" *Pontificium* hic est Sacerdotium & ministerio seu ministris opponitur. Et his duobus comprehenduntur officia religiosa etiam inter Gentiles: vide quæ dicam ad *l.* 14. *infr. de Pagan.*

" vel de nouo, post legem superiorem v. vel *retinuerunt.*

' fortè *fucati*. Ita *l.* 37. *infr. Donatistarum fucata perfidia.* Quanquam fortè non deerit, cui placeat retinere *fugati*, id est pulsi, damnati. Alius ita interpretatur, quasi nomen Sacerdotis fugerit ipsâ solâ hæresi; Ineptissimè.

" id est Episcopos: vid. *l. prox* 14.

" fortè *μελέτην* hic admissa: vt ita legatur: *quod aut nescire aut dediscere sit decorosum.* Nempe si quid prauum didiceris, id dediscere laudabile est. Primumque est praua nescire: proximum dediscere. Possit & ita: *Quod haud nescire aut discere sit dedecorosum.* Eodem redit emendatio Cujaciana. *Quod aut scire*, &c. Mihi prima emendatio magis placet: Sanè Baronij lapsus hic est, qui putauit hæc verba ipsorum hæreticorum esse, nempe iactare solitos, *se ea docere, quæ dedecorosum sit nescire.*

" Constantinopolitanæ.

" Ac potius XV. vt ita iungatur *l.* 5. *supr. de auro coron.* & *l.* 23. *supr. de oper publ.*

COMMENTARIVS.

SACERDOTES, Ministros EVNOMIANORVM, qui & hic primo loco nominantur: de quo dixi ad *l.* 8. *supr.* Macedonianorum, Arianorum, sed & Apollinariorum erutos Vrbe Constantinopol. sine vllâ gratiæ interuentione Theodosius Magnus Anno Domini 384. pelli iubet.

¶ Nempe cùm condemnati hi hæretici à Theodosio Magno partim Synodo Constantinopolitanâ superiore Anno 383. fuissent, & nominatim *l.* 11. *supr.* tum paulò pòst plenius, distinctius, seuerius *l.* 12. *supr.* (post leges Posthumiano inscriptas, Cynegij in Præfectura Prætoriana, cui hæc lex inscribitur, decessori) coetus equidem eorum dictis legibus prohibiti fuêre, vt & Sacerdotum creandorum his facultas adempta: Doctores hæreticorum perquisiti, expelli à coetibus suis & ad proprias terras remitti iussi. Veruntamen mox compertum Theodosio in Vrbe Constantinopolitana agenti, eâ vtbe Sacerdotes & ministros in eâ adhuc latere; nempe (vt sine legis indicatur) *gratia alicuius interuentione*, neque indagine curiosâ satis peractâ. Vnde mihi fit verisimile, Posthumianum Præfectum Prætorio (qui ante tres septimanas, adhuc eam Præfecturam gerebat, vt ostendit *lex* 7. *supr. de honorariis codicillis:*) hâc parte remissiorem sese præbuisse. Quæ causa fuerit recentandæ huius legis ad Cynegium, Præfectutam recenter indeptum, vt sciret, quidnam suarum partium hâc in re esset: nihil videlicet gratiæ à se dandum, quin indaginem curiosiorem peragendam, & sic pellendos Vrbis Constantinopolitanâ Sacerdotes hæreseon, quatuor supra nominatarum, & in his quoque Apollinariorum: Qui vtique sese communi lege subducere hâc tempestate subinde tentarunt: Quod præterea, quæ diximus & docuimus ad *l. supr.* 12. & hæc indicare videtur & docebit *l.* 14. *prox.* Sed & Gregorij Nazianzeni *epistola ad Nectarium Episcopum Constantinopolitanum*, cuius verba ad eam *l.* 14. consignabo: eò enim, id est, quadriennio post, eam pertinere magis existimo, quàm quod Baronius credidit, ad hanc legem, vt ibi ostendam.

¶ Huc etiam referri non minus, quam ad *d. l. prox.* potest, quod Sozomenus *lib.* 6. *cap.* 56: de Theodosio ait: *ἀρχηγὰς τῶν αἱρέσεων ἐκ τῆς συχνοτέρου τῆς ἀγορᾶς εἰς ἐρημοτέρους τινὰς ἐχώρισεν.* Huc referendum quoque tandem quod Philostorgius *lib.* 10. *c.* 5. scribit de Eunomij exilio

¶ THEODOSII M. nona *in hæreticos, ac nominatim in Apollinarios constitutio Anno Domini* 388.

XIV. * Idem AAA. Cynegio'' PF. P.



POLLINARIOS, ceterósque diuersarum hæresum sectatores, ab omnibus locis iubemus inhiberi, à mœnibus vrbium, à congressu honestorum, à communione sanctorum: instituendorum Clericorum non habeant potestatem: colligendarum congregationum, vel in publicis vel in priuatis Ecclesiis, careant facultate; nulla iis Episcoporum faciendorum præbeatur auctoritas: ipsi quoque, *Episcopi*, nomine destituti, appellationem huius dignitatis amittant: Adeant loca quæ hos potissimùm, quasi vallo quodammodo ab humanâ communione secludant. ¶ His etiam illud nectimus, vt supra memoratis omnibus adeundi atque interpellandi Serenitatem Nostram aditus denegetur. Dat. VI. Id. Mart. Thessal. Theodosio A. II. & Cynegio COSS. [388.]

NOTÆ.

* Inseruit & *hanc legem* Annalibus Ecclesiasticis Baronius *Anno* 388. *num.* 57.

'' *Cynegio* huic PP. inscribebatur & *lex* 13. *prox. supr.* Inscribitur & *l.* 16. *infr.* & sic tres constitutiones aduersus hæreticos intra quadriennium & quod excurrit. De eo v. plenè in *Prosopogr.*

COMMENTARIVS.

VRBIBUS expelli, contrà loca abdita adire, hæretici quicunque, ac nominatim APOLLINARIANI hac Theodosij Magni constitutione iubentur: Iidémque Clericos vel *Episcopos* constituere, habere, cœtus agitare priuatim publicéque prohibentur. Supplicandi tandem sibi contra id, aditum hæreticis intercludit Theodosius Magnus.

¶ Hâc constitutione: cuius *occasionem* hanc fuisse puto: integro nempe quadriennio hoc, & quod excurrit, post *legem* 13. *prox. superiorem*, quæ data est ad eundem Cynegium, Præfectum Prætorio, nullas à Theodosio Magno leges in hæreticorum cœtus latas deprehendere licet: Quinimò ex *hâc leg.* colligere licet, Episcoporum & Clericorum faciendorum cœtuúmque agendorum iis constituisse auctoritatem, denique ipsummet Theodosium ab iis aditum & interpellatum, hæc & similia nonnullis eorum largitum, Et sanè de Arianis nominatim testantur Socrates, *lib.* 5. *c.* 12. & Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 14. suum eos per hæc tempora Episcopum Constantinopoli habuisse: quinimò Anno D. 386. vel Anno 387. superiore, Demophilo Arianorum Episcopo defuncto, Marinum, mox Dorotheum ab Arianis Episcopum ordinatum. Sed & de Arianis fidem fortè faciet *lex* 16. *infr.* hoc ipso Anno data.

Tandem huc pertinet quoque *lex vlt. infr. Episcopali iudicio*: sed & illa proculdubio, non ad *l.* 13. *supr.* (quod Baronius censuit) Gregorij Nazianzeni ad Nectarium Episcopum Constantinopolitanum querela grauissima, de *Arianis*, qui libertate quadam arrepta Ecclesias collegerant: idque quasi ex permissu hoc facientes: item de *Macedonianis*, qui factiosè contendentes eò temeritatis vesaniæque proruperant: vt *Episcoporum* nomen sibi ipsis adsciscerent & caput exererent, Eleusium suæ electionis auctorem iactantes: déque *Eunomio* quamplurimos in perniciem suam trahente. Denique queritur, velut ex omnibus Ecclesiasticis calamitatibus acerbissimum, de *Apollinaristarum*, licentiâ, quos Nectarius Episcopus conuentuum habendorum, æquè eùm orthodoxis auctoritatem sibi arrogasse, atque vsurpare passus fuerit. Tandem exhortatur eundem Nectarium, vt recollecto animo Theodosium Imp. moneat, vt tale malum, hanc inquam hæreticorum libertatem & licentiam, recidat. Quare fit omninò verisimile, languentem quodammodo Theodosij animum fortè ob alteram vxorem Gallam, Arianam (vt prodit Philostorgius, *lib.* 10. *cap.* 7.) hoc ipso tempore ductam, Episcoporum diligentiâ nunc excitatum, siue Gregorij Nazianzeni, siue Nectarij, siue etiam Acholij Ep. Thessalonicensis. Nam & Thessalonicæ is hoc tempore versabatur, aduersus Maximum Tyrannum motutus, vt vel huius legis subscriptio testatur: & eius alioquin potissimum commonitionibus consilióque vsus Theodosius, tum in hæreticos, tum pro fide & sanctitate Catholicâ sanctionibus edendis: de quo dixi ad *l. cunctos populos, supr. de fide Catholicâ*: & *l.* 4. *supr. de quæstionibus.*

¶ Interea ex superiore Gregorij Nazianzeni loco liquere potest, cur *Apollinariani* nominatim *hâc leg.* & quidem à capite legis designentur. Nempe de his potissim. & acerbissima querela hoc tempore exorta, cœtus omni libertate iam agitantibus. Inde etiam, vt *hâc leg.* ita & *l.* 12. 13. *supr.* eos nominatim designare Theodosius Magnus necesse habuit, cùm iam ad cæterorum hæreticorum instar sese habendos negarent: vt ad *d. l.* 12. iam dicere anteuerti.

¶ Quod argumentum *huius legis* attinet, tralatitium id & commune, vulgatúmque in aliis Imperatorum in hæreticos Constitutionibus. Duo tantùm ibi notanda: Vnum, *de communione sanctorum*: cuius etiam mentio indita Symbolo, quod vocant Apostolorum. Alterum de *Ecclesiis priuatis*, quæ præter publicas erant.

XV. * Idem

XV. * Idem AAA." Trifolio PF. P."



MNES diuerfarum perfidarúmque fectarum, quos in Deum miferæ vefania confpirationis exercet, nullum vfquàm finantur habere conuentum, non inire tractatus," non cœtus agere fecretos, non nefariæ præuaricationis altaria, manus impiæ officiis," impudenter adtollere," & myfteriorum fimulationem ad iniuriam veræ religionis aptare." Quod vt congruum fortiatur effectum, in fpeculâ Sublimitas Tua fidiffimos quofque conftituat, qui & cohibere hos poffint, & deprehenfos offerre Iudiciis: feueriffimum, fecundum præteritas † fanctiones, & Deo fupplicium daturos & legibus. Dat. XVII. Kalend. Iul. Stobis," DN. Theod. A. II. & Cynegio v.c. COSS. [388.]

NOTÆ.

* Abeft *hæc lex à Cod. Iuft.* Et *hanc legem* retulit Baronius *Anno* 388. *num.*58.

"*Valentiniano* (Iun. fcilicet) *hanc legem* tribuendam mox oftendam non Theodofio M. (etfi Theodofij confilio) quod Baronius voluit, vel fanè à Theodofio Valentiniani nomine.

"*Trifolius* PP. Italiæ: vt docet *l.3. fupr. de Decurionib. Vrbis Romæ.* Quémque Valentinianus Italiâ profugus, inibi reliquerat, mox & Maximo deuicto in eadem Præfectura perftitit, eique actuum Maximi infirmandorum negotium datum: vide *l.6.7. fupr. de infirm. his qui fub tyrannis*: & *d l.3 fupr. de Decurionib. V.R.* vid. *Profopogr.*

" *Tractatus.*

"An hoc vult, altaria prohiberi, ad officia manuum impiarum peragenda, id eft ad officium, vt vocant, diuinum celebrandum, ad Eucharistiam, feu ad *myfteria*, vt mox vocat, adminiftranda? An hoc potius, *officia manuum impiarum* effe, fi quando hæretici altaria erigant? Imò, locus hic ita reftituendus videtur: *non ad nefaria præuaricationis altaria manus impias officiis impudenter attollere.*

"*Adtollere*, id eft excitare: & propriè *adtollere*, quia altaria in altum erecta.

"*Aptare*, an *agitare* aut *actitare*? nempe quæ myfteria hæretici fimulant, comici potius actus funt.

"Conftantini, Valentiniani, vel etiam meas (fi Theodofio lex hæc tribuenda.)

"*Stobis*, Macedoniæ vrbs: vide Ptolomæum, Itinerarium Auguftanum, vbi tamen *Stopis* editum. Nempe Theodofius M. aduerfus Maximum moturus, primum Theffalonicam profectus: vt docet vel fubfcriptio *legis prox.*14. *fupr.* inde cum Valentiniano ....ibi data lex hæc à Valentiniano: ibidem à Theodofio *l.2. fupr. de his qui de relig. contend.* Inde eodem menfe profecti *Scupa*, vt docet *l.119. fupr. de Decurion.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iun. tres in hæreticos conftitutiones occurrunt: quarum hæc prima eft: duæ aliæ funt, *lex* 18. *&* 20. *Hac leg.* COETVS feu Conuentus agitare, altaria feu Ecclefias excitare, myfteria celebrare hæretici omnes, à Valentiniano Iuniore prohibentur Anno Domini 388. negotio eius rei prohibendæ, eruendæ, puniendæ fpecialiter & enisè Trifolio Præfecto Prætorio dato.

¶ Hæc eft fcilicet illa proculdubio Valentiniani Iun. conftitutio: quâ is paulò ante Italiâ propter Maximum Tyrannum profugus, atque in Macedonia (cuius vrbs Stobis: vbi hæc lex data fuit:) cùm Theodofio M. hoc tempore confiftens, antequam in Italiam eum Theodofio & exercitu Theodofij aduerfus Maximum moueret, Theodofij ipfius confilio, atque in ipfo procinctu, viam fibi ad debellandum Maximum hâc piâ conftitutione quodammodo muniuit: abrogatâ *l. vlt. fupr. de fide Cathol.* feu *l.* 2 *fupr. de his qui fupr. religione contendant*; quam ante biennium, & quod exciderit, Iuftinæ matris Arianæ impulfu, pro Arianis nominatim tulerat: & cuius meminerunt Ambrofius *epift.*32. Sozomenus *lib.7. cap.*13. Rufinus *lib.2. cap.*16. Gaudentius *in præfat. ferm.*

¶ Argumenta huius probabilis coniecturæ hæc habeo. Primùm, quia *Trifolius* Præfectus Prætorio, cui hæc lex infcribitur Præfectus Prætorio Italiæ erat, vt docet apertiffimè *l.3. fupr. de Decur. Vrb. Rom.* atqui ad Valentinianum hæc Imperij pars fpectabat. Et fanè vt rebus in Italiâ turbatis, eíque Maximo incubante, Trifolius hic paulò ante Comes S. L. fub Theodofio M. & proculdubio à Theodofio Valentiniano datus & præfidio adhuc à Valentiniano relictus fuerat, ita reftitutis rebus Maximóque deuicto in eadem idem Præfectura perftitit: idémque qui Maximi conatibus, quantum in fe pro Valentiniano obftiterat, Maximo deuicto actuum Maximi infirmandorum negotium accepit; vt docet *l.6. 7. fupr. de infirm. his quæ fub tyrannis*: & *d.l.3 fupr. de Decur. Vrb. Rom.* Secundò Rufinus, *Hiftoria Ecclefiaft. lib.2. cap.*16. teftatur, Maximum, vt fe commendaret, legem à Valentiniano latam, datis literis deteftatum, putà *d.l. vlt. fupr. de fide Cathol. Maximus*, inquit, *qui fe exuere Tyranni infamia & legitimum Principem geftiret oftendere, datis literis impiam proteftatur inceptum, fidem Dei impugnari & ftatuta Ecclefiæ fubrui, & inter hæc appropinquare Italiæ.* Quare verofimile, Valentinianum, eâdem fibi ratione viam ad Italiam & Imperium poftliminio recuperandum munire laboraffe. Sic liquet hanc legem Valentinianum Iun. authorem habere, atque adeò iam hoc tempore eum ad fidem Catholicam traductum. Certè poftea Theodofium cum Valentiniano, deuicto Maximo, matréque Iuftinâ mortuâ, perturbatum Ecclefiarum per Italiam ftatum, rectè conftituiffe, teftatur Rufinus *lib.2. cap.*17. Sozomenus *lib.7. cap.*14. *in fin.* fed & leges aliquot fequentes: Tertiò, & verò infigne extat apud Suidam, *in v.* Οὐαλεντινιανὸς fragmentum, Valentinianum (Iuniorem fcilicet) per Matrem Iuftinam à rectâ fide abreptum, imperióque exinde eiectum. Verùm cum ad Theodofium profectus fuiffet, in recta fide inftitutum fuiffe: Cum Theodofius his fermè cum eo verbis egiffet: *Imperatoriam aciem non armis, verùm iuftis caufis ftare: exploratum fibi Imperatoribus pientiffimis, quiefcente quamlibet exercitu, partam feliciter victoriam, hoftes fubactos, tributarios factos, periculo emenfo: Sic Conftantinus Magnus, ô Valentiniane,* addebat Theodofius, *Licinio tyranno nauali prælio profligato: Sic Valentinianus Pater*

tum, feliciter Imperium & ab hoſtibus illæſum rexit, Deo ipſum vindicante, innumeris prælijs victor extitit, victorias ingenees retulit, ſublatis compluribus è diuerſis Barbarorum gentibus. Contra Valens patruus tuus Deum diuellens, cæde ſanctorum & Sacerdotum exilio Eccleſiam polluit: qui & ideò prouidentiâ diuinâ à Gothis obſeſſus, flammis abſumptus eſt. Rectè Chriſtum colis tu, qui te non iniuſtè eiecit: at peruerſa fides tua Maximo hanc fecit occaſionem; ſi ad Chriſtum non reſpicimus, quem vtique pugnaturi inuocabimus? Hactenus Theodoſium Magnum inducit vetus auctor Valentinianum compellantem. Idem ſubiicit Theodoſium, cum Valentinianum his & pluribus etiam commonuiſſet, ad rectam fidem eum traduxiſſe. Ex his igitur liquet, Valentinianum iam inde, vt in Macedoniam ſeſe contulit, atque ad congreſſum Theodoſij venit, ad rectam fidem ab Ariana traductum. Id verò etiam Theodoretus, *lib. 5. cap. 15.* teſtatur: ἐπειδὴ εἰς τὴν αὐτοῦ βασιλείαν ἐ[illegible] ὅδε, πρῶτον μὲν τῇ ψυχῇ τὴν θεραπείαν προσήνεγκε, καὶ τὴν ἐγγινομένην τῆς ἀσεβείας ἐξήλειψεν, καὶ εἰς τὴν πατρῴαν εὐσέβειαν ἐπανήγαγεν· εἶτα θαρρεῖν παρεγγυήσας καὶ [illegible] τοῦ Τυράννου στρατεύσας. Inde itaque lex hæc ſtatim ab eo, tanquam metatoria in Italiam conſtitutio emiſſa: (vel etiam ab ipſomet Theodoſio, ſed Valentiniani nomine.) Nempe etiam quod Maximo ob fidem Catholicam res feliciter procedere crederentur, quod etiam Theodoſium Valentiniano dicentem ſuperius audiebamus.

¶ Theodosii M. Decima *in hæreticos*, Arianos *nominatim*, *conſtitutio Anno Domini* 383.

XVI. * Idem AAA. Cynegio PF. P."

NONNVLLOS Arrianorum" noſtrarum talem proferre iuſſionem" comperimus, *Vt his liceat vſurpare, quæ ſuis videntur vtilitatibus conuenire.* Quâ ſublatâ, ſciant, nullam huiuſmodi iuſſionem è Noſtro Sacrario profluxiſſe. Quidquid itaque fuerit ab his pro eorum commoditate prolatum, vt falſi reus teneatur qui deinceps ea circumtulerit. Dat. VI. Id. Aug. Conſtantinop. Theod. A. II. & Cynegio coss. [388.]

NOTÆ.

* Abeſt & *hæc lex* à *Cod. Iuſt.* velut temporaria. Inſeruit eam Baronius Annalibus Eccleſiaſticis *Anno* 388. *num.* 59.

" Atqui Tatianus iam Cynegio in Præfectura Prætoriana ſucceſſerat, vt docet *l. 2. infr. de his qui religione cont.* & *l. 119. ſupr. de Decurionibus.* Quanquam & Anno proximo *l. 7. ſupr. de cohortalibus*: eidem Cynegio Præfecto Prætorio inſcribitur.

" Qui hoc tempore diuiſi erant: vide Sozomenum *lib. 7. cap. 17.* Socratem *lib.* ...

" Tentaret quis *iuſſionum*, ſed hoc ſuſtineri debet.

COMMENTARIVS.

ARIANORVM nonnulli, *Iuſſionem* (id eſt conſtitutionem) quandam hâc tempeſtate, veluti Theodoſij Magni, circumtulêre, vt ita vſurparent, *quæ ſuis vtilitatibus conuenirent, próque ſua commoditate*, id eſt, quaſi Theodoſius Magnus his colligendi ſeu coeundi poteſtatem feciſſet. De eo itaque certior factus Theodoſius Magnus hâc lege, ad Præfectum Prætorio emiſſa Anno D. 388. ſcripſit, falſo huiuſcemodi iuſſionem ſibi adſcribi: neque enim vllam talem *è ſacrario ſuo*, id eſt, à ſe profluxiſſe: *falſique* adeò *reum* teneri oportere, qui eam circumtulerit.

¶ Hæc huiuſce legis ſententia eſt. Nunc de hiſtoriâ eius videamus: Ariani ſcilicet Conſtantinopoli Theodoſio in Occidentem profecto & bello cumprimis aduerſus Maximum Tyrannum illigato, & ſic captata eius abſentiæ occaſione, hæc inter alia agitaſſe, videntur. Quod ipſa temporum ratio primùm ſuadet: Data enim hæc lex eſt octodecim tantùm diebus ante Maximum profligatum & cæſum. Tum illa, quæ Socrates, *lib. 5. cap. 13.* & Sozomenus, *lib. 7. c. 14.* Sed & Ambroſius *epiſt. 29.* his ipſis Coss. Theodoſio, inquam & Cynegio Coss. Arianos Conſtantinopoli agitaſſe, memorant: Nempe eos ſparſis falſis rumoribus, de Theodoſio à Maximo profligato, vix & elapſo: iiſque pro vero creditis, animis rurſum erectis, Nectarij Epiſcopi Conſtantinopolitani domum ſuccendiſſe. Igitur captatâ abſentiæ Theodoſij occaſione Ariani cum falſis iuſſionibus circumlatis, tum falſis rumoribus ſparſis, Eccleſiam Conſtantinopolitanam turbare cœperunt, ſpretâ etiam iuuenili *Arcadij* duodecennis tum, quem pater profecturus Conſtantinopoli reliquerat, ætate. Igitur cum hæc comperiſſet Theodoſius, Arcadij quidem interceſſione, ſuam iniuriam remittentis, Arianis domus Sacerdotalis incendium condonauit: teſte Ambroſio, *d. epiſt. 29.* Intereà tamen falſitatem Iuſſionis, quam circumferrent, *hâc leg.* coarguit, atque adeò cœtus eorum inhiberi à Præfecto Prætorio porrò voluit.

¶ Atque ita quidem de hiſtoricâ *huius legis* occaſione cenſeo. Neque probanda coniectura Baronij, qui cenſet Arianos, Valentiniani Iun. reſcriptum pro Arianis, id eſt, *l. vltim. ſupr. de fide Catholica*, (cuius pars eſt *l. 1. ſupr. de his qui ſuper religione contend.*) circumtuliſſe, tanquam à Theodoſio editam, eò quod ex more amborum Imperatorum nominibus haberetur inſcriptum. Non inquam hæc coniectura probanda eſt: Ariani quippe in Oriente Conſtantinopoli ipſiuſmet Theodoſij iuſſione vexabantur, vt diſertè hæc lex teſtatur; non verò Valentiniani Iunioris qui in Occidente imperabat. Et certè mihi mens quoque ea, quidquid hæc lex ſonare videatur, Arianorum nonnullos reuera tale quid impetraſſe per ſubreptionem, quod etiam ſuadet *l. 14. ſuprà.* Atenim Theodoſium eius impetrati memoriam *hâc leg.* abolitum iuiſſe: Ac maximè, quod Cynegij Præfecti Prætorio interceſſione illud factum fuiſſet, Cynegij inquam, cui recenter mortuo Tatianus ſuffectus fuerat. Huius legis inſcriptio

quippe

quippe falſa eſt: inſcribenda ſcilicet ea eſt, *Tatiano* Præfecto Prætorio qui hoc tempore, iam inde à menſe Iunio Præfectus Prætorio erat, Cynegius contra mortuus, vt docet præter *l.2. ſupr. de his qui religione contend.* & *l.119. ſupr. de Decurionibus.* Zoſimus *lib.4. p.760.*

¶ Denique non inanis coniectura eſt, Præfectorum Prætorio Orientis nonnullos hac tempeſtate Conſtantinopoli hæreticis conniuere ſolitos; veluti Poſthumianum de quo dixi ad *l.13. ſupr.* Cynegium item, & Rufinum aliquandiu: at non & Titianum, de quo ad *l.17. prox. ſequ.* & *l.23. infr.*

¶ Illud rectè Baronius, cùm perperam factum putat, vt in ſubſcriptione huius legis *Data* ponatur lex Conſtantinopoli, loco *Accepta* ſanctionis; quandoquidem certum eſt, Theodoſium Conſtantinopoli hoc tempore non egiſſe. Quanquam neque nouum hoc Codice, vt lex *Data* pro *Reddita* accipienda ſit.

¶ THEODOSII M. Vndecima *in hæreticos*, Eunomianos *nominatim, conſtitutio Anno D.389.*

XVII. * Imppp." Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Tatiano PF. P."



EVNOMIANI" ſpadones," nec faciendi, nec adipiſcendi" habeant licentiam teſtamenti. Quod circa omnes, quos viuos Lex" inuenerit, volumus cuſtodiri:" nec quemquam præteritæ cuiuſpiam voluntatis priuilegio defenſari:' cùm, ſeu facta prius teſtamenta, ſeu infecta doceantur, poſt hanc noſtri oraculi ſanctionem non habeant poſſidendi licentiam, non petendi, non etiam relinquendi hæredem," nomine principali, non fideicommiſſario, non legatario, non tacito fideicommiſſo, vel quamcumque in huiuſcemodi negotiis nuncupationem iuris ordo conſtituit: ſed omnia quæ talium eſſe, vel futura eſſe conſtituerit, vt caduca, fiſci noſtri viribus vindicentur. Nihil ad ſummum" habeant commune cum reliquis. Dat. III. Non. Mai, Med. Timaſio & Promoto COSS. [389.]

NOTÆ.

* Abeſt & *hæc lex* à *Cod. Inſt.* velut temporaria. Meminit eius Baronius, *Anno* 389. *num.*49. vbi tamen malè ait „eam aduerſus Macedonianos latam eſſe. Iungenda huic *lex* 16. *ſupr. de cohortalibus*: de quo mox dicam. Tandem memorat hanc legem ſuam, ſimul & abrogat, Theodoſius M *l.23. infr.*

" Iidem Imppp. qui inde à *l.*13.14.15.16. nempe *Valentinianus*, THEODOSIVS, *Arcadius*.

" *Tatianus* PF. ſub Theodoſio M. Orientis ſcilicet, quod expreſsè docet ſuperiore Anno 388. *l.119. ſupr. de Decurionibus* & Anno 39. *l.19. ſupr. de extraord. munerib.* Zoſimus *lib.4 p.769.* vide quæ notaui ad *l.5. ſupr. de quæſtionib. l.2. ſupr. de his qui ſuper religione contendunt.*

" in MS. vt exhibet editio Pariſienſis poſtrema. *Hi Spadones*, de quo mox.

" *Adipiſcendi teſtamenti*, id eſt, ex teſtamento adipiſcendi, capiendi.

" hæc ſcilicet.

" *Hæredum* non vnum genus: Hæredes alij ſunt nomine Principali, id eſt titulo directo, vniuerſali; alij hæredes fideicommiſſarij palam: alij legatarij, alij ex tacito fideicommiſſo hæredes, &c. Quare *hæredum* nomen quadamtenus & compendio orationis ad legatarios trahi poteſt, etſi impropriè, quod & ipſum oſtendit *l 17. ſupr. de annona & tribut.*

" *Ad ſummum*, hâc & *l.18. prox.* vbi ſimilis clauſula vel, *ad ſummam*, id eſt, breuiter, vt paucis dicatur: vide *Gloſſar.*

COMMENTARIVS.

EVNOMIANI, hâc Theodoſij M. conſtitutione, ad Tatianum Præfectum Prætorio Orientis emiſſa, Anno D.389. inteſtabiles eſſe iubentur; id eſt, teſtamento quicquam relinquendi, vel ex teſtamento capiendi ius iis adimitur, etiam in præteritum. Et ſic *communi* cum cæteris iure viuere fruique prohibentur, vt *fine legis* dicitur. Eò verò reſpexit quoque Sozomenus, *lib.7. cap.12. extremo*, vbi ait, Theodoſium (ad terrorem ſaltem) nonnullos hæreticorum prohibuiſſe legibus, καὶ πολιτείας ὁμοίας μὴ μετέχειν τοῖς ἄλλοις. Quanquam & de Manichæis ab eodem hoc idem iam antea cautum *l.7, 9. ſupr.* poſteáque confirmatum *l.18.* In Eunomianis ſanè ſæpè ius iſtud variaſſe deprehendere licet. Reddita quippe eis ab eodem Theodoſio, conſilio pleniore, poſt quinquennium ſub finem Imperij teſtamenti factio *l.23. infr.* (quæ Rufino Præfecto Prætorio, Tatiani (cui hæc lex inſcribitur) in Præfectura Prætorianâ ſucceſſori, inſcribitur, vbi vide & quæ dicam de eo plura.) Adempta ab Arcadio *l.25.* reddita ab eodem *l.27.36.* Adempta ruſum à Theodoſio Iun. *l.49. 50. 58.* Atque hæc de teſtamenti factione à Theodoſio M. Eunomianis adempta. Quid igitur de bonis eorum fiet? Ea velut caduca fiſci viribus vindicari iubet Theodoſius *hâc leg.* Quæ caducorum ſpecies notanda eſt; Caduca inquam, poſt mortem: neque enim ſuperſtitibus Eunomianis bona *hâc leg.* adimuntur.

¶ Eundem porrò Theodoſium M. iiſdem Eunomianis militiâ quoque omni interdixiſſe teſtatur, diſertis verbis Filius eius Arcadius *l.29. infr. hoc tit.* Quibus, inquit, [hæreticis,] *exemplo diui Patris noſtri omnibus & à nobis negata eſt militandi facultas.* Quorum verborum hic ſenſus eſt, Theodoſium hæreticis in commune militia interdixiſſe: Et verò, quod ſecundum argumentum eſt, coniunctio *huius legis* cum *l.16. ſupr. de cohortalibus*, id ipſum euincere videtur. Ibi enim ita Theodoſius, *Eos etiam, qui pro ſceleribus ſuis ſoluto militiæ cingulo addicuntur infamiæ, ne integro peculio ſub hâc occaſione lateant; ita condigna vltioni volumus*

 ſubiacere,

subiacere, vt functioni quoque, quæ extremo militiæ debebatur, (id est, Primipili pastus, vt *initio legis* vocatur:) *nihil ex eorum facultatibus subtrahatur.* Quæ verba omninò congruunt cum *l.61.infr.* quâ de hâc ipsa adempta Eunomianis militandi facultate agitur. *Lex*, inquit, *quæ super Eunomianis militare prohibitis*, &c. *promulgata cognoscitur, nihil ad eos qui cohortalini sunt, pertinet: His enim sunt Apparitionibus obligati, in quibus emensis militiæ stipendiis veterani primipili munus sustinere coguntur.* Tandem Philostorgius quoque *lib.10.cap.6.* testatur, Theodosium M. cùm reperisset quosdam è cubiculo suo Eunomij doctrinam sequentes, Palatio suo eos expulisse: εὑρὼν τινας τῶν ἐν τῷ κοιτῶνι αὐτοῦ τὸ Εὐνομίου σέργοντας, τούτους μὲν τοῦ παλατίου ἐλαύνει.

¶ Sic itaque eadem constitutione Theodosius Eunomianis & militandi & testandi, éque testamento capiendi ius ademerit: quæ tria posteà pariter Arcadius vnâ & eâdem constitutione his ademit *d.l.25.infr.* Tandem igitur Theodosiana constitutio, quam Arcadius allegat *d.l.29.* non alia fuerit, quàm hæc ipsa, ad quam nunc scribimus, iuncta *d.l.16 supr de cohortalib.* Illud omittere non possum, suspectum mihi videri quod Cedrenus scribit: Constantinum sanxisse: Χριστιανοὺς μόνους στρατεύεσθαι, de quo ad *l.21. infr. de Pagan.*

¶ Sanè peculiare Theodosij M. in Eunomium & Eunomianos odium, præter hanc legem, & *l.6.8.11.12.13. infr.* testantur ea, quæ memorat in horum temporum historia Socrates *lib.5. cap.20.* & Sozomenus *lib. 7. cap. 17.* & Philostorgius. Quanquam, quod Socrates addit, Eunomio in exilium misso, Theodosium reliquis hæreticis nihil molestiæ exhibuisse, quin eosundi suis locis copiam fecisse, valdè suspectum mihi, imò falsum videtur. Etsi specialia beneficia hæreticorum nonnullis à Theodosio concessa scio ex *l.25. infr. hoc tit.*

¶ Eunomianos autem *spadones* à Theodosio M. *hac leg.* vocari, velut singulare quiddam, Cujacius, *non vno loco*, inculcat, *lib.17.cap.24.* & *recitationibus ad tit. qui test. facere possunt*; censebátque is, Theodosium hâc voce indicare eam ipsam, quam, qui de hæreticis scripserunt, Eunomianorum turpitudinem erubescunt in medium proferre, vt Theodoretus: additâ ratione honestissimâ; ἱερὰ καὶ μόνα ἐν τοῖς μύσοις αἰσχρὰ μηνύειν τὸν λογισμόν: Poterat Cujacius & Epiphanij verba eadem in sententiam adducere, *in heresi Anomœorum 76. num.4.* καὶ αὐτὸς μὲν αἰδοῦμαι λέγειν ὅσα περ ἀκήκοεν ἀκαθάρτως διηγήσατο: Cujacium secuti alij, non omnes Eunomianos spadones fuisse scribunt, atque adeò hanc legem non in omnes Eunomianos scriptam; verùm quosdam tantùm, qui ἐθελοθρησκείας χάριν, & fictitiæ pietatis studio se vel ipsos castrabant, vel castrandos aliis præbebant. Alij Eunomianos figurate dictos volunt, quòd eorum animus sit castratus & cassus. Verùm attendere illi debuerunt *hanc leg.* scriptam in omnes Eunomianos, non in quosdam tantùm. Quare Spadonum vox velut omnibus Eunomianis communis hîc stat: quod confirmat omninò *lex 23.* Verùm neque *Spadonum* vox neque Cujacij obseruatio stare potest, quandoquidem de spadonatu Eunomianorum nemo veterum mentionem iniicit, neque vllibi lego, Eunomianos sibi virum executisse, quod sanè neque Basilius, qui aduersus Eunomium scripsit, neque Epiphanius omissuri fuissent, qui cùm de Valentinianis agit, *heresi 58.* spadonatum eorum simul memorat: Immò contra lego apud Epiphanium, *dicto num.4.* & Theodoretum, Eunomianos adulteriū inter crimina non duxisse (quò vtique non aliò spectant illa Epiphanij & Theodoreti verba:) τὸ δὲ πορνεύειν inquit Epiphanius, ἐν τινι περιπτώσει ἢ ἑτέρᾳ ἁμαρτίᾳ οὐδὲν ἐστι φασίν: οὐδὲν γὰρ ζητεῖ θεὸς, ἀλλ᾽ ἢ τὸ εἶναι ἐν ταύτῃ μόνῃ τῇ αὐτῶν νομιζομένῃ πίστει: Augustinus quoque *de heresib. cap.54. Fertur etiam Eunomius vsque adeò fuisse bonis moribus inimicus, vt asseueraret quod nihil cuique obesset quorumlibet perpetratio ac perseuerantia peccatorum, si huius quæ ab illo docebatur fidei particeps esset.* Tantùm scilicet abest, vt Eunomius spadonatum indixerit. Sunt alij qui Eunomianos ideò *spadones* dictos ariolantur, quòd Eunomius leprosus fuerit, teste Hieronymo *in Esaiam cap.65.* Rufino *lib.19. hist. Eccl. cap.25.* cæterùm lepram castratio leuat, teste Aëtio. Verùm & hoc nihili est. Nam, vt omittam alia, non de Eunomio hic agitur, verùm de Eunomianis qui *spadones* dicuntur. Vir Doctus *lib 2. obseruat. cap.7.* hîc reponebat *Pseudiones*, id est mendaces, eò quod mentientibus ad confirmandam hæresim suam syllogismia Pseudomenis Eunomiani vterentur, allato eam in rem Hieronymi loco *in cap.1. Amos*: Verùm Hieronymus eo loco id non tantùm de Eunomio dicit, verùm de Ario & Eutychio: & commune id alioquin flagitium est omnium hæreticorum: Atqui epithetum quod Eunomianis hîc tribuitur proprium fuisse oportet. Dudum igitur est, cùm in ea Theodosij Magni constitutione vox illa *spadones* de menda suspecta mihi videri cœpit. Et sanè, vt optima, ita elegantissima Codicis Theodosiani editio Parisiensis, ad marginem illius legis ex M. S. exhibet *Hispadones* pro quo vulgata *spadones* detracto *Hi*; Quâ simili *exemplo* & *Spania* aliàs pro *Hispania*: *Sterica* mulieres pro *hystericis*: *Sperechius* pro *Hyperechio*: *Thynia*, pro *Bithynia* Isidoro, *lib.9.cap.32.* aliáque his similia. Ea verò lectio ad veram tandem deduxisse me videtur: Legam enim, ibi *Histapodes* vel *Histopodes*. Eunomiani scilicet, cùm & aliàs de baptismatis inter alia iteratione inter hæreticos censerentur, quod ostendit Epiphanius, *heresi Anomœorum 76. num.vltim. l.58.& 65. infr.hoc tit. l.vlt. infr. ne sanctum baptisma*: & testatur Philostorgius, *lib.10. cap.4.* & Sozomenus, *lib.6. cap.26.* item quod vnâ tantùm mersione baptisma celebrarent, Philostorgio quoque teste, *dict.lib.4.cap.4.* vbi vide quæ dixi plenius: Illo sanè vel maximè inter alia notabiles erant, quòd quos è Catholicis vel hæreticis, Arianis etiam, ad sectam suam concedentes, rebaptizarent, capite demerso (κατωκάρα dicunt Græci) *pedibus sursum versis*, & vt loquitur Prudentius, de Petri martyrio agens, *sola versis in cacumen*, vnâ immersione baptizabant. Eius verò rei testis Epiphanius, *dicta heresi Anomœorum 76.* (qui paucis annis ante hanc Theodosij Magni legem scripsit) διαβεβαιώσαντό τινες ὅτι κατὰ κεφαλῆς τοὺς ἀναβαπτιζομένους βαπτίζει τοὺς πόδας ἄνω καὶ τὴν κεφαλὴν κάτω, &c. Indicat & Theodoretus id ipsum, *lib.2. fabular. heretic.* Tandem Zonaras & Balsamo *in can.1. Concil. Constantinop.* (quo Eunomiani damnantur) de Eunomio agens: ὅτι καὶ τοὺς τῇ δόξῃ αὐτοῦ προστιθεμένους ἀνεβάπτιζε κατὰ κεφαλῆς αὐτοὺς καταδύων, καὶ ἄνω φέρων τοὺς πόδας αὐτῶν, καὶ μίαν κατάδυσιν βαπτίζων ἐποίει. Inde igitur proculdubio Eunomiani *Histapodes* vel *Histopodes*: nempe quod pedes sursum statuerent baptizandis (eadem formâ quâ *antipodes*, *sciapodes*, *saccopodes*, alia similiter dicta) Desumptâ voce ab ἱστὰς, vel ab ἱστὸν: è textrina vel nauticâ. Notum scilicet, quid ibi sit ἱστὸν, siue ἱστὸς, ἱστοπόδες: imò & ἱστόποδες naues actuariæ apud Gellium. Vt cæteros omittam, Glossæ Philoxeni & Cyrilli: ἱστόποδες, *pedes tela.* Eustathius *Odyss.8.*

ἱστὸς

ἱσὸς ἢ κυρίως μὲν ὀργανῶον ὑφαντικὸν, ἐμφαίνουσι τῷ τῆ ϖαλαίας ϖῦ ϖερὶ τὸ ἱστάναι. Ad illius enim instar formatum est, Hesychius: ἱσὸς τὸ ὀρθὸν ξύλον τῆς νεὼς ὑφαντικὸν, ἀπὸ τῦ ἱστάναι. Quinimò & textores ipsi iamdudum apud Romanos *Histones* dicti, voce quæ vsurpata Vartoni, *lib.1. de re rustica, cap.2.* Et verò res ipsa conuenit. Nam vt in textura primum est, *tela* (id est instrumenti in quo texitur) *pedes* erigere, iugúmque iis imponere (quod Ouidius dixit *telam iuga iungere*, Hesiodus ἱσὸν σήσασθαι) ita primum istud fuit apud Eunomianos, eos quos in sectam suam admitterent, baptizare, iugóque quasi iungere, pedibus sursum erectis, *capitéque* adeò *sistere*, vt Plautus loquitur, sic vt pedes in sublimi essent, caput verò demersum, quod Græci etiam τραχηλίζειν vocant, cùm quis videlicet ita percellitur, vt κύμβαχος εἰς κεφαλὴν καὶ ὤμους cadat, quomodo loquitur Homerus: sic & equus τραχηλοκάδης dicitur, qui aliter κατωμισὴς, qui sessorem in ventrem euertit, quia κάτωμος & τράχηλος idem. Id verò cum suspendio fit, dicitur καὶ τὸ κάρα κρεμάσθαι *capite deorsum suspendi* in veteri martyrologio pridie Id. Maij. Hinc igitur mutuato vocabulo, *Eunomiani* vel *Histopodes* dicti, quasi diceres *Pederectos* vel *Erectipedes*. Quæ cum ita sint, cessent porrò, quæ Cujacius de spadonibus Eunomianis commentatus est: Vanum enim, Eunomianos virum sibi exsecuisse: Vanus etiam eiusdem conarus, *l.5. supr. qui test. fac. poss.* ad Eunomianos referre tentantis; vel eo quoque maximè vanus, quod Eunomiani, Constantio Imp. (cuius ea lex est) recentiores sint: Et vt obiter id nunc dicam, pertinet ea *lex 5.* ad Eunuchos & spadones, quibus cùm obnoxius esset Constantius, imò apud eum omnia essent illi potentique, vt ex Libanio, Ammiano Marcellino, Zosimo, & nonnullis legibus aliis liquet, eo quoque nouo priuilegio eos euexit, vt *exemplo omnium*, id est eadem ætate quà alij testari possent, ac proinde post primam pubertatem, cùm antea, quod testatur Paulus *lib.3. sentent. tit.4.* § 2. spadones eo tantùm tempore testamentum facere possent, quo *plerique* pubescerent, id est anno demum ætatis decimo octauo, & sic à plenâ pubertate, *plerique* scilicet tum pubescunt, etsi nonnulli post annum 14 vel 16. Neque adsentiendum Viro Docto, *2. Obseruat.6.* qui verbis his, *id est anno decimooctauo*, controuersiam mouet, quasi ea addita fuerint ab alio, postquam ex instituto Iustiniani plena pubertas definita est anno decimo octauo. Aperta enim est ibi Pauli sententia distinguentis Eunuchos ab aliis, & sic vlteriorem annum Eunuchis adsignantis ad testamentum faciendum quàm aliis. Neque id eiusdem admitto, quasi quod Eunuchis antea concessum iam fuerat, vt eadem ætate testari possent, quâ alij, Imperator Constantius illâ *l. castratis* quoque largiatur per nomen homonymum Eunuchorum. Neque enim, vt omittam *Eunuchis quibuscunque* & indefinitè id *hâc lege* concedi, quod antea cócessum non erat: sanè si ad castratos porrigere voluisset, quod Eunuchis antea propriè dictis competebat, aliter legis verba concepta fuissent: veluti sic: *non Eunuchis tantùm, sed & castratis*: vel *Eunuchis omnibus cuiuscunque generis*, &c. Hâc denique *l.* Eunuchi exemplo OMNIVM, id est, *aliorum* (non Eunuchorum) testamenta condere permittuntur, non castrati exemplo Eunuchorũ. Vt ad Eunomianos Histopodes redeamus: nil mirum aut insolens, eos huiuscemodi appellatione de ritu suo insignitos: nam & ita τρωγλοδύτας, ὀχετοδίτας, & μαντροκλέχας dicti, per ironiam, propter specus & speluncas in quibus Ecclesias suas habebant, de quo plenè dixi, *ad Philostorgium lib.9. cap.3.* Imò & Ἐξουκόντιοι iidem & Ariani, de quo ad eandem, *lib.10. cap 3.*

¶ Post hæc ita à me *ad Philostorgium* scripta Cl. Salmasius per literas me monuit, ægrè sibi hanc emendationem meam probari, eò quod vox *Histopodes* non id significet, quod ipse volo, imò contrarium potiùs: *Histopodes* enim potiùs designare qui pedibus stent, insistant, non qui pedes sursum habeant. Ego tamen sententiam non, ideò muto: ἵσημι quippe vel ἱστάω in voce ἱστόπους vel ἱστάποδες non significat *stare*, insistere pedibus, verùm *erigi* in pedes: vnde & ἱσὸς ϖαρὰ τὸ σῆναι: & ἱσὸς, ὀρθὸν ξύλον *erectum* lignum: ἱστόποδες, ξύλα ὀρθά: ἱστόποδες, ϖάντα τὰ μακρὰ ξύλα, longa & erecta ligna, aliàs κιλλίβαντες: vide Pausaniam Pollucem, Dionysium, Eustathium, Hesychium, Harpocrationem & Etymologicum. Hæc puto apertissima sunt. Si cui verò nostra hæc de Eunomianis *Histopodibus* sententia & emendatio minus placet, alteram videat apud Doctiss. Petitum *2. Obseru.7.* quæ mihi certè non probatur.

¶ Tandem ex collatione *l.23. infr. hoc tit.* cum *hâc leg.* colligere mihi tute videor, hanc legem à Tatiano Præfecto Prætorio, cui lex hæc inscribitur, extortam: verùm hanc veluti quandam nimietatem quinquennio post visam, Rufino suggerente, Tatiani in ea Præfectura successore, cui vtique lex *ea* 23 quâ hæc abrogata, inscribitur. Denique de Tatiani odio in hæreticos iam dixi ad *l.16. prox. supr.* & dicam adhuc ad *legem 23. suprà.*

¶ THEODOSIO-VALENTINIANEA *in Manichæos constitutio,*

XVIII. * Idem AAA. Albino P.V."

VICVMQVE sub nomine *Manichæorum* mundum sollicitant, ex omni quidem Orbe terrarum, sed quàm maximè de hâc" Vrbe pellantur, sub interminatione iudicij." Voluntates" autem eorundem, quinimò ipsæ etiam facultates, populo" publicatæ, nec vim Testamentorum teneant: nec derelinqui" per eos, aut hisdem fas sit: Nihil ad summum" his sit commune cum mundo." Dat. xv. Kalend. Iul. Rom. Timasio & Promoto COSS. [389.]

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iustinianeo*, velut temporaria. Inseruit eam Baronius Annalibus suis Ecclesiasticis *Anno 389. num.65.*

"Albino

"*Albinus* sub Valentiniano Iun. P.V. Romæ scilicet, quod etiam argumento subscriptionis conficitur: vide *Chronolog.* nam Constantinopoli hoc tempore Præfectus Vrbis erat Proculus. Alij habent hic *P.P.* malè.
"Româ: vbi data *hac lex*.
" *Indicij*, capitalis scilicet.
"vltimæ scilicet.
"*Populo* Vrbis Romæ publicatarum facultatum exemplum obserua: quæ alioquin confiscatæ, velut caducæ vel caduci titulo, *l.7 17. supr.*
"*derelinqui quid.*
"*Ad summam*, hic & *l.prox.17 .supr.* vbi similis clausula occurrit.
"cum reliquis *l.17. prox. supr.*

COMMENTARIVS.

MANICHÆI, Vrbe Româ, nominatim, *hâc leg.* pelli: Intestabiles esse (quod autem Imperatoribus huius legis auctoribus nondum placuerat *l.3. infr. de Apostatis*) Facultates eorum populo publicari, à Valentiniano Iun. & Theodosio M. simul Romæ positis iubentur, Anno Domini 389. Qui mundum scilicet sollicitant, his cum mundo commune nil esse debet. Quæ ratio hic nominatim initio & fine legis inter se collatis indicatur.

¶ Manichæi scilicet, vt cæteroquin hæreticorum coryphæi habiti (quod ostensum ad *l.3. supr.*) ita vel hi maximè mundum solicitabant, præ cæteris noxij, turbidi, scelesti *l.35.65 infr. hoc tit. l.3. infr. de Apostatis.* Rursum, vt cæteroquin ea omni orbe terrarum pellendi visi, ita quammaximè ex Vrbe Româ: vt quæ Imperij caput, Regina esset, & à quâ velut capite in orbem terrarum facilè virus defunderetur. Et hæc quidem de ipsa legis sententia.

¶ Cæterùm hæc lex, & quidem prima omnium, à Valentiniano Iun. & Theodosio Magno Romæ positis data occurrit, quò post Maximum Tyrannum deuictum, eos profectos Veteres testantur. Hæcque vna est è Valentiniano-Theodosianis constitutionibus, quibus Romæ constituti Vrbi Romæ variis rationibus consuluerunt, tum in negotio religionis, cuiusmodi altera quoque lex est *l.2. supr. de feriis*, tum in ciuilibus rebus quamplurimis dignitati honestatique Vrbis Romæ, quò pertinet etiam *d.l.2. & l.11. sup de maleficiis, l.vnic. supr. de mancip. l.5.6. supr. de Suariis: l.5. supr. de aquaductu: lex 29. supr. de appell. lex vltim. Cod. Iustin. de seruis fugitiuis:* (& quæ narrat Socrates *lib.5. cap.18.*) quæ omnes leges eidem Albino Præfecto Vrbi inscribuntur. Eóque etiam pertinet, quod memorant Scriptores Ecclesiastici, Theodosium Maximo deuicto, & Iustina Matre Valentiniani mortua, Romæ versantem Ecclesiarum statui, per Italiam prospexisse. Sozomenus *lib.7. cap.14. in fin.* τῦ πολέμυ τύτυ διαλυθέντος τὸν τρόπον, ἔπειτα ἥκει εἰς Ῥώμην καὶ ἐπινίκιον πομπεύει ἅμα Οὐαλεντινιανῷ ἐπιτέλεσε, καὶ τὰ περὶ τῆς Ἰταλίας Ἐκκλησίας εὖ διέθηκε: συνέβη γὰρ καὶ Ἰουστῖναν ἀποθανεῖν. Rufinus *lib.11. cap.17. Valentiniani quoque impia inter hac matre defuncta, fidem Catholicam, quam ipsa violauerat, & regnum Tyrannide depulsâ, restituit. Atque ipse posteaquam Romam illustri triumpho inuectus est, ad propria rursus regna remeauit.* Quanquam hæc loca propriè fidem Catholicam ab Arianismo vindicatam respiciant. Hactenus itaque de Manichæis Romæ consistentibus, Valentinianus & Theodosius constituerunt, vt eâ expellerentur. Atenim biennio fermè post iidem vlterius perrexêre *l.20. infr.* Quare triplicem processum circa Manichæos per diœcesin Vrbis Romæ hîc obserua. Primùm à Valentiniano Sen. Romæ coire, docere vetiti, Anno 372. *l.3. supr.* Posteà Vrbe Româ etiam pelli iussi à Valentiniano Iun. & Theodosio Magno Anno 389. *hâc leg.* Tandem & vicinis Romæ Vrbibus ab iisdem pulsi *l.20. infr.* vbi vide quæ dicam plura ex Ambrosij quoque *epist.81.* ad Syricium Papam.

¶ THEODOSII M. Duodecima *in hæreticos constitutio Anno Domini* 389.

XIX. * Idem AAA. Tatiano PF. P."



Ii qui scæui" dogmatis retinent Principatum," (hoc est, Episcopi, Presbyteri, Diaconi,) adque Lectores, & qui Clericatus" velamine religioni maculam conantur infligere" sub cuiuslibet hæresis siue erroris nomine constituti, ex funestis conciliabulis, seu intra Vrbem, seu in Suburbanis esse videantur," omnimodò propellantur. Dat. VI. Kalend. Decemb. Med." Timasio & Promoto COSS. [389]

NOTÆ.

* Et *hac lex* abest à *Cod. Inst.* velut temporaria. Inseruit & *hanc legem* Annalibus suis Ecclesiasticis Baronius *Anno 389. num.75* concordant eiusdem Theodosij *l.12.13.14. supr.*
"*Tatianus* sub Theodosio M. PP. Orientis scilicet, vt probaui *l.17. supr.* & *l.5. supr. de quæstionib.*
"*Scæuum* dogma *hâc leg.* scæuum crimen *l.44 supr de Episcopis*: scæua religio *l.43. infr. hoc tit.* scæua tempora *l.9. supr. de infirm. his qui sub tyrann.* scæuitas morum *l.17. supr de pœnis*, scæuitas paternæ deprauitatis *l.4. infr. ne sanctum baptism.* vid. *Glossar.*
"*Principatum* vocat ἱερωσύνην, omne ministerium Ecclesiasticum.
"Simplicis, nudi.
"*Esse videantur*, id est sint: vid. *Glossar.*
"Theodosius Româ, per forum Flaminij digressus, *Mediolani* hoc tempore substitit: vide *Consularia Theodos.*

COMMENTARIVS.

SACERDOTES Clericos, quorumcunque hæreticorum, tum Vrbe Constantinopolitana, tum Suburbanis eius expelli hâc constitutione ad Tatianum Præfectum Prætorio Orientis emissâ iubet Theodosius Magnus, in Italiâ Mediolani consistens Anno Domini 389.

¶ Sanè Theodosius Anno Domini 383. 384. Constantinopoli ipse consistens, hæreticorum Sacerdotes & Clericos vrbibus expelli iusserat *l.12. 13. supr.* ac nominatim Vrbe Constantinopolitanâ *d.l.13.* Quadriennio pòst Ann. D.388. idem Thessalonicæ consistens, mox in Maximum Tyrannum moturus, vrbibus expelli hæreticos iussit *l.14. supr.* Ac enim intereà siue iudicum (& in his vt puto Cynegij Præfecti Prætorij) conniuentia (quod etiam hoc Theodosij seculo solemne fuisse ostendet *l.24. infr.*) siue extortis à Theodosio rescriptis nonnullis, siue captatâ tandem absentiæ Theodosij occasione, per alterum iam fermè annum, Hæreticorum principes, intra Vrbem & in Suburbanis Vrbis Constantinopolitanæ porrò consistere cœperunt, suáque conciliabula egêre. Id quod *hâc leg.* Theodosio prohibere visum.

¶ Vbi duo obseruanda. Primùm, quod de Suburbanis adiicitur. Nempe, quibus in ipsa Vrbe interdum agere, ij in Suburbanis fermè egêre. Quod de Eunomio hoc ipso tempore nominatim prodit, à Theodosio in exilium inde pulso Sozomenus, *lib.7. cap.17.* ὁ δὲ βασιλεὺς ὑπερορίαν φυγὴν Εὐνομίου τότε κατεδίκασεν, ὅτι γὰρ ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐν προαστείοις διατρίβων ἢ ἐν οἰκίᾳ καθ' ἑαυτὸν ἐξεκλησίαζε. In Ioniniano simile exemplum *l.53. infr. hoc tit.* Secundò obseruandum, quod dicitur: sub cuiuslibet hæresis siue erroris nomine constituti. Nempe hoc illud tempus est, quo non tantùm variis hæresibus Ecclesia concussa, verùm etiam ipsæ hæreses rursum subdiuisæ fuêre, quod pluribus exequitur Socrates *lib.5. cap.20. 22. 23.* Sozomenus *lib.7. cap.17. 18.* Quare hæc verba hic addita, vti scirent hæretici nihilo plus vnis, quàm aliis in Vrbe vel Suburbanis Sacerdotes & cœtus habendi licentiam sibi patêre.

XX. * Exemplum sacrarum" litterarum.

HÆRETICORVM" polluta contagia" pelli Vrbibus vicinis," proturbari, ac nullis penitùs iubemus patere" conuentibus: ne quoquam sacrilega cohors talium hominum colligatur. Nulla eorum peruersitati, vel publica conuenticula, vel latiora" erroribus secreta tribuantur. Dat" XIV. Kalend. Iun. Rom. Tatiano & Symmacho VV. CC. COSS. [391.]

NOTÆ.

* Refert & *hanc legem* Baronius *Anno* 391. *num* 15.
"Valentiniani Iunioris & Theodosij: mox vt ostendam.
"Manichæorum nominatim.
"Ita & Ambrosius: *Quasi quadam contagia refugerunt.*
"Eas vrbes: alioquin parêre, id est, apparere scriberem vel latere.
"An latentiora, quæ publicis hic apponantur? An potius latiora, quæ in vicinis vrbibus? Hoc postremum probabile:
"pro proposita reddita.

COMMENTARIVS.

VRBIBVS, Romanæ Vrbi vicinis, hæretici eorúmque conuentus arceri Valentiniani Iunioris & Theodosij Edicto Romæ proposito iubentur Anno Domini 391.

¶ Vrbibus, inquam, vicinis Vrbi Romanæ: perperam enim hoc edictum ad Orientalem Ecclesiam & nouam Romam Baronius retulit. Quem vel subscriptio legis arguit: *Dat. Romæ.* Quod sanè ita accipiendum, vt vel Valentinianus indicetur hoc tempore Romæ substitisse, Theodosio inde digresso, quod Socrates docere videtur *lib.5. cap.18. in fin.* vel Data accipiendum pro *proposita* (vt alibi sæpè:) sanè Theodosius & Valentinianus hoc anni tempore Mediolani primùm, mox Concordiæ, tum Vincentiæ, tandem Aquileiæ constiterunt: quod Chronologia Theodosiana docebit. Et verò notum proposita ita edicta in Vrbe totius Diœceseos Principe.

¶ Hoc exemplo igitur propositum hoc edictum Romæ, quo Vrbibus ei vicinis hæretici expelli iubentur: Nempe (quod & ipsum alicui argumento esse potest, hoc Edictum, non ad Orientalem Ecclesiam pertinere) Vrbes vicinæ *hâc leg.* sunt, quæ in Diœcesi & Præfectura Vrbis Romæ erant. Sic enim & *Vicina vrbi regiones* in *l.vltim. supr. de habitu quo vti oportet intra vrbem,* sunt omninò, quæ in Diœcesi & Præfectura Vrbis Romæ erant, eámque constituebant: quod eius legis inscriptio apertè ostendit: pariter vt hac lege subscriptio id euincit. Denique vicinæ Vrbi ciuitates & regiones his duobus locis sunt, quæ intra centesimum miliarium, suburbicariæ, suburbanæ, vrbicariæ aliàs proprio & peculiari vocabulo dicebantur: de quibus iam alibi sæpè & ex professo.

¶ Sed (& quod tertium argumentum præbere potest) obseruandum, hoc edictum peculiariter *ad Manichæos* pertinere videri. Nempe, ante biennium fermè, ab eodem Theodosio M. & Valentiniano Iun. *l.18. supr.* Manichæi Vrbe Româ *solùm* pelli iussi fuerant: at nunc, etiam Vrbibus Romæ vicinis pelli iubentur, id est, vltra centesimum lapidem: pariter vt Schismatici *l.62. infr.* vbi vide quæ dicam plura. Vt autem ad Manichæos hanc legem speciatim referam, facit quoque Ambrosij locus *epist.18. ad Syricium Papam;* qui proculdubio *legem* 18. & hoc edictum respicit, simul & verba imitatur, quæque exinde secuta memorat. *Dignum*, inquit, *præmium retulerunt illi perfidiæ suæ, qui ideóque huc* [Mediolanum] *venerunt, ne superesset locus in quo non dominarentur* [f. *damnarentur*] *qui verò se Manichæos probarunt:*

runt. Et mox. *Impietas Manichæorum, quam & clementissimus execratus est Imperator & omnes qui illos viderunt, quasi quadam CONTAGIA refugerunt: sicut testes sunt fratres, & compresbyteri mei crescens, Leopardus, Alexander sancto feruentes spiritu, qui eos omnium execratione damnatos, Mediolanensi ex Vrbe quasi profugos reppulerunt. Ita Iouinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Protinum, Genialem, Martianum, Ianuarium, & Ingeniosum, quos sanctitas tua damnauit, sciat apud nos quoque, secundum Iudicium tuum, esse damnatos.* Quare, quod quattum, & huius Ambrosiani loci indicio, colligitur, Syricium Papam & huius & 18. *legis supr.* suasorem proculdubio extitisse.

¶ Monendum tamen, esse qui in *hâc leg.* ita reponant, *pelli vrbibus, vicis proturbari*: Quod haud adeò improbabile: hæretici scilicet cotúmque conuentus non tantùm vrbibus, sed & oppidis vicísque prohibiti: vid. *l.* 4. 6. 7. 8. 9. 12. 19. *supr. l.* 34. 53. 65. *infr.* Imò & extra omnes terras: cuius rei exemplum apud Seuerum Sulpitium *lib. 2. sacr. hister.* Postremò assentiendum non est Viro Docto, qui *hanc legem* putabat non de hæreticis accipiendam, verùm de Doctoribus qui inficiunt alios. Quod in legem ipsam incurrit: & confirmatur eâ hypothesi quam supra attuli.

¶ THEODOSII M. Decimatertia *in hæreticos constitutio Anno Domini* 392.

XXI. * Idem" AAA. Tatiano PF. P."



IN hæreticis erroribus, quoscunque constiterit" vel ordinasse Clericos, vel suscepisse officium Clericorum, denis libris auri viritim multandos esse censemus: Locum sanè, in quo vetita temprantur, si conhibentia domini patuerit, fisci nostri viribus adgregari. Quòd si id possessorem," (quippe clanculum gestum) ignorasse constiterit, conductorem eius fundi, si ingenuus est, decem auri libras fisco nostro inferre præcipimus: si seruili fæce descendens, paupertate" sui, pœnam damni," ac" vilitate contemnit, cæsus fustibus" deportatione damnabitur. Tum illud specialiter præcauemus, vt si villa dominica" fuerit, seu cuiuslibet publici" iuris, & conductor, & procurator licentiam dederit colligendi, denis libris auri proposita condemnatione mulctentur. Verùm si quos talibus repertos obsecundare mysteriis, ac sibi vsurpare nomina *Clericorum* iam nunc" proditum fuerit, denas libras auri exigi singulos & inferre præcipimus. Dat. XVII. Kalend. Iul. Constantinop. Arcad. III." & Rufino CONSS. [392.]

NOTÆ.

* Inseruit & *hanc legem* Baronius Annalibus suis Ecclesiasticis *Anno* 392. *num.* 25. Meminit huius legis non vno loco Augustinus, mox vt ostendam. Sed & Patres Africani, &c.

"Perperam hæc lex tribuitur *Valentiniano, Theodosio & Arcadio*: inducendum enim nomen *Valentiniani*, qui iam Idibus Maij huius anni obierat: de quo vide *Consular. Theodos.*

"Orientis, de quo vide quæ dixi ad *l.* 5. *supr. de quæstionib.*

" Deinceps quanquam & id extenditur ad eos qui iam nunc Clericorum nomina sibi vsurpauerint.

"Conniuentia.

" id est Dominum, vt supr. *Conhibentia Domini.*

"*Seruili fæce descendentes* dicuntur, & sui paupertate & vilitate pœnam damni contemnere, id est, pœnam pecuniariam.

"id est, pecuniariam.

"*ac vilitate*: ita nonnulli.

"id est, ad Imperatorem spectans & rei priuatæ: de quo vide Arcadij constitutionem *l.* 13. *infr. de Paganis.*

"id est, Reipublicæ.

"verum etsi.

"vide *Glossar.* "*x. II.*

COMMENTARIVS.

MVLTA auraria DECEM AVRI LIBRARVM tribus imponit *hâc leg.* Theodosius Magnus: nempe 1. Clericorum Hæreticorum ordinatoribus, 2. Ipsis Clericis ordinatis, 3. Locum conuentibus hæreticorum præbentibus, Conductoribus, Procuratoribus priuatarum possessionum, Imperatoriarum (exceptis Dominis ipsis conniuentibus, quorum loca confiscari iubentur: & seruili ex fæce descendentibus, in quos cum pœna pecuniaria non cadat, fustium & deportationis pœna imponitur) Theodosius M. inquam, iis quos dixi hanc mulctam hac lege imponit, Anno D. 392. quæ emissa est ad Tatianum PP. Orientis, haud ita pridem ex Italia in Orientem redux. Quare huc facit quoque Rufini locus lib. 11. cap. 19. *Igitur ad Orientem regressus ibique (vt ab exordio principatus sui) summâ curâ, summóque studio pulsis hæreticis, Ecclesias Catholicis tradere, idque eâ moderatione agere, vt vltione contempta, tantùm Catholicis de Ecclesiarum restitutione consuleret, quo fides recta absque prædicationis impedimento proficeret.* Nempe eius moderationis Theodosianæ, vltione contemptâ, hæc lex quoque argumentum fuerit, mulcta inquam decem librarum auri: quæ & ipsa posteà placuit Honorio *l.* 39. Theodosio Iun. *l.* 65. Denique hæc illa est, famosa Theodosij M. constitutio & passim decantata, *de multa decem librarum auri hæreticis imposita*, & cuius multa mentio apud Augustinum lib. 1. contra Epist. Parmeniani, prope fin. *Imperatorum Iustitiam legésque quæ vehementer aduersus eos lata sunt quis ignorat? In quibus vna generalis aduersus omnes, qui Christianos se dici volunt*

&

& Ecclesia Catholica non communicant, sed in suis separatim conuenticulis congregantur, id continet, vt vel ordinator vel ipse ordinatus denis libris auri multentur. Locus vero ipse quo impia separatio congregatur, redigatur in fiscum. Idem lib. 3. contra Crescomium, cap. 47. p. 270. *Crispinus Episcopus vester exhibitus, & quod esse Proconsuli quarenti negauerat, facilè conuictus:* [vide infr. l. 39.] *hæreticus, DECEM tamen LIBRAS AVRI, quam multam in omnes hæreticos Imperator Maior THEODOSIVS constituerat, intercedente Possidio non est compulsus exsoluere.* De qua re vide & Possidonium capite 12. *de vita Augustini.* Et rursus *Epistola ad Bonifacium* 50. p. 219. *Quod eo modo fieri aliquatenus posse arbitrabamur si legem piissima memoria Theodosij, quam generaliter in omnes hæreticos promulgauit, vt quisquis eorum Episcopus vel Clericus vbilibet esset inuentus, decem libris auri multaretur, expressiùs in Donatistas, qui se negabant hæreticos, ita confirmarent* [Imperatores,] *vt non omnes eâ multâ ferirentur, sed in quorum regionibus aliquas violentias à Clericis vel à circumcellionibus vel populis eorum Ecclesia Catholica pateretur, vt scilicet post protestationem Catholicorum, qui fuissent ista perpessi, iam curâ ordinum ad persoluendam multam Episcopi siue ministri cæteri tenerentur. Ita enim existimabamus eis territis, & nihil tale facere audentibus, posse liberè doceri & teneri Catholicam veritatem,* &c. *Et quamuis aliis fratribus aliud videretur,* &c. *abstinuimus tamen, vt illud potius quod dixi ab Imperatoribus peteretur: decretum est in Concilio nostro, legati ad comitatum missi sunt.* Idem epist. 68. ad Ianuarium. *Ex Concilio autem nostri Episcopi legatos ad comitatum miserunt, qui impetrarent, vt non omnes Episcopi vel Clerici partis vestra ad eandem condemnationem decem librorum auri, qua in omnes hæreticos constituta est, tenerentur, sed hi soli in quorum locis aliquas a vestris violentias Ecclesia Catholica pateretur.* Sed & contra Cresconium lib. 3. cap. 47. Rescriptum est, *Quid aliud, nisi quod pars Donati iam sciret, se ad illam pœnam aurariam cum cæteris hæreticis pertinere.* Hanc igitur generalem legem, vt ex duobus superioribus Augustini locis liquet, posteà Patres Concilij Carthaginensis aduersus Donatistas porrigi nominatim petendum ab Honorio Imp. Theodosij Filio censuère. Quod iuxta Augustinum docet canon *Concilij Carthaginensis,* quod habitum Anno Domini 404 qui est 93. *in Codice Africano: Simul etiam petendum: Vt illam legem, quæ à religiosa memoria eorum Patre Theodosio, de auri libris decem in ordinatores vel ordinatos Hæreticos, seu etiam in Possessores, vbi eorum congregatio deprehenditur, promulgata est, ita deinceps confirmari præcipiant: vt in eos valeat contra quos propter eorum insidias Catholici prouocati contestationem deposuerint, vt hoc saltem terrore à schismatica vel hæretica prauitate desciscant, qui consideratione æterni supplicij emendari corrigique dissimulant.* Quid verò ad hanc postulationem secutum sit, id est, quid Honorius Imperator. ad eam statuerit & Augustinus *dict. epist.* 50. *pag.* 220. ostendit, & docebit *l.* 38 39 *infr.* Tandem hanc Theodosij constitutionem memorat, simul & retorquet in Catholicos Hunnericus Rex Edicto suo apud Victorem Vticensem *lib.* 3. *de persecutione Vandalorum.* Et hæc de personis seu de multa personis proposità. Quod loca attinet in quibus hæretici conuenerint dominis conniuentibus, in fiscum ea redigi iubet Theodosius: cuius rei meminit quoque Augustinus superiore loco *cont. ep. Parmen. lib.* 1. *cap.* 7. *propè fin.*

¶ Interim obseruant ex hac lege nonnulli, & in his Cujacius, seruo pœnam deportationis *hâc leg.* infligi videri. Quare nonnulli id ita accipiunt, non quidem de eâ & propriè acceptâ, quâ in insulam deportatio, status seu capitis mutatio erat (quæ vtique in seruum pœna cadere non potest, vt qui statum seu caput nullum habeat, *l.* 12. §. 4. *ff. de accusation.*) verùm de eo deportationis genere, quo in Metallum quis detruditur, & priuati dominio ereptus, pœnæ seruus fit *l.* 17. §. *vlt. ff. de quæstionib. l. aut damnum* 8. § *vltim. ff. de pœnis.* Hoc scilicet deportationis & pœnæ genus in seruum cadere aiunt, (quod sanè probat *l.* 65. *infr. vers. Sin de priuatis ædificiis*) non illud pariter vt relegationem de qua esse aiunt, & *l.* 1. *supr. de mulierib. quæ se seruis propriis iunx.* & *l.* 1. *supr. de sepulchro violato: l.* 2. *ff. qui & à quibus manum. d. l.* 12. §. 4 *ff. de accusation.* Verùm (ne de aliis legibus nunc dicam, de quibus dixi plenè semel ad *l.* 1. *supr. de sepulchro violato:*) perperam hæc à Cujacio notantur. neque enim hæc lex est de seruo: verùm de eo, qui ex seruili fæce descendit, id est, libertino fortè, quos homines vocari puto *l. vnic. supr. de conductorib. & hominibus domus Augustæ:* apertè enim opponitur hîc ingenuus, & hic de quo nunc agimus. *Conductorem,* inquit, *eius fundi SI INGENVVS est, decem auri libras fisco nostro inferre præcipimus: SI SERVILI FÆCE descendens, paupertate sui pœnam damni ac vilitate contemnit, casus fustibus deportatione damnabitur.* Paret *l.* 40. *infr. Conductor,* inquit, *si idoneus est deportabitur.* Et in *l.* 65. *decem librarum auri multa vel exilium si sit ingenuus subituro: metallum verò post verbera, si seruilis conditionis sit.* Denique *seruili fæce descendentes* sunt, qui non sunt ingenui, non honestis natalibus editi; verùm & pauperes & viles: ideò mox dicuntur *paupertate sui pœnam damni ac vilitate contemnere:* alterum fere non tam viles, quàm nulli; non tam pauperes, quàm neque sui compotes sunt.

¶ THEODOSII M. Decimaquarta *in hæreticos constitutio Anno Domini* 394.

XXII. * Idem" AAA. Victorio Proc. Asiæ."

HÆRETICI neque Episcopi faciendi potestatem, neque Episcoporum confirmationes licitas habeant. Dat. XVII. Kalend. Maij, Constantinop. Arcad. III & Honorio II. AA. COSS. [394]

NOTÆ.

* Inseruit & *hanc legem* Baronius Annalibus suis Ecclesiasticis *Anno* 394. *num* 4.

" malè inscribendi huic legi vt & duabus sequentibus 23. 24. Theodosius, Arcadius, Honorius: v. *Consular. Theodos.*

"Extant ad eundem Victorium Proconsulem Asiæ plures aliæ constitutiones duobus annis proximè præcedentibus, Anno 392. 393. ac nominatim Anno 393. *l. vlt. supr. de constit. Principum*: vbi vide quæ dixi.

"in qua hæ Prouinciæ, Pamphylia, Lydia, Caria, Lycia, Lycaonia, Pisidia, Phrygia Pacatiana, Phrygia Salutaris, item Hellespontus & insulæ.

COMMENTARIVS.

EPISCOPOS facere, vel etiam confirmare hæretici à Theodosio Magno, per Asiam nominatim, hac constitutione, Anno Domini 394. prohibentur. Sanè iam antea Episcopos facere eosdem Theodosius idem vetuetat *l. 12. & 14. 21. prox. supr.* De quo Theodosij interdicto agit & Sozomenus, *lib. 7. cap. 12.* βασιλεὺς νομοθετεῖ ὥστε τὰς ἑτεροδόξους μήτε ἐκκλησιάζειν, μήτε περὶ πίστεως διδάσκειν, μήτε ἐπισκόπους ἢ ἄλλους χειροτονεῖν. Id verò *hâc leg.* rursum per Asiam repetitur: illúdque additur: *Neque Episcoporum confirmationes licitas hæreticos habere debere.* Nempè, vt ordinationis Episcoporum ad pascendam plebem destinatorum, duæ sunt partes, duo velut actus: puta electio & confirmatio, seu τὸ κῦρος τῆς ψήφου, quorum illa ad Clerum & populum interuenientibus Prouinciæ Episcopis pertinuit, quod indubitatum: hæc verò ad Metropolitanum totius Prouinciæ, vt vel ex canone 4. Nicæno notum, & Synodica eiusdem Concilij apud Theodoretum, *lib. 1. cap. 9.* & Ambrosio *epist. 82.* Ita & Theodosius M. hæreticorum cœtibus obuiam itutus & collectionibus, vndiquaque Episcoporum ordinationi intercedendum sibi credidit: & electione & confirmatione Episcoporum eis iuxta interdictis. Non satis scilicet visum, electioni intercedere: confirmationem insuper prohibere visum: vt ita maximi, minimi, ab Episcopis faciendis abstinerent. Nempe speciali beneficio Metropolitani hæretici confirmationem Episcoporum sibi vindicasse aduersus generalia præcepta videntur argum. *l. vltim. supr de constit. Princip.* quæ ante septem menses ad eundem Victorium Proconsulem Asiæ data.

¶ Ad Asiam verò, vt dixi, propriè pertinet hæc lex, atque id ideò Proconsuli Asiæ inscribitur, pariter vt *l. 3. supr. de fide Cathol.* eiusdem † Theodosij, Arcadij & *l. 28. infr.* vbi pariter Euresius hæreticus in Antistitum numero haberi vetatur. Nempe, (quod ex Epiphanio quoque colligere licet) ea potissimum diœcesis ab hæreticis infestata fuit.

¶ THEODOSII M. Decimaquinta *seu postrema hoc titulo de hæreticis constitutio, ac nominatim de* Eunomianis, *Anno Domini* 394.

XXIII. * Idem AAA. Rufino PF. P."

EVNOMIANIS, ne caperent aliquid, vel relinquerent testamento, Legem dudum" credidimus promulgandam: Quam quidem nunc consilio pleniore" reuocamus: Viuant iure communi, scribant pariter ac scribantur hæredes. Dat. xv." Kal. Iul. Hadrianop. Arcad. III. & Honor. II. AA. COSS. [394]

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* Eandem omisit Baronius Annalium Ecclesiasticorum *Ann.* 394. Eam indicat Arcadius filius Theodosij *l. 25. 27.* quam priore infirmat: posteriore rursum confirmat.

"*Rufino* PF. Orientis scilicet: qui in Tatiani locum suffectus suo ipsius consulatu: id est, *Anno* 392. ante biennium, mense Iulio vel Augusto: vide Zosimum *lib. 4. p* 774. Ambrosium *epist.* 53. & consularia Theodosiana. Eidem inscribuntur quatuor insuper leges: hoc *tit.* putà *lex* 24. 25. 26 & sexta, *lex* 13. *infr. de Paganis*. De eo eiúsque in hæreticos & Eunomianos odio: vide quæ dico semel ad *l. 25. infr.*

† Intelligit *l. 17. supr.* datam ad Tatianum Præfectum Prætorio huius Rufini decessorem.

"*Dudum*, id est, ante quinquennium, Anno 389.

"Cur pleniore? An *pensiore*! Nil muto.

"*XII.* in editione octauaria Tillij.

COMMENTARIVS.

EVNOMIANIS adempta à Theodosio M. ante quinquennium Anno 389. *l. 17. supr.* (quæ hac lege indicatur, quæque Tatiano Præfecto Prætorio Orientis inscribitur, Rufini cui hæc inscribitur, in eâ præfecturâ decessori) testamenti factio, seu testabilitas, ab eodem Theodosio Anno D. 394 aduersus Eugenium & Arbogastem moturo, *pleniore* (vt ipse profitetur) nunc consilio, restituitur.

¶ Variauit scilicet hâc parte Theodosius M. pariter vt Arcadius filius eius, quod ostendet *l. 25. 27. 16.* modò *hâc lege* abrogatâ, vt *l. 25.* modò nominatim restituta vt *l. 27.* His enim duabus legibus huiusce paternæ mentionem facit. Porrò & *l. 49. infr.* Theodosium variasse, provt Præfecti quoque Prætorio hanc in partem animati erant, ita provt tempora erant, non inani coniecturâ ducor. Nam vt maximè mutati consilij rationem hic Theodosius non satis apertè indicet, cùm ait, *nunc consilio pleniore reuocamus*, attamen mutati consilij rationem etiam à Tatiano & Rufino his rationibus conijcio. Primùm inscriptionum diuersitate, innctis illis, quæ modo ponderabam, verbis, nempe, *lex* 17. inscribitur Tatiano Præfecto Prætorio, hæc verò, quâ illa abrogatur, Rufino, eius in Præfectura successori: cuius consilium nunc saltem melius, plenius Tatianeo visum. Secundò, ingens Tatiani in hæreticos odium, cæteroquin ostendunt etiam *lex 2. supr. de his qui relig. contendunt*, *l. 16.* (si modo eius inscriptio emendetur) *l. 19. & 21. supr. hoc tit.* Tertium argumentum quod vt cætera Tatiani acta, à Theodosio rescissa

rescissa fuère *l.* 12. 13. *supr. de bonis proscript. l.* 23. *supr. de annonâ & tribut. l.* 131. *supr. de Decurionib.* ita & quæ consilio eius constituta, haud pauca reuocata verisimillimum est, in quîs pœna in Eunomianos statuta. Quartum argumentum: vt Zosimus & Ambrosius *epist.* 53. & Claudianus, *l.* in Rufinum testantur, Rufino auctore Tatianum cecidisse seo temporali offensione, (vt loquitur *l.* 9. *supr. de indulg. criminum*:) deterrimi iudicis inimici; ita eius acta eo auctore rescissa suadet *d. l.* 12. *de bonis proscriptor. d. l.* 23. *supr. de annon.* Quintò, neque temporis circumstantias omitti cupio. Nempe Theodosius *l.* 17. *supr.* edidit, absens confecto bello aduersus Maximum in Italia constitutus, quasi hac seueritate Eunomianorum audaciam compesciturus: at enim nunc, abfuturos scilicet bello aduersus Eugenium, consilio pleniore contrarium ei visum & tutius. Tandem sicut Rufini consilio *l.* 17. hâc abrogatur à Theodosio, ita vice versâ hæc Rufini consilio lata, rursum ab Arcadio abrogata eiusdem Rufini consilio *l.* 25. *infrà.*

¶ His omnibus adde, quæ Sozomenus *l.* 7. *cap.* 12. *extremo*, de Theodosij in hæreticos constitutionibus ait, graues quidem ab eo pœnas propositas, non vt eas exequèretur, verùm ad metum tantùm, vt ita eos ad fidem Catholicam traduceret.

XXIV. * Idem" AAA. Rufino PF. P."



HÆRETICORVM dementia, nec" vlterius * conetur perpetrare" quæ reppererit, nec iolicita habere concilia: Nusquam profana" præcepta, vel docere, vel discere: Ne" Antistites eorundem audeant fidem insinuare, quam non habent," & Ministros creare, quod non sunt. Nec per conhibentiam" Iudicantum," omniúmque, quibus per Constitutiones Paternas † super hoc cura mandata est, eiusmodi audacia neglegatur, & crescat." Dat. VII. Id. Iul. Constantinop. Arcadio III. & Honorio II. AA. COSS. [394]

NOTÆ.

* *Legis* 2. *Cod. Iust. de hæreticis*, versiculus *nemo vlterius* ex hâc lege desumptus & interpolatus est, eique legi, quæ alioquin desumpta est ex *l.* 5. 28. *hoc tit.* intextus. Denique ea *lex* 2. ex tribus, quas dixi, legibus conflata est. Inseruit autem & hanc totidem verbis Annalibus suis Ecclesiasticis Baronius *Anno D.* 394. *num* 4.

" nempe Theodosius, Arcadius, Honorius.

" *Rufinus* PP. Orientis scilicet sub Theodosio Magno & Arcadio: vid. *Prosopogr.* & quæ de hoc dico sub finem *legis prox.* 25.

" *ne vlterius.*

* *Nemo vlterius conetur, quæ repererit profana præcepta vel docere vel discere.* Ita hunc locum interpolauit Tribonianus *d. l.* 2. *de hæreticis.* De quâ sententia dixi ad *l.* 8. *supr. de maleficis.*

" an *perreptare* totidem literis? vt ita videantur hæretici prohiberi concilia perreptare, quæ reppererint, discendi causa: & habere concilia, docendi ergo; doctores scilicet, *concilia habere*: discipuli, *concilia reperta perreptare.*

" *Profana* præcepta hæreticorum.

" *Nec* Cod. Iustin.

" Nemo dat quod non habet.

" *Nec* Cod. Iustin.

" Nemo alium facere potest, quod ipse non est.

" pro, *conniuentiam*: & ita Cod. Iust.

" *Iudicantium* Cod. Iust.

† Obserua constitutiones anteriores Theodosij Magni.

" Negligentia Iudicum crescit audacia reorum.

COMMENTARIVS.

ARCADII Imp. in hæreticos duodecim constitutiones sequuntur: putà, hæc lex, & *lex* 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 36. Hâc lege hæretici COETVS agere, frequentare, docere, discere, fidem insinuare, Ministros creare, A. D. 394. per Præfecturam Orientis ab *Arcadio* prohibentur: damnatâ Iudicum & cæterorum negligentiâ quibus hæc cura à Theodosio Magno demandata fuerat: *Per constitutiones paternas*, ait lex: vnde apparet, Arcadium huius legis auctorem esse; quem & Zosimus, *lib.* 4. *p.* 778. & Socrates, *lib.* 5. *cap.* 24. & Sozomenus, *lib.* 7. *cap.* 24. à patre Theodosio aduersus Eugenium & Arbogastem moturo, hoc anno Constantinopoli Imperatorem relictum testantur. Falsum autem est, quod Sozomenus & Socrates addunt, etiam Honorium Constantinopoli à patre relictum: reclamant enim & Zosimus & Marcellinus, qui Honorium nominatim aiunt à patre abductum & adscitum; reclamant & cæteri, qui paulò post Theodosium obiisse aiunt Mediolani filio Honorio præsente. Quare superest, si author huius legis quæritur, eam vni Arcadio tribuendam, non Arcadio & Honorio. Quanquam idem Socrates & Rufinus Arcadium à Theodosio finem vitæ suæ impendere prospiciente Constantinopoli Mediolanum accitum scribit.

¶ Causa autem recentandæ huius aduersus hæreticos legis non videtur iussus Parentis Theodosij M. quem expeditio militaris suscepta coegerat, rem paucioribus agere *l.* 32. *supr.* verùm, conniuentia Iudicum, & aliorum: quam Arcadius Constantinopoli relictus, cùm post tot paternas Theodosij constitutiones, ipse Imperij habenis susceptis, deprehendisset, ne vlterius cresceret, prouidendum ipse putauit, quod *hâc leg.* apertè indicatur. Et quidem ex consilio proculdubio Rufini PP. cui hæc lex inscribitur, quem à Theodosio, filio Arcadio iuueni adhuc rerum agendarum imperito adiutorem, atque omnia ex vsu administraturum datum, disertè prodit Zosimus *lib.* 4. *p.* 777. *in fin.* Verba hæc sunt de Theodosio: ἐπιχώρει σὺν τῷ στρατῷ, τὰ κατὰ τὴν πόλεμον διδοὺς, ἀπολιπὼν Ἀρκάδιον τὸν υἱὸν, ἤδη καὶ τοῦτον βασιλέα προκεχειρισμένον: ἐπεὶ δὲ νέος ἄν ἦν, τὸ λοιπὸν εἰς φρόνησιν αὐτῷ διὰ τὴν νεότητα ἐνδέοντα, ἀπέλιπεν αὐτῷ Ῥουφῖνον, ἅμα τι τῆς αὐλῆς

ὑπαρχεν ὄντα, ἢ εἰς πᾶν ὅπερ ἔπραττε τῆς ἑαυτοῦ κυρίευοντα γνώμης, προςάξοντά τι ὅσα βούλοιτο ἀπὸ τῆς ὑπεροχῆς ἐξουσίᾳ.

¶ Additur porrò hac lege, *Omniúmque quibus per constitutiones Paternas super hoc cura mandata est*, id est, Officialium & Principalium & similium, quod docet ipsamet Theodosij M. constitutio, putà *lex* 12. *supr.* docebit eiusdem Arcadij constitutio anno proximo data, ad eundem Rufinum *l.* 13. *infr. de Paganis.*

¶ Cæterùm vnica hæc mihi lex occurrit, quam Arcadius viuo patre promulgauerit.

XXV. * Idem" AAA. Rufino PF. P."

OMNES pœnas, cuncta supplicia, quæ sanctionibus † Diuæ recordationis Genitoris Nostri aduersus hæreticorum sunt pertinaces" spiritus constituta, nostro etiam decreto reparantes," decernimus: Quidquid etiam his est, contra meritum delinquentum, spes" correctionis, speciali quâdam sanctione, concessum, id irritum esse. ¶ *Eunomianorum* verò perfidam" mentem, & nequissimam sectam, speciali commemoratione damnamus, statuimúsque, omnia, quæ contra illorum væsaniam" decreta sunt, inlibata custodiri. Illud addentes," ne quis memoratæ sectæ militandi, aut testandi, vel ex testamento sumendi habeat facultatem: *Vt sit iam omnibus commune damnum, quibus etiam communis est religionis furor:* cessante videlicet, si quid à Patre Nostro quibusdam" fuerat super testandi iure, beneficio speciali, concessum. Dat. III. Id. Mart. CP. Olybrio & Probino COSS. [395]

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* Neque *hanc legem* omisit Baronius *Anno* 395. sub Arcadio & Honorio *num* 8. Hanc legem suam & sequentem indicat & confirmat Arcadius *l.* 13. *infr. de Paganis.* Eam quoad Eunomianos recantat idem *l.* 27. *infr.* Eandem quo ad Eunomianos laudare videtur & confirmare Theodosius Iunior Filius eius *l.* 49 *infr.*

"Tribuenda hæc lex, & multo magis adhuc quatuor sequentes *ARCADIO & Honorio*: utpote mortuo iam ante bimestre fermè Theodosio M. vide *Consularia Theodos.* Sed quid aliunde probationes conquirimus? Apertè *hac leg.* Theodosium mortuum his verbis ostendi, *Diuæ recordationis Genitoris nostri.*

"*Rufinus* PP. Orientis scilicet sub Arcadio Imp. de eo dicam mox.

"*Pertinaces* spiritus hæreticorum: vide quæ dicam ad *l.* 28. *infr.*

" *Reparantes*, id est, iterantes.

" *χ. Spes correctionis.*

"*Perfidia* Eunomianorum: *hac leg.* & *l.* 6. *supr.* similia elogia: vide in *Parattlo huius tituli.*

"*Væsania* Eunomianorum *hac leg.* furor *infr. d. l.* 31. & 32.

COMMENTARIVS.

ARCADII post mortem Patris Theodosij vndecim in hæreticos fermè constitutiones sequuntur, intra primi lustri seu quinquennij spatium promulgatæ: quibus addenda & *l.* 13. *infr. de Paganis*. Deinceps enim duobus fermè integris Imperij lustris, nullæ amplius Arcadij in hæreticos constitutiones occurrunt. Hæc sanè omnium prima primis etiam Imperij post patris mortem mensibus ab eo lata fuit, & proximo deinceps sequentes interuallo. Vnde enixum Arcadij studium elucet, in hæreticis profligandis & Catholica fide erigenda. Quare neque abludit Sozomeni locus, *lib.* 8. *cap.* 1. vbi ait, Theodosio mortuo, filios eius, Arcadium & Honorium, patris exemplo (quod sanè ostendit etiam Arcadius cum toties Genitoris seu Patris sui constitutiones sibi pro exemplo proponit *hac leg.* & *l.* 25. 26. 27. 29. *hoc tit.* & *l.* 13. *infr. de Paganis*:) τὰ ἀδελφά τοῦ πατρὸς βασιλεύειν ὑπὲρ τῆς Ἐκκλησίας σπουδαιότερον βίβλια ἐσύλαξαν ἢ δωρεαῖς ἰδίαις ἐφιλοτίμουν: Quanquam ad Ecclesiarum priuilegia potius respicere Sozomeni locus videatur & sie ad *l.* 29. *supr. de Episcopis, Ecclesiis, & Clericis*, & similes subiicit idem Sozomenus, tum factum, vt hæretici Imperatoris etiam exemplo certatim ad Ecclesiam Catholicam accederent, ac nominatim Arianos & Eunomianos, quod inter se dissentirent, imminutos atque eâ causâ ex his multos in meliùs mutatos: Macedonianos verò Constantinopoli infractos, ex quo Episcopos habere iam diu desiêre. Nouatianos etsi à Sabbatio turbatos, maiorem partem tamen conquieuisse moderatis Epp. Hæc Sozomenus. Quicquid huius sit, sanè sequentes Arcadij constitutiones satis ostendunt, quàm contumaces & pertinaces sese hæretici, tum quoque præbuerint, quos toi & toties repetitis constitutionibus reprimere necesse habuerit. Et inter hos speciatim Eunomiani. De huius legis sententia videamus.

POENAS igitur omnes in hæreticos (ac nominatim in Eunomianos) à Theodosio Patre suo sancitas hoc Imperij sui, post mortem patris, Anno D. 395. initio, Arcadius confirmatum it. Reuocatis etiam specialibus beneficiis quæ nonnullis idem Theodosius aduersus ius commune concesserat: Nempe, quod eleganter *hac leg.* ait: *Vt sit iam omnibus commune damnum, quibus etiam communis est religionis furor.* Et Theodosius Iun. Arcadij F. in eadem re de Eunomianis *l.* 58. *infr. hoc tit. Vt pares cæteris sint, quibus pares sunt in dogmatis prauitate.* Hinc igitur ad Ecclesiasticam temporum Theodosianorum historiam discere iam licet, Theodosium M. etsi feueris hæreticos subinde constitutionibus coërcuerit, specialia tamen multa beneficia aduersus eas aliquando nonnullis concessisse, quod & suadent *l.* 14. 16 *supr.* Atqui alias ipsemet Theodosius ante sesquiannum dicebat, (& fortè eadem occasione) *l.* 4 *supr de constit. Princip.* (vbi vide quæ dixi) *Generale præceptum beneficio speciali anteferendum esse.* Idem huiusmodi beneficia specialia hæreticis tributa nominatim valere vetuit *l.* 6. 14. 16 *supr.* Quare Theodosium hac parte variasse constat: prout scilicet hæretici (quod hæc lex nominatim ostendit) *spem correctionis* facerent,

facerent, vel pertinaces spiritus gererent.

¶ Atque vt hæc in commune, ita EVNOMIANOS speciatim *hâc leg.* Arcadius persequitur & exagitat, de quibus erunt deinceps eiusdem Arcadij quinque leges, putà *lex* 27.31.32.34.36. omnes intra quadriennium datæ, ad quas vide & quæ dicam. Hâc certè lege sancitas in eos pœnas confirmat, specialibus beneficiis, nonnullis eorum à Theodosio Patre concessis, reuocatis (de quo postremo iam dicere anteuerti.) Speciales scilicet in eos odij causas habere se Arcadius multis ostendit. Primò, dum speciali commemoratione eos damnare se ait. Secundò, dum eorum perfidam mentem & nequissimam sectam & furorem vocat: quibus similia Eunomianorum elogia continentur & Theodosiana constitutione *l.6. supr.* & eiusdem Arcadij *d.l.*31.32.34.36. *in fin. infr.* Quomodo & Synesius sub Arcadio hoc ipso *epist.5*, ἀσθενῆ τῶν αἱρέσεων Εὐνομίου vocat: vbi etiam ait eos potentiam suam in comitatu Principis iactasse. Sanè Arianis passim iunguntur *l.6.* 8. 11. 12. 13. *supr.* *l.*50.60. *infr.* Imò etiam seuerior pœna his quam Arianis ab Arcadij F. Theodosio Iun. imponitur *l.65.infr.* Et verò Epiphanij quoque iudicium est, *Anomæos* (qui iidem cum Eunomianis sunt) Arianam hæresim vberiore quadam, ac magis execranda dogmatum impietate superasse.

¶ Tertiò militandi, testandi, vel ea testamento capiendi eis facultatem quoque adimit. *Militandi*, inquam, quod à Theodosio M. quoque hæreticis omnibus interdictum fuisse docet *lex 29. infr.* & nominatim quoque Eunomianis, vt ostendi ad *l.17. supr.* Quod & ipsum *hâc leg.* addit: Arcadius: *Illud addentes*, inquit, non quasi non aliquando id ita constitutum fuerit, verùm, quia desitum aliquando. Testandi, item, & ea testamento capiendi facultatem Eunomianis Arcadius *hâc leg.* adimit. Quam Arcadij Patris sui constitutionem Theodosius Iun. laudare & confirmare mihi videtur *l.49. infr.* quam pater Theodosius Magnus eis vltimum anno superiore reddiderat, *l.23. supr.* Verùm idem Arcadius paulò post hoc ipso anno hanc legem [illegible] reuocauit, & *dict. l.13.* confirmauit *l.27. infr.* reddita testamenti factione Eunomianis, pariter, vt *l.36.infr.* De militandi iure hæreticis adempto dixi ad *l.17. supr.* & dicam adhuc ad *l.29 infr. de Paganis.*

¶ Quartò, & specialia beneficia Eunomianorum nonnullis à Theodosio patre tributa super testandi iure reuocat: de quo initio legis iam dixi.

¶ Illud tandem semel obseruari cupio, tres Arcadij in hæreticos Eunomianos nominatim leges hoc titulo, & quartam insuper *legem* 13. *infr. de Paganis*, ad *Rufinum* PP. datas occurrere, procul dubio ipsiusmet *Rufini*, (penes quem summa rerum in Oriente erat sub Arcadio) instinctu & consilio: cùm Theodosio adhuc superstite Eunomianis testamenti libertas facta fuisset *l.23. supr.* data ad eundem Rufinum PP. Eadémque Eunomianis redditur Rufino sublato, *l.27.infr.* Quare Philostorgij Eunomiani odium in Rufinum intermicare videas libro eius *vndecimo histor. Eccl. cap.3.* vt ad eum iam ostendi. Ex quibus interim apparet quàm in varia tractu fuerit Arcadij animus [illegible] Præfectorum Prætorio, vel quibus obnoxius erat, studio.

XXVI. * Idem" AAA. Rufino" PF. P.

NE quis hæreticorum, quos iam leges innumeræ Diui Genitoris Nostri continent, audeat cœtus inlicitos congregare, profanáque mente Omnipotentis Dei contaminare mysterium: nec publicè, nec priuatim: nec in secreto, nec palàm. Nemo audeat *Episcopi* sibi nomen adsciscere, vel Ecclesiasticum ordinem, eorúmque sanctissima nomina pollutis mentibus vsurpare. Dat. IV. Kalend. April. Constantinop. Olybrio & Probino COSS. [395.]

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod Iust.* Eam inseruit Baronius *Anno* 395. *num.*9.
"Iam ad legem superiorem ostensum, huic quoque legi nonnisi Arcadij & Honorij nomina inscribenda.
"*Rufinus* PF. Orientis sub Arcadio: de eo vide quæ dixi ad *l. superiorem* 25.

COMMENTARIVS.

COETVS hæreticorum omnium, vbique, quicunque hac Arcadij constitutione, tot Patris Theodosij legum exemplo prohibentur, iidémque Episcoporum vel alterius Ecclesiastici ordinis nomen vsurpare sibi vetantur.

¶ Nempe (vt mihi quidem videtur) vaga & indefinita nimis visa lex superior, quâ pœnæ & supplicia in hæreticos à Theodosio Magno statuta confirmabantur. Itaque *hâc leg.* ne quis hæreticorum sibi blandiretur, ad hanc specialiorem constitutionem Arcadius descendit. Proinde constituit: Quoscunque tandem cœtus hæreticorum pœnis obnoxios esse; quæcunque item nomina Sacerdotij iisdem interdici. Nil interesse, publicè, priuatim: secretò, an palam coirent: ea æquo hæc interdici, & pœnis propositis subiacere. Nil interesse, Episcopi nomen vel alterius Ecclesiastici ordinis adsumerent. Quibus postremis verbis fortè *Macedoniani* perstringuntur: quos Sozomenus auctor est *lib* 8.c. 1. (in horum ipsorum temporum historia) Episcopum Constantinopoli non habuisse: verùm exinde à Constantij temporibus, quibus ab Eudoxio Ecclesiis priuati fuerunt, sub Presbyteris tantùm egisse, ὑπὸ μόνοις πρεσβυτέροις μέχρι τῆς ἡγεμονίας Ἀρκαδίου διάγειν. Sanè de Macedonianorum Sacerdotibus fuit etiam supr. *l.*12.13.

¶ Cæterùm hanc legem suam propriè indicare mihi omninò videtur Arcadius, post quatuor menses *l.*13. *infr. de Paganis.* *Igitur vniuersi, qui à Catholicæ religionis dogmate deuiare contendunt, ea quæ NVPER decreui proponant custodire, & quæ olim constituta sunt, vel de hæreticis vel de paganis non audeant præterire*, &c. vbi mox pluribus de cœtibus hæreticorum prohibitis. Quæ sanè lex à Theodosiani Codicis conditoribus huic subiici iure potuit, æquè ac in titulum *de Paganis* referri.

¶ EVNO

¶ EVNOMIANIS *testamenti factio redditur ab Arcadio.*

XXVII. * Idem" AAA. Cæsario" PF. P.

CONFICIENDORVM testamentorum dari *Eunomianis* præcipimus potestatem, & concedi id, quod Diui Genitoris Nostri data nuper" præceptio continebat. Dat. VIII. Kalend. Iul." Constp. Olybrio & Probino COSS. [395]

NOTÆ.

* Abest & *hac lex* à *Cod. Iust.* eandémque omisit Baronius in annum suum referre.

"Iam ad *legem* 25. ostensum est, huic legi *Arcady* tantùm *&* *Honory* nomina inscribenda esse.

"*Cæsarius* PP. sub Arcadio Orientis scilicet post Rufinum: vide *legem unic. supr. de grege dominico*, &c. Eidem inscribuntur duæ aliæ in Eunomianos leges, putà *lex* 31. 32.

"anno superiore 394. *l.* 25. *supr.*

"Vel huius legis subscriptio emendanda, & sic subscribendus dies *VIII. Kal. Ian.* Rufinus enim adhuc mense Octobri huius anni (vt docet *l.* 8. *supr. de pactu*) Præfectus Prætorio Orientis erat, ad V. vsque Kal. Decembr. (quo die trucidatus: de quo vide *Consular. Theodos.*) eique Cæsarius suffectus, vt prodit quoque Philostorgius *lib.* 11. *tit.* 5. vel sanè emendanda inscriptio & reponendum *Rufino PF. P.* Prius magis probem.

COMMENTARIVS.

EVNOMIANIS, de quibus sunt eiusdem Arcadij quinque adhuc constitutiones, hoc titulo ademptam à se paulò ante hoc ipso Anno 395. testandi facultatem, constitutione ad Rufinum PP. data *l.* 25. *supr.* Arcadius hâc constitutione ad Cæsarium PP. Rufini successorem emissâ, reddit: confirmata in hoc Patris sui Theodosij constitutione, quæ anno superiore 394. lata fuerat, putà *l.* 23. *supr.* Eadémque eidem Arcadij nomina stetit *l.* 36 *infr.* Alia tandem Theodosio Iun. huius Arcadij F. & quidem iuxta Arcadij constitutionem *l.* 49. *infr.*

¶ Nempe prout Magistratus, Præfecti inquam Prætorio, quibus Arcadius obnoxius erat, ita & in Eunomianos seuerior vel mitior fuit: sub Rufino seuerior, de quo ad *l.* 25. *supr.* Item, prout Eunomiani spem correctionis facerent (quod ipse Arcadius *d. l.* 25. profitetur) modo seueriùs, modò leuiùs habiti, vt à Theodosio, ita ab ipsomet Arcadio, huius legis auctore.

¶ Atenim mox sequentibus huius Anni 395. mensibus in hæreticos & alicubi nominatim Eunomianos Arcadium acerbius insurrexisse docet *lex* 13. *infr. de Paganis*, & *lex prox.* 28. *hoc tit.* & *lex* 29. vt & integro triennio post, Anno Domini 396. 397. 398. *lex* 30. 31. 32. 33. 34. At nunc mitius iis consuluit *hâc leg.* quam notandum est datam ad Cæsarium PP. De quo obseruandum etiam quod Philostorgius scribit *lib.* 11. *cap.* 5. Eutropij mandato, Eunomij corpus per Cæsarium PP. transferri iussum à Dacora Tyanam, quò ibi à Monachis seruaretur, cum Eunomiani id Constantinopolim translatum vellent, vbi etiam Aëtios Eunomij Magister mortuus sepultúsque fuerat. De quo vide quæ iam notaui ad illum Philostorgij locum. Eidem verò Cæsario PP. duæ prætereà aliæ Arcadianæ aduersos Eunomianos constitutiones inscriptæ occurrunt, putà *lex* 31. *&* 32. *infr.* quo sanè tempore adhuc Eutropius auctoritate potiebatur apud Arcadium Imp.

¶ HÆRETICORVM, *seu hæreseos*, definitio: *ex quâ efficitur* EVRESIVM *quoque quemdam hæreticorum numero habendum.*

XXVIII. * Idem" AAA. Aureliano" Proc. Asiæ.

HÆRETICORVM vocabulo continentur, & latis aduersus eos Sanctionibus debent succumbere, *Qui vel" leui argumento à iudicio Catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deuiare:* Ideóque Experientia" tua *Euresium"* hæreticum, nec in numero Sanctissimorum Antistitum" habendum esse cognoscat. Dat. III. Non. Sept. Constantinop. Olybrio & Probino COSS. [395.]

NOTÆ.

* Legi omnes, 2. §. 1. *Cod. de Hæreticis*, (quæ lex alioquin ex *l.* 5. *&* 24. *hoc tit.* conflata est) insarta est prima *huius leg.* sententia: sic quidem vt subscriptio ibi ea tantùm addita sit, quæ continetur in *d. l.* 5. Inseruit eam quoque rectè Baronius Annalibus suis ad *A. D.* 395. *num.* 10. nullâ tamen, quod historiæ ratio requirebat, interpretatione additâ.

"ARCADII & *Honorij* tantùm nomina non verò trium *AAA. huic legi* inscribenda esse iam ostendimus ad *l.* 25. *supr.*

"*Aurelianus* hic Proconsul Asiæ fuisse videtur filius Aureliani PP. de quo vid. *Prosopogr.*

"*vel*, id est saltem, tantùm: vt passim alibi, ita & *l.* 9. *supr.* ibi, *vel in mediocri vestigio*, &c. quam iterum mox plura.

* Sequentia, velut temporaria, à Triboniano omissa sunt: quæ tamen ad prioris sententiæ, quam retinuit, intellectum plurimum faciunt, velut exemplum historicum continentia definitioni seu regulæ firmandæ, vel speciem, cui hæc definitio applicatur.

"*Experientiæ* titulus tributus Proconsulibus *hâc leg.* & *l.* 1. *Cod. de feriis*.

"de hoc *Euresio* mox. "sic & *l.* 24. *supr.*

COMMEN

COMMENTARIVS.

DEFINITIONEM hæreticorum, ac proinde & hæreseos proponit hàc constitutione suâ *Arcadius* Imp. Anno D. 395. vt inde mox efficiat, quæ altera *huius leg.* sententia est, quámque Tribonianus velut temporariam recidit, EVRESIVM quendam tum temporis Episcopum, hæreticorum quoque numero censendum, atque adeò iuxta sanctiones aduersus hæreticos antea latas in numero Episcoporum non habendum. Quæ quidem lex hodie inter celebrantissimas est in argumento *de hæreticis:* (quæ & Codici Iustinianeo inserta est *l.* 2. §. 2. *de hæreticis:*) & quæstionem capitalem continet. Et ea tamen à plerisque hactenus vel perperam intellecta fuit, vel in vsum malè deriuauit. Cuius ideò genuinam sententiam haberi publicè interest. Nos ipsam primùm *definitionem* illustrabimus: deinceps de sanctione seu *pœna huius legis* in hæreticos agemus; tandem & de *hypothesi*, seu occasione *huius legis* ferendæ, atque adeò *de Euresio* hæretico visuri.

¶ Initio laudandum Arcadij qui tum Constantinopoli erat institutum, qui vt cæteroquin professus initio *epist.* ad Flauianum apud Georgium Alexandrinum, *nullam aquè rem se habere sollicitum ac sanctarum Ecclesiarum curam, & fidei in Christo firmissimam basim, per quam saluamur:* ita & τῆς κανοδοξίας ἀντίμαχος, (quo elogio sexta Synodus Constantinum 4. Imp. ornat,) definitionem hanc concinnarit proposueritque. Et proculdubio non non sine Nectarij Episcopi Constantinopolitani sententiâ & consilio: de cuius authoritate apud Theodosium M. Arcadij patrem, dixi ad *l. celebrandis*. Cæterùm pro Catholicæ fidei exemplo proposuit. *l.* 3. *supr. de fide Cathol.* ad rem seu definitionem. Sic sanè Valentinianus Tertius quoque posteà Apostatarum definitionem proponendam credidit, *l. vltim. infr. de Apostatis: Ne huius criminis*, inquit, *interpretatio latius incerto vagetur errore*, &c. Ne quis alioquin indignam Principum curâ rem putet, in rebus maximi momenti rerum definitiones. Sæpè enim dum in incerto vagantur criminum interpretationes, luctuosè regna, résque publicæ tumultu, imò & Ecclesiæ colliduntur, atque innoxius sæpè sanguis effunditur: quod ne in veris quidem & agnitis hæreticis Arcadius *huius leg.* auctor vnquam sustinuit, vt vel ex *hâc ipsâ leg.* patet (de quo posteà.) Probum igitur Arcadij institutum: Sed siue dolendum, siue mirandum, Arcadianam definitionem tam veram, tam perspicuam, vt & pœnas *hâc leg.* comprehensas, vel à sæuioribus aliorsum trahi, vel à mitioribus improbari, qui eam latam vel laxam nimis queruntur, imò intolerabilem & Bruti Fulminis instar deridendam, nisi quid aliud addatur: quâ causâ etiam eius vice aliam substituunt vel comminiscuntur. Cùm tamen ea omnium absolutissima sit, pariter vt sanctio *eadem leg.* comprehensa mitissima est.

¶ Definitio Arcadij hæc est: *Hæreticorum, vocabulo contineri, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deuiare.* Tria in hac definitione expendenda veniunt. 1. Quid sit *Iudicium & trames Catholicæ religionis*. 2. Quid sit *deuiare* ab iis. 3. Quid sit *vel leui argumento* deuiare a iudicio & tramite illo.

Quid sit *iudicium & trames Catholicæ religionis*, quid Catholica religio, vt intra constitutiones me fermè nunc includam, nemo melius explicat Theodosio M. Arcadij huius nostri patre. Is quippe eodem in argumento versans, & hæreticos à Catholicis seu orthodoxis separaturus ante quindecennium in solemni constitutione suâ *cunctos populos supr. de fide Catholica*, Christianos Catholicos definit eos, *qui secundum Apostolicam disciplinam Euangelicámque doctrinam credunt:* οἱ εὐαγγελίζοντες τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ πίστει τοῖς ἁγίοις. Nemo melius Gratiano Imp. ex Constantini, Constantij & Valentiniani patris mente *l.* 2. *infr. ne sanctum baptisma. Nihil enim aliud præcipi volumus, quam quod Euangeliorum & Apostolorum fides & traditio incorrupta seruauit.* De Constantini mente: vide & Socratem *lib.* 1. *cap.* 7. Ita Imperatores ante Arcadium, iudicium Catholicæ religionis & tramitem interpretantur. Quanquam & nouis hæresibus exorientibus vel inualescentibus, Ecclesia proinde turbata, insigniorum insuper Episcoporum exempla, quæ ad eum tramitem ducerent, à Principibus insuper proponi solitum, quos liqueret *sanctissimos*, vt hæc lex in fine loquitur, ab hæresi immunes, rectâque fidem, Apostolicámque disciplinam & Euangelicam doctrinam *vsque tum* sequi & tueri, vt liquet ex *d. l. cunctos populos*, quam & Sozomenus memorat, *lib.* 7. *histor. Eccles. cap.* 4. ad quam nos plura iam in hanc sententiam cumulauimus. Liquet etiam ex Theodosij Iun. qui Arcadij huius filius fuit *l. vltim. supr. de his qui religione contendunt:* & ex Martiani *l.* 8. *Cod. de hæreticis*. Eodémque pertinent testimonia, ἐνδόξων καὶ ἐξηγητῶν veterum Doctorum Patrúmque, qui ante diuisionem extitère, πρὸ τῆς διαιρέσεως: quam in rem vide quæ ante duodecim fermè annos sub Theodosio M. occurrunt apud Sozomenum, *lib.* 7 *c.* 12 & Socratem, *lib* 5. c. 10. Eodémque pertinet & legitimorum Conciliorum auctoritas ex Iustiniani *Nouella* 115. §. *si quis*. Hoc igitur iudicium est Catholicæ religionis, hic trames.

Contra igitur, quod secundum in definitione Arcadiana, *hæretici* sunt, qui deuiant ab illo Catholicæ religionis iudicio & tramite, id est, qui peculiarem sibi in rebus fidei viam muniunt, & alienam à iudicio Catholicæ religionis & tramite sententiam proponunt, nouóque ipsi tramite insistunt pertinaciter: errorémque suum tuentur, neque veritatem quærere, neque corrigi parati cùm inuenerint, vt loquitur Augustinus. Denique hæresis est humana præsumptio, vt vocatur à Tertulliano *de ieiunio cap.* 11. quæ inducitur ἀπὸ ἰδίας γνώμης, vt loquitur Epiphanius: de suo tantùm arbitrio, vt idem Tertullianus *de præscript. adu. hæreticos, cap.* 6. & 37. aduersus ea quæ dixi, *Deuiare hac leg.* dixit (quomodo idem Arcadius hoc ipso anno *l.* 13. *infr. de Paganis*, dixit, vniuersi qui à Catholicæ religionis dogmate deuiare contendunt) est in alia omnia ferri, à regula regiáque via excidere & exorbitare, errorem suum tueri *pernicaci animositate*, vt ad vocem deuiare Glossa addit: vnde & hæresis obstinationis animi dementia dicitur *l.* 6. *supr. hoc tit.* & pertinaces spiritus hæreticis tribuuntur *l.* 25. *supr.* Quare vel hoc ipso satis de impœnitentibus hæreticis hanc definitionem accipiendam liquet, neque id extrinsecus supplendum, quod quidam opinantur, & nisi suppleatur, vitiosam hanc definitionem putant. Potissima controuersia est de illo, quid sit *vel leui argumento à iudicio, &c. detegi deuiare*. Nos veram sententiam proponamus, sic deinde nullo negotio hæsitationes & interpretationes aliorum sponte sua concident. Primò igitur *argumentum* hic non

eſt leuis ſuſpicio, præſumptio, quæ ex coniecturis oritur, non εἰκὸς, non indicium nudum, huic enim interpretationi renititur rei ipſius qua de hic agitur, grauitas, hæreſeos crimen inquam: in quo huiuſmodi leuibus argumentis locus non eſt, vt ad pœnam properetur: Imò non eſt hic argumentum, ἀπόδειξις, ſeu certa probatio, ratióque rei dubiæ fidem faciens; huic enim interpretationi renituntur illa, *vel leui*. Quid igitur? *argumentum* eſt, quodcunque tandem thema, propoſitio, titulus, articulus fidei. Sic argumenta, cùm de libris, fabulis, oratione, ſcriptis agitur, eſt thema quo materia propoſita & ſubiectum arguitur: de quo vel Quintilianus *lib. 5. cap. 10.* haud procul ab initio. Imo argumentum eadem latinitate, pro quacunque ratione & machina. Denique argumentum hoc eſt, vt loquuntur qui de hæreſi ſcribunt, *propoſitio* cuius quis arguitur. Quare rectè omninò Accurſius, quem ſecutus Albericus, qui hunc locum totum ita interpretatur, *id eſt leui articulo, qui manifeſtè debet ſciri, quia pertinaciter illud adſerit*: & ſic hic accipit *de delicto in leui R E commiſſo*, ſeu *de leui D E L I C T O*. Ac proinde illa *vel leui argumento* iungenda ſunt, non cum voce *detecti*, verùm cum voce *deuiare*. Vnde iam manifeſtum, *leui argumento deuiare* à iudicio Catholicæ religionis & tramite, idem valere, atque deuiare vel in leuiſſimo articulo & propoſitione fidei, & hæreticam propoſitionem tueri, quantumcunque ea leuis videatur. Denique verba illa *vel leui* pertinent non ad leuitatem probationis, ſed ad apparentem rei & propoſitionis leuitatem: Nempe quamlibet leuis exertatio ſit, in rebus fidei, hæreſis eſt. Sic ſanè & *l. 12. infr. de Paganis, ſacrif. & templ.* definitur, ſi vanæ imagines *humiliore licet* muneris præmio honorentur, plenam tamen religionis iniuriam id continere. Sic & *l. 3. infr. de inoffic. teſtam.* per turpitudinem aut aliquam leuem notam capere quis non poſſe dicitur: ſic & ſimili quoque formula *vel leuis offenſa* in crimen vocatur. Ita ſcilicet definitur *l. 1. ſupr. de libertis*; libertos ſi leuis offenſæ contraxerint culpam, à patronis rurſum ſub imperia ditionémque mittendos *l. præcipua vtroque Codice de primicerio & Notariis*, Officiales Iudicum V E L L E V I S culpæ offenſione detectâ, grauis multæ diſcrimine fatigandos ſtatuitur. Ita quod huic proximum *l. 9. ſupr. hoc tit.* dicitur V E L I N M E D I O C R I V E S T I G I O huius *facinoris inuentos*. Vbi de Encratitis, Saccoforis, Hydroparaſtatis: Quibus omnibus locis dicitur *vel leue*, de re exigua, in ſuo tamen genere.

Quare ſæua & feralis eſt eorum interpretatio, qui hâc definitione, ſeu his verbis id definiri putant, eos velut hæreticos pœnis afficiendos, qui vel leui probatione hæreſeos ſuſpecti fiant: quam ſententiam eiecat tota Iuriſprudentia, quæ in criminalibus probationes luce meridiana clariores depoſtulat, *l. 1. ſupr.* (quæ eſt *lex 16. C.*) *de pœn. l. 3. ſupr. de abolit.* vnde deſumpta eſt *lex vltim. Cod. de probationib.* Quanto magis in hac re: vbi ex ſaniori Iuriſconſultorum doctrinâ, in quibus Albericus, propter ſuſpicionem, quamuis vehementem, nemo in hoc crimine damnatur, vt etiam *not. Ext. de præſumptionibus c. literas.* Neque ſanior quorundam interpretatio, qui hanc legem & definitionem pertinere cenſent ad initium tantùm inquiſitionis & cognitionis, non ad iudicium formandum & ad condemnationem; hoc ſenſu, hæreticos quoſcunque eſſe deferendos qui vel leui probatione, ſuſpicione vel præſumptione ſuſpecti redditi fuerint: apertiſſimè enim hâc lege definiuntur quinam hæretici verè ſint & dicantur, non verò quos velut hæreticos ſaltem deferri oporteat: deinde apertè agitur, de *detectis deuiare*, non de ſuſpectis deuiare. Neque quidquam contra mouent ratiunculæ. Quod ſi eo ſenſu *argumenti* vox accipienda eſſet, quo diximus, tum dictum oportuiſſet *in leui argumento*. Nam verba illa *leui argumento* cum voce *deuiare* iuncta nuſpiam requirunt vocem *in*. Sic enim *aliquâ re deuiare*, ab aliquâ re rectè omninò dicitur. Secundò, nihil duri ex interpretatione noſtra ſequitur: indubiè enim illi hæreticorum numero habendi ſunt, qui deuiant in Catholica religione, vel in quocunque fidei articulo. Tertiò, nulla hic confuſio hæreticorum & ſchiſmaticorum: agitur enim hîc de articulis fidei Catholicæ, à quâ qui recedit hæreticus eſt: ſchiſmaticus verò, qui coagulo pacis tantùm & charitatis ſoluto ab Eccleſia recedit. Quartò, perperam aiunt *leue* argumentum hic dici, quod *leuis* ſit omnia hæreticorũ ſenſus ad auctoritatem ſacræ Scripturæ comparatus, quantumuis plauſibilis & maximæ dignationis: *leue* enim hic dicitur grauiorum aliorum errorum & hæreſeon reſpectu. Quintus & hic error, quod vocem *vel* hîc otioſam & ſuperuacaneam putant: nam imò neceſſaria ea in hypotheſi *huius leg.* vt indicetur *vel*, id eſt, etiam, ſaltem, licet leuem in rebus fidei errorem, in hæreſin cadere. Sextò, conſtitutionis hic optima ratio. Tandem *detegendi* vox hîc clarè poſita eſt, vt alias paſſim, pro deprehendendi, conuincendi.

Sed liquidò tenemus quàm vera ſit hæreticorum definitio, quæ *hâc leg.* proponitur: quam multi velut acerbam aut odioſam nimia & intolerabilem defugiunt: alij verò in occaſionem ſæuitiæ arripiunt: eâ inſuper opinione, quòd atrocitate pœnæ notabilem credunt. Quod ſecus eſt, vt de eo nunc agamus. Igitur Arcadius *hâc leg.* non vltra ſanctiones ſuperiores progreditur, *Latis*, inquit, *aduerſus eos ſanctionibus debent ſubcumbere*: mox & in propoſitâ hypotheſi Eureſium hæreticum, *in numero ſanctiſſimorum Antiſtitum haberi* vetat. Ex quibus vel poſtremis ſatis apparet, non in ſanguinem itum aut vitam ſæuitum. Et certè ſuperiores ætate Principes hactenus ſtetêre, vt hæreticorum Doctores & *hæreſiarchas* docere prohiberent, vrbibus pellerent; Epiſcoporum nomina vſurpare, Sacerdotes Clericos inſtituere vetarent, certo librarũ aurearũ numero multarent *Hæreticorum* cœtus inhiberent ſub pœna proſcriptionis & exilij, locíque in quo cœtus agitati fuiſſent publicatione, Eccleſias eorum vetarent, vel etiam Catholicis addicerent: Quin & Hæretici omnes non vnâ eadémque auſteritate habiti pleríque: infamia his quandoque irrogata, Romani iuris communione vsúque interdicti, militate prohibiti, officiis & dignitatibus excluſi, inteſtabiles eſſe iuſſi, donationúmque iure priuati. Et in vniuerſum ab initio fermè ſatis habuêre Imperatores cœtus hæreticorum prohibere; neque vltra ſupplieiis affecti: paulatim tamen & in quorundam turpiſſimorum & præfractorum ſeditioſorúmque ſupplicia iure itum. Neque ſedibus tantùm ſuis, vrbibus & Prouinciis pelli iuſſi, deportari, plumbo contundi, bona eorum confiſcari: cœtus illicitos agitantibus ſupplicia indicta, & quandoque nominatim ſanguinis pœna *l. 51. 56. infr.* ſummóque ſupplicio affici iuſſi deteſtabiles, execrabiles hæretici, veluti Encratitæ, Saccofori, Hydroparaſtatæ *l. 9. ſupr. hoc tit.* quæ prima Theodoſij M. lex occurrit hoc Codice, de ſummo ſupplicio hæreticis nonnullis (etiam extra cœtus illicitos, de quo *d. lex 57. & 56*) irrogato: cui addenda & altera Honorij, putà *lex 35.* quâ vtraque

etiam

etiam his eruendis *Inquisitores* dari, delatoréſque exerit. Ergo Arcadius *hâc leg.* de ſolemnibus illis pœnis, non de ſanguinariis ſenſit: ſi *leui* tantùm argumento hæretici a iudicio Catholicæ religionis & tramite deuiarent. Et quidem circa Epiſcopos hæreticos, id voluit, vt eos Epiſcoporum numero haberi nollet: hæreticis ſcilicet hæc pœna indicta, vt Epiſcopos & Clericos faciendi, confirmandi poteſtatem non haberent: *l.12.14.21.l.22 ſupr.* (quæ & ipſa ad Proconſulem Aſiæ, pariter vt hæc lex data eſt.) atque adeò Epiſcoporum nomina ſibi vindicare vetarentur, quod iam antea quoque idem Arcadius ſanxerat *l.16. ſupr.* Denique depoſitio pœna ſolemnis fuit Epiſcopi hæretici, *l 3. §.4. Cod. de ſumm. Trinit. & fide Cathol. Nouell.42. cap.1.2.3.*

Supereſt nunc poſtremo loco de *huius leg.* hypotheſi videamus, & quiſnam *Eureſius* ille, quo de eâ agitur, fuerit: de quo eſt poſtrema *huius leg.* ſententia, quam Tribonianus velut temporariam, recidit. Et ea tamen probe cognita ſeu intellecta egregiè vtrumque illud quod iam demonſtrauimus eff.cimúſque adſtruit: nempe quod ſit illud vel *leui argumento* deuiare à iudicio Catholicæ religionis & tramite: deinde, quam minimè Arcadius de capitali pœna *hâc lege* ſenſerit. Igitur de Eureſio iſto quinque hâc vel ex *hâc leg.* diſcimus. Primò, fuiſſe eum ſub Arcadio Imp. & ſic inter Arcadianorum temporum hæreticos vel *συγχρόνους* eum in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ adſignandum. Secundò, fuiſſe eum *Antiſtitem*, id eſt, Epiſcopum. Tertiò, fuiſſe eum Epiſcopum in *diœceſi Aſia*, vt ex *huius leg.* inſcriptione liquet, quæ data eſt ad Proconſulem Aſiæ. Nempe Aſiæ diœceſis hoc tempore fermè vagina fuit & nutricula hæreticorum, vt non tantùm ex Epiphanio diſcimus, verùm ex duabus præterea legibus hoc Codice, quæ Proconſulibus pariter Aſiæ inſcribuntur, putà *l.3. ſupr dè fide Catholica, & l.22. ſupr hoc tit.* Quartò, ex *hâc leg.* diſcimus, Eureſium iſtum non inter atrociores hæreticos fuiſſe, verùm leui tantùm argumento à iudicio Catholicæ religionis & tramite deuiaſſe. Vnde etiam (quod quintum ex *hâc leg.* colligere licet) nonnullis tum viſum, eum inter hæreticos minimè referendum, vel ſaltem ſanctionibus aduerſus eos latis ſubiacere non oportere. Verùm contra Arcadius *hâc leg.* definit, & quidem propoſitâ ideò illâ quam modo diſcuſſimus hæreticorum definitione. Hæc quinque, inquam, de Eureſio hæretico ex hâc Arcadij conſtitutione diſcimus: at enim quis Eureſius iſte fuerit, quæve eius hæreſis extiterit, ne leui quidem argumento oſtendit. Baronius certè cùm *hanc leg.* in Annales Eccleſiaſticos referret, nil aliud egit quàm vt referret, imò & aſteriſco nomen *Eureſij* notauit, quaſi in eo error ſubeſſet. Vir quidam doctus Eureſium iſtum Origeniſtam fermè ſuſpicabatur, cuiuſmodi Euagrius hâc ipsâ tempeſtate memoratur, aliíque multi, de quibus idem Baronius Anno 395. vel 397. vel certè Nouatianum, aut Manichæum vel eius farinæ. Quæ hariolationes ſunt. Nos liquido diſcimus, quis iſte *Eureſius* fuerit, cuius ſectæ ex libello Fauſtini Presbyteri Eleutheropolitani, Luciferiani, qui oblatus Valentiniano & Theodoſio, &c. pro Luciferianis: qui quidem extat in quadam veterum canonum collectione.

Fauſtinus Presbyter Eleutheropolitanus, in libello quem Marcellianus Presbyter obtulit Valentiniano, Theodoſio & Arcadio AAA. [hi tres Imperatores fuêre ab Anno D.383.] *pro Luciferianis, de Damaſo Archiepiſcopo.*

Sed & nuper tentauit [Damaſus qui ſedere cœpit Anno D.367. & obiit Anno D.382.] *grauiter perſequi beatiſſimum Eureſium Epiſcopum, ſanctitati & FIDEI æmulatione feruentem, ordinatum inimicè plebe Romanâ, à conſtantiſſimo Epiſcopo Tuargiâ, & ipſo illibatæ fidei, verum ſub inuidia falſi impoſiti cognomeni, per ſuos Defenſores interpellans iudicem Baſſum, quaſi aduerſus Luciferianos. Sed Baſſus olim Catholicam fidem venerans, ſciebat in Lucifero nullam hæreſeos fuiſſe prauitatem: quippe qui & bene nouerat, pro fide Catholica decem annos exilia fuiſſe perpeſſum. Et pro conſtantiâ ſuæ integritate repulit accuſatores* [Defenſores] *Damaſi, negans ſe facturum vt homines* CATHOLICOS *& integræ fidei viros inſequeretur: maximè quod ipſi Conſtitutiones Imperatorum contra hæreticos ſolummodo promulgatæ viderentur, non contra hos qui ſanctiſſimam fidem ſine ſæculi ambitione conſeruant.* Hactenus Fauſtinus Presbyter in dicto libello: cuius alioquin libelli meminit quoque Gennadius, *de illuſtribus Eccl. ſcriptoribus*, *cap.*16. in Fauſtino: & ex eo in partem, Honorius, *n.*16. Déque eo agit Baronius Anno D.362.*n* 219.367. *n.*14 15 16.17.18. & 388. *num.*94.95.96.97.98 Fuit autem Fauſtinus hic Luciferianus, &, vt Gennadius quoque teſtatur, Damaſum Vrbis Romæ Epiſcopum in eodem libro culpare auſus eſt, quod ex ſupra appoſitis verbis clarè apparet. Ex quo iam clarè diſcimus, Eureſium *Luciferianum* fuiſſe: & verò ideò appetitum quoque à Damaſo Epiſcopo apud Baſſum, procul dubio Præfectum Vrbi: Sed tum tamen nihil in eum ſtatutum, quod Catholicam fidem ſequi tum viſus fuiſſet. Certe Luciferiani non tam hæretici, quam ſchiſmatici habiti fermè fuerunt, quod Auguſtinus teſtatur *ad QuodvultDeum*. Lucifer enim & Luciferiani, ad inſtar Nouatianorum, ab Arianorum communióne ſe ſeparabant qui Ariminî fuerunt, & ſub ſatisfactione & pœnitentia in Catholicam admiſſi fuerant, iam & ab iis qui eos recepiſſent: ſic vt illos exiſtimarent, non in ſuis ordinibus, ſed tantùm ad laicam communionem admittendos. Et idem tamen eos recipiebant qui ab Arianis baptiſma conſecuti erant. Attamen idem Auguſtinus ait ſe inter hæreticos Luciferianos poſitos inueniſſe: & alicubi legiſſe, Luciferianos dixiſſe, animas ex traduce generari, eáſque ex carne & carnis eſſe ſubſtantia: haud ſatis tamen ſibi compertum, verùm ne id eſſet. Theodoretus etiam *l.3. cap.5. in fin.* de Lucifero, ἅπερ τινὰ τοῖς Ἐκκλησιαστικοῖς δόγμασι προσέθηκε. Luciferi certè ſectatores aliud atque aliud procul dubio dogma inuexêre. *Hilarius* enim Eccleſiæ Romanæ Diaconus, nullatenus Arianorum & hæreticorum baptiſmum admittendum cenſebat, & ideò ob rebaptizationem *Deucalion orbis* vocatur ab Hieronymo. Et *Helladius*, cùm videret tot Epiſcopos lapſos in hæreſim vel communionem hæreticorum, reſtitutos, dicebat mundum eſſe Diaboli, & Eccleſiam in lupanar eſſe conuerſam, & laicum ab Arianis venientem recipi debere per pœnitentiam; Clericum verò non debere. Igitur & *Eureſius* hic inter Luciferianos, peculiarem aliquam ſententiam à fide Catholica deuiam fouit: quod ex *hâc leg.* liquido diſcimus, ſeu à iudicio Catholicæ religionis & tramite detectus fuit deuiare: etſi non de atrocioribus hæreticis eſſet, verùm LEVI tantùm ARGVMENTO deuiaret. Et certè ab initio non ab omnibus pro hæretico habitus, neque ab Imperatoribus damnatus: verùm ab Arcadio nunc primum, vt videtur: qui ideò hæreticorum definitionem propoſuit, vt ea Eureſium quoque comprehendi

ostenderet, atque adeò in Episcoporum numero habendum negaret.

¶ Illud tandem ex *huius leg.* inscriptione, quæ docet *hanc legem* datam ad Proconsulem *Asiæ*, collatâ cum superiore Faustioi loco, colligimus *Bareßum* hunc ex Italia vbi fuerat in Asiam migrasse.

¶ MILITIA *omni, sub Magistro Officiorum,¹ & Palatinâ, hæretici interdicuntur ab Arcadio Imp.*

XXIX. * Idem" AAA. Marcello" Mag. Officiorum."



VBLIMITATEM Tuam inuestigare præcipimus, an aliqui Hæreticorum, vel in Scriniis, vel inter Agentes in rebus, vel inter Palatinos," cum legum nostrarum iniuriâ, audeant militare: quibus exemplo Diui Patris nostri, omnibus," & à nobis negata est militandi facultas. ¶ Quoscumque autem deprehenderis culpæ huius" adfines," cum ipsis, quibus," & in Legum nostrarum & in religionum excidium, conhibentiam" præstiterunt, non solùm militia eximi, verùm etiam extra mœnia Vrbis iubebis arceri. Dat. VIII." Kalend. Decembr. Constantinop. Olybrio & Probino COSS. [395.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* retulit Baronius *Anno* 395. *num.* 11.
"Iam ostensum ad *l.* 25. & huic legi *ARCADII & Honorij* tantùm nomina inscribenda; quod & illa verba hic ostendunt: *Exemplo Diui Patris nostri.*
"*Magistro* officiorum cur hæc lex, & *l.* 42. *infr.* inscribatur, mox dicam.
"*Sublimitatis* titulus tributus Magistro officiorum.
"*Palatinos* intelligit non largitionum, sed Palatij obsequiis deseruientes: de quibus mox.
"aliàs *huic.*
" id est, conniuentiam præstitisse, vt mox sequitur.
"Qui his, ita repono.
"*Conniuentiam.*
"huius scilicet, id est, Constantinopoleos, vbi etiam hæc lex data est,
"al. *IV.*

COMMENTARIVS.

MILITARA, ac nominatim in officiis Palatinis, hæretici, & quidem omnes promiscue ab Arcadio, exemplo Theodosij Patris sui, *hâc leg.* Anno Domini 395. inter Imperij sui initia, prohibentur: Eúmque in finem inuestigari à Magistro officiorum, cum his qui conniuentiam his præstiterunt, vt militia expungi ita & Constantinopolitana Vrbe expelli iubentur. Quod & ipsum ostendit, quantopere Imperij sui statim post Patris obitum initio Arcadio curæ fuerit, hæreticis occurrere, repurgato Palatio suo ab hæreticis. Sanè & Honorio idem posteà placuisse, suadet *l.* 42. *infr.* sub hoc ipso titulo posita.

¶ De quatuor interim videndum *hâc leg.* Primò obseruandum, *Magistro officiorum*, & *hanc legem* & *legem* 42. *infr.* ideò inscribi, quia in his agitur de *Palatinis officiis* & militiis, de militantibus, inquam, in sacris Scriniis, de Agentibus in rebus, & Palatinis, qui omnes sub dispositione Magistri officiorum erant, vt præter has leges & Notitiam Imperij & Zosimum, (cui Magister officiorum ἡγεμὼν τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων dicitur) docent, præterea de militantibus in sacris Scriniis *l.* 6. 11. 17. *supr. de Proximis, comitib. disp. l.* 1. 2. *supr. de comitatu*: *l.* 38. *supr. de donation.* de Agentibus in rebus *l.* 3. 4. 7. 8. 9. 11. 14. 15. 17. 18. 19. 20. & *vltim. supr. de Agentibus in rebus l.* 8. *supr. de Princip. agent. l* 2. *supr. de commeatu.* Palatini hîc sunt cæteri, qui Palatinis obsequiis deseruientes, sub Magistro officiorum erant. Eiusmodi Curiosi *l.* 6. 8. (quæ eidem Marcello Magistro officiorum inscribitur) 10. *supr. de Curiosis.* Decani *l. vnic. supr. decan.* Mensores *l. vnic. supr. de mensorib.* Palatini scilicet alio atque alio sensu dicuntur: Palatini scilicet omnes qui in Palatio seruiebant, & ad iussa Imperatoris stabant. Palatini, qui in secretiore Principis ministerio vt hîc: Palatini officiales Comitis S. L. & P. P. Ergo Agentes in rebus hîc à Palatinis eo sensu distinguuntur, qui aliàs in Palatio & ipsi militabant *l.* 2. *supr. de Agentibus*, Palatini erant *l.* 3. *supr. de priuil. eorum qui in S. Pal.* Ambrosius quoque *epist. ad Marcellam* eos disertè inter Palatina officia numerat.

Secundò, notandum *hâc leg.* de ipsa militiæ interdictione hæreticis facta. Nempe huius interdictionis originem & exemplum à Theodosio Patre *hâc leg.* Arcadius repetit. De Eunomianis nominatim dixi ad *l.* 17. *supr.* De eodem militandi interdicto vide in Eunomianis speciatim, Montanistis, Priscillianistis *l.* 25. *supr. hâc leg.* & *l.* 42. 48. 58. 61. *infr. hoc tit.* Militare autem prohibiti, id est, in Palatina militia seu intra Palatium, vt hæc lex docet: & *lex* 42. 48. 58. *in fin. infr.* itémque Prouinciam sub administratione cuiuslibet officij suscipere gubernandam *d. l.* 58. *in fin.* Non ideò tamen liberati à curiali conditione vel cohortalium militia *l.* 48. 61. *infr. hoc tit.* & *l.* 16. *supr. de cohortalib.* iuncta cum *l.* 17. *hoc tit.*

Tertiò videndum, quinam sint hi, quos hæreticis conniuentiam præstitisse, vt ad Palatina obsequia admitterentur, indicat. Nempe Proximos Scriniorum, Comites dispositionum, Principes agentium in rebus, & similia militiarum Palatinarum capita accipio. His adde & quorum commendatione & suffragio promoti fuerant: de quibus vide *l.* 8. *supr. de Agentib. in reb.* quam l. obseruandum est, proximo sequente anno, bimestri tantùm post, latam & inscriptam pariter *Magistro officiorum.* Postremo videndum de *Marcello* Magistro

gistro officiorum, cui lex hæc inscribitur. *Marcellus*, hic ille est, quem *Empiricum* vocant, qui librum *de medicamentis* ad filios suos scripsit, & carmine etiam clausit: Inscriptio ita hodie vulgo habet: *Marcellus Vir Inluster Ex-Magno officio Theodosij Sen. Filiis suis salutem dicit.* Restituenda ita: *Marcellus Vir Inlustris Ex-Mago* [id est, ex Magistro] *officiorum*, &c. Eidem porrò inscribitur hoc ipso anno *lex* 8. *supr. de curiosis*. Ex eâ epistola colligere mihi videor, eum Christianum fuisse, & Gallum. Hic idem Marcellus medicus est: de quo Libanius *epist. ad Anatolium* 353. Eam ipsam apponere iuuaret, nisi prolixior ea esset. Sanè & ex hac quoque lege rectè colligas, eum Christianum fuisse.

XXX. * Impp. ARCAD." & Honor. AA. Clearcho P. V."

CVNCTI *hæretici* proculdubiò nouerint, omnia sibi loca huius" Vrbis adimenda esse, siue sub *Ecclesiarum* nomine teneantur, siue quæ" *Diaconica* appellantur, vel etiam *Decanica*, siue in priuatis domibus," vel locis priuatis, fisco" nostro adcorporandis. ¶ Prætereà omnes Clerici hæreticorum ex Sacratissimâ Vrbe pellantur, neque his" finibus liceat conuenire. ¶ Ad hoc interdicatur his omnibus, ad Litaniam" faciendam intra" Ciuitatem noctu," vel interdiu profanis coire conuentibus: Statutâ videlicet condemnatione" centum librarum auri contra Officium Sublimitatis Tuæ," si quid huiusmodi fieri vel in publico, vel in priuatis ædibus, concedatur. Dat. v. Non. Mart. Constantinop. Arcad. IV. & Honor. III. AA. COSS. [396.]

NOTÆ.

* *Lex* 3. *Cod. Iust. eod. tit.* Inseruit autem & *hanc legem* Baronius Annalibus suis *Anno* 396. *num.* 9.
"Non ab hac primùm lege *Arcadij & Honorij* leges *hoc titulo* incipiunt, verùm iam inde à *l.* 25. & sic hæc iam sexta est.
"*Clearchus* P. V. sub Arcadio Constantinopolitanæ scilicet: vt vel subscriptio huius legis docet.
"Constantinopoleos: omissa autem hæc *huius Vrbis* Cod. Iust. Nempe generalem *hanc leg.* Tribonianus facere, & ad Prouincias traducere voluit: quæ causa etiam expungendi versiculi; *Prætereà*, &c. item illa, *intra ciuitatem*: Vniuersa illa sub finem addendi, *vel Præsidiale quinquaginta*.
" abest à Cod. Iustin.
"Fortè appellentur.
"*ædibus* in Cod. Iustin.
"*Ecclesiæ Catholicæ vindicandis*, ita Cod. Iust. de quo mox.
"Expungit iam vt dixi hunc versiculum Tribonianus ea causa quam dixi.
"huius.
"*Litanias faciendas* Cod. Iust.
"*intra ciuitatem*, hæc vt iam dixi à Triboniano sublata.
"*nocte vel die* Cod. Iustin.
"mulcta.
"*vel Præsidiale quinquaginta*: hæc addicta à Triboniano, causam dixi.

COMMENTARIVS.

COETIBVS & MYSTERIIS hæreticorum Vrbem Constantinopolitanam *hâc leg.* Arcadius semel & seriò liberare & repurgare laborat Anno D. 396. Tribus in id constitutis. Nempe 1. LOCA, quæcunque tandem, quocunque nomine designentur, Mysteriis suis peragendis hæreticorum intra vrbem confiscari *iubet*. 2. CLERICOS eâdem vrbe expelli. 3. CONVENIRE intra eandem ciuitatem vel ad solam Litaniam faciendam siue noctu siue interdiu prohibet; proposita Pœnâ Officialibus Præfecti Vrbis centum librarum auri.

¶ Nempe cùm hæreticorum mysteria & conuentus tot Theodosij Magni, & recenter ipsiusmet Arcadij constitutionibus (de quibus supra) prohibita fuissent, atque Ecclesiæ Catholicis restitui iussæ fuissent, iidem nihilominus conniuentiâ quorundam suas porrò Ecclesias apertè, vel ad inuidiam leuandam eludendásque leges Diaconica, & Decanica mysteriis suis peragendis habuere: vel cùm iam mysteria sua tutò peragere non possent, ad Litanias tantùm faciendas, & sæpè noctu, quod hac lege indicatur, coibant & deprehensi coire se dicebant. Verùm hæc omnia ex æquo Arcadius hac constitutione prohibet, atque Vrbem Constantinopolitanam solius fidei Catholicæ & orthodoxæ mysteriis deinceps censeri instituit: præcisis cunctis molitionibus & omni prætextu leuato Diaconicorum, Decanicorum & Litaniæ.

¶ *Diaconica*, non Ecclesiæ propriè erant, imò neque Ecclesiæ ipsius pars proprie, verùm Ecclesiis iuncta loca ad Ecclesiam seu prope Ecclesiam, quæ aliàs *Secretaria* dicuntur, vbi vasa, vestésque, aliæque res sacris vsibus destinatæ, imò & lipsana seu reliquiæ, & fragmina asseruabantur seu reposita erant. De *vasis* fides à Laodicensis Synodi *can.* 21. ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας χώραν ἔχειν ἐν τῷ Διακονικῷ καὶ ἅπτεσθαι δεσποτικῶν σκευῶν. Latina versio sic habet in Codice Canonum Eccl. vniu. *Quod non oportet ministros locum habere in* SECRETARIO, *& dominica vasa contingere, in Secretario*: vel vt alij Codices Romanus & Dionysij Exigui, retentâ Græcâ voce *in Diaconico*. Malè Balsamo qui in hoc can. Diaconicum ter accepit de munere & officio Diaconi; ὑπηρέτας λέγοντας οἱ ὑποδιάκονοι, τούτους οὖν κωλύει ὁ κανὼν τὰ τῶν Διακόνων μεταχειρίζεσθαι, ἤγουν ἅπτεσθαι τῶν ἱερῶν σκευῶν, τουτέστι τοῦ σώματος, καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ: μηδὲ γὰρ εἶναι μὴ ὀφείλειν τούτους ἅπτεσθαι τῶν ἱερῶν σκευῶν, ὅπου τοῦ ἁγίου ποτηρίου καὶ τοῦ ἁγίου..., ὄντων, αὐτοῖς γὰρ μᾶλλον οἰκεία ἐστὶν ἡ τούτων διακονία ἢ καὶ μελέτησις. Peius alij qui pro altari Diaconicum ibi interpretantur, vt & qui pro Presbyterio seu choro psallentium Clericorum, denique pro loco Cle-

 ricis

ricis aſſignato. Nempe eo canone vetantur Subdiaconi, Lectores, Oſtiarij in eo loco in quo ſacra vaſa ſunt & vſurpantur habere ius conſiſtendi, eáque vaſa tractandi indéque depromendi, quod Diaconorum muneris ſuit, ſeu altioris muneris. De veſtibus ſacris in Diaconico repoſitis fides à Typico Sabæ, *ἀλλασσόμενοι τὴν ἱερατικὴν στολὴν ἐν τῷ διακονικῷ.* Eccleſiæ verò id iunctum fuiſſe oſtendit Codinus *de officiis aulæ Conſtantinop.* ἐν δὲ τῷ τοῦ ἑσπερινοῦ ἄρχ. οἱ μὲν ἱερεῖς ... Πατριάρχην, ἀπέρχεται εἰς τὴν ἁγίαν σοφίαν βασιλεὺς, καὶ ἀνελθὼν παρ' αὐτοῦ τὰς τοῦ μεγάλου βασιλέως εὐχὰς ... τοῦ διακονικοῦ. Et in Catalogo Patriarch. ... τοῦ ... ἐν τῷ διακονικῷ: in Euchologio, μετὰ τὸ ψάλλειν τὴν τρισάγιον, κατέρχεται ὁ ἅγιος Πατριάρχης ἐν τῷ μητατορίῳ, ἤγουν τῷ διακονικῷ, καὶ ἐξέρχεται εἰς τὸ θυσιαστήριον: Locus quoque de eo inſignis Philoſtorgij Cappadocis, *l.7. hiſt. Eccl. cap.3.* (quem Scriptorem nos publici iuris fecimus) vbi refert, Statuam Hæmorrhouſæ mulieris Paneade è loco publico prope fontem, quæ vnà cum aliis ſimulacris voluptatis causâ, ibi poſita erant, quod pluuiis corrumperetur, in Diaconicum tranſlatam: τὸν δὲ ἀνδριάντα μεταθέσθαι ... ἐν τῷ τῆς Ἐκκλησίας διακονικῷ ... ἀθροισθέντες ..., (...) αὐτὸ δὲ τοῦτο, ... τὸν ἀεὶ τὸ ἀρχέτυπον ..., &c. Quæ ipſa fermè Nicephorus & ſecta Arrenij ex Philoſtorgio habent. Nempe imaginem hanc Philoſtorgius, & ex eo duo illi tranſlatam à Chriſtianis in Eccleſiæ Diaconicum ſcilicet: vel vt paulò latiùs Sozomenus *lib.6. cap* 20. de tranſlatis fragmentis eius ſtatuæ agens, ait ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ prout & Cedrenus, *pag.*351. Atenim inter Eccleſiam & Diaconicum plurimum intereſt, quod hæc Arcadij lex apertè oſtendit: Diaconicum enim non propriè Eccleſia, ſed ad Eccleſiam; vbi repoſita ſacris ædibus deſtinata & lipſana: Etiam ſtatuæ & imagines ſacræ, vt à vulgi conculcatione vel aëris iniuriis vindicarentur, & ſic vt decentiore loco eſſent *τάσσειν ...*. Ergo Diaconicum idem cum *Secretario*, quo modo vertit Laudiceni canonis interpres, quæ *Sacriſtia* hodie. De quo Secretario Paulinus Nolanus *epiſt.*12. ad Seuerum: vbi & duo quoque Secretaria vni Eccleſiæ tribuit iuxta apſidem, officiáque ſingulorum indicat, à dextrâ abſidis:

Hic locus eſt veneranda P E N V S quà conditur, & qua
Promitur alma ſacri P O M P A miniſtri.

A ſiniſtra eiuſdem,

Si quem ſancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hic poterit reſidens ſacris intendere L I B R I S.

Idem etiam fortè cum archiuio Eccleſiæ & cimeliarcho, & cum metatorio, vt Euchologium & & Cedrenus vocant, vbi videlicet Sacerdos vel Epiſcopus ſeſe adornabat, & tanquã in metato erat, & exinde in ſacrarium εἰς θυσιαστήριον prodibat. *Diaconicum* porrò dictum, quod ſcilicet ſacro miniſterio dicatur deſtinata continere; non verò, quod quidam nuper cenſuit, quia Diaconi cuſtodiæ illius loci deputabantur. Cæterùm in eo ipſo loco conuentus Eccleſiaſticos habitos veriſimile eſt, cùm de ſacro miniſterio ageretur, quod & prædicto Canone Laodiceno indicatur, cùm prohibetur ὑπηρέτας, in eo loco conſiſtere, ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας χώραν ἔχειν ἐν τῷ διακονικῷ. Et hæc de Diaconico.

¶ *Decanica* in editione Tiliana malè *decanonica* (quæ Cujacius ad *Nouell.*59. & Vir Doctus nuper in *diſſertationib.* cum *diaconicis* non rectè miſcet) quod vel ipſa vox etiam indicat; præbuêre vſum quendam *Carceris* & Cuſtodiæ Eccleſiaſticæ, ſic vt *Capitalis* rectè à Parente meo felicis memoriæ exæquentur. Iuſtinianus *Nouella 79.cap.3.* καθειργνύσθωσαν ἐν τοῖς καλουμένοις Δεκανικοῖς ... τὰς ... ὁρίζοντες. Quod ita apud Iulianum & Capitularium *lib.5. tit.*255. effertur: *in Decanicis Eccleſiarum recludatur, competenter pœnas luiturus*: In Græcorum Paratitlis ita: εἰς τὴν Ἐκκλησιαστικὴν ... ἐμβαλλέσθωσαν. Baſilius Diaconus *in libello ad Theodoſium & Valentinianum*: ... ἐν τῷ διακονικῷ, ... καὶ ὑπευθύνους τιμωρίᾳ ... Ergo in Decanicis quæ proculdubio loca concluſa fuêre, Immorigeri Clerici aſſeruabantur: etſi Eccleſia his temporibus iuriſdictionem prope non haberet, ſed audientiam tantum.

¶ De *Litaniis* res eſt nota. Quâ voce primò dictæ ſunt preces & ſupplicationes in cœtibus publicis ſeu in Eccleſiâ, vt ex *hâc leg.* apparet: Deinde vox ea traducta ad eas quæ vulgò proceſſiones dicuntur *Nouell.*123. poſtremò ad ſolemnes & ſtatas rogationes.

¶ Ex ſuperioribus interim liquet, Baronium huius legis ſenſum non cepiſſe, quanquam & eam, quam poteſt breuiter perſtringat. Sed enim errant ij cum maximè, neque huius legis ſententiam & hiſtoricam veritatem aſſequuti ſunt, qui tradunt, Imperatores (Arcadium vnum dicere debuerant) *hâc leg.* ambigere ſe oſtendere, quibuſnam nominibus hæreticorum Eccleſias dicere debeant cùm dicant, *ſiue ſub Eccleſiarum nomine teneantur, ſiue quæ diaconica appellantur vel etiam decanica.* Neque enim ambigentis hæc verba ſunt, verùm prætextum omnem leuantis, pariter vt *canone 9. Laodiceno*: & locorum ſacrorum diuerſitatem perſtringentis,

---

XXXI. * Idem AA. Cæſario PF. P."

DOCTORES auctoréſque *Eunomianorum* facinoris inueſtigati, Clericíque maximè, quorum furor tantùm ſuaſit errorem," ex ciuitatibus pellantur extorres. Dat. XI." Kal. Maij, Conſtp. Arcad. IV & Honor. III. AA. coss. [396.]

XXXII. * Idem AA. Cæſario PF. P."

NE *Eunomianorum* tanta dementia perſeueret, Sublimis Magnificentia Tua omni ſtudio *auctores doctoréſque Eunomianorum inueſtigare* feſtinet: *Clericique* eorum *maximè, quorum furor tantùm ſuaſit errorem," de ciuitatibus pellantur extorres*, & humanis cœtibus ſegregentur. Dat. X. Kal. Maij, Conſtp. Arcad. IV. & Honor. III. AA. coss. [396.]

NOTÆ.

NOTÆ.

* Memorat, & Annalibus suis inseruit, posteriorem harum legum Baronius *Anno 396. num.* 10.
"*Cæsarius* PP. sub Arcadio Orientis scilicet: Rufini in eâ Præfectura Prætoriana successori, vt testatur quoque Philostorgius *lib.* 11. *cap.* 5. Eidem inscribitur supra *lex* 27. quæ & ipsa de Eunomianis est: de eo plura in *Prosopogr.*
"an *terrorem*? non putem.
"dies harum duarum legum variat, qui tamen congruere, vt videtur, debet.

COMMENTARIVS.

De Evnomianis sunt hæ duæ Arcadij Imp. vt & quatuor aliæ, eiusdémque putà *l.* 24. 27. *supr. l.* 34. 36. *infr.* Eæque omnes intra quadriennium ferme latæ, quibus Arcadius odium suum in eos testatur, nisi quod testandi facultatem eis aliquando reddidit, putà *l.* 27. & *l.* 36. *infr.* His certè duabus, Eunomianorum Doctores ἑτεροδιδασκάλους, Auctores, ac maximè Clericos, ciuitatibus pelli Anno D. 396. iubet: Inter quas duas constitutiones non aliud discrimen intercedit, quam quod posterior nonnullis auctior fit: Verbis enim & inscriptionibus subscriptionibúsque fermè concordant. Vt mirari subeat, ab huiusce Codicis conditoribus hic repetitas.

¶ Cæterùm præter commune in Eunomianos odium, quod vt Theodosius, ita & Arcadius aliis & superioribus constitutionibus abundè testari sunt; ita peculiares nunc hoc tempore odij caussas Arcadium habuisse, ex his ipsis constitutionibus patet; vt cùm ait, *Eunomianorum facinoris*: mox *quorum furor tantum suasit errorem.* Idem *ne Eunomianorum tanta dementia perseueret*: rursum, *Clerici eorum maximè, quorum furor tantum suasit errorem.* Quare huc spectare potest quis ea, quæ Socrates, *lib.* 5. *cap.* 23. & Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 17. memorant, de Eunomianorum per hæc tempora inter se dissensionibus, de Theophronio inquam, qui Deum sibi semper similem negabat: & Eutychio, qui Filium Dei hominem scilicet asserebat nouissimam horam scire. Vtrique verò controuersiæ de baptismo auctores habebantur, æquè cæteris Eunomianis diuulsi & propriæ cuiusdam sectæ opinionúmque auctores, vnde dicti *Eunomio-Theophroniani*, item *Eunomi-Eutychiani*: Atque inter cætera memorat Sozomenus, *Eutychium* ab Eunomianæ sectæ Antistite, qui tum Constantinopoli erat, Eunomio defuncto, relectũ, offenso ex inuidia, quod illius qui ne Clericus quidem erat, argumenta soluere potuisset: Atque hinc Eutychium in peculiarem sectam concessisse. Quæ omnia ostendere videantur, quænam illa *dementia*, quod *facinus*, quis *furor* & *error* Eunomianorum fuerit, cuius bisce duabus legibus mentio fit: qui *Doctores*, *Auctoréfque* Eunomianorum etiam non *Clerici*, atque à Clericis distincti. Et sic iis, quæ Socrates & Sozomenus hâc de re narrant, ex his deinceps legibus (quod nondum factum est) temporis deinceps characterismum Annalibus Ecclesiasticis replendis, addere licebit. Quid verò posteà in eosdem Eunomianos Arcadius prætereà constituerit docebunt *l.* 34. & 36. *infr.* Nempe, non ciuitatibus tantùm eos pelli voluit, verùm etiam conuentus eorum in agris, (de quo ex Synesio quoque ad *l.* 34.) prohiberi modis omnibus, Codicésque eorum comburi.

¶ Tandem has leges *Cæsario Præfecto Prætorio* inscribi notandum est; pariter vt eidem inscribitur, *lex* 27. *supr.* quæ & ipsa est de Eunomianis. De quo alioquin memorat Philostorgius (Eunomianus ipse) *lib.* 11. *cap.* 5. eum Rufini in Præfectura Prætoriana successorem, mandato Eutropij Eunomium ex Dacorensis Tyanam transferre iussum, hoc ipso fermè Anno 396. quò à Monachis, qui ibi erant, seruaretur, sed & libros Eunomij aboleri iussos: de quo postremo *l.* 34 *infr.* quæ data est ad Eutychianum Cæsario in PP. successorem.

¶ Illud quoque videri possit, *facinus, furorem, errorem*, qui his legibus adeò perstringitur, accipienda de anabaptismo. Nam & ita Theodosius Iun. *l. vnic. infr. ne sanctum baptism.* Anno 413. *Eos verò* (Eunomianos) *qui fide imbutos immani furore rebaptizare detegentur.*

XXXIII. * Idem AA. Eutychiano pp. p."

Doctores *Apollinariorum* totâ" maturitate præcipimus, ex ædibus" Caræ nobis abscedere Ciuitatis: ita vt si obumbrati" latebris abire neglexerint, occultos cœtus (vt æstimant) habituri, ea loca, vel domus, quibus" prædictos" congregauerint, fisci ratione" nectantur. Dat. Kalend. April. Constp. Cæsario & Attico coss. [397.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus suis inseruit Baronius *Anno* 397. *num.* 57.
"Orientis.
"Ita Ammianus Marcellinus eodem loquendi genere lib. 15. *ad sententiam, totâ facilitate completam.* Vopiscus, *Prob. in totam securitatem redacta sunt.*
"an *sedibus*: vt ita litera S. occasione præcedentis vocis exciderit: neque enim hac lege tantùm de domibus, sed etiam de aliis locis agitur.
"*Obumbrati.*
"locis vel domibus.
"Apollinarios. "*rationi.*

COMMENTARIVS.

Apollinariorvm Doctores, qui (aduersus tot sua Patrisque sui Theodosij interdicta superius memorata) occultos adhuc cœtus Constantinopoli agitabant, hâc constitutione totâ maturitate, id est, quam citò vrbe excedere ab Arcadio iubentur Anno D. 397. proposita

fita confiscatione loci vbi cœtus suos Doctores illi porrò agitare ausi fuerint.

¶ Et hactenus quidem fuerunt Arcadianæ constitutiones in hæreticos, quæ inciduunt in tempora Episcopatus Nectarij, qui vltimùm his Consulibus mortuus est 5. Kalend. Octobr. teste Socrate & Georgio Alexandrino in vita Chrysostomi *n.*20. *p.*183. *edit. Savil.* Nam quæ sequuntur *l.*34. & 36. in Ioannis Chrysostomi, Theophili Alexandrini Episcopatum incidunt.

XXXIV. * Idem AA. Eutychiano" PF. P.

EVNOMIANÆ superstitionis Clerici, seu" Montanistæ, consortio vel conuersatione ciuitatum vniuersarum adque vrbium expellantur. Qui si fortè in rure degentes, aut populum congregare, aut aliquos probabuntur inire conuentus, perpetuò deportentur: Procuratore possessionis, vltimâ animaduersione punito: domino, possessione priuando, in quâ his consciis, ac tacentibus infausti damnatique conuentus probabuntur agitati. Si verò in qualibet post publicatam sollemniter iussionem" Vrbe deprehensi, aut aliquam celebrandæ superstitionis gratiâ ingressi domum probabuntur, & ipsi ademptis bonis vltimâ" animaduersione plectantur: & domus, in quâ ea forte" quâ dictum est ingressi, nec statim à domino dominave domus expulsi, ac proditi fuerint, fisco sine dilatione societur. ¶ *Codices* sanè eorum, scelerum omnium doctrinam ac materiam continentes, summa sagacitate mox quæri, ac prodi exerta auctoritate mandamus, sub aspectibus eorum" Iudicantum incendio mox cremandos. Ex quibus si qui fortè aliquid qualibet occasione, vel fraude occultasse, nec prodidisse conuincitur, sciat, se velut noxiorum codicum, & maleficij crimine conscribtorum, retentatorum," capite esse plectendum. Dat. IV. Non. Mart. Constantinop. Honor. A. IV. & Eutychiano COSS. [398.]

NOTÆ.

* Neque *hanc legem* omisit Baronius *Anno* 398. *num.*78.
"*Eutychiani* huius Præfecti Prætorio hoc ipso tempore meminit & Socrates *lib.*6. *cap.*2. *extremo.* Eidem inscribitur de iisdem Eunomianis Ann. sequ. prox. *lex* 36. *infr.*
"vel etiam.
"hanc III.
"deportatione *l.*36. *infr.*
"id est, animo celebrandæ videlicet superstitionis gratia.
"Abest hæc vox *eorum* à nonnullis editionibus.

COMMENTARIVS.

EVNOMIANORVM Clerici, & MONTANISTÆ, omnibus vrbibus expelli iubentur, quin & ruri cœtus agitare vetantur, Codices item seu libri eorum sub aspectibus eorum cremari, hâc Arcadij constitutione Anno D. 398. iubentur. Est igitur hæc constitutio Eunomianis & Montanistis peculiaris seu vtrisque communis, summæque seueritatis.

¶ Nempe, vt hæreticos in commune Arcadius insectari iam indè ab Imperij sui initio, latis constitutionibus instituit, ita alij pertinaciores aliis, alicubi aliquando spiritus gessêre. Quare præter generales in hæreticos constitutiones, speciales in nonnullos insuper ab eo subinde ferri oportuit. In his censendi Eunomiani. Igitur ptovt Eunomianorum superstitio & scelera increuisse visa, Ecclesiámque adulterare, vt loquitur hoc tempore Synesius *epist.*5. ita etiam seueritatem Arcadio intendere visum. Superioribus equidem constitutionibus, putà *l.*25. 31. 32. hanc sectam speciali damnatione insequutus fuerat, eorum ominarum Doctoribus, auctoribus Clericis, de ciuitatibus pelli iussis (id quod etiam *hâc lege* repetitur.) Arcnim vlterius præterea eosuam nunc exerit. Primum enim non Vrbibus tantùm pelli iubentur, sed & Ruri cœtus agitare prohibentur. Quò pertinet omninò etiam Synesij locus, qui hoc ipso tempore scribebat, *epist.*5. ad Presbyteros emissa: quâ per Ptolemaidem in agris eos egisse, & à nonnullis susceptos testatur, eósque à Presbyteris seriò erui vult, & conuentos eorum prohiberi: κατάδηλοι πᾶσιν εἰσὶν αἱ τούτων καταφυγαί· ὅτι τινὲς ἀγχοῦ δέξαιντ' ἂν αὐτούς, ὅτι τινὲς δικαίως τοῖς κρατοῦσιν αἰτιῶνται, μετέλθετε τοὺς φῶρας ἐπιλαβόντες, &c.

Secundò, ne per conniuentiam aliquorum in vrbibus agerent, vel cœtus ruri agitarent hac lege sedulo prospicitur.

Postremum, *Codices* seu libri Eunomianorum aboleri iubentur hac lege: de quibus Eunomij libris Philostorgius tribus locis, Eunomianus ipse, putà *lib.*8. *cap.*12. *lib.*10. *cap.*6. *lib.*11. *cap.*5. Certè idem Philostorgius *lib.*11. *cap.*5. & ex eo Nicephorus *lib.*13. *cap.*1. scribit Eutropium (sub Arcadij scilicet nomine) Eunomium Dacota Tyanam transferri iussisse per Cæsarium Præfectum Prætorio (qui anno superiore 397. adhuc Præfectus Prætorio erat) & ad quem trea constitutiones, de iisdem Eunomianis supra occurrunt, putà *lex* 27. 31. 32. Sed & Eunomij libros cremari iussisse publicis edictis; quibus sanè verbis hæc lex indicatur; haud aliter atque noxij Codices & maleficij crimine conscripti, id est, Magiei, eo quod scelerum omnium doctrinam & materiam continerent, quod vtrumque disertis verbis hac lege dicitur. Sanè & Socrates, *lib.*5. *cap.*20. & Sozomenus *lib.*7. *cap.*17. inter causas eiiciendi à Theodosio Magno Arcadij patre, in exilium Eunomij, haud obscurè memorant, libros seu Codices eius quos conscripserat & vulgauerat, quibúsque multos in sententiam suam pertrahebat. Socratis verba sunt:

sunt : καὶ τοὺς συγγεγραφότας αὐτῷ λόγους ἐπιδεικνύμενος, ὡς ταῖς διδασκαλίαις πολλὰς λυμαινομένων, ὡς ἐξορίαν ζημιωθῆναι ἐκέλευσε : Sozomeni hæc : τοὺς λόγους, οἳ συνεχάρησαν, ἐπεὶ ᾔσθοντο, καὶ πολλοὺς ἔπεισαν ὅμοια φρονεῖν. Atenim Eunomij libellos occultatos hæc lex reſtatur, cum eos ſumma ſagacitate quæri iubet : & occultantibus capitalem pœnam indicit. Sanè & Photius *Biblioth num.* 137. refert primum Eunomij libellum ab Eunomianis de induſtria occultatum, ne ad alios perueniret, via tandem Baſilium nactum refutaſſe : κρύφιον δὲ καὶ ἀνέκφορον τοῖς ἄλλοις τὸ διεσώζετο, μόλις ποτὲ ὁ μέγας Βασίλειος ἐπὶ χεῖρας λαβὼν διωλύει, &c. Rurſum idem *num.* 138. Eunomium poſteriores libros ſuos, quibus Baſilio reſpondebat, multis annis conceptos vix & συμμύσας ſuis exhibuiſſe Baſilij metu, Baſilio mortuo, nec tunc quidem omnibus, ſed amicis duntaxat vulgaſſe οὐδέ ποτε πᾶσιν ἀλλὰ τοῖς φίλοις ἐθάρρησεν. Quibus planè contraria portentosè narrat Philoſturgius, *lib.* 8. *cap.* 12. Cæteroquin de more cremandorum improbatæ lectionis librorum innumera loca occurrunt, quæ aliorum diligentia congeſſit de hæreticorum nominatim : vide *l. vltim. infr. hoc tit.* & *l.* 3. *Cod. de ſumma Trinit.* & *l.* 8. 16. *Cod. de hæreticis* : de mathematicorum & magicis libris ſupra *l. vltim. ſuo tit.* Porrò ſub aſpectibus *eorum*, Eunomianorum ſcilicet, cremari ea iubet Arcadius : *Iudicantum incendio : Iudicantum*, id eſt, Iudicum. Malè enim Fileſacus, *de ſacra Epiſcopi auctoritate, pag.* 42. Epiſcopos hic accipit, etſi ſanè ſub Epiſcoporum oculis libros Mathematicos cremari iuſſerit, *l. vltim ſupr. de malef. & mathemat. Iudicantum* porrò *incendio*, id eſt, imperato per Iudices incendio : niſi hic malimus ſublata voce *eorum*, ſub aſpectibus Iudicantum : Quandoque ſcilicet huiuſmodi Codices comburi iuſſi ſub oculis Iudicum, quandoque ſub Epiſcoporum : de quo ad *dict. leg. vltim. de maleſic. & mathemat.*

¶ Cæterùm in Montaniſtas par cenſura hac Arcadij lege exercetur : de quibus eſt & *l* 48. 57. 65. *inf* De his alioquin horum Arcadij temporum hiſtoria altum ſilet. Ex hac ſaltem lege liquet, eos in Orientis Præfectura cum Eunomiana pertinaciores hoc tempore ſpiritus geſſiſſe : atque vi bibus expelli Clericos eorum, vna cum cæterorum hæreticorum Clericis, ſuperioribus Theodoſij & Arcadij conſtitutionibus iuſſos, nihilominus in nonnullis porrò agere perſeuerâſſe. Codices & libros de ſua ſuperſtitione ad pertrahendos in ſententiam ſuam quamplurimos ſparſiſſe.

¶ Porrò quod tam ſæuas & ſeueras his verisque atque horum errorum fautoribus, etiam capitales pœnas, imponi hac primum Arcadij lege, vt & *l.* 36. anno proximè videmus, argumentum eſt, pertinaces eos admodum ſpiritus geſſiſſe. Quod de Eunomianis ex Chryſoſtomo liquet, & ex Syneſio quoque *epiſt.* 5. vbi eos in comitatu quoſdam habuiſſe fautores oſtendit, deque eorum in Ptolemaide perfugiis ad quorundam domos & agros agit. Et Sacerdotes ad eos eruendos cohortatur citra lucri cupiditatem, cùm tamen tum nonnulli pretio corrupti nullius cum his agerent eóſque elabi ſinerent ; alij verò eis eruentibus rex eorum caperent. Quanquam meminerimus hæc & ſimilia ab Imperatoribus, vbi ad ſummam impudentiam hæretici venerant, ad terrorem fermè ſcripta. Quod de Theodoſij M. alioquin conſtitutionibus Sozomenus ſcribit, *lib.* 7. *cap.* 12. καὶ χαλεπὰς τοῖς νόμοις ἐπέγραφε τιμωρίας, ἀλλ' οὐκ ἐπεξῄει· οὐ γὰρ τιμωρεῖσθαι, ἀλλ' εἰς δέος καθιστᾶν τοὺς ὑπηκόους ἐσπούδαζεν, ὅπως ὁμόφρονες αὐτῷ γένωνται περὶ τὸ θεῖον· ἐπεὶ καὶ τοὺς ἑκουσίως μεταπιθεμένους ἐπῄνει. Sed & ipſe Chryſoſtomus *homilia* 47. *in Matthæum*, *cap.* 13. τοῦτο δὲ ἔλεγε, κωλύων πολέμους γίνεσθαι, καὶ αἵματα καὶ σφαγάς, οὐ γὰρ δεῖ ἀναιρεῖν αἱρετικόν, ἐπεὶ ὁ πόλεμος ἄσπονδος εἰς τὴν οἰκουμένην μέλλει εἰσάγεσθαι : vbi & plura adhuc vide.

¶ Tandem neque inanis eſt Baronij coniectura, hanc legem Arcadio *Ioannis Chryſoſtomi* ſuaſu & adhortatione latam videri, cùm ad ſedem Conſtantinopolitanam tum recenter euectus eſſet, putà die 26. ſuperioris menſis Februarij teſte Socrate, *lib.* 6. *cap.* 2. (qui & ad temporum rationem magis deſignandam addit, pariter vt Gregorius Alexandrinus, *Eutychianum* tum *Præfectum Prætorio* fuiſſe, qui ſanè ille ipſe eſt, cui hæc lex inſcribitur) Georgio item Alexandrino, *in vita Chryſoſtomi num.* 20. *in fin. pag.* 195. *edit. Sauil* Anonymo Chryſoſtomi vitæ auctore, *num.* 33 *pag.* 314. Simeone Metaphraſte *in vita Chryſoſtomi num.* 19. *pag.* 387. Ad ſummam Arcadianas conſtitutiones in hæreticos, vt ſuperiores à Nectarij quoque Epiſcopi Conſtantinopolitani ſuaſu, ita & hanc pariter, vt & *legem* 36. à Ioannis Chryſoſtomi conſilio arceſſi puto, haud aliter atque in Occidente, Romanorum & Mediolanenſium Epiſcoporum exhortationi, pleræque de rebus Eccleſiaſticis conſtitutiones, tutò tribuantur : dixi aliud ad *l.* 20. *ſuprà.*

¶ Hæc inquam haud inaniter conijcere liceat : Et tamen Philoſtorgius *lib.* 11. *cap.* 5. *Eutropio* agente, qui hoc tempore apud Arcadium omnia erat, hanc conſtitutionem latam docet : Nam poſtquam dixit paulò ante, eo agente Eunomij corpus à Dacorenis Cappadociæ Tyaneum per Cæſarium PP. tranſlatum, a Monachis ibi, contra quàm Eunomiani vellent, adſeruandum : continuò ſubijcit, Eunomij libros eiuſdem *Eutropij iuſſu* aboleri iuſſos, ἀλλὰ καὶ τὰς βίβλους αὐτοῦ [Εὐνομίου] δημοσίῳ γράμματι ἀφανίζεσθαι διετάξατο [Εὐτρόπιος :] quæ etiam habet Nicephorus : *lib.* 13. *cap.* 1. dicere poſſumus ſuaſu Ioannis Chryſoſtomi, auctoritate verò Eutropij *hanc leg.* latam videri.

¶ Tandem in hac Eunomianorum hiſtoria hos tres Præfectos Prætorio notari cupio ſub Arcadio Rufinum, Cæſarium, Eutychianum.

XXXV. * Idem AA. Dominatori" Vic. Afric.

NOXIOS *Manichæos*, execrabiléſque eorum conuentus, dudum † iuſtâ animaduerſione damnatos, etiam" ſpeciali præceptione" cohiberi decernimus. Quapropter quæſiti adducantur in publicum, ac deteſtati" criminoſi congruâ & ſeueriſſimâ emendatione reſecentur. ¶ In * eos etiam auctoritatis" aculei dirigantur, qui eos domibus ſuis damnanda prouiſione" defendent. Dat. XVI." Kal. Iun. Med. Theod. v. c. COSS. [399.]

NOTÆ.

* Inſeruit *hanc* quoque *legem* Baronius rectè Annalibus ſuis *Anno* 399. *num*.81.

"Vnica hæc lex hoc Codice occurrit, quæ huic *Dominatori* inſcribatur. Inſcribitur eidem Dominatori. Cod. Iuſt. *l.2. de apparitorib. Proconſul.* vbi non Vicarius, ſed *Proconſul Africæ* inſcribitur: & verò illius ipſius legis argumentum diſertè oſtendit, eum Proconſulem fuiſſe.

† Etiam à Gentilibus Imperatoribus: Sed de Chriſtianis potius ſenſerit Honorius: vide *l.3.7.9.12.18.20. ſupr.*

"Etiam, nos ſcilicet.

"hâc.

"*deteſti*. Neque illud tamen temerè mutem *deteſtati crimino/i*, id eſt, inter cæteros maximè deteſtabiles.

* Hic verſiculus inſitus à Triboniano *l.4. C. de hæret.* quæ deſumpta alioquin eſt ex *l.40. infr.*

"*Noſtra*, addidit Tribonianus, malè: *Auctoritas* hic eſt auctoritas iudiciaria.

"Teneat quis *proditione*: Sed illud non meru. *Prouiſio*, pro cautela, defenſione.

"Hoc ipſo die & Conſ. ex eadem Vrbe data *lex vltim. ſupr. de his quæ ex publ. collat.* verùm ad Meſſalam Præfectum Prætorio.

COMMENTARIVS.

HONORII Imp. in hæreticos conſtitutiones ſequuntur, octodecim numero: putà hæc lex & *lex* 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 51. 52. 53. 54. 55. 56. Hæc nominatim eſt aduerſus MANICHÆOS, eorúmque conuentus. Hos ſcilicet iam pridem ab aliis Principibus damnatos (quod etiam docuit *l.3.7.9.11. 18. 20. ſupr.*) per Africam nominatim cohiberi, eóſque, ſimul & qui eos domibus ſuis defenderint, ſeueriter puniri iubet *hâc leg.* Honorius Imp. Anno D.399. Nempe vt Donatiſtæ (de quibus aliis legibus mox) ita & Manichæi per hæc Honorij tempora Africam potiſſimum vexauère, iiſque ſubinde Honorius occurrere neceſſe habuit. Quod præter *hanc leg.* oſtendunt præterea quatuor eiuſdem leges, putà *l.38.* & *l.40. 41. 43. infr.* *Nemo Manichæum* (inquit l.38.) *nemo Donatiſtam qui præcipuè, vt comperimus, furere non deſiſtunt, in memoriam reuocet.*

¶ Cæterùm qui Auguſtini ſcripta, acta aduerſus Manichæos per hæc Honorij tempora ſpectauerit, is facilè inducetur, vt credat, hanc & cæteras de Manichæis Honorij leges, haud alium quam Auguſtinum ſuaſorem habuiſſe. Neque tamen huc quicquam facit Auguſtini locus *de natura boni cap.*74. de Manichæis nefaria operantibus. Apertiſſimè enim locus ille pertinet ad Paphlagoniam, & Galliam: *Hoc ſe facere, quidam confeſſi eſſe in publico iudicio perhibentur: Non tantùm in Paphlagonia, ſed etiam in Gallia, ſicut à quodam Romæ Chriſtiano Catholico audiui.*

¶ Porrò Honorius *hâc leg.* iuxta ſuperiores conſtitutiones, odium in Manichæos ſuum & verborum, & pœnarum atrocitate teſtatur: nempe, 1. *Noxios & execrabiles* vocat, 2. Iuſta animaduerſione damnatos, 3. Speciali præceptione, vt ij cœtúſque eorum cohibeantur decreuit. 4. *Inquiri* ſeu inueſtigari eos iubet, pariter vt *l.9. & 40. infr.* vbi publica hæc accuſatio conſtituitur. 5. Reſecari congruâ & ſeueriſſimâ emendatione. 6. Receptatores eorum qui eos domibus ſuis defenderint puniri iubet. Quod accipiendũ non de his qui eos nude domibus ſuis humanitatis officio excipiunt, verùm de his qui domibus ſuis defendunt Manichæos ne in iudicium protrahantur: & ſic occultant eos: quod receptatorum crimen eſt. Quod ipſum ſtatuitur & de Donatiſtarum occultatoribus, qui eos occultandi cauſa ſuſcipiunt *l.54. infr. hoc tit.* Haud abſimilis conſtitutio circa Manichæos *l.40. in fin. infr.* Quare rectè Paratitla Græca *lib.1. tit.5. num.4.* iſtud ita explicant *puniuntur & illi qui ſcientes & prudentes eos occultant.*

¶ Cæterùm fallitur Vir Doctus Meierus *p.*183. qui *hanc legem* reſtringit fermè ad Doctores & ſeductores Manichæos. Imò enim in omnes Manichæos hæc lex lata eſt qui ritus ſui exercendi cauſa in vnum coëunt, denique in conuentus Manichæorum, qui Doctoribus & aliis conſtant. Et errat cùm noxios propriè Doctores & ſeductores dici ait, qui ſcilicet nocent inſtituendo, non verò ſeducti qui non noceant, ſed quibus nocitum eſt. Noxij enim Manichæi, dicuntur omnes huius criminis & hæreſeos rei; quæ quidem hæreſis infandis criminibus & noxiis laborabat.

XXXVI. * Idem AA. Eutychiano PF. P."



EVNOMIANIS pœnas adimendæ teſtamenti factionis, peregrinorúmque" mutandæ condicionis remittimus." Patimur eos & donandi è ſuis facultatibus, vt velint, & dono rurſus ab aliis accipiendi, habere liberam poteſtatem. ¶ Conciliis" verò abſtineant, cœtus inlicitos derelinquant, & ſciant ſibi interdictas eſſe collectiones," aut pœnas" paratas: ita vt fundi procurator, vel domus vrbanæ villicus," in quibus profana myſteria fuerint celebrata, vltimo ſupplicio feriantur: ipſáque poſſeſſio, & domus fiſco vindicetur, ſi ſciente domino & non prohibente, noſtræ iuſſioni fuerit obniſum. ¶ Præterea miniſtri ſceleris, quos falſo nomine ſuo *Antiſtites* vocant, ſi in collectione aliqua fuerint comprehenſi," deportentur, omnibus bonis ablatis. Dat. Prid. Non. Iul. Conſtanop. Theodoro V.C. CONS. [399.]

NOTÆ.

* Omiſit *hanc legem* in Annales ſuos referre Baronius.

"Orientis: ita pariter inſcribitur altera de Eunomianis *l.34. ſupr.* ſuperiore anno.

"Peregrinorum nempe conditio hæc eſt, vt inteſtabiles ſint: vide ſaltem *l.1. C. de hæred. inſtit.* & quæ ibi accuratè notantur.

"Vt

"Vt ſupra *l.*27. ante quadriennium.
"Collectiones hic & ſine legit, *συνάξεις* : vide *Gloſſar.*
"Iam propoſitas anno ſupra *l.*36.
"Villicus, domus vrbanæ : tranſlata appellatione ab agris ad vrbem & ad quamuis adminiſtrationem : Quomodo & Præfectus Vrbi Villicus Vrbis Iuuenali : Villicus ærarij, pro Præfecto ærarij apud......Parauranâ inſcript. Cicero pro Plancio, magiſtratus ....Villicos vocat. Reſtituebat & in illo Alex. Seueri.... pupillum eſſe Imperatorem, qui ex viſceribus Prouincialis, id eſt, homines non neceſſarios, nec Reipubl. vtiles paſceret, Vir Doctus. malum populi villicum. Quod nil neceſſe, malum pupillum vocabat Alexander prodigum, Curatoris egentem, qui rem euiſcerat, atque è viſceribus patrimonij ſibi crediti inutiles alit & paſcit : denique qui laſciuia & nepotatu rem diſperdit. Denique malus pupillus, prodigus.
"Vide *l.*7. *ſeu vlt. infr. ne ſanctum bapt.* quæ & ipſa eſt de Eunomianis. Eos, inquit, qui Epiſcoporum ſeu Clericorum, vel miniſtrorum nomine vſurpato huiuſmodi cœtibus præſunt.

COMMENTARIVS.

EVNOMIANIS teſtamenti factio & donationum ius hâc Arcadij conſtitutione redditur. Cœtus tantùm eorum prohibentur pœnis ſeueriſſimis. Satis hoc viſum Arcadio, quam vt vltra ſæuiret in eorum bona : haud ab alia mente, quam ſuperiore anno in eoſdem *l.*34. tulit : procuIdubio etiam neque alio authore, ſuaſore, putà Ioanne Chryſoſtomo. Sanè eædem pœnæ vtraque lege propoſitæ & quidem ſeueriſſimè cœtus agitantibus iiſque conniuentibus. Itaque exinde dicta huc quoque deriuentur. Denique apertiſſimè pœnæ paratæ & propoſitæ *d.l* 34. *hâc leg.* confirmantur.

XXXVII. * Idem AA. Hadriano PF. P."

RESCRIBTVM, † quod Donatiſtæ à Iuliano tunc Principe" inpetraſſe" dicuntur, propoſito Programmate" celeberrimis in locis volumus anteferri," & Geſta," quibus eſt huiuſcemodi allegatio" inſerta, ſubnecti : Quò omnibus innoteſcat, & Catholicæ confidentiæ ſtabilita conſtantia, & Donatiſtarum deſperatio fucata" perfidia. Dat. v. Kalend. Mart. Rau. Stilichone & Aureliano COSS. [400.]

NOTÆ.

* Abeſt & *hæc lex* à *Cod. Iuſt.* velut temporaria. Inſeruit eam Baronius Annalibus ſuis, déque eâ egit *A.*400 *n.*21.22. de eadem agit & *Anno* 362. *num.*261 262 263.264 265.
"*Hadriano* huic PP. Italiæ inſcribitur hoc ipſo menſe *l.*35. *ſupr. de Epiſcopis* : de eodem Hadriano Præfecto Prætorio : vide Claudianum, plura in *Proſopogr.*
† Iuliani Reſcriptum pro Donatiſtis nota.
"ante 40. fermè annos.
"precibus oblatis : de quo mox.
"*Programmate propoſito* ſeu in programmate Magiſtratus proponebant, & anteferebant leges & Reſcripta : vid. pariter *l.*2 *ſupr. de annona & trib.* Quod idem valet, quod Edicto propoſito : vid. Briſſon. *lib.*3. *formul. p.*358.
"*Anteferri*, id eſt, proponi propoſito programmate, & quidem ante Edictum Magiſtratus proponentis : de quo v. Parat. *de conſtit. Princ.*
"Iudicum.
"Reſcriptum : vide mox Auguſtini loca duo *lib.*1. *contra Parmenianum*, *cap.*7. *extremo*, & *contra literas Petiliani*, *lib.*2. *cap.*97.
"Sunt qui hic reponant *fugata*, quod mox ipſe fugabo.

COMMENTARIVS.

HONORII Imperatoris conſtitutiones fermè nunc ſequuntur : Quanquam & *lex* 35. *ſupr.* eiuſdem fuit. Sequuntur inquam, *num.*17. putà hæc lex, & *lex* 38.39.40.41.42.43 44.45.46. 47.51.52 53.54 55.56. Et quidem, quod obſeruandum, potiſſimam partem aduerſus *Donatiſtas*, emiſsâ : de quibus hæc quoque lex eſt : ſic vt vndecim in vniuerſum de Donatiſtis Honorij conſtitutiones hoc titulo liquidò numerare liceat ; ex quibus diſcimus quæ Honorij mens, quod odium in Donatiſtas fuerit. Nempe hæc illa Honorij tempora ſunt, per quæ Donatiſtæ potiſſimum deſæuiêre : & quidem, Circumcelliones in Africâ, quæ Donatiſtarum nutricula erat. Atque vt omittam quæ ſub eodem Honorio moliti illi ſunt, iam inde ab Imperij ipſius initio, atque adeò ante hanc legem, de huius modò legis ſententia nunc videamus.

DONATISTIS igitur per omnium ora traducendis, deſperatæque & fucatæ eorum perfidiæ publicandæ : Contrà, Catholicorum confidentiæ & ſtabilitæ conſtantiæ efferendæ, Honorius Imp. hâc conſtitutione, quæ data eſt Anno 400. Reſcriptum, quod à Iuliano Apoſtata (ante 40. fermè annos) impetrauerant, propoſito programmate, celeberrimis in ciuitatum locis *anteferri*, id eſt, proponi ab Hadriano PP. ſimul & *Geſta*, quibus huiuſmodi allegatio, ſeu Reſcriptum inſertum fuerat, ſubnecti iubet.

§ Hæc aperta huiuſce l. eſt ſententia, quæ nullam Iuris conſtitutionem continet, ſed Donatiſtarum tantùm odium præfert. Quæ vt meliùs intelligatur, de tribus videndum eſt : Quodnam illud ſit *Reſcriptum* Iuliani, ſimul & *Geſta* illa ; quæ tandem *occaſio* fuerit huiuſce legis ſanciendæ. Quod primum attinet ; Res ſic ſe habet.

Donatiſtæ ante Iulianum Imp. à Conſtante Imp. repreſſi, pulſis eorum Ducibus, Principibus, & Baſilicis eis ereptis, Iuliano Apoſtatâ ad Imperium euecto, legationem ſeu legatos, & in his Pontium, ad eum deſtinarunt, reſtitui ſe ſibique Baſilicas à Conſtante ereptas reddi, precibus petituros : qui vtique adulationis pleniſſimi Iulianum adorti dicentes, *Quod apud eum ſolum Iuſtitia locum haberet*, (quæ hic *fucata perfidia* dicitur.) Id quod à Iuliano facilè impetrauêre, eo reſcripto, cuius

cuius *hâc leg.* mentio fit. Cuius tum libelli tum rescripti meminere Optatus Mileuitanus *lib.2.* Chrysostomus *lib.1. contra gentes.* Augustinus *contra epist. Parmeniani lib.1. sub fin. pag.22. contra literas Petiliani lib.2. cap.92. & 97. Epistola ad Vincentium 48. pag.172. & epist. ad Donatistas 166.* Nempe eo consilio, vt ita Christianos inter se committeret, cui pax & vnitas Christiana nimium displicebat; quem Iuliani animum, vt in genere Ammianus Marcellinus *lib.22.* describit, ita Chrysostomus *lib.1. contra gentes*, & Optatus *lib.2.* & Augustinus *d. lib.1. contra Parmenianum epist.166.* hac in re nominatim tradit. Portò huius rescripti quædam inter cætera & ad locum refert Augustinus *lib.2. contra literas Petiliani c.97. Quod Iulianus*, inquit, *constituit: dicens. Hoc quoque supplicantibus Rogatiano, Pontio, Cassiano & cæteris Episcopis, sed & Clericis, accedit ad cumulum, vt abolitis quæ aduersus eos sine Rescripto perperam gesta sunt in antiquum statum cuncta reuocentur.* Et hæc de Rescripto Iuliani ad preces Donatistarum. Quod quidem vt id obiter moneam, à Iuliano Sirmij datum non fuit, quod probat Vir Doctus, vt ita huc traharrescriptum quod Sirmij datum dicitur & antiquatur *l.5 supr.* Neque enim Iulianus Princeps seu Imperator Sirmij vnquam fuit.

¶ Quid *Gesta* hîc sint, quibus huiuscemodi allegatio inserta, videamus. Sanè bifariam id accipi posse quis putet. Primùm per Gesta hîc accipienda videantur acta à Legatis seu Allegationes Donatistarum apud Iulianum, & sic supplicatio, seu preces ipsæ, quibus in scripta redactis, Rescriptum deinceps insertũ. Quo sensu hoc Codice non vna lex ex parte actorum apud Principem, seu in consistorio eius, exhibetur de quo vide *Prolegom.* Secundò putet quis his accipienda Gesta Iudicum Africæ: vbi sanè Donatistæ vnà cum rescripto à Iuliano impetrato, preces Iuliano oblatas, allegarunt, insinuarunt. Optatus *lib.3. Bene nosti, quod vel à quo petiuerint, & quam rogauerint, vt redirent & tecum venire potuissent & nos didicimus, cum easdem preces, quas dederunt, apud Africanos Iudices allegarent; in quibus infra scriptum est: Data ab Episcopis partis Donati:* Augustinus pariter *lib 1. contra Parmenianum d. cap.7. in fin. Iuliano Donatista sicut Iudicum Gesta testantur, quibus hi quod impetrauerunt, ALLEGARVNT, talibus verbis supplicauerunt. Dixerunt enim, quod apud eum solum Iustitia locum haberet.* Et contra literas *Petiliani lib.2. Pontius fecit, Pontius supplicauit, Pontius apud Apostatam solum Iustitiam locum habere prædicauit. His verbis sibi Pontium supplicasse in eodem Rescripto suo nominatim sine ambage ipse Iulianus expressit: Extant ALLEGATIONES VESTRÆ; non hæc incerta fama, sed publica monimenta testantur.* Et rursum *c.97. Imperatori Pagano & Apostatæ dixistis, Quod apud eum solum Iustitia locum haberet. Quibus precibus & Rescripto, sicut ibi scriptum est (sicut ALLEGATIONIS GESTA testantur) pars Donati vniuersaliter vsa est.* Nempe, Rescripta Principum qui impetrauerant, ea Iudicibus & Iudicum gestis allegabant (*les faisoient enregistrer au Greffe des Iuges*) vt docent præterea hoc Codice *l.2. supr. de integri restitut. l. vnic. supr. de operibus public. l.26. supr. de cohortalibus: l.12. 13. 20. 30. supr. de petition. l. vnic. supr. si vagum mancip l.2. supr. de incorporat.* Et ita quidem Rescripta Gestis allegabantur, vt simul etiam preces, ad quas Rescriptum emanauerat, allegarentur, seu intimarentur: Quod & hic factum à Donatistis. Quâ causâ Honorius Gestorum publicationem impetrat, nam omnisi ex his fucata Donatistarum perfidia innotescere potuit: vice versâ, Catholicæ confidentiæ stabilita confidentia. Nempe quod Donatistæ, at non & Catholici, adulatione fucatâ & perfidâ Iuliano obrepserant, atque omne illud quod ab eo impetrauerant, malis artibus impetrauerant.

¶ Nunc postremo loco inquirendum est, quænam occasio hoc tempore Honorio Imper. præbita fuerit, vt Iuliani Apostatæ rescriptum hoc pro Donatistis, vnà cum eorum precibus post tot demum annos ex Actis Proconsularibus publicè proponi voluerit, atque omnibus innotescere. Putat haud absurdè Baronius Donatistarum (& quidem Petiliani Donatistæ nominatim) epistolam seu inuectiuam in Catholicos huic constitutioni occasionem dedisse: quâ, vt docet Augustinus pluribus locis, & inter cætera *epist.48.* & *contra Petiliani epistolam lib.2. cap.91.* exprobrauit Catholicis, quod à Principibus aduersus se sæpè expetissent auxilium: atque inter cætera hæc in eam sententiam dixerat. *Quid autem vobis est cum... seculi, quos nunquam Christianitas nisi inuidos sensit*, &c. Addatur & Augustini locus *contra Epistolam Parmeniani lib.1. cap.7. circa fin.* vbi pariter hoc Donatistarum factum iam proscribebat Anno superiore 399. (vt existimo.) Has scilicet inuectiuas ad aures Honorij peruenisse, per legatos Africanos Anno 399. superiore, vel ipsum Possidium Calamensem Episcopum: Honorium his commotum, in eorum Donatistarum opprobrium, procaciam eorum efferri voluisse, qua ipsimet a Iuliano Imp. Apostata rescriptum seu auxilium impetrasse innotesceret. Fortassis & illud putet quis Donatistas de legibus ab Honorio Imperatore aduersum se latis querentes, Iuliani factum iactasse exprobrandi animo, quasi minus æquitatis & iuris Christiani ipsi à Christiano Principe ferrent, quam a Gentili Imp. olim tulerant, Christiani alioquin nominis osore. Quare visum Honorio, rescriptum Iuliani cum precibus Donatistarum publicè omnibus proponi, vt ita sciretur, quàm bonis imò fucatis artibus id Donatistæ impetrassent, imò quam desperata & fucata perfidia eorum fuerit: Quam interpretationem iuuare videtur, quæ Augustinus scribit, tum passim, tum *lib.1. adu. Parmenianum, cap.7. epist.43.* contra quam aliis longè artibus, putà Catholica confidentia Catholicorum constantia stabilita fuerit, quos vt à veritate, ita & sinceritate nihil dimouere vnquam valuerit, quod sanè ex Iuliani temporum historia liquet.

¶ Quidquid huius sit, vt omittam, quod Augustinus testatur de actis Collationis Carthaginensis, quæ in Ecclesiis Africanis publicè quadragesimæ tempore recitari mos fuit, *lib. de gestis cum Emerito*, vt omittam quod idem Honorius *l.55. infr.* voluit eadem gesta in publica monumenta relata, etiam mortuo Cognitore Marcellino perpetem habere firmitatem. Simili certè posteà exemplo Anno D.412. & Marcellinus acta de sceleribus Donatistarum post collationem Carthaginensem publicè proponi voluit in Theoproptia, quò frequens vt videtur multitudo confluebat, velut locum Carthagine celeberrimum, eadémque Augustinus per Ecclesiam recitari desiderauit. *Gesta*, inquit, *Epist.158. ad Marcellinum, quæ promisit præstantia tua, vehementer expecto & in Ecclesia Hipponensium iam recitari cupio, ac si fieri potuerit per omnes Ecclesias etiam in nostra Diœcesi constitutas: vt audiant homines pleneque agnoscant confessores iniquitatis, non Dei timore extorquente pœnitentiam, sed iudiciaria diligentia crudelissimorum*

pectorum

pectorum aperiente duritiam : siue illorum qui de homicidio & de excæcato ac debilitato Presbyteri corpore confessi. Et mox. *Quod autem scripsit Eximietas tua, dubitare te, vtrum in Theopropria debeas eadem gesta iubere proponi : fiat, si potest illuc frequens confluere multitudo : Alioquin alius locus celebrior proponendus est, non tamen vllo modo prætermittendum.* Notanda interim tria exempla illa, atque adeò mos publicandorum, recitandorum gestorum quondam cum hæreticis, in cornu, vt loquuntur, *diffamiam* & conuictionem.

XXXVIII. * Idem AA. & Theod. A. Edictum.''

NEMO Manichæum, nemo Donatistam, qui præcipuè (vt conperimus) furere non desistunt, in memoriam'' reuocet: Vna sit Catholica veneratio: vna salus sit: Trinitatis, par, sibi congruens, sanctitas expetatur.'' Quòd si quis audeat interdictis'' sese inlicitísque miscere, & præteritorum † innumerabilium constitutionum, & Legis, † nuper à Mansuetudine nostrâ prolatæ, laqueos'' non euadat: & si turbæ fortè conuenerint, seditionis concitatos,'' aculeos acrioris conmotionis non dubitet exerendos. Dat. Prid. Id. Feb. Rau. Stilichone II. & Anthemio COSS. [405.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus suis intulit Baronius *Anno* 405. *num.*27. Iungenda autem huic est *l.*3. *in fin. ne sanctum bapt. iter.* quæ pars est altera huius Edicti. Quinimò iungenda & *l.*4. *9 eod. tit.* Huius *Edicti* meminit rursum Honorius *l.*2. *infr. de religione.* Meminerunt & Patres Africani triennio post, Anno 407. *can* 99. *Cod. Africani.*

''De vnitate siue *ἑνωτικόν*.

''*Nemo in memoriam reuocet.* Manichæum, Donatistam, id est, omninò esse non sinantur: vt Augustinus *epist. ad Bonifacium.* Imò ne nominentur quidem amplius: v quædam similia ad *l. vlt. infr.*

''*Expetatur*, id est.

''id est, rebaptizare audeat: quod docet *d.l.*2. *infr. de relig.* quæ huic coniung. vt & coniungenda *lex* 45. *infr. ne sanctum baptism. iter*

† Lex ab Honorio antea lata aduersus Manichæos Donatistas.

''*Laquei legis*, id est, multa *hâc leg.* & *l.*8. *supr. de re militari l.*9 *supr. de filiis apparit. l.*16. *supr. de diuers. offic. l. vltim. supr. de habitu.*

''*al. concitator.*

COMMENTARIVS.

MANICHÆORVM & DONATISTARVM spiritus, furor & error, cœtúsque seditiosi ab Honorio Imp. hoc Edicto Anno 405. retunduntur: firmatis anterioribus in eos constitutis, suâque lege nuper latâ: pœnis seuerissimis propositis, atque ad vnitatem omnibus inuitatis.

¶ Nempe hoc VNITATIS Edictum est Honorij Imp. per Africam missum: cuius ipse mentionem facit *l.*2. *infr. de relig.* proximo sequente mense huius anni: *Edictum*, inquit Honorius, *quod per Africanas regiones clementia nostra direxit, per diuersa proponi volumus, vt innotescat Dei omnipotentis vnam & veram fidem Catholicam, quam recta credulitas confitetur, esse retinendam.* De eodem accipienda & illa auctoris Consularium, quæ Idacio subdita. *Stilichone*, inquit, *II. & Anthemio* [Coss.] *His COSS. inter Catholicos & Donatistas VNITAS facta.* Vnitas facta, id est, vnitatis edictum seu Henoticum factum. Meminerunt & Patres Africani, triennio post in Concilio Carthaginensi Decimo, Anno 407. *can.*99. *Cod. Africani: Vnitatis*, inquam, *Edictum*: quod & illa verba ostendunt: *Vna sit Catholica veneratio: vna salus sit: Trinitatis par sibi congruens sanctitas expetatur.* Cuiusmodi Edicta Græci *ἑνωτικά* vocant: quale etiam Zenonem Imp. posteà tulisse memorat Victor Tununensis *in Chronico. Anastasius Imp.* inquit, *Hæreticorum Synodum faciens Henoticum Zenonis confirmat*, & Theodorus Anagnostes *Ecloga* 2. ὑπόθεσιν λέγει τῷ βασιλεῖ πείθειν τὸν Ῥώμης Ἐπίσκοπον τῷ ἑνωτικῷ Ζήνων© ὑποχάρειν. Idque totum extat apud Euagrium *lib.*..*cap.*13. Neque alius generis est Theodosij Edictum quod continetur *l. cunctos populos supr. de fide Cathol.* Sanè huiusce Honoriani Henotici pars est quoque *l.*3. *infr. ne sanctum baptism. iter.* quæ proinde huic coassanda est. Quinimò & huius Edicti partem facio eam legem quam memorat Augustinus *epist.*166. de quo ad *d l.*3. Quin huic Edicto de vnitate exequendo eadem die simul specialia ab Honorio mandata ad Hadrianum Præfectum Prætorio emissa fuêre quæ continentur *l.*4. & 5. *infr. eod. tit. ne sanctum bapt. iter.* Ac specialius adhuc mox peculiari ad Proconsulem Africæ lege edictum istud suum per diuersa proponi iussit *dict. l.*7. *infr. de religione.*

¶ Causam huic Edicto præbuêre tum Patres Africani superiore Anno 404. congregati, tum ea quæ exinde à parte Donatistarum secuta sunt. Patres nempe Africani eum Donatistarum & Circumcellionum pertinaces spiritus & furorem, quos ad amicabilem Anno 403. de religione collationem inuitauerant (quod liquet ex *can.*91.92. *Codicis Africani* seu *can. vltim. & penult.* Concilij Carthaginensis 8. habiti superiore Anno 404.) viderent, legatione ad Honorium Imp. missa & vnitatis studium commendarunt, & pœnas aduersus Donatistas sanciri expetiuerunt, (quas vtique sancitas docet *d.l.*4. & 5.) & aduersus Donatistarum furorem præsidium deposcere, vt plenissimè eo *can.*93. continetur, vbi inter cætera aiunt: *Donatistas pacificâ collatione spretâ, ad immanes violentias conuersos fuisse ita, vt multos Episcopos multósque Clericos (vt de laicis taceamus) insidiis oppresserint, Ecclesias etiam aliquas inuaserint, aliquas inuadere pertentauerint.* Et mox. *Nota est enim & sæpè legibus conclamata Circumcellionum, quia furunt, detestabilis manus, quæ etiam ipsorum religiosissimorum suprà Principum frequentibus sanctionibus condemnata est, aduersus quorum furorem possimus non*

inſollta, nec à ſcripturis ſanctis aliena impetrare præſidia. His addendæ & querelæ etiam priuatæ Epiſcoporum & in his Maximiani Ep. Bagaienſis, quæ ad Honorium Imp. eodem tempore perlatæ; de quibus Auguſtinus *epiſt.*48. 50. *ad Bonifacium, pag.*220. 221.68. *lib.*3. *contra Creſconium, cap.*43. *lib.*3. *contra Iulianum, cap.*1. in breuiculo *collationis diei* 3. *cap.*11. Hinc igitur Honorius his compertis (quod ipſemet hoc Edicto profitetur: *Qui præcipuè* inquit, (VT COMPERIMVS) *furere non deſiſtunt.*) Edictum hoc promulgatum iuit, furori & errori Donatiſtarum cohibendis & ſeditionibus inhibendis: Hinc pœnæ propoſitæ *d.l.*4. *infr. ne ſanctum bapt.* firmatis hác in re anterioribus conſtitutionibus frequentibus (quas & ipſas patres Africani ibidem memorant) ſuáque lege nuper promulgata.

§ Donatiſtis autem *hâc leg.* iunguntur *Manichæi:* de quibus tamen nulla mētio fit in iis, ſiue Patrum ſiue priuatorum, quæ ad Honorium perlatæ ſunt querelis, quæque huic Edicto vt dixi occaſionem præbuêre. Attamen non inani coniecturâ ducor, ab Auguſtino impetratum hoc, qui ſuperioribus pariter Conſulibus diſputationem habuit cum Felice Manichæo, quem & ad fidem Catholicam conuertit: de quo videndus Poſſidonius *in vitâ Auguſtini cap.*16. Ipſe Auguſtinus *contra Manichæum lib.*2. *in fin.* & illa quæ ex Codice quodam Nicol. Faber extulit, quæque Baronius memorat *Anno* 404. *num.*128. Sed enim cauſam ipſemet *initio leg.* indicat: Nempe hæc duo hæreticorum præcipuè genera Africam tum turbaſſe: quod præter hanc legem docuit iam *l.*35. *ſupr.* docebit *l.*40.41.43. *infr. hoc tit.* videnda & quæ ad *d.l.*35. notaui.

§ Potiò nuncitatur *hâc leg.* Honorius legis laqueos ſeu pœnas lege nuper à ſe promulgatâ conſtitutas: Quibus verbis intelligo, multam pecuniariam decem auri librarum à Theodoſio promulgatam, quæ antea ſtatuta fuerat: id enim inter alia per *legis laqueos* intelligendum eſſe iam oſtendi: imò & ſeueriorem pœnam comminatur ſi turbæ conuenerint. Certè Patres Africani quoque, eo quo dixi Concilio habito anno ſuperiore, id ab Honorio petendum per Legatos decreuêre, vt legem illam Theodoſij *quæ de auri libris decem in ordinatores vel ordinatos hæreticos ſeu etiam in poſſeſſores, vbi eorum congregatio deprehenditur promulgata eſt, ita deinceps confirmari præcipiat, vt in eos valeat, contra quos propter eorum inſidias Catholici prouocati conteſtationem depoſuerint.* De quo ipſo eſt Auguſtini locus qui id egregiè explicat, *epiſt. ad Bonifacium p.*219. De quo plura ad *l.prox.*

XXXIX. * Idem AAA. Diotimo" ſuo Sal.

DONATISTÆ ſuperſtitionis" hæreticos," quocumque loci, vel fatentes," vel conuictos, Legis † tenore ſeruato, pœnam" debitam abſque dilatione perſoluere decernimus. Dat. VI. Id. Decembr. Rau. Stilichone II. & Anthemio COSS. [405.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus ſuis Baronius rectè inſeruit *Anno* 405. *num.*28. Eius verò meminit Auguſtinus, *non vno loco.*

"*Diotimo* huic Proconſuli Africæ hoc ipſo Anno inſcribitur, *lex* 3. *infr. de relig.* & *l.*62. *ſupr. de Appellat.* & notanda potiſſimum *d.l.*2. quæ ad eoſdem Donatiſtas pertinet.

"Sic quoque *l.*3. *infr. de religione*, vbi v. quæ dixi.

"Quod tamen ipſi negabant, vt ex Auguſtino mox notabo. Sic altera Honorij *l.*44. *infr. Donatiſtarum hæreticorum.*

"*Confeſſus* & conuictus eodem loco ſunt.

† Theodoſianæ.

"*Pœnam*, id eſt, multam decem auri librarum: ideò mox ſequitur, *perſoluere*, de quâ multa ad *l.*21. *ſupr.* & mox plenè.

COMMENTARIVS.

MVLTA autaria DECEM AVRI LIBRARVM *Clericis* hæreticorum Miniſtris à Theodoſio Magno impoſita, Anno 392. *l.*21. *ſupr.* hac Honorij filij ipſius conſtitutione ad Donatiſtas *hæreticos* (qui tamen ſe hæreticos negabant) vbicunque, fatentes vel conuictos, expreſsè porrigitur: Porrigitur inquam. Nam hoc eſt illud quod illis verbis indicatur; *Legis tenore ſeruato pœnam debitam abſque dilatione perſoluere decernimus.* Vt miret Baronium conſignata *hâc leg.* nihilominus ſcribentem, Honorianam de multa autaria decem librarum perſoluenda conſtitutionem deſiderari. Nos illud videamus, quibus gradibus ad *hanc leg.* ferendam Honorius adductus fuerit. Primò, quidem Anno ſuperiore 404. Patres Africani eo Concilio ita decreuerant, vt habetur *can* 93. *Cod. Africani, ſimul etiam petendum, Vt illam legem quæ a religioſæ memoriæ eorum Patre Theodoſio de auri libris decem in ordinatores vel ordinatos hæreticos, ſeu etiam in poſſeſſores, vbi eorum congregatio deprehenditur, promulgata eſt, ita deinceps confirmari præcipiant, vt in eos valeat contra quos propter eorum inſidias Catholici prouocati conteſtationem depoſuerint: vt hoc ſaltem terrore à ſchiſmatica, vel hæretica prauitate deſciſcant, qui conſideratione æterni ſupplicij emendari corrigique diſſimulant.* Sequantur nunc Auguſtini loca, hanc ad rem; primum procedat locus *Epiſtola* 50. *ad Bonifacium* Comitem rei militaris, de moderatè coërcendis hæreticis *pag.*219. *Antequam iſta leges, quibus ad conuiuium ſanctum coguntur intrare, in Africam mitterentur, nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego eram, quamuis Donatiſtarum rabies vſquequaque ſæuiret, non eſſe petendum ab Imperatoribus, vt ipſam hæreſin iuberent omninò non eſſe, pœnam conſtituendo eis, qui in illa eſſe voluiſſent, ſed hoc potius conſtituerent vt eorum furioſas violentias non paterentur, qui veritatem Catholicam vel prædicarent loquendo vel legerent conſtituendo. Quod eo modo fieri aliquatenus poſſe arbitrabamur, ſi legem piiſſimæ memoriæ Theodoſij, quam generaliter in omnes hæreticos promulgauit: vt quiſquis eorum vel Epiſcopus vel Clericus vbilibet eſſet inuentus, decem libris auri multaretur, expreſſiùs in Donatiſtas, qui ſe negabant hæreticos, ita confirmarent, vt non*

omnes

omnes eâ mulcta ferirentur, sed in quorum regionibus aliquas violentias à Clericis vel à Circumcellionibus vel populis eorum Ecclesia Catholica pateretur, vt scilicet post Protestationem Catholicorum, qui fuissent ista perpessi, iam cura Ordinum ad persoluendam mulctam Episcopi siue ministri cæteri tenerentur. Ita enim existimabamus, eis territis & nihil tale facere audentibus, posse liberè doceri & teneri Catholicam veritatem, vt ad eam cogeretur nemo, sed eam qui sine formidine vellet sequeretur, ne falsos & simulatores Catholicos haberemus. Et quamis aliis fratribus aliud videretur, vel ætate grauioribus, vel multarum ciuitatum & locorum exempla currentibus, vbi firmam & veram Catholicam videbamus, quæ tamen ibi talibus beneficiis Dei constituta esset & firmata, dum per priorum Imperatorum leges ad communionem homines Catholicam venire cogerentur, obtinuimus tamen, vt illud potius quod dixi ab Imperatoribus peteretur, decretum est in Concilio nostro, legati ad Comitatum missi sunt. Sed Dei maior misericordia qui sciret, earum legum terror, & quadam medicinalis molestia, quam multorum esset praui vel frigidis animis necessaria, & illi duritia quæ verbis emendari non potest, sed tamen aliquamula seueritate disciplinæ potest, id egit, vt legati nostri, quod susceperam obtinere non possent. Iam enim nos præuenecant ex aliis locis quædam Episcoporum querelæ grauissimæ, qui mala fuerant ab ipsis multa perpessi, & à suis sedibus exturbati: præcipuè horrenda & incredibilis cædes Maximiani Episcopi Catholici Ecclesiæ Vagiensis effecit, vt nostra legatio iam quid ageret non haberet. Iam enim lex fuerat promulgata, vt tanta immanitatis hæresis Donatistarum, cui crudelius parci videbatur, quam ipsa sæuiebat, non tantum violenta esse, sed omninò esse, non sineretur impunè. Non tamen supplicio capitali, propter seruandam etiam circa indignos mansuetudinem Christianam, sed pecuniariis damnis propositis, & in Episcopos vel ministros eorum exilio constituto. Et mox. *Hinc ergo factum est, vt Imp. Religiosus & pius perlatis in notitiam suam talibus causis mallet piissimis legibus illius impietatis errorem omninò corrigere, & eos qui contra Christum Christi signa portarent, ad vnitatem Catholicam terrendo & coercendo redigere, quam sæuiendi tantummodo auferre licentiam & errandi ac pereundi relinquere. Iam verò cum ipsæ leges venissent in Africam*, &c. Idem epistola 68. *Crispinus iudicatus* hæreticus, *nec pœna decem librarum auri, quæ in hæreticos ab Imperatoribus fuerat constituta, per mansuetudinem Catholicam feriri permissus est, & tamen ad Imp. appellandum putauit. Cuius appellationi quod ita responsum est, nonne vestrorum præcedens improbitas & eadem ipsius appellatio extorsit, vt fieret: nec tamen etiam post ipsum rescriptum intercedentibus apud Imp. nostris Episcopis eadem auri condemnatione mulctatus est. Ex Concilio autem nostri Episcopi legatos ad Comitatum miserunt qui impetrarent; Vt non omnes Episcopi & Clerici partis vestræ ad eandem condemnationem decem librarum auri, quæ in omnes hæreticos constituta est, teneremur, sed hi soli quorum in locis aliquas à vestris violentias Ecclesia Catholica pateretur. Sed cum legati Romam venerunt iam cicatrices Episcopi Catholici Vagitani horrenda ac recentissima Imperatorem commouerant, vt* LEGES TALES *mitterentur, quales & missæ sunt.* Idem epist. 166. ad Donatistas. *Et tamen cum Crispinus propter hoc factum in proconsulari iudicio conuinceretur* hæreticus, *eiusdem Episcopi Possidij intercessu decem libras auri non est exactus. Cuius beniuolentiæ & mansuetudini ingratus, ad Imperatores Catholicos ausus est appellare. Vnde hanc in vos iram Dei de qua murmuratis, multo importunius & vehementius prouocauit.* Idem lib. 3. contra Cresconium, cap. 47. *Crispinus Episcopus vester exhibitus est, quod se esse Proconsuli quærenti negauerat, facillimè* CONVICTVS *hæreticus, decem tamen* LIBRAS AVRI, *quam mulctam in omnes hæreticos Imperator Maior* THEODOSIVS *constituerat, intercedente Possidio non est compulsus exsoluere. Quæ mitissima sententia non contentus, nescio quo consilio, quod displicuisse cæteris omnibus dicebatur, ad eiusdem Theodosij filios prouocandum putauit. Acceptum est rescriptum quid aliud nisi quod pars Donati iam sciret se ad illam* POENAM *Aurariam cum cæteris hæreticis pertinere*; & quæ mox sequuntur; vbi vocat *recentissimas leges*. Idem contra literas Petiliani lib. 7. cap. 83. *Ipsa Catholica Ecclesia solidatâ Principibus Catholicis Imperatoribus terra marique armatis turbis ab Optato atrociter & hostiliter oppugnata est. Quæ res cogit tunc primo aduersus vos allegari apud Vicarium Seranum Legem illam de decem libris auri, quas vestrum nullus adhuc pendit & nos crudelitatis arguitis.* Idem Epistola ad Crispinum ipsum 173. *Nam possemus agere, vt decem libras auri secundum Imperatoria Iussa persolueres. An fortè propterea non habes vnde reddas quod dare iussi sunt rebaptizatores, dum multam erogas, vt emas quos rebaptizes.* Possidonius quoque in V. Augustini, cap. 12. *Crispinus*, inquit, *Proconsulari*, &c. *libellari sententia &* PRONVNCIATVS Hæreticus. *Próque illo apud Cognitorem Catholicus Episcopus intercessit, ne auraria mulcta exigeretur, ei & beneficium impetratum. Vnde cum ingratus ad piissimum Imp. prouocasset, ab Imperatore relationi, debitum est responsum solutum, & consecutum* PRÆCEPTVM, NVLLO *prorsus* LOCO *Donatistas* HÆRETICOS *esse, & ad iura* LEGVM *omnium contra Hæreticos latarum* VBIQVE *teneri debere. Ex quo & Iudex propter Officium, & idem Crispinus quod minimè fuerat* EXACTVS *præcepti sunt denas libras auri fisci Iuribus* INFERRE. Qui postremus Possidonij locus huius legis sententiam & verba prope ipsa exprimit. Ait, *Donatistas hæreticos esse.* Lex ipsa habet, *Donatistæ superstitionis hæreticos*, & infr. l. 44. *Donatistarum hæreticorum*: de quo mox plura. Ait, *nullo prorsus loco*: Item VTIQVE ipsa lex, *quocunque loci*. Ait, *Ad iura legum omnium contra hæreticos latarum vbique teneri debere*: Lex ipsa ait *legis tenore seruato*. Denique ait, *Præceptos quod minimè fuerant exacti denas libras auri fisci Iuribus inferre*: in ipsa lege ait Honorius, *Pœnam debitam absque dilatione persoluere decernimus*. Itaque iam dubium nullum, hanc illam esse Honorij legem, de multa decem librarum auri Donatistis hæreticis imposita: *Hæreticis* inquam Donatistis, Quâ vnicâ voce Honorius indicat rationem *huius leg.* & cur multam à Theodosio M. Patre in hæreticos generaliter latam, in Donatistas quoque proroget: quia & ipsi *hæretici* sint: quod etiam ipsum indicat Augustinus *epist. 50 ad Bonifacium* & Possidonius *in vitâ Augustini cap.* 12. locis quos superiùs consignaui. Quare & *Donatistarum hæreticorum* idem Honorius dixit *l. 44. infr.* vbi vide adhuc quæ dicam & *l. 41.* hæreticorum siue Donatistæ siue Manichæi sint, & *l. 46.* ne Donatistæ vel cæterorum vanitas hæreticorum. Quanquàm propriè adhuc hâc *hæreticorum* voce Ministri Clerici & Episcopi Donatistarum intelligi videntur. Neque enim omnibus Donatistis hæc pœna hac lege imposita: neque Donatistæ omnes multati (quod factum post demum *l. 52 & 54. infr.*) idque alia & alia pœna. Denique historia huius rei sic habet. Patres Africani Superiore anno decreuerant,

petendum

petendum ab Honorio, *Vt mulcta illa auraria violentis tantùm Donatistis & Circumcellionibus imponeretur.* Verùm & Crispini proocatio & Cicatrices Episcopi Vagitani id apud Honorium effecêre, vt omnibus Donatistarum Clericis & Ministris fatentibus vel conuictis pœnam auraria imponeret. Quanquam hoc ipso anno ante hanc legem, septem mensibus post legationem Patrum Africanorum, seueriorem longè ab Honorio pœnam Donatistis rebaptizantibus impositam, putà bonorum proscriptionis, docet *d. l. 4. 5. in fin. ne sanctum bapt. iter.*

XL. * Idem AAA. Senatori PF. P."



QVID" de Donatistis sentiremus, nuper † ostendimus. ¶ Præcipuè tamen Manichæos," vel Frygas, siue Priscillianistas, meritissimâ seueritate persequimur. ¶ Huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus sit commune cum ceteris. ¶ Ac primùm quidem, volumus esse publicum crimen, quia *Quod in religione" diuina committitur, in omnium fertur iniuriam.* Quos" honorum etiam publicatione persequimur: Quæ" tamen cedere iubemus proximis quibúsque personis: ita vt ascendentium, vel descendentium, vel venientium ex latere cognatorum" vsque ad secundum" gradum, velut" in successionibus, ordo seruetur. Quibus ita demum ad capiendas facultates esse ius patimur, si non & ipsi pari conscientia polluuntur. ¶ Ipsos quoque volumus amoueri ab omni liberalitate" & successione, quolibet titulo veniente. ¶ Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non postremò contrahendi, cuique" conuicto relinquimus facultatem. ¶ In mortem quoque inquisitio tendit." Nam si in criminibus Maiestatis" licet memoriam accusare defuncti, non inmerito & hic debet subire iudicium." ¶ Ergo & suprema illius scriptura irrita sit: siue testamento, siue codicillo, siue epistula, siue quolibet" genere reliquerit voluntatis," qui aut Manichæus, aut Fryga," aut Priscillianista conuincitur: hoc" quoque casu eadem illa circa gradus superiùs conprehensos condicione seruatâ. Alioquin nec" filios existere," aut adire permittimus, nisi à paterna prauitate discesserint: Delicti enim veniam pœnitentibus damus. ¶ Seruos etiam" extra noxam esse volumus, si dominum sacrilegum reuelantes" ad Ecclesiam Catholicam seruitio fideliore transierint. ¶ Perferri" huiusmodi hominum cœtus, domino, & si non communione criminis inplicato, sciente tamen, nec prohibente, contraxit, patrimonio nostro societur. Ac si dominus ignorabit, actor, vel procurator possessionis, cohercitus plumbo," perpetuo metallorum operi deputetur: Conductor, si idoneus" est, deportabitur: Rector" Prouinciæ, si hæc crimina dissimulatione, vel gratia, delata distulerit, aut conuicta neglexerit, sciat se multa viginti librarum auri feriendum. Defensores quoque & Principales vrbium singularum, necnon & Officia prouincialia, decem librarum auri pœna constringet, nisi in his, quæ à Iudicibus super hoc præcepta fuerint, exsequendis, & sagacissimam curam & sollertissimam operam commodarint. Dat. VIII. Kalend. Mart. Rom. Honorio VII. & Theodosio II. AA. CONSS. [407.]

NOTÆ.

* Lex *Manichaos 4. Cod. Iust. de hareticis*, huic interpolata est. Hanc Baronius Annalibus suis inseruit *Anno 407. n. 2. 3.* Sed & eandem prolixè expendit qui aduersus Schoppij classicum scripsit, à *pag. 131. ad p. 181.* vltimâ tamen sententia quæ incipit *Perferri*, omissâ seu intactâ.

" In Codice Iustinianeo & Til j editione *P. V.* malè.

† id est, ante biennium fermè Anno 405. nempe *l. 3. 4. & 5. infr. ne sanctum bapt.* & *l. 38. & 39 supr. proximis.*

" locus hic ita interpolatus à Triboniano. *Manichaos seu Manichaas vel Donatistas meritissimâ seueritate persequimur* Phrygum & Priscillianistarum mentione subducta pariter ad *§. ergo.*

" *In religionem diuinam*, ita Codex Iustinianeus.

" Basilica hæc ita exprimunt rectè: ἵνα μὴ τοῦ ἐγγύτερον τοῦ βαθμοῦ ποριμᾶται: vide & *l. 49. infr.*

" Hæc sententia integra de Manichæorum bonis proximis relinquendis, à Cod. Iust. hodie abest, vsque ad ea. *Ipsos quoque:* de quo mox.

" Ita cognatorum vsque ad tertium gradum peculiaris ratio in sp. *l. 2. de bon. proscr.*

" *Ab omni liberalitate & successione quolibet titulo veniente.* Ita quoque Codex Iustinianeus. Malè Tiliana & postrema Parisiensis editio habet *ab omni liberalitatis & successionis quolibet titulo venientes.* Quanquam possit & ita *ab omni liberalitate & successione quolibet titulo veniente.*

" *Cuiquam*: Cod. Iust.

" *x. tendat, extendatur*, ita Cod. Iust.

" vide sup. *titulo ad legem Iuliam Maiestatis.*

" *tale iudicium*, Cod. Iust.

" *Quolibet alio*, Cod Iust.

" *Voluntatem*, Cod. Iust. Et istud tamen sustineri potest.

" *Aut Phryga aut Priscillianista*: hæc rursum à Triboniano resecta, vt initio legis.

" pariter vt *vers. quos bonorum.* Hæc verò sententia abest hodie à Cod. Iust. quam tamen Basilica agnoscunt.

" *Sed nec Filios haredes eis existere.* Ita, Cod. Iustin. additâ etiam voce *haredes*, quæ hic abest, vnde apparet, filios *existere* ἀπλῶς dici, pro filios hæredes existere: vt proinde non debuerint nonnulli hunc locum de mendo suspectum facere.

" *In supr.* ita Cod. Iust.

" *Euitantes.*

"*Euitantes*: ita Cod. Iust. In aliis editionibus huius Cod. Theodos. *reuerentes*: Quod ferri non potest, non magis, quam quod quidam substituunt *fugientes*.

* Sequentia omnia absunt, à Cod. Iustin. prælatis iis quæ continentur *fine leg. noxios sup.* sic etiam vt §. *seruos*, ibi præmittantur. Cæterùm corruptissimus hic locus est de quo mox.

"*Ingenuus*: vid & *l.20. supr* & *l pen. infr.*

"Vide similia prorsus extrema *d.l.4. infr. ne sanctum baptisma.*

COMMENTARIVS.

TRES HÆRESES Honorius Imp. hac constitutione quæ data est Anno Domini 407. insequitur, Donatistas inquam, Manichæos, Phrygas siue Priscillianistas. Quanquam quod *Donatistas* attinet ad nuperam constitutionem suam sese refert: Quibus verbis, nisi recentior aliqua indicetur, intelligendæ veniunt *lex 4 & 5. infr. ne sanctum bapt. iter.* Item *l.38. l.39. supr.* Porrò hac de Donatistis præfatione, Honorius satis indicat, se Donatistas, eo quod Donatistæ essent, non vt Manichæos, intestabiles fecisse, aut commercio eis vel communione iuris ciuilis interdixisse. Denique non pœna peregrinorum mutandæ conditionis, vt loquitur *lex 36. supr.* afflixisse (quod posteà factum est *l. 54. infr.*) vbi & locum Augustini adduco.

¶ In *Manichæos* igitur & Phrygas siue *Priscillianistas* hæc constitutio propriè est, seu huius constitutionis pœnæ, quas de Donatistis multi perperam acceperunt: Et verò contra Honorij mentem & historiæ veritatem Tribonianus interpolatione sua Donatistis communes fecit: nam initium legis clarè ostendit contrarium. Nempe duæ hæ vel maximè nefariæ superstitiones erant, quas *meritissima seueritate persequi* ait, (non tamen capitali, de qua mox.) Quod vt de Manichæis docuit iam *lex 35. supr.* docebit quoque *l.65. infr. hoc tit.* vbi dicuntur, ad imam vsque scelerum nequitiam peruenisse, & *l.3. infr. de Apostat.* Diocletiani item & Maximiani constitutio in Cod. Gregor. *l.12. tit. vltim.* & apud Auctorem Coll. legum Mosaicarum *tit 5.* & Valentiniani *Nouell.1.* ita de Priscillianistis docebit pariter *l.43. 48. infr.* Certè & alibi Phryges & Priscillianistæ cum Manichæis coniunguntur, *l.43.48.54.65. infr.*

¶ Cæterùm Phryges & Priscillianistæ iidem hac lege constituuntur, quod pleniùs confirmat Epiphanius *hæresi Phrygum 48.* è *Priscillianorum 49.* Nempe Phrygum secta & pluribus vna Priscillianistæ fuêre, ita dicti a Priscilla; quam Prophetissam Phryges iactabant.

¶ Sententia autem huius legis atque adeò seueritas, quam aduersus has tres hæreses exercet Honorius, quæ & ipsa seueritas & punitio eiusdem Honorij fuit aduersus Donatistas rebaptizantes *l.4. ne sanctum baptisma*, hæc est. 1. *Accusationem* horum *publicam* esse: quod & ipsum constitutum *l.9. supr.* vbi vide quæ dixi: quomodo & Theodosius Magnus Paganorum sacrificantium cultúmque suum exercentium publicam accusationem esse iussit, *l.12. infr. de Paganis*, & *d.l.4.* de publica Apostasia & Anabaptismi accusatione, suis titulis. Ratione etiam sanctissima addita: nempe, Quia in omnium fertur iniuriam quod in *Religione diuina* vel *in Religionem diuinam* committitur: Communis iniuria publicam prouocat accusationem. Quæ ratio suo subiecto adæquanda est, nè alioquin cum *Classici* auctore promiscuam publicam accusationem faciamus omnium hæreseon, & peccatorum quæ in diuinam religionem admittuntur, aut quæ in omnium feruntur aliqua ratione iniuriam, contra *huius leg* mentem: quod alienissimum est. Vti, retrò reprobandum quod nonnulli hîc magno molimine adferunt, aduersus Classici Auctorem à *pagina 165.* hanc rationem tantùm probabilem esse cum voluntate legislatoris concurrentem: & in iure probabiles tantùm rationes reddi, quæ claudant seu claudicent. Apage verò hanc Iurisprudentiam, etsi tam alibi Cujacius vrgeat *notis Inst. ad tit. fiduc. tut.* & 17. *Obseru.15.* Igitur quod hîc dicitur, tale est, ac si diceretur, quia quod ITA, seu HVNC IN MODVM, in religionem diuinam admittitur, necesse est in omnium ferri iniuriam. Nempe tale hæreseon genus hoc esse, vt iniuriam quandam etiam hominum contineat, sui fœditate & atrocitate summâ. Denique sicuti, Baldi dicto, *quod in lege non cauetur, in practica non habetur*, ita ratio extra subiectum legis in practicam deducenda non est. Neque publica accusatio inducenda citra legem expressam. 2. *Bona* Manichæorum *publicari* vult Honorius: nisi proximos ascendentes, descendentes, collaterales ad secundum vsque gradum Catholicos habeant. Quæ sententia hodie abest à *Cod. Iust.* repetitæ prælectionis, quã tamen non abfuisse ostendunt Basilica, quod Cujacius iam obseruauit *lib.12. obseru.30.* Nam in Basilicis hæc ita exprimuntur: ἀποχαρίζω δὲ τῆς τούτων οὐσίας, τῆς δημευομένης τοῖς ἀνιοῦσι καὶ κατιοῦσι καὶ ἐκ πλαγίου συγγενέσιν αὐτῶν ἕως δευτέρου βαθμοῦ, ἵνα μή τις ὁ ἐγγύτερος τοῦ βαθμοῦ ἀφαιρῆται: τότε δὲ τούτοις ἀποχαρίζω τὴν οὐσίαν, εἰ μὴ καὶ αὐτοὶ τῇ ὁμοίᾳ [illegible]. Vide & *l.49. infr.* Quo autem consilio hæc è *Cod. Iust.* erasa fuerint, facilè est diuinare, quia scilicet §. *sed nos filios*, solis filiis Manichæorum Catholicis ius hoc seruatur. Cæterùm quod ait lex vsque ad secundum gradum, ita quoque Basilica ἕως δευτέρου βαθμοῦ. Et fuit tamen qui legeret, *vsque ad sextum*: nempe quod vsque ad eum gradum cognati Prætorio iure succederent; ex septimo duæ tantùm personæ. 3. *Donationum & successionum* iura Manichæis adimit Honorius, pariter vt rebaptizantibus *d l.4.* 4. *Commercio* itidem eis interdicit, (quomodo & interdicitur in *supr. d.l.4.* ab eodem Honorio. Id verò improbat Theodosius Iun. *l.48. infr.*) donationibus, venditionibus, *contractibus*. Interim obiter notandum hoc loco & §. *Ergo*, quòd Honorius requirit, vt quis de hæresi *conuictus* fuerit: quod & in omnibus aliis criminibus requiritur. 5. Post *mortem* quoque accusari Manichæos posse definit Honorius, exemplo criminis maiestatis (quod & alioqui sacrilegio proximum dicitur) cùm alias, quod notum, crimina morte extinguantur. Ergo & post mortem rei, bona eius confiscabantur. Cæterùm hactenus has hæreses maiestatis crimini comparari notandum est, non verò quoad alia. 6. *Vltimas* Manichæorum *voluntates* quascunque irritas esse: hæreditates eorum iisdem quibus suprà adiudicari: Quæ postrema sententia hodie à Cod. Iust. abest. Ea tamen Basilicis continetur, vbi hoc modo refertur: τότε γὰρ ἔρρωται ἡ τῶν τούτων βούλησις, ὡς ὑπεισῆλθον ἀνωτέρω, ὅτε μὴ ἦσαν οἱ συγγενεῖς Μανιχαῖοι. 7. Ne *filios* quidem Manichæorum, si & ipsi Manichæi sint, & maneant, ad paterna bona admitti vult Honorius. Quam sententiam retinuit quoque Tribonianus, sic tamen vt interpolatione suâ ius hoc successionis ad solos filios restringat. Obiter au-

tem in hoc §. *notanda*, sententia aurea & humana; *Delicti veniam pœnitentibus dandam*: cui similis *l. prox. 41. infr.* vbi plura dicam. 8. *Seruos* Dominorum delatores, & ad Ecclesiam Catholicam transeuntes audiri, delatores inquam seu reuelantes, id enim hic statuitur, etsi à Triboniano id immutatum, qui de reuelatione nil agit: Qua parte rursum Maiestatis & læsæ religionis crimen exæquantur, de quo vide *tit. supr. Ne præter crimen maiestatis seruus Dominum accuset.* Et permittit Imperator hoc casu seruo *ad Ecclesiam Catholicam seruitio fideliore transire.* An, vt iam Ecclesiæ seruus sit? An verò vt libertatis compos sit, seu pro præmio libertatem consequatur, vt aliàs sæpè serui pro præmio libertatem apiscuntur? Istud puto: nam & ita quoque definitum *l. 4. infr. ne sanctum baptisma.* 9. *Domus* item seu *possessiones, Prædia* in quibus sciente Domino cœtus eorum habiti fuerint, publicari iubet: pariter vt interim in supr. *d. l. 4.* loco qui alioquin hîc corruptissimus: vbi nonnulli versus aliquot deesse arbitrantur: *Præferri huiusmodi hominum cœtus*, &c. Vitium latet pro parte in voce *præferri*, quomodo habet Cujacij editio, & quæ eam secutæ, habent editiones aliæ *perferri*. Sequentia clarè ostendunt hîc agi de *domibus*, in quibus cœtus hæreticorum *contracti*, seu habiti fuerint. Quare hic reponam *Prædium quod*, &c. Possis & ita *Præterea domus qua*, &c. vel *Præter id, cuiusmodi domus hominum cœtus*, &c. *contraxit.* Vbi etiam vox *CVIVSMODI* vi ipsa continet vocem *domus*: cuiusmodi, id est, quæcunque illa sit: & si quid excogitari potest, quod propius accedat ad vulgatam lectionem: Nam quod hic non nemo indicari putat, Clericorum Catholicorum cœtus præferri Domino serui, sequentia id omninò refutant. Conferenda autem in eandem prorsus sententiam *d. l. 4. infr. ne sanctum baptisma*: quam huius legis initio indicari dixi, item *l. 21. supr.* item *l. 65. vers. fundo priuatis ædificiis infr.* Actorem item vel Procuratorem possessionis plumbatis cæsos in metallum in perpetuum dari. *Conductores* qui prædium præbuerint idoneos deportari. Idoneos inquam, vbi tamen Petrus Burgius 1. *elector.* 15. *in fin.* argum. *l. 21. supr.* & *l. 65. infr.* & post eum nonnemo alius reponebat *ingenuos*. Quod minimè probo: vox enim *idoneos* hic retinenda: etsi idonei fermè ingenui. Nam, vt eadem *lex* 21. ait, qui serutili fæce descendit, paupertate sui ac vilitate pœnam damni contemnit. Ergo huius loci sensus hic est, conductorem idoneum facultatibus, deportari, cuius consequens vel comes bonorum proscriptio; si verò pauper sit, vltimo supplicio afficiatur, vt *l. 5. supr. de bonis proscript.* Et superioribus fermè pœnæ omnes proponuntur, *l. 21. supr.* & *l. 65. infr.* Postremo & Rectoribus Prouinciarum & Defensoribus & Principalibus vrbium & Officialibus hæc cura iniungitur impediendorum huiusmodi cœtuum hæreticorum, pariter vt ab eodem *l. 48. infr.* & *l. 4. infr. ne sanctum baptisma.* Alioquin his, nisi cœtus hos inhibuerint, mulctam aurariam imponit pariter vt *l. 48. infr.* ab eodem Honorio Donatistis rebaptizantibus, & *l. 4. infr. ne sanctum bapt.* quæ huic gemina germana est.

¶ Ex his iam omnibus apparet, vt maximè inter hæreticos Manichæi maximè odiosi fuerint, vt maximè Honorius meritissima eos seueritate prosequi dicat: attamen non in vitam eorum sæuisse; verùm hactenus & potissimùm, iuris ciuilis communionem ademisse, pariter vt *l. 17. 18. suprà.* Quæ & ipsa pœna statuta in Eunomianos *l. 17. 36. supr. l. 49. infr.* in Donatistas, *l. 54. infrà.*

XLI. * Idem AAA. Porfyrio" Proc. Afric.



ICET crimina soleat *pœna* purgare, nos tamen prauas hominum voluntates admonitione *pœnitentiæ* volumus emendare. Quicunque igitur hæreticorum, (siue Donatistæ" sint, siue Manichæi, vel cuiuscunque alterius prauæ opinionis ac sectæ,) profanis ritibus adgregati, Catholicam fidem & meritum, (quæ omnes homines cupimus obseruare,) simplici" confessione susceperint, licet adeò inueteratum malum longâ ac diuturnâ meditatione nutriuerint, vt etiam Legibus ante latis videantur obnoxij, tamen hos, statim vt fuerint Deum simplici religione confessi, ab omni noxâ absoluendos esse censemus: vt ad" omnem reatum, seu ante contractus est, seu posteà (quod nolumus) contrahitur," etiamsi maximè reos pœna videatur vrguere, sufficiat ad abolitionem, errorem" proprio damnauisse iudicio, & Dei Omnipotentis nomen, inter ipsa quoque pericula requisitum, fuisse complexum: *Quia nusquam debet in miseriis" inuocatum religionis deesse subsidium.* Vt igitur priores, quas statuimus Leges, in excidium sacrilegarum mentium, omni executionis vrgueri iubemus effectu, ita hos, qui simplicis fide religionis, licet serâ, confessionem" maluerint, censemus datis Legibus non teneri. Quæ ideò sanximus, quò vniuersi cognoscant, *nec profanis hominum studiis deesse vindictam, & ad rectum redundare" cultum, Legum quoque adesse suffragium.*" Dat. XVII. Kal. Dec. Rom." Honorio VII. & Theod. II. AA. COSS. [407.]

NOTÆ.

* Meminit huius legis Baronius *Anno* 407. *num.* 41. Iungenda autem huic *lex* 38. *supr. de Episcopis, Ecclesiasticis & Clericis.*

"Sub huius *Porfyrij* Proconsulis programmate proposita Carthagine dicitur ea constitutio, quam edidit Sirmondus in appendice Cod. Theod. *num.* 12. cui inserta *lex* 43. quam & huic iungendam puto.

"Donatistæ & Manichæi potissimùm per Africam...quod iuxta hanc legem docuit iam lex, Hæreticorum porrò nomine hic Donatistæ comprehenduntur, vt & *l. 39. supr. l.*...

"Ita mox Deum *simplici religione confessi*: item *simplicis fide religionis.*

"contrahetur.
"in Lugdun. edit. malè *eorum*.
"*miseris* : aliæ editiones.
"locus sanus, neque quod fecit quidam reponendum *confessione uti maluerint*.
"*redeunti* vel *redundanti*, pro redeundi. Et sane in veteri Gloss. Philoxeni *Redundare* ... : Minus probo quod Vir Doctus hic reponebat, *redituris*.
"*Suffragium*, veniam.
"Proposita Carthagine in foro, sub programmate Porphyrij Proconsulis Nonis Iuniis Basso & Philippo Coss. Hæc addita in dictâ constitutione à Sirmondo edita.

COMMENTARIVS.

Pœnitentibus seu Conversis hæreticis per Africam, Donatistis & Manichæis & similibus, hac Honorij constitutione humana prorsus & benigna venia datur, pariter ut hoc ipso iam anno *l.* 40. *prox. supr. vers. alioquin*, circa filios tantùm Manichæorum: non circa ipsos: pariter ut pœnitentibus & conversis Donatistarum filiis *l.* 4. *infr. ne sanctum baptisma.* Et hâc quidem *lege* adeò pœnitentibus seu conversis venia datur, ut simpliet confessione, quocunque tandem tempore, etiam executionis mox faciendæ, licet vel sera confessione conversis detur, licet inveteratum malum longâ & diuturna meditatione nutriverint, inter ipsa quoque pericula atque in miseriis ipsis invocato Religionis subsidio. Neque quicquam interesse vult Honorius, de quo tamen vel maximè dubitatum videtur, sive ante leges à se in hæreticos latas, sive post eas latas ad hæresin prolapsi, conversi dein fuerint. Sera nempe nunquam est hæreticorum conversio ad evitandas pœnas Hæreticis propositas. Ita inquam Honorius, generaliter & quoad evitandas pœnas, & ad abolitionem ut loquitur. Quod omne velut singulare notandum est. Alioquin quoad lucrum emergens capiandum Concilio Carthaginensi 8. quod habitum Anno 404. ante triennium Patribus Africanis aliquod temporis discrimen placuisse video: ut patet ex canone 93. *Cod. Afric. Cæterum*, inquiunt, *illis qui consideratione unitatis & pacis se corrigere voluerint, absque interdicto huius legis, capiendæ hereditatis aditus pateat, si adhuc in errore heretico constitutis aliquid ante donationis vel hereditatis obuenit: His sanè exceptis qui lite pulsati putauerint ad Catholicam transeundum, quia de talibus credibile est, non metu cœlestis iudicij potius, quam terreni commodi auiditate unitatem Catholicam præoptasse.* Certè etsi Apostatis pœnitentibus venia proposita, attamen nonnisi Catechumenis Apostatis ea data, at non etiam iis qui ex fidelibus seu competentibus, id est, post susceptum sanctum baptisma in Apostasiam prolapsi, quorum flagitium pœnitentia non obliteratur, quæ sententia est *l.* 4. *infr. de Apostatis*, quam Cujacius *Paratitl. Cod.* nunquam intellexit.

¶ Suffragio igitur iustæ pœnitentiæ quamlibet seræ hæreticos absolui voluit Honorius. Neque dubium mihi id ab Honorio constitutum, occasione Concilij Carthaginensis 10. quod hoc ipso Anno D.407. habitum fuit ante sex fermè menses, pariter ut ad eiusdem postulationem *legem* 34. *supr. de Episcopis* dedit, quæ lex huic iungenda est: ut ad eam probatum est. Quod primum eius rei præiudicium habeo. Alterum accedit ex canone eius quod dixi Concilij, ubi hæc inter alia habentur *canone* 99. *Cod. Africani. Sanè ut illæ plebes, quæ conuersæ sunt à Donatistis, & habuerunt Episcopos, sine dubio, inconsulto Concilio habere mereantur: quæ autem plebes habuerunt Episcopum, & eo defuncto voluerint non Episcopum proprium habere, sed ad alicuius Episcopi Diœcesin pertinere, non eis esse denegandum. Nec non & illud suggestum est, quod plebes ante Legem Imperatorum de Vnitate latam, quicunque conuerterunt Episcopi ad Catholicam, ipsi eas obtinere debeant: Verum à lege* [id est post legem] *Vnitatis, & deinceps oporteat uniuersas Ecclesias vindicare sibi Episcopos Catholicos eorum locorum, ad quos loca sub hereticis pertinebant, vel conuersorum ad Catholicam vel non conuersorum hereticorum, & diœceses, & si qua fertè sunt instrumenta Ecclesiæ, vel ad eius ius pertinentia. Qui vero aliqua usurpauerunt post legem usurpata conuenti restituant.* Vides de *conuersis* pariter agi, vides tempora, quæ hic miscentur, distingui, puta conversionem ante legem de Vnitate latam, & post eam latam.

XLII. * Impp. Honor. & Theod. AA. Olympio" Mag." Officior. & Valenti Com. domesticor.

Eos qui Catholicæ sectæ sunt inimici, intra palatium militare prohibemus. Nullus nobis sit aliquâ ratione coniunctus, qui à nobis fide & religione discordat. Dat. XVIII. Kalend. Decemb. Rav." Basso & Philippo Coss. [408.]

NOTÆ.

* Memorat & *hanc legem* Baronius *Anno* 408. Iungendæ autem huic sunt duæ leges seqq. mox ut ostendam item *lex superior* 41. Etsi omnium inscriptiones & subscriptiones varient: item *l.* 19. *infr. de Paganis*.

"*Olympius* Magister officiorum: de quo mox. Huius opera commotus hoc anno Honorij animus in Stilichonem & occisus, Magistri offic. potestatem nactus, ut docet Zosimus *lib* 5. *pag.* 808 810. 811. vide eundem eodem *lib.* p.814.818.819.820. Et Olympiodorus *apud Photium*. Ad quem extant duæ Augustini *epistolæ* 124 & 129. ubi & Magistratus eius mentionem facit, deque nova dignitate in priore ei gratulatur: posteriore leges in Donatistas & Pagano cæso Stilichone recentari postulat, de quo ad *l.* 43. 44.

"Dat. VIII. Kalend. Decemb. Romæ. Proposita Carthagine in foro sub programmate Porfyrij Proconsulis Nonis Iuniis Basso & Philippo Coss. Ita constitutio, cuius partem quoque constituit *lex* 43. quámque edidit Sirmondus ex *Cod. Lugd. & Aniti. num.* 12.

COMMENTARIVS.

MILITIA PALATINA, intra Palatium ipsum Principis ἐν τοῖς βασιλείοις (de quo militia Chrysostomus quoque *homil.55.* Cornel. *in Matth. p.475.*) sub dispositione Magistri Officiorum & Comitis domesticorum constitutâ, quacunque, Catholicæ sectæ inimici hac Honorij constitutione Anno D.408. prohibentur. *Catholicæ* inquam, *sectæ inimici*, id est, tum hæretici tum pagani siue Gentiles. Ita sanctæ legis inimici pro hæreticis *l.51. infr.* ita *l.13. supr. de Paganis*, qui à Catholicæ religionis dogmate deuiant tam hæretici, quàm pagani sunt. Istud sanè voluisse Honorium, Zosimus author est, qui hanc procul dubio legem intellexit *lib.5. pag.*820. cùm scripsit Νόμου κειμένου, τοῖς οὐκ οὖσι Χριστιανοῖς ζώνην ἐν τοῖς βασιλείοις ἔχειν ἀπαγορεύοντος. Quare potuit hæc lex non minus in titulum *de paganis* referri. Imò paganorum potissimùm gratiâ, eam latam censeo. Quod hæreticos attinet militia Palatina prohibitos, obseruandum: tum Theodosium M. tum Arcadium eos prohibuisse, vt fidem facit *lex* 25. 29. *supr.* de Honorio hæc lex, de Theodosio Iun. *l.*48. 58. 61. itémque *l.58. infr. de Paganis*, & hæreticis à Theodosio Iun. à militia pariter prohibitis, fidem faciet *lex* 21. *infr. de Paganis*, vbi dicam & *lex* 48. *infr. hoc tit.*

¶ Quinque interim singularia hac lege siue notanda siue eruenda sunt. Primum, spectāda huiusce legis inscriptio: Nempe inscribitur ea *Magistro Officiorum*, pariter vt *l.29. supr.* quæ vt dixi eiusdem argumenti est; itémque *Comiti domesticorum*, ideò videlicet: Quia de militiis Palatinis hac lege agitur, quæ vtique sub dispositione Magistri Officiorum & Comitis domesticorum fuēre, vt docet Notitia Imperij, quod & fusiùs ostensum est ad *d.l.29.* Secundò, *Historica causa* huiusce legis peruestiganda est: Huic verò inquisitioni & Olympij Magistri Officiorum nomen in inscriptione, & ipsa temporum ratio viam muniunt. Nempe hoc illud tempus est, quo Stilicho Romani Imperij proditor, his ipsis Coss. X. Kalend. Septemb. cæsus est, id est ante trimestre, commoto Honorij in eum animo ab Olympio isto. Quare cùm Paganorum opera, ac maxime intra Palatium constitutorum, filium Eucherium Paganum & Christianorum persequutionem meditantem in Imperium euehere résque nouas moliri in animum induxisset, cæso illicò Stilichone, visum Honorio paganos à militia Palatina & Palatio submouere, tum securitatis in posterum, tum etiam pietatis studio. *Nullus*, inquit, *nobis sit aliqua ratione coniunctus qui à nobis fide & religione discordat.* Et proculdubio Olympij consilio, Christiani fidelissimi & sincerissimi: quod & Augustinus *epist* 124. & 129. ad eum scriptâ & ipse Zosimus *lib.5. pag.*808. testantur. Quidquid huius sit, mox hanc ipsam legem abrogatam idem Zosimus testatur *lib.5. pag.*811. vbi & eius rei occasionem memorat: ὁ βασιλεὺς αἰδοῖ τι ἅμα καὶ χρείᾳ, συμβιβασθεὶς, ἔπαυσεν ἐπὶ πᾶσι τὸν νόμον, ἀποδοὺς ἑκάστῳ, τῆς αὐτῷ οὔσης δόξης ἄρχειν τε καὶ στρατεύεσθαι. Atenim alia est lex, quæ memoratur Concilio Carthaginensi 14. quod habitum A.410. *Cod. Afric. pag.*289. *Eo tempore*, inquit, *lex data est, vt libera voluntate quis cultum Christianitatis exciperet*: vide quæ dicam ad *l.21. infr. de Paganis.*

¶ Tertiò, paulò plenius de Olympio Magistro Officiorum, cui hæc lex inscribitur videndum est: de quo iam etiam aliquid dixi: è Ponto Euxino oriundum, vt Pagani Scriptores Zosimus *lib.5.* Olympiodorus *apud Photium* conuitiis proscindunt, ita B. Augustino multum esset, ob Christianæ & Catholicæ fidei zelum. Hic est cuius operâ Stilicho proditionis reus apud Honorium factus, & cæsus: vt idem Zosimus & Olympiodorus testantur. Qui Magister Officiorum eo cæso factus, quod præter hanc legem idem Zosimus *lib 5. pag* 811. & Olympiodorus scribunt. Cuius arbitratu vniuersæ res Palatinæ administrabātur, teste eodem Zosimo. Quæ causa Augustino ad eum scribendi epistolas illas duas 124. 129. Stilichonis satellites conscij ab eo diligenter peruestigati, eodem Zosimo teste *pag.*811. 818. 819. Alaricianæ in Italiam & Romam incursionis causam ei Zosimus adscribit *pag.*812. 818. In occursum Ataulpho missum Gothos 1100. interfecisse 17. duntaxat amissis *pag.*820. Tandem ab Eunuchis Palatinis accusatus apud Honorium, quasi auctor eorum casuum, qui Respubl. aduersi acciderant, magistratu deiectus, teste Zosimo *pag.*850. ex Olympiodoro. Inde grauiora veritum fuga se in Dalmatiam contulisse. Addit Olympiodorus, eum postea iterum Magistratu potitum, rursum priuatum fuisse; tandem fustibus à Constantio Placidiæ marito, tractatum occubuisse, auriculis priùs ei resectatis.

Quartò obseruandum, *hâc* Honorij *lege* nominatim hæreticos Palatinâ militiâ interdici. Et Theodosius Iunior tamen Anno 410. *l.*48. *infr.* testatur legem in Occidentalibus partibus promulgatam (à collega in Imperio suo Honorio scilicet) quâ submoti etiam à cohortali militiâ & à Curiarum necessitate Montanistæ, Priscillianistæ, & alia huiuscemodi genera nefariæ superstitionis. Quare dicendum, aut intelligi *legem* 40. *supr.* quâ Honorius Manichæis, Frygibus siue Priscillianistis nihil ex moribus, nihil ex legibus commune esse cum cæteris iussit ante triennium: vel sanè cùm in commune Catholicæ sectæ inimicos intra Palatium militare prohiberet *hâc leg.* specialiter aliquid de Montanistis & Priscillianistis addidisse, quod hîc desideretur.

Postremò in *huius leg.* inscriptione obseruandus ordo dignitatum: ibi quippe Magister Officiorum præponitur Comiti domesticorum: qui tamen illi præponitur quadriennio post Anno D.412. in eiusdem Honorij *l.* putà *l. vnic. qui à prebit. tironum.* vbi vide quæ dixi.

XLIII. * Idem AA. Curtio PF. P."



MNIA quæ in Donatistas (qui & *Montenses*" vocantur) Manichæos, siue Priscillianistas," vel in Gentiles, à nobis generalium Legum † auctoritate decreta sunt, non solùm manere decernimus, verùm in executionem" plenissimam effectùmque deduci: ita vt ædificia quoque, vel horum, vel Cælicolarum etiam, (quæ" nescio cuius dogmatis noui conuentus habent)

Ecclesiis

Ecclesiis vindicentur. ¶ Pœna verò lege proposita veluti conuictos'' tenere debebit eos, qui Donatistas se confessi fuerint, vel Catholicorum communionem refugerint scæuæ'' religionis obtentu, quamuis Christianos esse se simulent: &c. Dat. XVII. Kalend. Decemb. Romæ Basso & Philippo COSS. [408.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus suis inseruit Baronius *Anno* 408. *num.* 24. Et iungenda huic est *lex prox.* 44 imò & *lex superior* 42. & *lex* 19. *infr. de Pagan.* Partem denique constituit iam prolixioris constitutionis, quam ex Cod. Lugd. & Anic. edidit nuper Sirmondus *in append. Theod. n.* 12.

'' *Curtius* hic PP. Italiæ scilicet sub Honorio fuit: vid. *Prosopogr.*

''de *Priscillianistis* iam dixi ad *legem* 40. *supr.*

'' Donatistæ *Montenses* Romæ dicti, de quo mox.

* *Legi* 1c. *Cod. de Iudæis*, quæ alioqum desumpta ex *l.* 19. *infr. de Iudæis*, hic versiculus infartus.

''*Quæ*, habes superior constitutio à Sirmondo edita. Forte hæc vox referenda ad vocem *ædificia.*

''*Coninuctos*, malè editio Lugd.

''*Scæua religio*: vide *Glossar. Theodos.*

''VIII Kalend. Decemb. Romæ. Proposita Carthagine in foro sub programmate Porfyrij Proconsulis, Nonis Iuniis, Basso & Philippo vice COS'a. Ita integra constitutio, cui hæc inserta, quam edidit ex Cod. Lugd. & Anic. Sirmondus *in Append. Cod. Theod. num.* 12.

XLIV. * Idem AA. Habe Donate'' K. NB.

DONATISTARVM hæreticorum, Iudæorum'' noua adque inusitata detexit'' audacia, quòd Catholicæ fidei velint Sacramenta turbare. Quæ pestis adque contagionis'' latiùs emanet ac profluat. * In eos igitur qui aliquid quod sit Catholicæ sectæ contrarium aduersúmque temptauerint, supplicium iustæ animaduersionis expromi præcipimus. Dat. VIII.'' Kalend. Decemb. Rau. Basso & Philippo COSS. [4-8.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus suis inseruit Baronius. Iungenda verò hæc lex superiori subscriptione tantùm emendata.

'' *Donatus* hic Proconsul Africæ fuit, vt hoc ipso anno docet *lex* 19 *supr. de pœnis.* Ad hunc ipsum duæ extant Augustini *epistola* 127. 128. sic quidem, vt prior epistola nominatim præferat *Donato Proconsuli Africa*, & ad huius legis interpretationem omninò pertinet.

''*Iudæorúmque*; vel, *&* *Iudæorum.*

''*detexit* pro *detectò est*, seu emersit: nisi ita construas *Iudæorum audacia detexit noua atque inusitata*: vel ita *noua se detexit*: vel *emersit.*

''Locus hic corruptus & asterisco rectè notatus. Eum ita restituit Doct. Petitus *c. var.* 21. *p.* 277. *Quæ pestis atque contagio ne se latius emanet ac profluat, in eos igitur*, &c. Quod non probo, quis enim dixit *se latius emanare*? deinde id respuit vox *igitur* eo loco addita. Ego restituo: *Qua pestis atque contagio ne latiùs emanet tua G. prouideat*, vel prohibeat, id est, *emanet tua Grauitas prouideat.* Ita enim Imperatores quoque Proconsulem Africæ compellabant: vide *l.* 3. *supr.* ad *l. Corn. de falso.*

''Ita Rutilius Numatianus horum temporum scriptor Itinerarij *lib.* 1. de Iudæis agens,

Latiùs excisæ PESTIS CONTAGIA serpunt:
Victorésque suos natio victa premit.

''Ita quoque editum in constitutione à Sirmondo editâ: verùm de qua ad legem superiorem. XVII. proculdubio enim hæc lex iungenda est *legi* 43. *supr.* & *legi* 19. *infr. de Paganis.* Quicquid sit, eodem pertinet.

COMMENTARIVS.

CONFIRMANTVR his legibus, vt & *l.* 19. *infr. de Paganis*, (quæ his iungenda est) ab Honorio Anno D. 408. post cæsum Stilichonem, superiores à se latæ constitutiones, in Donatistas, Manichæos, Priscillianistas, Gentiles; quin & ad Cælicolas eædem propagantur; de quibus dicam suo titulo *de Iudæis Cælicolis.* Confirmantur, inquam, per Præfecturam Prætorianam Italiæ, ac nominatim Romæ (quod *Montensium* mentio ostendit, qui vtique nonnisi Romæ fuêre,) Donatistæ quippe *Montenses* Romæ dicti, ideò quod Romæ primùm Ecclesiam suam in monte habuêre. Optatus Milenitanus *lib.* 2. *Speluncã quandam foris à ciuitate gradibus sepserunt, vbi ipso tempore conuenticulum habere potuissent, vnde Montenses appellati sunt.* Augustinus *libro de hæres. ad Quoduultdeum. Isti hæretici in Vrbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent Episcopum mittere.* Meminit idem & *epist.* 165. Hieronymus Chronico Anno 356. *Quidam sectatores Donati etiam Montenses vocant, eo quod Ecclesiam Romæ primum in monte habere cœperunt.* Et in Lucifer. *Marcionitas, Valentinianos, Montenses siue Campates.* Et in Epist. ad Marcellum: *Quum Retily Augustodunensis Episcopi qui quondam à Constantino* (malè legitur Constantinopolitano) *Imperatore sub Syluestro Episcopo ob causam Montensium missus est Romam.* Augustinus *epist.* 165. de quodam Episcopo Donatista loquens. *Sed ex transuerso*, inquit, *ex Africa ordinatum miserunt qui paucis præsidens Afris in Vrbe Roma Montensium vel Cuzupitarum vocabulum propagauit.* Vbi Balduinus pro Cuzupitarum suspicabatur legendum *Rupitarum.* Nam & idem Augustinus *de vnitate Ecclesiæ*, *cap.* 3. *Si enim, inquit, sanctæ Scripturæ in Africa sola designauerunt Ecclesiam & in paucis Romæ Rupitanis vel Montensibus, & in domo vel patrimonio vnius & Hispanæ Mulieris, quicquid de chartis aliis aliud proferatur, non tenent Ecclesiam nisi Donatistæ.* Nempe *Rupitani* dicti, simili allusione & ludibrio quo Montenses & Campates: Donatistæ igitur Montenses dicti Romæ. Quare hallucinatur Epiphanius qui Nouatianos Romæ ait vocatos *Montanos.* Sed multo magis errant qui Montenses à

Montano dictos autumant.) Nunc ad rem. Quin & subscriptio *legis 43. supr. hoc tit.* & *l.9. infr. de Paganis*, id euincit, hanc legem ad Vrbem Rumam pertinere: *Data Romæ*, id est reddita, proposita. Nam hoc tempore Honorius Rauenna consistebat (vt præter Chronologiam Cod. Theod. docet & Zosimus.) Rursum nominatim per Africam: Donatus enim cui *lex* 44. inscribitur, Proconsul Africæ hoc tempore erat, vt docet *l.19. supr. de pœnis*. Et Augustinus *epist.* 137. & 128.

¶ Et verò ferendarum harum legum hæc occasio fuit. Nempe Stilichone hoc ipso anno cæso, ante trimestre fermè, illico hæretici & pagani iactare cœperunt, leges aduersus se latas de idolis confringendis & hæreticis corrigendis, viuo Stilichone missas, ac nominatim in Africam, non ex voluntate Honorij constitutas, verùm eo nesciente vel nolente, quod Augustinus disertis verbis scribit *epist.* 129. ad Olympium Comitem, Magistrum Officiorum; cui superior lex inscribitur. Vnde eas irritas esse potabant & intendebant, pariterque cum cæteris Stilichonis actibus rescindendas: Quinimò & hac occasione in Catholicos insurrexêre, vimque eis intentauêre. Ideò & priuatim & publicè eas leges recentari ac confirmari Catholici illic petiere. Nempe Patres Africani hoc Anno 3. Id. Octobr. legationem ad Honorium destinauêre contra Paganos & hæreticos, Episcopi priuatim ad Comitatum profecti: Augustinus quoque priuatim eo fine ad Olympium, eam quam dixi epistolam dedit, quæ hîc tota reddenda foret, nisi modum horum Commentariorum excederem. Ex eo nempe liquet, de illis quas dixi Gentilium & hæreticorum post cæsum Stilichonem molitionibus, de priuatorum querelis, & ad Comitatum profectione, de Legatis ex Africa mittendis ad Honorium admittendis, de celeritate adhibenda. Tam grauibus igitur querelis excitus, & vt credere par est Olympij studio, Honorius has leges promulgauit, confirmandis anterioribus suis Legibus. *Omnia*, inquit, *Honorius, quæ à nobis generalium legum authoritate decreta sunt, nondum MANERE decernimus, verùm in executionem plenissimam effectúmque deduci*. Quanquam mihi mens ea, hasce leges non ad Patrum Africanorum postulationem latas (vtpote quorum legatos serius ad Honorium peruenisse, Augustinus *d. epist.* 179. ad Olympium testatur) verùm latas ad priuatas Augustini ipsius & aliorum querelas, quæ *media hyeme*, vt ipse Augustinus testatur, ad Honorium peruenerunt & Legatos præuenerunt. Atque ipse Augustinus apud Olympium hoc instanter egit, vt negotium hoc diligentissimâ acceleraretur instantia, quacunque primitùs exorta occasione maturaretur: neque illud vllo modo differendum, etiam antequam Episcopos qui ideò profecti erant, videret, quam primùm vigilantia poterit accelerandum. Quare *lex* 46. demum sequentis anni initio ad Patrum Africanorum postulationem emissa fuerit.

¶ Supplicio igitur hæreticos Donatistas affici, ac nominatim *l.* 44 Honorius iubet, qui ipsi Catholicis vim & mortem per hæc tempora intentauêre, nonnullis etiam Episcoporum per Africam necatis: cuius Proconsul Donatus, cui lex illa inscribitur. Et Augustinus tamen Epistola peculiari ad hunc ipsum Donatum Proconsulem Africæ *puta* 127. Donatistas coërceri, non occidi, enixè ab eo postulauit; vbi inter alia hæc obseruentur. *Vnde ex occasione terribilium Iudicum, ac LEGVM ne æterni Iudicij pœnas incidant, corrigi eos cupimus non necari, nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec supplicius quibus digni sunt exerceri. Sic ergo eorum peccata compesce, vt sint quos pœniteat peccauisse. Quæsumus igitur, vt cum Ecclesiæ causas audis, quamlibet nefariis iniuriis appetitam vel afflictam esse cognoueris, potestatem occidendi te habere, obliuiscaris; petitionem nostram non obliuiscaris.* Et mox. *Citò interim per Edictum Excellentiæ tuæ nouerint Hæretici Donatistæ MANERE LEGES contra errorem suum latas, quas iam nihil valere arbitrantur & iactant, ne vel sic nobis parcere aliquatenus possint. Plurimum autem labores & pericula nostra quo fructuosa sint adiuuabis, si eorum vanissimam, & impia superbia plenissimam sectam non ita cures, IMPERIALIBVS LEGIBVS comprimi, vt sibi vel suis videantur qualescunque molestias pro veritate atque iustitiâ sustinere, sed eos cùm hoc abs te petitur, rerum certarum manifestissimis documentis, apud acta vel Præstantiæ tuæ vel minorum Iudicum conuinci atque instrui patiaris*, &c. Quæ Gentiles spectant, ea specialius exequetur *d.l.19 infr. de Paganis*.

¶ Inter cætera autem iubentur ædificia, in quibus hæreticorum, &c. conuentus habentur, Ecclesiis vindicari: quod & ipsum statuitur *l.59. infr. de.....l.54.57.65. infr. hoc tit.* Atenim vt ædificia templorum ad vsum publicum vindicari *dict. l.19.* (huic coniungendâ) iussit Honorius, ita & mox *lege prox.* hæreticorum.

¶ Notandum porrò has sanctiones imò pœnam capitalem indici nominatim *l.44.* Donatistis hæreticis, de quibus iam suprà & cælicolis *l.44.* De quibus opportunior erit dicendi locus ad *legem* 19. eiusdem Honorij *infr. de Iudæis*, quæ sequente Anno 409. data est.

¶ Cæterùm *Donatistarum hæreticorum hîc leg.* iunctim legendum est: nempe Honorius Theodosij Patris sui legem generalem in hæreticos latam, extendens, rationem hâc voce reddere voluit, cur in Donatistas quoque eam extendat, quia & ipsi hæretici sint: quare & similes formulæ in aliis Honorij constitutionibus occurrunt *l.39. & 41. supr.* & *l.46. infr.* quibus omninò respondent, quæ Augustinus scribit *epist.50. ad Bonifacium*, & Possidonius *in vitâ Augustini, cap.12.* quorum verba retuli ad *legem* 39. Rursum *epistola* 117. cuius verba paulo ante retuli. Quare error est Viri Docti Petiti, qui *hæreticorum* vocem cum voce *Iudæorum* hîc coniungendam putauit, quasi hîc indicetur Cælicolas Iudæorum hæreticos fuisse: de quo plura ad *d.l.19. infr. tit. de Iudæis & cælicolis.*

XLV. * Idem AA. Theodoro PF. P.'' II.

DEFENSORVM, † Curialium, omniúmque Officiorum specula custodiat, Ne quis intra aliquam ciuitatem, vel vllâ territorij" parte secretâ, qui ab Ecclesiæ Catholicæ Sacerdote dissidet," inlicitæ cohibitionis" habeat facultatem. Ipsa etiam loca iuri publico sociari, seclusa omni excusatione, censemus: Et proscriptos eos in exilium

lium detrudi, qui audent disputare ea, & adserere, quæ institutio diuina condemnat. Dat.v. Kalend. Decemb. Rau. Basso & Philippo COSS. [408.]

NOTÆ.

* Meminit & huius legis Baronius *Anno* 408. *num.* 18.

" *Theodosius* sub Honorio PP. Italiæ scilicet, vt docet *l.4. supr. de indulg. debitorum*, *l.20. supr. de pœnis*, *l.4. supr. de Testimonialibus*, *l.1. supr. de litterarum & itinerum custodia*, *l.25. supr. de petitionibus*, in qua Præfecturæ ei posteà successit Cæcilianus Anno sequente 409. quod præter *Consular. Theod.* testatur expressè Zosimus, *lib.5. pag.18.*

" id est, Conuentibus, in aliis editionibus perperam *cohibitionis*.

COMMENTARIVS.

Coetvs hæreticorum rursus ab Honorio prohibentur Anno D. 408. Defensoribus Curialibus, Officiisque Iudicum hoc munere iniuncto, prohibendorum (inquam) cœtuum istorum, pariter vt aliis suis legibus *l.40. supr.* & *l.4. infr. ne sanctum baptisma*, vbi vide quæ dixi & *l.46. prox.* locis in quibus cœtus habiti fuerint, confiscari iussis, Hæreticos insuper fidei Catholicæ contraria adserentes, id est, Doctores hæreticorum deportari, bonis proscriptis.

¶ Obseruanda interim illa, *qui ab Ecclesiæ Catholicæ Sacerdote dissidet*, id est, qui separatos ab Ecclesiæ Catholicæ Episcopo cœtus agunt, spreto Vnitatis studio, quæ Ecclesiæ Catholicæ nota & ad quam inuitati ante triennium hæretici *l.35. supr.* Neque dubium ad eosdem Donatistas hanc legem pertinere, quibus bellum agitantibus tot legibus occurrere Honorius necesse habuit. Ergo hæretici censentur, qui ab Ecclesiæ Catholicæ Sacerdotibus dissentiunt, & illicitè coëunt: atque adeò hæretici ad Sacerdotum Ecclesiæ Catholicæ communionem reducuntur: quò pertinent quoque *lex 2.3. supr. de fide Catholica*, *l.62. infr. hoc tit.* *lex vltim. infr. de his quæ religione cont.* Et rectè, cùm, vt hic dicitur, Ecclesiæ reuera Catholicæ Sacerdotes sint: & norma hîc secundaria, respondet normæ principali.

¶ Item obseruetur tria hominum genera, Defensores, Curiales & Officia omnia quibus hæc cura imposita vt hæreticis contra itent: de quo fidem quoque facit supr. *l.40.* faciet & *l.prox.40.*

¶ Tandem neque inani coniectura ducor, huic legi coniungendam videri *legem 39. supr. de Episcopis*, & *legem 8. Cod. de Episcopali audient.* Quod si ita est, tum ex his tribus legibus inter se coniunctis id efficiatur, Honorium in commune id modis variis egisse vt sua constaret Episcoporum Catholicorum iudicio reuerentia: 1. siue ipsam spectes *doctrinam* 2. siue *conuentus* cœtum, 3. siue *cognitionem* & audientiam.

XLVI. * Idem AA. Theodoro PF. P. II. Post alia.

Ne Donatistæ, vel ceterorum vanitas" hæreticorum, aliorúmque error, quibus Catholicæ communionis cultus non potest persuaderi, Iudæi," adque Gentiles (quos vulgò" *Paganos*" appellant) arbitrentur, Legum ante aduersum se datarum constituta tepuisse, nouerint Iudices vniuersi præceptis eorum fideli deuotione parendum: & inter præcipua," quidquid aduersus eos decreuimus, non ambigant exsequendum. Quòd si quisquam Iudicum loco" conhibentiæ" executionem præsentis legis omiserit, nouerit amissâ dignitate grauiorem motum se Nostræ Clementiæ subiturum. Officium quoque suum, quod saluti propriæ contemptâ suggestione" defuerit, punitis tribus Primatibus," condemnatione viginti librarum auri plectendum. Ordines" quoque viri, si in propriis ciuitatibus, vel territoriis" commissum tale" aliquid siluerint in gratiam noxiorum, deportationis pœnam & propriarum amissionem facultatum se nouerint subituros. Dat. XVII." Kalend. Feb Rau. Honor. VII. & Thed. III. AA. COSS. [409.]

NOTÆ.

* Meminit & huius legis Baronius *Anno* 409. *num* 12. Hæc lex vnà cum *l.51. supr. de Episcopis*, (quæ tamen eiusdem constitutionis non sunt) inserta integræ constitutioni, quam è Codice Lugd. & Anic. edidit nuper Sirmondus *in Append. Cod. Theod. num.14.*

" Vanitas hæreticorum, sanè & Augustinus Donatistarum sectam vanissimam & impiæ superbiæ plenissimam vocat *epist.127.* locum ad *l.44. supr. pretuli* " puta Iudæi.

" Ita Augustinus 2. *Retract.43.* Deorum falsorum multorúmque cultores quos VSITATO NOMINE Paganos vocamus.

" In huius vulgaris nominis rationem inquiro *infr. tit. de Paganis*: vide interim coëtaneum Orosium *Præfatione lib.1.*

" *curarum* add. in App. Cod. Theod.

" *pacato*, pro loco in *Append. Cod. Theod.* Quidam hunc locum ita supplent, *loco conniuentiâ dato.*

" *Conniuentia.*

" Nempe Officiales suggerere Iudicibus tenebantur Iussiones Principum.

" De *Primatibus* Officiorum vide *supr. tit. de diuersis officiis.* Hîc porrò nota tres Primates peculiari pœnâ plecti: quam sententiam Hunnericus Rex Edicto suo indidit, & in Catholicos retorsit apud Victorem Vticensem *lib.3.*

" *Ordinis*, vt etiam habetur in constitutione illa edita à Sirmondo. Ordinis Viri, id est Curiales, vt nominantur *l.prox.45. supr.* nisi malis, *ordinis primi*, quod non probo. Est qui reponat, *ordines quoque & Duumuiri.* Ego restituam *Ordinis quoque Quinqueuiri vel Decemuiri.* Tot enim Principales seu Primates erant, *l.25. supr. de quæstionib.* *l.39. supr. de Episcop.* *l.54. infr. hoc tit.* Sic in Edicto Marcellini Tribuni p.10. *Vniuersos etiam cunctarum Prouinciarum Curatores, Magistratus & ordinis viros: nec non & actores*, &c. & mox *per viros ordinis tradendum.* Et in sententia: *Vnde vniuersos ordinis viros, dominos etiam fundorum*, &c.

" pariter vt *l.prox.45. supr.*

" XVIII. Kal. Febr. Honorio IX. & Theodosio V. ita in constitutione prædicta.

COMMEN

COMMENTARIVS.

CONFIRMANTVR leges & pœnæ in Donatiſtas, hæreticos alios, Iudæos item & Gentiles hac rurſum Honorij conſtitutione initio Anni 409. Pœna iudicibus amiſſione dignitatis, quin & grauiore indicta pro motu Principis, Officialibus, & Curialibus ea ipſa quam iam antea conſtituerat.

¶ Atque hæc illa ipſa mihi Honorij conſtitutio videtur potius, quàm 43. & 44. quæ ad Patrum Africanorum poſtulationem & querelam data fuit. Cuius coniecturæ ratio quam etiam ad eam legem reddidi. Nempe quod Auguſtinus *epiſt.* 129. ad Olympium Com. & Mag. Officiorum teſtetur, priuatorum querelas media hyeme, id eſt, fine Anni præcedentis 408. ad Comitatum ſeu Honorium perlatas (quo vtique tempore datæ *l.* 44. 45. *ſupr.*) etenim ſecutas demum Patrum Africanorum querelas, hanc demum. Atenim eodem ſemper fine: nempe quo liqueret, leges anteà aduerſus hæreticos & ſimiles latas, non Stilichoni ſeceptas fetendas, & ſic eo cæſo antiquatas (quod hæretici Gentiles iactabant) verùm in vigore ſuo manere oportere, atque eo ſpectant illa *l.* 43. Omnia quæ à nobis generalium legum auctoritate decreta ſunt non ſolum manere decernimus, verùm in executionem pleniſſimam effectúmque deduci. Pariter eodem pertinent illa huiuſce legis, Ne Donatiſtæ, &c. arbitrentur, legum ante aduerſus ſe datarum conſtituta tepuiſſe, nouerint iudices vniuerſi præceptis eorum fideli deuotione parendum: & inter præcipua, quicquid aduerſus eos decreuimus, non ambigant exequendum.

XLVII. * Idem AA. Iouio PF. P.'

SI quis contra ea, quæ multipliciter, pro ſalute communi, hoc eſt, pro vtilitatibus Catholicæ ſacroſanctæ Eccleſiæ, aduerſus hæreticos, & diuerſi dogmatis ſectatores, conſtituta ſunt, etiam cum Adnotationis noſtræ beneficio, venire temptauerit, careat impetratis, &c. Dat. VI. Kalend. Iul. Rau. Honorio VIII. & Theod. III. AA. COSS. [409.]

NOTÆ.

* Omiſit *hanc legem* Baronius. Iungenda autem ei *lex vlt. ſupr. de denunciat.* vel ed.
' Italiæ: de quo vide Zoſimum *lib.* 5. *pag.* 811. 822. 823. Sozomenum *lib* 9. *cap.* 7. Eidem, præter *hanc leg.* & *d. l. vltim.* inſcripta quoque *l.* 19. *infr. de Iudæis.*

COMMENTARIVS.

RESCRIPTA ſpecialia ſeu Adnotationes duas Honorius aduerſus leges in hæreticos & diuerſi à Catholicâ Eccleſiâ dogmatis ſectatores, valere vetat hâc conſtitutione, pariter vt *l.* 51. 52. *infr.* vt vetitû ſubinde à Theodoſio M. Arcadio *l.* 5. 6. 14. 16. *prox. ſupr* à Theodoſio Iun. *l.* 49. *infr.* 58. 65. *infr.* de quo vide etiam quæ notaui ad *l. vltim ſupr. de conſtit. Princip.* Nempe ita coniicio, turbato Italiæ nominatim ſtatu hoc anno, atque Alarico ei vrbique Romæ imminente, hæreticos & ſimiles caput efferre cœpiſſe, atque etiam ab Honorio per nonnullos huiuſmodi reſcripta emeruiſſe. Sanè Sozomenus quoque hoc ipſo anno *lib.* 9. *cap.* 9. excitatas Arianorum & Paganorum ſpes per Attalum memorat. Quare, reprimere eas Honorio viſum, atque hæreſes nihilo ſecius oppugnare *l.* 9. *infr. de Iudæis*, quæ & ipſa Iouio huic PP. Italiæ (quod Zoſimus & Sozomenus teſtantur) inſcribitur; atque in ſummam Catholicis Eccleſiis conſulere, quod etiam oſtendit *lex* 7. *ſupr. de denunciatione*: quæ huic noſtræ iungenda eſt.

XLVIII. * Idem AA. Anthemio PF. P."

MONTANISTAS, & Priſcillianiſtas," & alia huiuſcemodi genera nefariæ ſuperſtitionis, per multiplicata ſcita Diualia, diuerſa vltionum ſupplicia contemnentes, ad Sacramenta quidem Militiæ, quæ noſtris obſecundat imperiis, nequaquam admitti cenſemus. ¶ Si quos verò ex his Curialis origo, vel Ordinum nexus, aut Cohortalinæ militiæ inligat obſequiis & functionibus, his adſtringi præcipimus: ne ſub colore damnatæ religionis, eliciant vacationis cupitæ ſibi ſuffragia. Nec enim placet ex Lege, † quæ in Occidentalibus partibus promulgata, prædictas cærimonias ita inſecuta eſt, vt ab omni contractu eos & propemodum Romanâ conuerſatione ſubmouerit, Cohortalis" militiæ, vel Curiarum eos neceſſitatibus liberari." Dat. IX. Kalend. Mart. Conſtantinop. Varane v. c. COSS. [410.]

NOTÆ.

* Meminit huius legis Baronius *Anno* 401. *num.* 67.
' Orientis.
" à Priſcilla ita dicti: de quibus etiam *l.* 40. 43. *ſupr.* *l.* 59. 65. *infr.*

" X. 24

"*ea lex.* Quænam autem ea mox disquiro.
"*Ceremonia* pro hæresibus hic: sanè & de Iudæis *l.13. infr. de Iudæis.*
"*& cohortalis.* "*liberauit.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris constitutiones in hæreticos hinc incipiunt, quæ in vniuersum hoc titulo sunt decem: puta *hæc lex & lex prox.*49.50 57.58 59.60.61.65 66. *seu vltim* Et cùm in hæreticos in genere duæ constitutiones scriptæ sint, putà lex...&....reliquæ octo in singulares hæreticos nominatim directæ sunt: putà, in Montanistas *hæc lex & lex* 52.65. in Priscillianistas, hæc lex pariter & *l.*59 65. in Eunomianos, *lex* 49. 50.58.59.61. in Manichæos, *l.*65.& 69. in Phrygas *d.lex* 59 & 65. in Pepyzitas, *d.l.*59. in Nouatianus & Sabbatianos, *l.*59.65. in Arianos, *l.*59.60.65. in Macedonianos *l.*58.60. in Apollinarianos, Valentinianos, Marcionistas, Borborianos, Massalianos, Euchitas, Enthusiastas, Donatistas, Audianos, Hydroparastatas, Ascodrogitas, Fotinianos, Paulianos, Marcellianos, *d.l.*65. denique in Nestorium, *l.*66. *seu vltim.* E quibus octo priores datæ sunt, Attico Constantinopoli Episcopante: ab Anno D 406. in Annum D 426. duæ postremæ post eius mortem. Quod quidem moneri summū operæpretiū: quandoquidem illæ procul-dubio Leges Attico fermè auctore & suasore latæ sunt, viro pietate & prudentiâ insigni, vt eum describit Socrates *lib.6. cap.*18. & *lib.7. cap.*2. sub quo Ecclesia in maius prouecta est, vt idem Socrates ait: ἀλλὰ καὶ τὰς Ἐκκλησίας ἐπὶ αὐτοῦ συμβῆν εἰς μέγα ἐπιδοῦναι: vbi subiicit eum non modò suæ fidei fautores seu orthodoxos concordia deuinxisse, verùm etiam *hæreticos* prudentia sua obstupefecisse, neque illis molestiæ quidquam exhibuisse, verùm *perterrmisse* tantum, mox mansuetum & facilem sese his exhibuisse. De quo fermè ad *l.45. supr. de Episcopis.* Nunc de *hâc leg.*

MONTANISTIS, PRISCILLIANISTIS, similibúsque nefariæ superstitionis hæreticis, MILITIA Palatina Theodosius Iun. hac constitutione A.410. interdicit: atenim Curiali conditioni vel cohortalinæ militiæ eos inhærere iubet. Quæ omnia concordant *leg.*25.29.42. *supr.* & *l.*58.61.65. *infr.* Nempe, vt eleganter ait, *sub colore damnatæ religionis eliceré hæreticos vacationis cupita suffragia, absurdum foret:* neque supplicia vltionum, *necessitatibus liberari* quemquam sinunt. Denique pœna non foret, si nexu originali, & militia graui, per pœnam quis liberaretur; cuiusmodi vtique Curialis seu Ordinum nexus & militia cohortalina est: de quo suis *tit supr.* ac nominatim de cohortalina militiâ, ad *l.16. supr. de cohortalib.* quæ coniungenda cum *l.17. hoc tit.* & eodem pertinet quò *lex* 58. & 61. & 65. *infr.* quarum eadem sententia est.

¶ Porrò *hâc leg.* indicatur lex quædam Honorij (Theodosij in Imperio collegæ) Occidentalis Imperatoris: quâ is superiores hæreticos ab omni contractu & propemodum Romana conuersatione ita submouit, vt cohortalis militia vel Curiarum eos necessitatibus liberauerit. Quænam autem illa lex sit, in obscuro fortè videri posset; eò magis, quod expresśè Honorius ante quindecim menses, fine Anni 408. Catholicæ sectæ inimicos intra Palatium militare prohibuit *l.42. supr.* Quare legem Honorij *l.40. supr.* intelligi dicendum est, vbi pariter in Manichæos & Frygas siue Priscillianistas seueritatem exercens, *Huic hominum*, inquit, *generi nihil ex moribus, nihil ex legibus sit commune cum cæteris.* Item, *præterea non donandi, non emendi, non postremo contrahendi cuique conuicto relinquimus facultatem.* Accedat eiusdem Honorij *lex 4. infr. ne sanctum baptisma.* Nulla tamen à cohortalina militia immunitatis mentione, quæ hic facta. Neque enim putem dictæ *l.45. supr.* id de Montanistis & Priscillianistis subiisse, fuisse & eâ parte decurtatam *eam legem* à Theodosiani Codicis conditoribus.

XLIX. * Idem AA. Anthemio PF. P.

MANENTIBVS his, quæ in *Eunomianos* Lex" Diui Patris Clementiæ Nostræ iamdudum constituit, nihil deinceps inuicem sibi vel donare, vel ipsos donatione consequi: nihil item relinquere, nec capere testamento decernimus. Careant emolumentis, quæ ex donationibus, vel morientium voluntate alternis solebant inlecebris" fraude & circumuentione percipere; vt in totum vtriusque" iuris communione priuentur; tantúmque eis ab intestato succedant quos ad succedendi ius proditus veteribus" legibus ordo præscribsit: ita vt si nullus ex his superstes fuerit, qui iure ab intestato ad hereditatem vocantur, tunc bona in hac superstitione defuncti ad fiscum nostrum pertineant. Donationes etiam prædicto more prohibitæ sacrarij" nostri incrementis accedant: Ita tamen, vt nulli ex his quiequam à nostrâ munificentia deposcere" liceat, neminique percipere, etsi quid fortè voluerimus vltro largiri: sed in iure fisci maneant semper: Nisi ea publicæ vtilitatis ratio venditioni subiecerit. Dat. Kal. Mart. Varane v. c. CONSS. [410.]

L. * Idem AA. ad Strategium Com. R. P." de" eadem: addito."

ITA vt Officium rerum priuatarum apertè cognoscat, ad proprium periculum redundare, si quid vnquam ex prædictis bonis dissimulatione sua cuiquam passum fuerit tradi: cùm nullo modo nulláque ratione huius legis auctoritatem circumueniri oporteat. Dat. Kal. Mart." Varane v. c. COSS. [410.]

NOTÆ.

* Meminit quoque harum duarum legum Baronius *Anno* 4co. *n.67.* Iungenda autem vtraque, mox vt ostendam.
" Intelligit Theodosius Iun. vt puto Arcadij Patris sui constitutionem ante annos quindecim latam, nempe *l.25. supr.*
"Alioquin alternis illecebris prouocare in se iudicium alicuius postremum, criminosum non est *l.vltim. C. si quis aliquem testari probib.*
"Donationum, testamenti.
"vide *supr. l.40.*
"est qui malit *sacri erary.*
"Petitionum hâc parte viue sublatus: de quo vide *tit de Petitionib. supr. lib.* 10.
"Ecvltro data hoc casu prohiberi nota: de quo vide *d.tit.de Petitionib. & vltro datis.*
"Iungenda vt dixi hæc lex superiori: de quo mox plura.
"Nempe de Eunomianorum bonis rei priuatæ, perpetuo iure sociandis *hâc leg.* agitur: ideò ad Comitem Rerum Priuatarum quoque lex hæc directa.
"Quid sibi hæc velint, in *Prolegomenis* iam semel ostendi & aliquid mox in Commentario: *Addito* autem, id est, hoc addito: Quare perperam id mutant nonnulli in *additum.*
"Sola postrema editio Parisiensis hic inserit *Ran.* perperam: data enim hæc lex ab *Arcadio*, & ad Anthemium Præfectum Prætorio Orientis, & Strategium Comitem Rerum Priuatarum per Orientem, vide *Chronol. Theod.*

COMMENTARIVS.

DE EVNOMIANIS sunt hæ leges, quæ inter se coniungendæ veniunt, imò eædem sunt & de eadem re: nisi quod amplius aliquid posteriore additum: pro ratione eius, cui lex hæc inscribitur. Nempe eadem constitutio ad diuersos data, cuius rei exempla hoc Codice complurima, vt docet inter alias vel hoc ipso titulo *lex 42. supr.* quia eiusdem rei dispositio & cura sæpè ad varios Magistratus spectabat. Quare etiam, prout res erat, aliquid constitutioni ad vnum Magistratum directæ addebatur, quod alteri non item. Atque hic sensus est horum verborum *ad Strategium Comitem Rerum Priuatarum, de eâdem re: addito.* Quæ omnia rectè ad inscriptionem retracta, cùm in anterioribus editionibus ista *de eâdem re addito*, initium ipsius legis occuparent. De quo vide *Prolegomena.* Nunc de sententia harum legum.

EVNOMIANIS donationum & testamentorum ius vtrumque à Theodosio Iun. Anno D.410. confirmatâ Patris sui Arcadij constitutione adimitur: solísque ab intestato successoribus exceptis, bona ab his hisdémve donata, relicta fisco adsignantur.

¶ Adeò quidem, vt neque ea petere à Principe priuato fas sit, neque vltro data accipere. (Petitionibus igitur & vltrodatis hac parte prohibitis, de quibus fuit *supr. tit.de Petitionib.* & vltro datis) aut aliter quam venditionis titulo consequi. Nempe hæreticorum bona, priuatorum prædam esse noluit Theodosius Iun. ne Catholici alioquin, vt puto, in inuidiam vocarentur: quasi Eunomianos nonnisi spe prædæ & consequendorum per donationem bonorum, eruerent. Quæ vtique cessat in venditione, qui onerosus est titulus. Sanè hoc ipso tempore imò anno (si rectè supputat Baronius) Synesius Eunomianos quidem erui magno animo iubebat: sic tamen vt à rapina ipsorum bonorum abstineretur: epistolâ in eam rem expressâ ad Presbyteros 6. Sed & Socrates *lib.7. cap*... memorat Macedonianos hoc ipso tempore à Theodosio Synadorum Phrygiæ Pacatianæ Ep. grauiter exagitatos, turpis quæstus causa, vt ex iis pecuniam cogeret. Fauces igitur quamplurimorum hâc tempestate in hæreticos apertas hinc liquet, non fidei studio, sed pecuniæ. Quare eas Theodosius Iun. etiam *hâc leg.* præclusum iuit. Adeò etiam vt Officialibus Comitis Rerum Priuatarum (quos priuatianos dicebant) pœnam minitetur, ab his videlicet reddendum, quicquid ipsi passi fuerint cuiquam, ex prædictis bonis tradi.

¶ Patris sui Arcadij constitutionem hâc parte confirmare se Theodosius Iun. profitetur: quæ procuidubio est *lex 25.* posteriores enim, putà *lex* 27. 36. contrariæ sunt. Potuerit fortè & postrema quædam post *eam* 27. & 36. ab Arcadio in hanc sententiam lata fuisse.

¶ Tandem hæ duæ leges procuidubio pars sunt eius legis, qua seuerissimum supplicium, Catholica fide imbutos rebaptizantibus impositum ipse Theodosius Iun. memorat *l.6. infr. ne sanctum bapt.* quo vtique rebaptizantium numero Eunomiani fuerant.

LI. * Idem AA. Heracliano" Com. Afric.

ORACVLO" penitùs remoto, quo ad ritus" suos hæreticæ" superstitiones obrepserant, sciant omnes sanctæ legis inimici," plectendos se pœna & proscriptionis & sanguinis, si vltrà conuenire per" publicum, execranda" sceleris sui temeritate, temptauerint. Dat. VIII. Kal. Sept. Varane v. c. CONS. [410]

NOTÆ.

* Hanc legem inseruit Annalibus suis Baronius: déque ea rectum eius iudicium est *Anno* 401. *num.*47.48 49. Cæterùm eam *hâc leg.* eandem esse *legem 56. infr.* vbi eò venero, ostendam. Tandem huius legis suæ meminit paulò post Honorius *in actis coll. Car.* de quo mox.
"Eidem inscribitur *d.l.56.infr.* Hic est qui posteà Tyrannidem arripuit de quo *l.21. de pœnis: l.5. de inf. his qui sub tyr.* fortè an & hic de quo Synesius *epist* 144.
"id est Lege, rescripto, Edicto: de quo mox.
"Exercendos, atque adeò conueniendi.
"*hæresis & superstitionis* quidam hic tentant malè.
"Et in his Donatistæ.
"ita *d.l.56.* quæ cum hâc eadem est, hæreticis superstitionibus. ✠. hæreticæ superstitiones.

"ita

"ita *l.42 supr.* Catholicæ.
"in publicum.
"Exercendi *d.l.56.* vtrumque sustineri potest.
'ne quà, vera diuináque reuerentia, contagione temeretur. Hoc amplius additum *d.l.56.*

COMMENTARIVS.

INFIRMAT hâc constitutione Honorius Imp. Anno D.410. fine mensis Augusti Varane Coss per Africam *Oraculum*, id est, Edictum, legem, rescriptum, quo hæreticis rituum suorum exercendorum, conueniendique seu coëundi publicè potestatem fecerat, pœna proscriptionis & *sanguinis* proposita.

¶ Nempe hoc est illud ipsum Edictum hac lege infirmatum, cuius meminere Patres Africani, hoc ipso Anno 410. ante bimestre & quod excurrit: Cuius hæc verba sunt, vt habetur Codice Ecclesiæ Africanæ, *Post Consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorij VIII. & Theodosij III. AA. XVIII. Kalend. Iulias Carthagine, in Basilica regionis secundæ. In hoc Concilio legationem susceperunt contra Donatistas Florentius Possidius Præsidius & Benenatus Episcopi eo tempore, quo Lex data est, vt libera voluntate quis cultum Christianitatis exciperet.* Quæ verba Balsamo perperam intellexit, eodémque traxit, quò duodecimum Canonem Neocæsariensem. Atenim Patrum hæc mens est, paulò ante latam ab Honorio Legem, quâ hæreticis ac Donatistis rituum suorum exercendorum copia facta fuerat. Et hoc illud est *Oraculum*, quod hac lege memoratur, simul & abrogatur. Et sanè ipsemet Honorius, duobus fermè post mensibus, in *Mandatis* suis Marcellino Tribuno & Notario ad Carthaginensem collationem destinato (quorum pars est *lex 3. infr. de religione*) vtriusque Legis meminit & huius, & illius, simul & hanc confirmat. *Nec sanè latet*, inquit, *conscientiam nostram sermo cœlestis ORACVLI, quem* [sermonem] *ERRORI suo posse proficere scæua Donatistarum interpretatio profitetur, qui quamuis deprauatos animos ad correctionem mitius inuitaret, ABOLERI, cum tamen etiam ANTE* [nempe *hâc lege*] *iussimus, ne qua superstitionibus præstaretur occasio. Nunc quoque excludendam SVRREPTIONEM, simili auctoritate censemus, illudque meritò profitemur, libenter nos ea quæ STATVTA FVERANT submouere, ne in diuinum cultum nobis se quisquam auctoribus æstimet posse peccare*; vt habetur in Actis collat. Carthag. *pag.5. & 259.260.* Quare & in *l.3. infr. de religione*, quæ & ipsa pars est Mandatorum illorum quæ dixi, *nouella subreptio* (nam ita legendum ibi ostendam:) cuius ibi mentio fit, est illud ipsum Oraculum, quod vt *hâc leg.* ita & prædictis Mandatis infirmatur.

¶ Cæterùm *hac lex*, vt indicio sunt superiora è Codice Africano; atque ipsa insuper temporum ratio, ad patrum Africanorum postulationem lata, videtur. Honorius scilicet & extremis superioris Anni 409. & primis huius anni mensibus, in hæreticos remissior fuerat, ac nominatim Donatistas, quorum deprauatos animos ad correctionem mitius inuitandos crediderat, vt ipsemet superiore loco ait. Quinimò & in paganos: Nam & Zosimus *lib.5. pag.821.* Legem, quâ Catholicæ sectæ inimici (id est, vt hæretici ita & pagani) intra palatium militare prohibiti fuerant, (& sic *l.42. supr.*) eo quo dixi tempore abrogatam, testatur.

¶ Coniicit etiam Baronius causas vtriusque legis per Africam. Nempe priorem illam, quæ hic abrogatur, ab Honorio ipsa rerum necessitate extortam, ne alioquin Donatistæ tot legibus exasperati, à partibus Attali Tyranni starent, qui Africam tentaturus videbatur: Cùm autem periculum illud cessasset, Attalo videlicet exauctorato, ad Patrum Africanorum petitionem eam *hâc lege* abrogatam. Quod valdè probabile facit præter ipsam temporum rationem *Heracliani Comitis Africæ* nomen, cui hæc lex inscribitur: Nempe hic ille Heraclianus est, aduersus quem Honorij partes sectantem atque Africam sub Imperio Honorij retinentem, Attalus Tyrannus Constantinum cum exercitu in Africam superioris iam anni fine misit, Africæ potiundæ spe, tanto terrore & timore Honorio Imperatori iniecto (quem etiam ipse quodammodo prodit *l.1. supr. de terris limit.*) vt si Africana hæc expeditio Attalo feliciter cederet, Imperio cedere atque in Orientem fugere in animum induceret. Verùm hic ab exercitu Heracliani mox cum suis interfectus. Eo acrius Heraclianus Africam tueri cœpit, littorum & portuum Africæ custodibus admotis, atque annonam Romam subuehi vetuit. Vnde Romæ fames exorta: Mox Attalo Imperium ab Alarico abrogatum, vt memorant Zosimus *lib.6. p.827.828.829. & 830.* & Sozomenus *lib.9. cap.8.* verùm de hoc Attalo plura ad *legem penultim.* & *vltim. supr. de indulgent. crimin.* & ad *legem 1. supr. de terris limitaneis*, & *l.2. supr. de littorum & itiner. custod.* & *l.6. supr. de indulgent. debitorum.*

¶ Repetita porrò *hac lex* Anno Domini 416. totidem verbis, nonnullis tamen auctior *l.56.* vbi dicam.

¶ In vtraque lege notanda est pœna *sanguinis*, quam Honorius comminatur illicitos cœtus agitantibus hæreticis: nempe id ita in animum induxit suum, post frequentes hæreticorum conatus, obreptiones, factionésque. Alioquin in hæreticos pœna sanguinis haud adeò saeuita, nisi in detestabiles & execrabiles nonnullos in sp. *l.9. & 51. 56. supr.* verùm de hoc plura in Paratitlis & ad *l.28. hoc tit.* Errat certè Vir Doctus, qui *hâc leg.* pœnam proscriptionis & sanguinis impositam successiuè ait, putà vt primum hæretici proscriptione plectantur; quam pœnam si contempserint, deinde pœnâ sanguinis plectantur: nam vtraque pœna simul hîc imponitur verbis constitutionis.

¶ Intendit porrò *hâc leg.* Honorius pœnam in Donatistas, quòd mitioribus edictis inuitati, vel pœnis etiam affecti, furorem suum quotidie augerent & exererent; vnde valido metu opus visum.

LII. * Idem AA. Seleuco PF. P."

Cassatis, quæ pragmatici," vel adnotatione manus nostræ, potuerint impetrari, & manentibus his, quæ etiam dudum † super hoc definita sunt, & veterum Principum sanctione seruata, nisi ex die prolatæ" Legis omnes *Donatistæ*, tam Sacerdotes," quàm Clerici, laicique, Catholicis ea, qua" sacrilegè desciuêre, reddiderint, tunc Inlustres singillatim" pœnæ nomine fisco nostro auri pondo quinquaginta cogantur inferre: Spectabiles, auri pondo quadraginta: Senatores," auri pondo triginta: Clarissimi, auri pondo viginti: Sacerdotales," auri pondo triginta: Principales," auri pondo viginti: Decuriones, auri pondo quinque: Negotiatores," auri pondo quinque: Plebei, auri pondo quinque: Circumcelliones," argenti pondo decem. ¶ Qui nisi à Conductoribus, sub quibus commanent, vel Procuratoribus, Executori, exigendi, fuerint præsentati," ipsi teneantur ad pœnam: ita vt ne" Domus Nostræ homines ab huiuscemodi censurâ habeantur immunes. 3. ¶ Vxores quoque eorum, maritalis" segregatim multa constringat. 4. ¶ Eos enim," quos nequaquam inlata damna" correxerint, facultatum omnium publicatio subsequetur. 5. ¶ Servos etiam, dominorum admonitio: vel Colonos, verberum crebrior ictus à prauâ religione reuocabit: ni malunt ipsi ad prædicta dispendia (etiamsi sunt Catholici) retineri. 6. ¶ Clerici verò ministrique eorum ac perniciosissimi Sacerdotales ablati de Africano solo," quod ritu sacrilego polluerunt, in exilium viritim ad singulas quasque regiones sub idoneâ prosecutione" mittantur. 7. ¶ Ecclesiis eorum, vel conuenticulis, prædiisque, si qua in eorum Ecclesias hæreticorum largitas praua contulit, proprietati potestatique Catholicæ" (sicut iam dudum † statuimus) vindicatis. Dat. III. Kalend. Febr. Rau. Honor. IX. & Theod. V. AA. COSS. [412.]

NOTÆ.

* Inseruit & *hanc legem* Annalibus suis Baronius, déque eâ agit *Anno 412. num. 1. 2. 3.* Eiúsque partem Hunnericus Rex Edicto suo indidit & retorsit aduersus Catholicos apud Victorem Veicensem *lib. 3. de persecut. Vandal.*

"*Prolata*, lex est promulgata.

"Italiæ scilicet sub qua Præfecturâ fuit Africa.

"*γρ. pragmatica*, vel *pragmaticu*: de *Pragmaticis* sunt adhuc duæ leges: putâ *l. 3. supr. de Decur. & silent. l. 36. de annonâ & trib.* Quid ea *v. l. 7. Cod. de diu. rescript.*

† Leges anteriores memorat.

"*Sacerdotes*, id est, Episcopi, Presbyteri, Diaconi.

"Locum hunc ita restituo qui à Catholicis sacrilegè desciuêre, redierint: vel, *ad Catholicam à quâ sacrilegè desciuêre redierint*. vel, *Catholicæ se à quâ sacrilegè desciuêre reddiderint*, quod postremum omnium maxime placet: *Catholica* verò vox hic, & *inf. §. l.* absolutè pro Catholica Ecclesia, pariter vt *l. habeat 4. supr. de Episcop. l. 2. ne sanctum bapt.*

"Dignitates obserua Illustres, Spectabiles, Senatores, Clarissimos, ac proinde & multæ modum, pro eo maiorem vel deductiorem

"Senatores & Clarissimi hic distinguuntur: de quo mox.

"De *Principalibus* docuit plenè *tit. supr. de Decurionibus.* Hinc emendandum Edictum Hunnerici, vbi malè *populares* pro *principales*.

"*Negotiatores*, à Plebeis distincti fuêre, vt hic locus docet & docuit *supr.* locus *lustrali collatione.*

"*Circumcelliones* quinam fuerint mox dicam.

"id est, pellendi ex agris.

"Ita Augustinus *epist. 159.* ad Marcellinum: *qui illorum notoriâ, ad quos tuenda publica pacis vigilantia pertinebat, præsentari videantur examini.*

"Fortè Dulcidium intelligit.

"id est, *Nec*, nequidem.

"*γρ. Maritali*: de quo mox.

"sustineri potest: pro quo alij tentant, verò, vel deinde.

"*Damna* hic & *l. 54. infr.* pro multa. Sic & apud Augustinum in hâc ipsâ re.

"Solùm Africanum.

"De *Prosequutione* reorum dixi *supr. tit. de exhibendis vel transmittendis*: item *tit. de custodia reorum.*

"*Catholica*, hic & *supr. l. 4. de Episcopis*: *l. 2. ne sanctum bapt.* absolute pro Ecclesia Catholica.

† Legem anteriorem memorat.

COMMENTARIVS.

Donatistis ad Catholicam fidem reuocandis, atque resecandis enixè incumbit Honorius Imp. hac constitutione, quæ data statim post collationem Carthaginensem Anno D. 412. Primò capite Donatistis pœnæ seu multæ imponuntur, nisi ad Catholicam Ecclesiam redierint, non obstante quacunque tandem Principis pragmatica vel adnotatione. Eo inquam, pertinet *huius legis* initium, quod ita restituo: *Nisi*, &c. *Catholicæ se à quâ sacrilegè desciuêre, reddiderint*. De eo quippe quod dixi agi ostendit manifestè vox Desciuere, quæ omninò pertinet ad personas, non ad res ablatas. Et totus deinceps legis contextus id euincit, agi de Donatistis à praua religione reuocandis, quod & disertè eodem loco dicitur, De Ecclesiis enim demum agitur fine legis: idque ipsum argumento dictæ *legis 54. infr.* firmari potest. Pœnæ autem, quod secundum, per singula hominum genera proponuntur, siue in dignitate positorum, siue popularium, siue Circumcellionum (de quibus posteà plenius.) Tertiò, proponit pœnam *occultantibus* eos, etiam Conductoribus,

ductoribus, Procuratoribus & hominibus Domus Principis, vxoribúsque eorum. Quartò, post multam inflictam contumacibus bonorum proscriptionem minatur. Quintò, & dominis etiam Catholicis eandem molestam imponit, nisi seruos & colonos à praua religione reuocauerint. Sextò, Honorius *Clericos, Ministros Sacerdotales* Donatistarum in exilium singulos per singulas regiones mitti sub fida prosecutione iubet. Postremò capite, *Ecclesiæ, Conuenticula*, prædiáque, hæreticorum largitate in eorum Ecclesias collata, Catholicis Ecclesiis iuxta priores constitutiones (id est iuxta *l.43. supr.*) vindicare iubentur.

Et hæ quidem septem rationes sunt quibus Donatistas ad fidem Catholicam traducere eorúmque pertinax institutum frangere, resecare hoc tempore studuit Honorius, quibus validiores fingi rationes non possint. 1. Metus damni pecuniarij. 2. Conductores & Procuratores in eos excitati ad eos detegendos. 3. Imò & vxores. 4. Bonorum proscriptionis metus post contumaciam. 5. Domini in seruos & colonos concitati. 6. Clerici in exilium missi. 7. Ecclesiæ & donaria Catholicæ Ecclesiæ vindicari iussa. Quibus similia iam complura *l.54. infr.* vbi & nonnulla addita.

¶ Vt hæc huiusce legis in vniuersum est sententia, ita Augustinus eius vim, sic breuiter expressit *epist.50. ad Bonifacium. Iam enim LEX fuerat promulgata, vt tanta immanitatis hæresis Donatistarum, cui crudelius parci videbatur, quàm ipsa sæuiebat, non tantum violenta esse, sed OMNINO ESSE NON SINERETVR impunè*: (hæc primum est *huius leg.* sententia.) *Non tamen supplicio capitali propter seruandam etiam circa indignos misericordiam, sed PECVNIARIIS DAMNIS propositis* (secundum hoc caput *huius legis*, vbi pariter vox *damna* vt ex l.54. occurrit.) *Et in EPISCOPOS, MINISTROS eorum exilio constituto.* (Tertium hoc caput est.) Quanquam & si ordinem verborum Augustini spectes, videatur de aliâ lege anteriore multò sentire, sed tamen in eandem sententiam. Idem Augustinus certè eadem *epistola 50. ad Bonifacium* postremum *huius legis* caput memorat *p.224. Quicquid ergo nomine Ecclesiarum partis Donati possidebatur, Christiani Imperatores legibus religiosis cum ipsis Ecclesiis ad Catholicam transire iusserunt*, &c. vbi æquitatem etiam eius rei pluribus subiicit. Idem Augustinus *in Ioan tractatu 6. in fine. Leguntur*, inquit, *manifesta leges, vbi præceperunt Imperatores, vt qui præter Ecclesiæ Catholicæ communionem vsurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere*: & *si forte veniant ad Catholicam, & nobiscum habebunt non solùm terram, sed etiam illum qui fecit cœlum & terram*: Et vi huius legis, iterùmque *legis 54. infr.* & *l.4. infr. ne sanctum bapt.* relicta testamento Donatistis, Catholicis vindicata idem testatur, Donatistas loquentes inducens: *Modo deficientes vbique quid nobis proponant, non inuenientes quid dicant? Villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt, proferunt testamenta hominum. Ecce vbi Caius ois donauit fundum Ecclesiæ, cui præerat Faustinus. Cui Episcopus præerat Faustinus? Ecclesiæ? Quid est Ecclesiæ? Ecclesiæ dixi cui præerat Faustinus. Sed non Ecclesiæ præerat Faustinus, sed parti præerat. Columba autem Ecclesia est.* Et hæ quidem sententiæ Augustini spectant postremum huiusce legis caput. Sequitur sententia Augustini de irrogato exilio Clericis, quód tertium caput huiusce legis est quod & *l.54.* repetitum extat. *Militeia*, inquit, *in vos constituit Imperator propter mansuetudinem Christianam, exilium vobis voluit inferre, non mortem, sed vos homines docti considerantes quid debeatur meritò, & quid minus sit in supplicio, non de iudicio illius, sed de vestro additis mortem.*

¶ Cæterùm *huius legis* ferendæ causa repetenda est, ab exitu seu euentu Collationis Carthaginensis, quæ superiore anno habita fuit, ante septem & quod excurrit menses (quò alioquin spectant *l.55. infr. hoc tit.* vbi dicam plenè, & *l. vltim. infr. de religione.*) Nempe cùm pendente eâ Collatione Marcellinus Tribunus & Notarius in ea collatione cognitor, Donatistis, qui ad eam sese pollicebantur venturos, ex humanitate sua absque Imperiali præcepto Ecclesias seu Basilicas ad diem sententiæ vsque indulsisset: Atque adeò eis Ecclesias cum omni Iure suo, quæ à Catholicis iuxta præceptum Imperiale retinebantur, reddi seu reformari iussisset: quod ex eius Edictu liquet, In actis Collationis Carthaginensis, *pag.10.11.* & ex sententiâ, *pag.405.* & ex Augustino *in breuiculo Collationis in princ.* Tandem vltima definitione ab eo damnati Donatistæ, eas rursum Catholicis tradere sine vlla dilatione iussi fuere. Quinimò & Circumcellionum insania & insolentia reprimi iussa. Quin & Decurionibus, Dominis fundorum, Actoribus, Conductoribus, non priuatarum possessionum modò, sed & domus diuinæ, mandatum, vt conuenticula Donatistarum in omnibus ciuitatibus & locis prohiberent. Imò & fine sententiæ seu Edicti oblationes, collationes, largitates in Ecclesias Donatistarum factas Episcopis Catholicis tradi iussit. Quæ omnia *huic legi* apprimè conueniunt. Et verò illam sententiam *hac lex* Imperatoris secuta est. Verùm huic sententiæ non adeò vbique & hâc parte, vt hæc *lex* & *54.* testantur, paritum. De cætero, quis collationis istius Carthaginensis euentus fuerit, docet Augustinus *Epistola 127.158.159.160.169.* & aliis locis. Quare ad hanc seueriorem legem Honorius processit: vbi singularia multa sublegenda sunt: Primò notanda sunt hîc varia admodum decem numero personarum & quidem laicarum, *dignitatúmque* genera *gradúsque*, quibus Prouinciales constabant, quas ordine hic decurrit Honorius, distinctisque adeò multis & pœnis gradatim persequitur, quod omne ex *hâc leg.* mutuatum Hunnericus suo Edicto aduersus Catholicos inseruit, quod refertur ab Victore Vticensi *lib.3. de persecut. Vandal.* 1. *Illustres*, inquam, 2. *Spectabiles*, 3. *Senatores*, 4. *Clarissimi*, 5. *Sacerdotales*, 6. *Principales*, 7. *Decuriones*, 8. *Negotiatores*, 9. *Plebei*, 10. *Circumcelliones*: Illustribus imposita multa, auri pondo 50. Spectabilibus, 40. Senatoribus, 30. Clarissimis, 20. Sacerdotalibus, 30. Principalibus, 20. Decurionibus, 5. Negotiatoribus, 5. Plebeiis, 5. Circumcellionibus, argenti pondo decem. Quibus adiice qui subiiciuntur Conductores, & Procuratores, Seruos, & Colonos: Cui haud absimilis personarum Notitia continetur *l.54. infr. hoc tit.* quæ alioquin & in aliis quamplurimis huic similis est.

Secundò obseruandum, in illo personarum recensu de *Senatoribus*: eos non tantùm ab Illustribus & Spectabilibus separati & post eos nominari, verùm etiam à Clarissimis distingui: Sic quoque *d.l.54. infr.* quæ huic in quàmplurimis pariat, Senatores post eos qui succincti Proconsulari, aut Vicariano vel Comitiuæ primi ordinis honore, id est, post Spectabiles, primi inter Honoratos nominantur: & ita describuntur, *qui nullo muniti extrinsecus priuilegio dignitatis sunt*: & post eos

Sacerdotales statim ponuntur, nullâ Clarissimorum mentione, vbi vides multa equidem côgruentia cum *hâc leg.* contineri: Quinam igitur Senatores isti à Clarissimis diuersi esse possunt? Certè Codice Iustinianeo quoque titulus exstat, *vbi Senatores vel Clarissimi ciuiliter vel criminaliter conueniantur.* Putabat Cujacius hâc quoque lege Senatores dici expertes omnis dignitatis: Clarissimos verò qui in dignitate erant; eóque etiam sensu distingui eos eo titulo Codicis Iustinianei. Verùm vt illo quoque ipso titulo Senatores iidem cum Clarissimis sunt, & verò συζυγικῶς, ibi coniunguntur: & *l.1. eius tituli* Clarissimi non alij sunt quàm Senatores, vt manifestius adhuc discere est ex *l.1. hoc Codice infr. de accusat.* vnde lex illa desumpta est: ita *hâc leg.* Senatores Clarissimis præmittuntur; atque adeò velut maioris iam dignitatis, & maiori quoque pœnæ subiiciuntur: vti viceuersa, non Illustres tantùm, sed & Spectabiles maiori, quàm Senatores afficiuntur.

Tertiò obseruandi *Sacerdotales*, qui *hâc leg.* & *d.l.54.* nominantur, post Senatores, ante Principales seu Decemprimos Curiales. Nempe *Sacerdotales* hi erant primi inter Decuriones, qui Sacerdotales ludos procurabant: de quibus plenè suprà *titulo de Decurionibus*: & *tit. de Paganis infrà.* Hinc illud intereà discimus Christianos eos quoque fuisse saltem Donatistas.

Quartò, *Circumcellionum* nomen hîc notandum, quorum frequens mentio in historiâ Donatistarum apud Optatum Mileuitanum, Augustinum in Collatione Carthaginensi *d.3. cap.73.* & in sententiâ Marcellini, in Codice Canonum Eccl. Africanæ, Isidorum 8. *Etymol.5.* Possidonium *in vitâ Augustini.* Hi verò erant inter Donatistas velut Satellites, qui per nundinas, villas, vicósque & *Circum cellas* (vnde iis nomen) vagantes, armis instructi, intentatum nihil relinquebant, nihil non audebant, omnia furore implentes: denique in Catholicos insaniebant, sæuiebant, grassabantur: Quorum etiam hoc ipso tempore, & ante Collationem Carthaginensem meminit Augustinus *epist.122.* & post Collationem idem *epist.159.169.* Eosdem verò à Donato *Agonisticos*, eorúmque Præfectos *Sanctorum duces* nominatos tradit Optatus, *lib.3.*

Quintò, obseruandum latebram Donatistis, & Circumcellionibus præbuisse *Conductores & Procuratores*, etiam Domus Principis, quod & ipsum dictâ sententiâ Marcellini Tribuni & Notarij & *l.54. infr.* indicatur: vbi de triplici istorum Conductorum genere dicetur. Certè & ex Augustino variis locis id quoque discere est. Vt & cæteroquin aliorum criminum reis latebram præbebant; vt passim ex huius Codicis constitutionibus videre est.

Sextò, fit *hâc leg.* mentio *Executoris*, qui Donatistas & Circumcelliones inquirebat, exigebat, cuique illi præsentandi erant. Quod quidem si de certo quodam Executore accipiendum est, tum fuerit hic omnino Dulcitius Tribunus & Notarius vt fermè Tribuni & Notarij ad huiusmodi executiones missi: de quo ad *l. vn. supr. de Mandatis Principum*) quem Imperialium iussionum in Africâ contra Donatistas datarum Executorem ait Augustinus, *lib.2. Retractationum, cap.59. Per idem tempus Dulcitius Tribunus & Notarius hic erat in Africa EXECVTOR Imperialium iussionum contra Donatistas datarum,* &c. Ad eundem exstat eiusdem *epistola 61. pag.308.* quâ inter alia ait: *Non enim tu in eos ius gladij vllis legibus accepisti, aut Imperialibus constitutis, quorum tibi iniuncta est EXECVTIO, hoc præceptum est vt necentur:* Ibidem testatur, Dulcitium istum (Honorij scilicet) *Imperatoris potestate siue terrendo siue plectendo corrigendis præfectum erroribus:* duobus Edictis Donatistas admonuisse. Quod si ita est, tum perperam Baronius hæc de Dulcitio Executore ad Annum 414. retulerit n.8 9.

Septimò notetur, quod de *Vxoribus* additur *Vxores quoque eorum maritalis segregatim multa constringat.* Quod de vxoribus Conductorum & Procuratorum, qui latebram Donatistis & Circumcellionibus præberent, accipi posse videatur: vel potius in genere, de omnibus vxoribus Donatistarum, & Circumcellionum: Nam & perditi hi vtriusque sexus erant, teste Augustino *epist.158.* vbi de Macrobio Ep. Donatistarum agit *pag.718. in fin.* Igitur neque vxoribus parci voluit Honorius *hâc leg.* ita vt peculiaria eas multa constringeret, à maritorum multa separata *maritali segregatim*: nam ita lego, id est, à maritali separatim.

Octauò notetur, *seruos* à dominis, admonitione; *colonos* (de quorum conditione dixi plenè paratitlo *tituli de Fugitiuis colonis*,) verberum crebriore ictu à Donatistarum religione reuocari iuberi: alioquin ipsos dominos licet Catholicos multandos. Quod vtique singulare & ipsum continetur *l.54. infr.* Vbi interim obseruandum, primò *admonitionis* voce, castigationem significare, de quo in *Gloss. Theod.* Secundò, & in Colonos idem castigandi ius dominis tribui quod in seruos (quod & ipsum tribuitur *l. vltim. Cod. de Agricolis, l. in Cod ad Sc. Claud. Nou 22. cap.17.*) hinc & pro pœnâ ferro à dominis ligati *l.1. de fugit. colon.* sic tamen vt illi admonitione vt dixi: hi verberum ictu castigarentur: vnde apparet, admonitionem in seruos, & verberum ictum hîc distare. Certè *coercitionis* verbo vtrumque significatur *d.l.54.* quæ mox colonos speciatim verberibus coactos pariter ait.

Nonò obseruetur, & *hâc leg.* & *d.l.54.* exilij genus in Donatistarum Clericos, Ministros & Sacerdotales: nempe, *vt in exilium viritim* ad singulas quasque regiones sub idoneâ prosecutione mittantur, vt *hâc leg.* dicitur: vel vt *d.l.54.* ad singulas quasque insulas, atque Prouincias exulandi gratiâ dirigantur. Quod solitarij exilij genus & alias imperatum, diuellendis illis, quòd manu factâ furorem suum exercerent, seditionibúsque omnia complerent. Cuius etiam solitarij exempli in simili re eodem fine alibi exempla occurrunt.

LIII. * Idem AA. Felici PF. P."

IOVIANVM" sacrilegos agere conuentus extra muros Vrbis" Sacratissimæ, Episcoporum querela deplorat. Quare supramemoratum corripi præcipimus, & contusum plumbo, cum ceteris suis participibus & Ministris, exilio cohereeri: Ipsum autem machinatorem" in Insulam Boam" festinâ celeritate deduci: ceteris, prout libuerit," dummodò superstitiosa coniuratio exilij ipsius

discretione

discretione soluatur, solitarij" & longo spatio inter se positis Insulis in perpetuum deportatis. ¶ Si qui autem pertinaci inprobitate, vetita & damnata repetierit, sciat se austeriorem sententiam subiturum. Dat. Prid. Non. Mart. Med." Honorio ix. & Theod. v. AA. coss. [412.]

NOTÆ.

* Memorat *hanc legem* Baronius *Anno* 412. *num.*26. & *Anno* 390 *n.*49.
"An potius P. V. nam hoc tempore Seleucus erat P. P. Italiæ, vt docet præter *legem prox.*52. *supr.* vel hoc ipso die *l.*55. *supr. de Nauicularijs.*
"*Iouinianum* omnes alij fermè vocant.
"Vrbis Romæ.
"id est, ipsum Iouinianum Hæresiarcham.
"malè id quidam tentabant mutare in *Oasim.*
"Tibi videlicet.
"Similiter *l.*52. *supr. in fin.*
"Sustineri potest, si videlicet ad *exilium* vocem referat: aliàs reponendum, *solitarijs.*
"Irreptitia vox videtur, vel argum. *d.l.*55. Sed & consularia Theodosiana edocent, Honorium per hæc tempora non substitisse Mediolani.

COMMENTARIVS.

IN IOVINIANVM HÆRETICVM est hæc Honorij constitutio data Anno D.412. ad Felicem Præfectum Prætorio, vel potius Vrbi (quod existimo:) de quo & in quem alioquin Ambrosius *epist.*8x. Hieronymus, Augustinus, alij: in *Iouinianum*, inquam, qui hæreseos iam ante damnatus à Romana, tum & Mediolanensi Synodo (de quo videnda est *epist.*8x. Ambrosij) iam inde ab Anno 390. Mediolanensi Vrbe profugus ad Diœcesin Romanæ Vrbis sese contulerat: ibidémque adeò extra muros eius Vrbis conuentus hac tempestate quadam *coniurationis* specie, vt hæc lex ait, id est, non sine aliqua & ingenti turba, vnde & *participes* eius & *ministri* hîc memorantur, agebat: de quo cum querela Episcoporum ad aures Honorij accessisset, hac constitutione eum cum participibus & ministris insectatus est.

¶ Fuit tempus cùm crederem pro *Episcoporum* hic legendum *Episcopi Romani*, eo quod in peculiari eius diœcesi Romanâ Iouinianus hos cœtus agitaret. Veruntamen nil temerè mutandum. Quin ex eo quod Honorius *hâc leg.* dicit *Episcoporum* querelam deplorasse Iouinianum conuentus agere extra muros, colligi posse videtur, habitam hoc tempore fuisse *Romæ Synodum* Episcoporum, haud aliter atque Synodus Carthagine hoc ipso anno habita fuit aduersus Cœlestium huius Iouiniani gregalem. Nunc de ipsamet lege.

¶ Sententia huius legis hæc est. Iubet scilicet Honorius ipsum Iouinianum in Insulam Boam deportari, plumbatis prius cæsum: (de quo supplicij genere dixi *supr. ad tit. de pœnis.*) Ministros eius & participes in alias pariter Insulas inter se diuisas. Nempe (quod obseruandum) *vt ita exilij ipsius discretione coniuratio superstitiosa soluatur*, quam causam nominatim hic profitetur: cuius sanè exilij ad soluendam hæreticorum coniurationem solitarij, & longo inter se spatio dissiti alterum superior *lex* 52. exemplum suppeditat, & tertium insuper *lex prox.*54 *infr.*

¶ Additur & comminatio seuerioris pœnæ si cœtus vetitos repetierint. In *Boam* autem Insulam Dalmatiæ nominàtim Iouinianus deportari iubetur: quæ hac tempestate exiliis clara, seu famosa fuit. Quod iuxta *hanc legem* Ammianus quoque Marcellinus duobus locis ostendit: Nempe *lib.*22. *pag.*x2. in Anno 361. *Florentius*, inquit, *contrusus in Insulam Dalmatiæ Boas*: Et *lib.*28. *pag* 387. in Anno 371. *Senatus cum Hymetium ad Boas Dalmatiæ locum exterminasset.* Ne de ea insula hîc alia congeram ad rem non pertinentia, déve nominis ratione; & de Boa serpente Dalmatiæ familiari, de quo Hieronymus *in vita Hilarionis.* Itinerarium (quod vulgo Peutingeri seu Velseri tabulam vocant,) eam designat *Segmento* 4. Quare falluntur qui *Oasim* hîc suspicantur & reponendum putant. Alioquin etiam in Insulam aliquam Dalmatiæ in exilium mitti iussi exemplum habet Philostorgius, *lib.*4.*c.*1.

¶ In hac quoque lege obseruandum, ab Honorio Imperatore speciatim Insulam Boam Iouiniano pro exilio adsignari. Atenim in Felicis arbitrium ministrorum & participum Iouiniani exilium confertur, *prout*, inquit, *libuerit.* Quod nouum, nam etsi P. V. deportandi in Insulam ius & olim fuerit (quod docet *l.*1. §.3. *ff. de officio Præf. Vrb.* & *l.*6. §.1. *ff. de interdictis & relegatis*, *l.*x. §.1. *ff de pœnis*,) post deportationis sententiam Præfecti, ipsam Insulam Princeps adsignabat, vt docet *dict. l* 1. § 3.

¶ Tandem de hoc Iouiniano vide nonnulla ad *l... supr. de raptu vel matrim. sanctim.*

XLIV. * Idem AA. Iuliano Proc. Afric."

DONATISTAS adque hereticos," quos patientia Clementiæ Nostræ nunc vsque seruauit, competenti constituimus auctoritate percelli: 1. Quatenus * euidenti præceptione se agnoscant & *Intestabiles*," & nullam potestatem alicuius" ineundi habere, sed perpetuâ inustos infamiâ" cœtibus honestis," & à conuentu publico segregandos. 2. ¶ Ea verò *loca*, in quibus dira superstitio nunc vsque" seruata est, Catholicæ venerabili Ecclesiæ socientur. 3. ¶ Ita * vt *Episcopi*, Presbyteri, omnésque Antistites eorum, & Ministri spoliati omnibus facultatibus, ad singulas" quasque" insulas adque Prouincias exulandi gratia dirigantur. 4. ¶ Quisquis * autem hos, fugientes propositam vltionem, *Occultandi* causâ susceperit, sciat,

&

& patrimonium ſuum fiſci noſtri compendiis adgregandum, & ſe pœnam quæ his propoſita eſt, ſubiturum. 5. ¶ Damna * quoque" patrimonij, pœnáſque pecuniarias euidenter imponimus *Viris*, *mulieribus*, perſonis ſingulis, & Dignitatibus, pro qualitate ſui quæ debeant irrogari. Igitur Proconſulari, aut Vicariano, vel Comitiuæ" primi ordinis quiſque" fuerit honore ſuccinctus, niſi ad obſeruantiam Catholicam, mentem propoſitúmque conuerterit, ducentas argenti libras cogetur exſoluere fiſci noſtri vtilitatibus adgregandas. Ac ne id ſolum putetur ad reſecandam intentionem" poſſe ſufficere, quotieſcumque ad communionem" talem acceſſiſſe fuerit confutatus," totiens multam" exigatur: &ſi quinquies" eundem conſtiterit nec damnis" ab errore reuocari, tunc ad Noſtram Clementiam referatur," vt de ſolidâ eius ſubſtantia ac de ſtatu acerbiùs iudicemus. Huiuſmodi autem condicionibus etiam Honoraros" reliquos obligamus: ſcilicet, vt Senator, qui" nullo munitus extrinſecus priuilegio dignitatis inuentus in grege" Donatiſtarum, centum libras ſoluat argenti: Sacerdotales" eandem ſummam cogantur exſoluere: Decemprimi" Curiales quinquaginta libras" argenti addicantur: reliqui Decuriones decem ſoluant libras argenti, quicumque in hæreſi maluerint" permanere. 6. ¶ *Conductores* * autem domus noſtræ, ſi hæc in prædiis Venerabilis" ſubſtantiæ vti" *permiſerint*, tantam penſionem pœnæ nomine cogantur inferre, quantum" in conductione penſitare conſueuerunt. ¶ Eadem quoque Emphyteuticarios auctoritas ſacræ definitionis adſtringet. 7. ¶ Conductores verò priuatorum, ſi permiſerint in hiſdem prædiis conuenticula haberi, vel eorum patientiâ ſacrum myſterium" fuerit inquinatum," referetur" per Iudices ad ſcientiam dominorum, quorum intererit, ſi pœnam volunt ſacræ iuſſionis euadere, aut certantes" corrigere, aut perſeuerantes commutare: ac tales prædiis ſuis præbere Rectores" qui diuina præcepta cuſtodiant. Quod ſi procurare neglexerint, hi quoque in penſiones, quas accipere conſuerunt, prolatæ præceptionis auctoritate multentur, vt quod ad compendia eorum peruenire poterat, ſacro iungatur ærario. 8. ¶ *Officiales* * autem diuerſorum Iudicum, ſi in hoc errore fuerint deprehenſi, ad triginta librarum argenti inlationem pœnæ nomine teneantur: ita vt ſi quinquies condemnati abſtinere noluerint, coherciti verberibus exilio mancipentur. 9. ¶ *Seruos* * verò & *Colonos* cohercitio ab huiuſmodi auſibus ſeueriſſima vindicabit. Ac ſi Coloni verberibus coacti in propoſito perdurauerint, tunc tertiâ peculij" ſui parte multentur. 10. ¶ Adque omnia, quæ ex huiuſmodi generibus hominum locíſque colligi poterunt, ad Largitiones Sacras ilicò dirigantur. Dat. x Kalend. Iul. Rau. Conſtanrio & Conſtante coss. [414]

NOTÆ.

* Abeſt *hæc lex* à *Cod. Iuſtin.* Multáque ex *hâc leg* Hunnericus Rex Edicto ſuo aduerſus Catholicos indidit & retorſit apud Victorem Vticeoſem *lib.* 3. *de perſecut. Vandal.* Inſeruit verò eam rectè Baronius & ad eam plura commentatur *Anno D.*414 *num* 2.3 4.5.6.7.8 9. Præmiſit eandem & Fr. Balduinus in Optato ſuo.

"*Iuliano* huic Proconſuli Africæ inſcribitur non tantum menſe proximo *lex proxima* 55. quæ & ipſa aduerſus Donatiſtas lata eſt: verùm etiam eodem anno *lex* 3 *ſupr. de integri reſtitut.* & *l. vltim. vnde vi*: quæ oſtendunt eum hoc anno ſecundùm Proconſulem Africæ fuiſſe: Ante biennium enim iam Proconſul Africæ fuerat, vt oſtendit *lex* 64. *ſupr. de Appellationib.*

"iidem & Donatiſtæ hæretici: *verſ.* 5. *in fin. vid. l.*44. *ſupr.* Et fortè vox *atque* comparatè hic accipienda: ita, *Donatiſtas atque*, id eſt velut, *hæreticos*, &c.

* *Prima* ſententia huius legis: *Inteſtabiles & infames* habendos Donatiſtas: *verſ. Quatenus* 1.

"Similiter *l* 4. *infr. ne ſanctum bapt.*

"alterius contractus ſcilicet: Alij accipiunt hoc de dignitate ſeu militiâ.

"*Honeſtis* cœtibus arceri: ſic *honeſtorum cœtu* arceri *l.*1. *ſupr. de poſtulando*, ſpecialiore tamen ſignificatu.

* *Secunda* ſententia: *Conuenticula* Donatiſtarum Catholicæ Eccleſiæ ſociari oportere: *verſ. ea verò loca* 2.

"*Tertia* ſententia, *Sacerdotes & Miniſtros* Donatiſtarum bonis proſcriptis deportandos: *verſ. ita vt Epiſcopi* 3.

"Singularis & ſolitarij exilij huius rationem, & exempla duo adhuc vide in *l.*52. & 53. *ſupr.* vbi dixi.

"Rectè habet hæc vox, neque mutanda in *quiſque*: vid *Gloſſ. Theod.*

* Quarta ſententia, de *Occultatorum*, qui ſcilicet Sacerdotes vel miniſtros Donatiſtarum occultauerint, pœnâ: *verſ. Quiſquis autem* 4.

* Quinta ſententia, de *Donatiſtis* in commune, viris, mulieribus: déque *Multa* his irroganda, pro cuiúſque conditione & dignitate: *verſ. Damna quoque* 5.

"de *Comitiuâ primi ordinis* plenè dictum ad *l. vnicam ſupr. de Comitibus & Tribunis ſcholarum.*

"*quiſque*, pro quiſquis, hic & paſſim: vid. *Gloſſ. Theod.*

"*Intentionem*, vocat, inſtitutum hæreticorum, propoſitum tenax.

"*Communionem*, id eſt, eorum conuentum, *ſynagogam, conuenticula.*

"*Confutatus*, id eſt, refutatus, conuictus: quod in *computatus* mutari non oportet, vt ad marginem additum apud Baronium: vid. *Gloſſ. Theod.*

"*Multam* exigi: Antiptoſis: Quomodo & apud Cæcilium Nonio referente. *Ego illud minus nihilo exigor portorium.*

"Ita quoque ruſum infrà *verſ. Officiales* 8.

"*Damna* ſunt multæ Prouinciæ, d. *quib. ſupr.* Malè verò nonnulli hîc infarciunt voces *mutatum eſſe* poſt *conſtiterit.*

"*Referendum*, ad Principem, ſi de viris in dignitate ſeu honore poſitis agatur, iiſque contumacibus.

"id eſt, bonorum proſcriptione & deportatione feriamus, vt §.8.

"de *Honoratis* dixi ad *l.*1. *ſupr. de officio iudicum ciuilium*: & ad *tit. de Honoratorum vehiculis.*

"de *Senatore* iam dixi ad *l.*52. *ſupr.*

"*Grex* Donatiſtarum,

"de

''de *Sacerdotalibus* dixi ad *eandem leg.* & plenè *Titulo de Paganis.*
''de *Decemprimis* Curialibus: *paratitlo de Decurionibus.*
''scio equidem quid ferat huius æui stylus: verùm malim *libris*: quid enim alioquin fuerit *libras addicatur*? Nisi vulgatæ alias ellipsi supplenda vox *ad*, *ad libras addicatur.*
''protulerint, voluerint.
* *Sexta* sententia, de pœnâ eorum qui in alienis prædiis *locum* præbent conuenticulis Donatistarum: *vers. Conductores autem* 6. Quam Hunnericus Rex Edicto suo in Catholicos indidit & retorsit apud Victor. Vticens. *lib.*3.
''*Venerabilis* substantia, pro re priuatâ Principis.
''*Vti*, ἀμφιβόλως passiuo significatu, qualia multa: Nonius *supellex multa quæ non vtitur, emitur tamen.* Et rursum vti pro vsurpari, fieri.
''*Quantum* fieri potest, aduerbiali prolatu.
* *Septima* sententia, de pœna *Dominorum*: Conductores prædiorum suorum non inhibentium: *vers. Quod si* 7.
''*Mysterium*, vocat baptisma.
''*Inquinari*, mysterium seu baptismum à Donatistis ait: cuiusmodi alia: vid. *infr. ne sanctum bapt.*
''*referentur*, rescribo.
''An *errancet*? Et hoc sustineri posse videatur, propter Circumcelliones videlicet.
''*Rectores* prædiorum: nempe conductores & actores prædiorum.
* *Octaua* sententia, de pœnâ *Officialium* in Donatistarum errore deprehensorum: *vers. Officiales* 8. quam Hunnericus Rex Edicto suo indidit & retorsit in Catholicos apud Victorem Vticensem *lib.*3.
* *Nona* sententia, de *Seruis & Colonis*: *vers. Seruos verò* 9.
''de *Perulsis* colonorum dixi paratitlo *de Fugitiuis Colonis.*
* *Decima* seu postrema sententia de multis superioribus in sacras largitiones inferendis *vers. Adque omnia vlt.*

COMMENTARIVS.

IN DONATISTAS per Africam Proconsularem, hæc secunda iam est, Honorij Imp. post Collationem Carthaginensem, quæ habita fuit ante triennium A.411. constitutio: prima enim fuit *lex* 51. *supr.* data paulò post eam finitam, septem videlicet ferme post mensibus. Vtrâque verò Honorius post longam patientiam proposito vario pœnarum genere, Donatistas ab errore suo ad Catholicam Ecclesiam reuocare enixè studuit, eorum intentionem resecare, vt *hâc leg.* dicitur, id est, pertinax propositum frangere. Ista primùm *l.*52. Anno D.412. iisdem ferme pœnis propositis: At enim hæc iam posteriore Anno 414. distinctius, & districtiore seueritate, cùm videlicet illâ parum profectum fuisset: imò *cùm patientia eius eos vsque nunc seruasset*, vt ipsemet *initio legis* testatur. Quare iam *competenti auctoritate* & austeritate percellendos eos credidit, & verò *hâc leg. percelli constituit*, quæ ipsius patiter expressa verba sunt: & vt rursum *vers.*6. dicit, *auctoritate sacræ definitionis adstringi: & prolata præceptionis auctoritate multari.* Quorum etiam hæresin atrocitate verborum confodit passim: vt cùm *diram superstitionem* eorum vocat: *vers.*2. errorem *vers.*5. & 8. gregem Donatistarum appellat *d. vers.*3. hæresin & hæreticos *initio l. & fine vers.*5. sacrum mysterium (id est, baptisma) ab his inquinari: ait *vers.*6. Quibus etiam imposterum non amplius parcendum, vt antea factum fuerat, apertè indicat, vt cùm præter ea quæ iam dixi, ait: *quatenus EVIDENTI præceptione se agnoscant & intestabiles*: &c. & vers.5. *Damna quoque patrimony pœnásque pecuniarias EVIDENTER imponimus.* Id enim vox *euidentis* & *euidenter* in constitutionibus importat. Denique quos à Iuliano Proconsule Africæ pœnis *hâc leg.* statutis subiici passim iubet: imò est & vbi de his ad se referri. Et hæc quidem ideò, quod Donatistarum vesania tantùm abest post Collationem Carthaginensem repressa fuerit, vt contra in immensum excreuerit, de quo testis passim Augustinus. Nos pœnas istas nunc summatim apponamus: quæ decem omninò sunt, in quot etiam versus hanc constitutionem ordine diuisimus: è quibus singularia postea quædam educemus: Summa hæc est; 1. Donatistas in commune intestabiles esse, commercio iis interdici, infamiâ eos notari; de quâ infamiæ pœna hæreticis imposita dixi semel *d. l.*7 *supr.* 2. Conuenticula eorum Catholicæ Ecclesiæ sociari oportere. 3. *Sacerdotes* & ministros eorum bonis proscriptis deportandos, 4. Vt & occultatores eorum. 5. Multam Donatistis in commune viris, mulieribus, qui ad communionem Donatistarum accesserint, qui in grege Donatistarum inuenti fuerint, qui in hæresi permanere maluerint, & in proposito perdurare, irrogandam pro cuiúsque conditione & dignitate: Proconsulatibus Vicariis, Comitibus primi ordinis, ducentarum argenti librarum: Senatoribus, centum: Decemprimis Curialibus, quinquaginta: reliquis Decurionibus, decem. 6. Eos qui locum præberent in alienis prædiis ad mysteria celebranda, Conductores inquam rei priuatæ, vt & emphyteuticarios, tantùm fisco pœnæ nomine soluere oportere, quantum pensionis seu conductionis nomine soluere solent: 7. Vt & priuatos dominos prædiorũ, si Conductores suos errantes non correxerint, vel perseuerantes non commutarint. 8. Officiales quoque Iudicum in hoc errore deprehensos, triginta libris argenti multandos. 9. Colonos seruósque verberibus coërcendos, & perseuerantes tertiâ peculij parte multandos. 10. Postremùm omnia quæ ex locis vel multis collecta fuerint, ad Principis ærarium ilicò dirigenda. Hæc inquam legis istius summa est: in quâ præter ea quæ ad *l.*51. *supr.* huic similem notabamus, multa singularia notanda veniunt.

Primò, quidem quod *Testamenti* factione Donatistæ priuentur, quod & ipsum statuitur *infr. ne sanctum bapt. l.*4. imò & commercij iure, tandem & infamiâ notentur: & sic Romano communi iure priuentur, de quo iam ad aliàs *leges*: & sic neque morientibus id solatij relinqui, vt de bonis suis testari possint, neque superstites alicuius (contractus scilicet: nam id hic supplendum) ineundi potestatem habeant, & velut infames in perpetuum ab honestorum cœtu & conuentu publico submouendos. De hæreticis intestabilibus iam aliis legibus actum. Vt Donatistæ verò intestabiles essent, id iam ab Honorio expetierant Patres Africani ante decennium Anno 404. vt docet *can.*93. *Cod. Afric.* id quod ad eorum postulationem ab Honorio constitutum, initio Anni proximè sequentis 405. *l.*4. *ne sanctum bapt.* quæ lex huic nostræ quam simillima est. Meminit Augustinus *lib.*1. *contra Epistolam Parmeniani* huius omnis rei atque adeò huius legis; *Sunt & alia iussiones generales, quibus eis vel faciendi testamenta, vel per donationes alicui conferendi facultas adimitur, vel ex donationibus aut testamentis aliquid capiendi. Nam in quadam causa cum homo nobilis Imperatoribus supplicasset, quod soror eius quæ de parte Donati fuerat*

cum defungeretur, neſcio in quos communionis ſuæ vel maximè in quendam Auguſtinum Epiſcopum eorum plurima contuliſſet, ex illa generali lege præceptum eſt, vt omnia fratri reſtituerentur: vbi etiam Circumcellionum mansio facta eſt, ſi more ſuo violenter obſiſterent quo genere auxiliorum & adminiculis repelleretur. Idem *Epiſt.48. ad Vincentium* 48. vbi hæc inter alia ironicè. *Ita ſanè huic prouiſioni contradicere debui, ne res quas dicitis veſtras perderetis, & ſecuri Christum proſcriberetis. Vt iure Romano teſtamenta conderetis, & iure diuino Patribus conditum teſtamentum (vbi ſcriptum eſt, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes) calumnioſis criminationibus romperetis. Vt in emptionibus & venditionibus liberos contractus haberetis, & vobis diuidere, quod Christus emit venditum, auderetis. Vt quod quiſquam veſtrum cuiquam donaſſet, valeret, & quod donauit Deus Deorum à ſolis ortu vſque ad occaſum vocatis filiis non valeret. Vt de terra corporis veſtri in exilium non mitteremini, & de regno ſanguinis ſui, à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ Christum exulem facere conaremini? Imò verò ſeruiant Reges terræ Christo etiam* LEGES *ferendo pro Christo.* Idem de ouibus *cap.13. Vigilate heretici, audite à paſtore teſtamentum pacis, venite ad pacem; iraſcimini Chriſtianis Imperatoribus, quia Teſtamenta veſtra valere noluerunt in domibus veſtris: videte quàm digna ſit pœna, & quid eſt quod Teſtamentum non valet in domo veſtra? quid eſt? quantum eſt? Dolor ille admonitio eſt, nondum damnatio.*

Secundò notandum, *Occultatoribus* Sacerdotum & miniſtrorum Donatiſtarum eandem pœnam bonorum proſcriptionis & deportationis imminere. Sanè & aliàs exectandorum maximè hæreticorum occultatoribus pœnæ indictæ, veluti Manichæorum per Africam *l.35. ſupr.* Donatiſtarum *hâc leg.* & *l.52. ſupr.*

Tertiò notetur, Dignitatum & honorum notitia, próque eorum diuerſitate multæ quoque ſeu pœnæ diuerſitas. *Proconſulares* ſcilicet, *Vicariano* honore ſuccincti, *Comites primi ordinis*: de quibus *lib.6. ſupr.* Hos ſequuntur *Honorati* alij, non illi qui ementito honore per Prouincias pollebant, de quibus ad *l.1. ſupr. de offic. Iudic. ciuil.* verùm ſequentes *Senatores* nudi, nullo muniti extrinſecus dignitatis priuilegio, omnes alterius dignitatis expertes: de quibus dixi etiam ad *l.52. ſupr. Sacerdotales*, qui ſcilicet inter Decuriones primo loco erant, de quibus *ſupr.* quoque *l.52.* & *tit. de Decur.* & *infrà tit. de Paganis.* Hos ſequuntur *Decemprimi* Decuriones: de quibus itidem plenè *tit. de Decurionib.* tandem reliqui *Decuriones.* Pœnarum verò gradus hic: 200. argenti librarum multa primis imponitur: Senatoribus nudis, 100. vt & Sacerdotalibus (vnde apparet de horum Sacerdotalium dignitate æquâ Senatoribus, etſi proximâ) Decemprimis, 50. Decurionibus cæteris, 10.

Quartò obſeruetur, quod duobus huius conſtitutionis locis additum *verſ.5.* & 8. de *Quintâ condemnatione*: nempe quinquies lapſos, multatos coërcitos, lapſos rurſum non iam ordinariâ pœnâ ſeu multâ, verùm extraordinariâ plectendos: Quinque equidem lapſus eâdem multa coërceri, ſextum verò & deinceps vel ad Principem referendum, ſi videlicet de his qui in dignitatibus vel honoribus poſiti agatur, quò acerbius in eos vindicetur: vel ilicò à Iudicibus grauius coërcendos veluti Officiales. Hæc contumaciæ hâc in re poſt quintam emendationem pœna.

Quintò, obſeruetur enumeratio aliarum perſonarum, poſt hos qui in dignitatibus & honoribus conſtituti erant: & quidem per Africam, Donatiſtarum quoque hæreſi implicitorum, biſque fauentium. Primò, Conductorum tria genera: *Conductores* domorum & prædiorum rei priuatæ Principis: *Emphyteuticarij*, id eſt, Conductores prædiorum ad Reſpublicas & ciuitates pertinentium: de quibus actum *lib.10.* tandem Conductores priuatorum, ſeu Rectores prædiorum. Quæ etiam tria aliàs hominum genera reis latebras præbere ſolebant: de quo fidem faciunt innumeræ conſtitutiones: Exinde *Officiales* Iudicum. Tandem *Serui & Coloni.*

Sextò, notetur multæ genus *verſ.6. & 7.* nempe tantùm fiſco inferendi quantum penſionis annuæ ex fundo quis præſtare vel percipere ſolet: Ei quidem ob præbitum fundum myſteriis hæreticorum celebrandis: vel ob Conductores fundorum ſuorum id facientes, non emendatos vel commutatos.

Cætera, & in his quidem, de exilio, & quidem ſolitario, Epiſcoporum & Miniſtrorum Donatiſtarum, vide ad *l.52. ſupr.*

¶ Cæterùm huiuſce legis *furâi*, an verò *legis 52. ſupr.* an vtriuſque executorem poſt Marcellini mortẽ, de quo *l. prox.* Dulcitium Tribunum & Notarium Honorius in Africam miſerit (quò alioquin pertinent quæ Auguſtinus ſcribit *lib.2. Retract. cap.59.*) dubium videri poſſit: Baronius id de *hâc leg.* accepit: Ego non minus accipiam de ſuperiore *l.52.* vbi & Dulcitius ipſe indicari videtur his verbis: *Qui niſi Executori exigendi, id eſt, fuerint præſentati*, &c. Auguſtinus ſæpè meminit huius *Edicti*, & per S. Scripturam oſtendit id iuſtiſſimum eſſe: ac nominatim in tractatibus expreſſis ſuper hoc, inculcat *epiſt.59.* ad Comitem Bonifacium (cui titulus: *de corrigendis moderatè Romanis*:) *epiſt.61.* ad Dulcitium: in libris contra Gaudentium: *epiſt.48. ad Vincentium, de corrigendis hæreticis per vim*: vt iure Romano teſtamenta condentes & iure diuino......teſtamentum rumperent, vid. lib.1. contra Gaudentium, c.19. t.7. p.259. *Mitiora in eos conſtituit Imp. exilium vobis voluit inferre non mortem*, &c. Magnam verò hæc lex & *d. l.52.* vtilitatem attulêre: vide Auguſtinum *d. epiſt.50.* & *epiſt.48.* & contra Gaudentium *lib.1. c.29. p.61.*

¶ *Contra* DONATISTAS *geſta, Anno Domini* 411. *ſub Marcellino Cognitore, eo quamlibet mortuo, imò inuidioſè cæſo, nihilominus plenam fidem & firmitatem obtinere.*

L V. * Idem AA. Iuliano" Proc. Afric.

NOTIONE & ſollicitudine Marcellini, Spectabilis memoriæ" Viri, contra *Donatiſtas* geſta, ſunt" ea, quæ tranſlata in publica monumenta, habere volumus perpetuam" firmitatem: *Neque* enim *morte Cognitoris perire debet publica fides.* Dat. III. Kal. Sept. Rom." Conſtantio & Conſtante COSS. [414.]

NOTÆ.

NOTÆ.

* Lex *gesta vlt. Cod. de re iudicatâ*, hinc interpolata est, resecta priore sententia de *Marcellino*, vt ita perpetuum ius conderetur. Cæterùm & *hanc leg.* memorat rectè Baronius *sub Anno 414. num. 1.* & integram inserit, *Anno 413. n. 6.* Sed & eandem Gestis Collat. Carthagin. rectè subiicit Papyrius Massonius.

"*Iuliano*, huic Proconsuli Africæ inscripta hoc ipso anno *lex prox. supr.* 54. aduersus eosdem Donatistas: vide *Ind. Person.*

"Nempe iam mortuus hoc tempore fuerat Marcellinus, vt vel hinc colligere licet: Sed & *fine leg.* id nominatim dicitur ibi, *morte Cognitoris*: de quo mox.

"*Gesta quæ sunt translata*, &c. ita Cod. Iust. Hic tamen nil temerè moto: *sunt ea*, id est, talia sunt: Etsi fortè alicui placebit, *sunto ea*: vel ita quod omnium maximè probabile, *gesta quæ sunt & translata*.

"*Perpetuam* Cod. Iust. Neque hic tamen quicquam mutandum: etsi *perpetim* hic positum loco *perpetem*.

"Ita quoque Cod. Iust. quin & ad plenum, *Roma*. Atenim rescribendum *Rau*. Error ex eo natus, quod in M SS. scriptum *Rum* quod Rauennam significat, vt ex Tilij editione liquet, in subscriptione *l. 44. 45. 52. supr. hoc tit.* & *l. 13. supr. de infirm. his, quæ sub Tyrann.* vbi similis error admissus: pariter vt *l. vlt. supr. de scenicis*.

COMMENTARIVS.

CONTRA DONATISTAS ante triennium GESTA, sub Notione Marcellini Cognitoris, hoc tempore iam mortui, perpetuam nihilominus firmitatem habere iubet hac constitutione Honorius Imp. Anno Domini 414. subiecta generali regula (quæ notanda est:) *Morte Cognitoris perire non debere publicam fidem.* Nempe publica fide gesta, atque in publica monumenta seu acta semel relata perpetuam fidem faciunt, & vt hanc legem efferunt *lib 6. tit. 1.* Basilica, τὰ ἐν δικαστηρίῳ εἰσενεχθέντα ἐν ὑπομνήμασιν, ἰσχυρῶς διαμένει, καὶ τελευτῶντος τοῦ δικαστοῦ, & Chrysostomus λόγῳ α. εἰς τοὺς ἁγίους μοναχούς, *tom. 8. pag. 609.* ἐν δικαστηρίῳ ἅπερ ἂν ἐπὶ ὑπομνήμασι τοῦ δικάζοντος φθέγξηται, πάντως ἔγγραφα διαμένει, καὶ ἐξαλειφθῆναι οὐκ ἔτι δυνατόν: tantùm abest mors Cognitoris eis quidquam derogare valeat. Non vt alia mors soluit, ita & mors Cognitoris gesta quoque publica soluit.

¶ Hæc quidem huiusce legis est sententia; verùm de tribus videndum est quænam videlicet *gesta* illa sint, quis *Marcellinus* ille, de quibus *hâc l.* agitur. Tandem quæ *huius legis* promulgandæ occasio fuerit.

¶ Quod primum attinet. Nempe hîc indicantur ACTA seu GESTA COLLATIONIS CARTHAGINENSIS, inter Catholicos & Donatistas, cui Marcellinus Tribunus & Notarius ex Honorij præcepto Cognitor præfuit, mense Iunio Anni D. 411. *post CO S. Varanis*, seu ante triennium, & quod excurrit: quam in rem videndæ sunt Augustini *epist.* 158. 159. 160. & Possidius *in V. S. Augustini cap. 3.* vbi confutati à Catholicis Donatistæ omnium documentorum manifestatione. Cuius collationis Acta seu Gesta, à Marcello *modulatâ breuitate*, vt ipse ait, distincta atque collecta, à Papyrio Massonio primùm in lucem edita: mox cum MS. collata & emendata à P. Pithæo extant: magna tamen, quod dolendum, parte cognitionis tertij diei mutilata. Sed & Augustinus ipse, qui Collationi interfuerat, imò à quo potissimum ea procurata, teste Possidio, breuissimam eius epitomen seu Breuiculum conscripsit. Sed & Fr. Balduinus, antequam Acta ipsa ederentur, historiam eius Collationis Carthaginensis siue disputationis edidit luculentam. Hæc igitur illa Gesta sunt: hic ille Marcellinus, de quo multa Augustinus, Orosius, Hieronymus: ad quem etiam extat *lex vltim. infr. de religione*, quæ lex, vt Acta Collationis edocent, pars est Mandatorum ipsorum, seu Imperialis Honorij sanctionis, quâ ei cognitio Anno D. 410. tributa fuerat: vt ad eam plenius ostendetur. Quanquam & gesta de sceleribus Donatistarum post Collationem Carthaginensem hîc quoque intelligi possunt: de quibus sub finem Commentarij.

¶ Quod secundum attinet: vel ex *hâc leg.* liquet, ei ferendæ occasionem præbuisse *mortem* ipsius Marcellini. Nempe Donatistæ eo mortuo contendebant, gestorum quoque sub eius notione fidem perire debere: ac maximè, quod ipsum tanquam *Heracliani* Tyranni (de quo *l. 21. supr. de pœnis*: & *l. 13. supr. de infirm. his quæ sub tyr.* & cui *l. 51. supr.* & *l. prox. sequ. 56.* inscripta est, vbi dicam) partium è medio sublatum contenderent: atque adeò vt ipsius Heracliani Tyranni gesta irritata fuerant *eâ l. 13.* anno superiore, ita & Marcelliana illa pariter infirmanda videreotur. Nempe Hieronymus scribit, *lib. 3. contra Pelagianos*, Marcellinum sub inuidiâ tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis innocenter cæsum fuisse. Scilicet Donatistæ, vt post Collationem statim calumniæ tela, in eum sparsêre, quasi perperam, noctu, autóque à Catholicis corruptus sententiam in Donatistas dixisset: ita posteà iisdem agentibus, (hi enim proculdubio *hæretici* sunt, quos Hieronymus intellexit) calumniam passus, quasi Heracliani partium, cæsus fuit. Neque dubito, occasione *legis 21. supr. de pœnis*: quâ exciti publicè ab Honorio delatores Satellitum & consciorum Heracliani. Tandem, quò spectabant maximè, gesta ab eo mortuo eo, & quidem quasi perduelle, irrita esse iactabant. Verùm, vt auctor mortis eius *Marinus Comes* qui Africam Romano Imperio restituerat, & Rempubl. ab Heracliano Tyranno liberauerat, ab Honorio ex Africa reuocatus, dimissus est, quod scribit Orosius, *lib. 7. cap. 42. in fin.* ita idem Honorius hâc Constitutione & famam Marcellini vindicatum iuit, quod ex eo apparet, quòd *Spectabilis memoriæ virum* vocat, & gesta simul sub eius notione contra Donatistas confirmauit. Quâ non absimili ratione *legem prox.* promulgatam mox ostendam.

¶ Hinc interim quoque discimus; quod & aliàs constat, in negotio religionis captatam aliquando occasionem mortis Iudicis alicuius ab hæreticis ad irritanda ea quæ sub Iudice aliquo actitata fuerant, atque in publica acta translata. Verùm vt *hâc leg.* definitur, eorum auctoritatem esse æternam voluere Principes, voluit *hâc leg.* Honorius. Quæ quidem definitio seu constitutio locum obtinet, vbi omnia legitimè gesta sunt, constitutis continuis partibus, vt in Collatione Carthaginensi inter Catholicos & Donatistas. Aliud enim si μονομερῶς quædam gesta, ἀπόντων πάντων. De quo est Athanasij locus, *Apol. ad Imp. Constantinum*, quæ scripta Anno D. 356. in initio: ἐχρῆν δὲ καὶ φανερὰν ἀπόδειξιν. εἰ καταξιώσαις μαθεῖν, ὅτι παρόντων μὲν ἡμῶν οὐδὲν ἀπέδειξαν οἱ κατηγοροῦντες κατὰ Μακαρίου τοῦ Πρεσβυτέρου: ἀπόντων δὲ ἡμῶν ΚΑΤΑ ΜΟΝΑΣ ἔπραξαν ἅπερ ἠθέλησαν: τὰ δὲ τοιαῦτα πεπραγ-

μᾶλλον εἰσὶν ὁ θεῖος νόμος, ἔπειτα καὶ οἱ ὑμέτεροι νόμοι μηδὲ μικρὸν ἔχειν δύναμιν ἀπεφήναντο: & *Apol. p.578.* vbi queritur aduersus Marcellum, ὅτι δὲ τῷ μαρεώτῃ μὴ παρόντας ἔνθα τὰ ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ κατ' αὐτοῦ γεγονέναι λέγεται, οἴδατε δὲ, ἀγαπητοί, ὅτι τὰ κατὰ ΜΟΝΟΜΕΡΕΙΑΝ ἰσχὺν οὐκ ἔχει, ἀλλ' ὕποπτα τυγχάνει. Quæ omnia ad eam iuris æquitatem pertinent, *absentem neminem damnandum, accusatorem & reum simul in iudicio adesse oportere:* quam in rem sunt & alia Athanasij loca. Aliud verò in hoc casu, vbi omnia legitimè gesta; quæ procuidubio ideò Donatistæ abolita volebant, quòd ex his eorum fraudes & sophismata notescerent, quæ ad sui infamiam tendere videbant, & ideò è medio sublata cupiebant; vt etiam ea quæ infamandi alterius causâ in monumenta publica relata, è medio tolli iubentur, *l. 37. de iniur.* Sed firma hæc esse voluit Honorius & extare ad eorum infamiam, pariter vt idem rescriptum quod iidem Donatistæ à Iuliano impetrauerant, proposito programmate celeberrimis in locis, anteferri voluit, & gesta quibus huiusmodi erat allegatio inserta: subnectens, *quòd clarius innotesceret & Catholicæ confidentia stabilita constantia & Donatistarum desperatio fractaque audacia.* Hæc inquam Honorij mens fuit: eodémque fine eadem gesta Collationis Carthaginensis in Ecclesiis Africanis Quadragesimæ tempore recitari solita testatur, *lib. de gestis cum Emerito.* Sed & Marcellinus acta de scelerib. Donatistarum post Collationem Carthaginensem proponi voluit in Theopropria, quò frequens, vt videtur, multitudo confluebat, velut in locum Carthagine celeberrimum, eadémque per Ecclesias recitari desiderauit *epist. 158. ad Marcellinum.* De quibus gestis hæc quoque lex accipi possit, vt iam ante indicaui.

LVI. * Idem AA. Heracliano Com. Afric.



SCIANT cuncti, qui ad ritus suos hæresis" superstitionibus" obrepserant sacrosanctæ" legis inimici, plectendos se pœnâ & proscriptionis & sanguinis, si vltra conuenire per publicum exercendi" sceleris sui temeritate temptauerint: ne" quâ vera" diuináque reuerentia contagione temeretur. Dat. VIII. Kalend. Septemb. Honorio x. & Theod. VI. AA. COSS. [415.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* inseruit Baronius Annalibus suis *Anno 402. num. 17.* Cæterùm repetita est hæc lex *l. 51. supr.*
"*Heraclianus.* Comes Africæ: de quo *l. 13. de infirm. his quæ sub Tyr. l. 21. de pœnis.*
'Hæreticæ superstitionis *d. l. 51.* vel *hæreticis & superstitionis.*
Sanctæ tantùm in *d. l. 51.*
"Execranda *d. l. 51.*
Hæc absunt à *leg. 51.*
"id est, cultus religiosus & reuerenda mysteria Catholicæ fidei.

COMMENTARIVS.

COETVS RITVSQVE hæreticorum hâc constitutione Honorius Imper. per Africam sub pœnâ proscriptionis & sanguinis, rursum prohibet. Quæ Constitutio & *Heracliano Com. Africæ* inscribitur, & subscriptos habet consules, qui Anno D. 415. congruunt. Denique totidem penè verbis ex *l. 51. supr.* transcripta est. Quod vtique mirum: Sic vt de vitio suspecta videri possit: quandoquidem Heraclianus cui ea inscribitur, Tyrannus iam factus & exinde profligatus iam exsúsque ante biennium Anno 413. fuerat: quod docuit *lex 13. supr. de infirmandis his quæ sub Tyrannis:* & *l. 21. supr. de pœnis.* Quare Baronius hanc legem ad Ann. 412. referendam existimauit, id est, *ad Honorium IX. & Theodosium V. AA. COSS.* Atque adeò Consulum præposteratio videri possit. Verùm tamen, cùm rem propius intueor, nihil mutandum censeo. Nempe ita existimo simili occasione hanc legem in Africa propositam, imò repositam, qua superiore anno superiorem *legem 45. supr.* promulgatam ostendi. Nempe Heracliano Tyranno cæso, eiúsque gestis infirmatis *d. l. 13.* memoriâ priuatim publicè aboleri iussâ, Donatistæ & eam simul legem, quæ ad Heraclianum olim ante quinquennium Anno 410. aduersus se lata fuerat, id est, *legem 51. suprà,* pariter infirmandam & infirmatam iactasse videntur: haud aliter atque gesta sub Marcellino post eius mortem irrita iactabant. Quare Honorius recentari hanc legem voluerit & in Africa proponi, eum eadem inscriptione *ad Heraclianum Com. Africæ,* vt ita Donatistis liqueret, quamlibet infirmatis aliis sub Heracliano gestis, eiúsque memoriâ priuatim publicè abolita *dict. l. 13.* non ideò tamen eam *legem 51.* infirmatam: multúmque interesse inter ea quæ ipse gessisset, vel etiam à priuatis sub eo gesta, à publicis atque Imperatoriis gestis, atque adeò constitutionibus ad eum directis: pariter vt superiore lege gesta Notione & sollicitudine Marcellini Cognitoris in Collatione Carthaginensi in publica monumenta translata perpetuam firmitatem habere voluit. Atque hac interpretatione ab emendatione hæc lex defendi potest. Vbi etiam obseruandum, nihil iam hac lege agi (quod tamen agitur in *dict. l. 51.*) de oraculo infirmando, quo Donatistæ ad ritus suos obrepserant. Cuiusmodi sanè hac tempestate nullum emerserat. Atque hoc inter hanc & illam discrimen.

¶ Atque hactenus Honorij Imp. constitutiones: sequuntur Theodosij Iun. & Valentiniani III.

LVII.

LVII. * Idem AA. Aureliano PF. P." II.

MONTANISTÆ conueniendi, vel celebrandi cœtus ademptam sibi, & creandi Clericos omnem intelligant facultatem: ita vt si conuentus inlicitos celebrauerint, Clerici eorum, & Episcopi, siue Presbyteri siue Diaconi, qui nefaria conuenticula ineunda temptauerint, vel creare Clericos ausi fuerint, vel etiam creari" adquieuerint, stilum deportationis excipiant. ¶ Hi verò qui ad celebrandos interdictos conuentus eos susceperint, eâ ipsâ re, in qua hoc fieri concesserint, & execrabilia mysteria celebrare, proculdubiò intellegant spoliandos, siue domus ea fuerit, siue possessio: siue Procuratores ignorantibus dominis eos susceperint, in exilium se vehementer cohercitos non ambigant ablegandos. ¶ Si qua etiam propria eorum nunc extant ædificia, quæ non *Ecclesiæ*, sed *antra*" debent *feralia* nominari, venerabilibus Ecclesiis orthodoxæ sectæ cum donariis" addicentur. ¶ Quod quidem ita fieri oportebit, vt abstineatur priuatorum rebus: ne sub obtentu rerum ad Ecclesias Montanistarum pertinentium, aduersus priuatos spoliatio, ac direptio perpetretur. Dat. Prid. Kalend. Nouemb. Constantinop. Honorio x. & Theod. VI. AA. COSS. [415.]

NOTÆ.

* Meminit *huius legis* Baronius *Anno* 415. & iungenda huic est *l.* 1 *supr. de Decurionib. & Silentiariis.*

" Orientis scilicet: vid. *d. l.* I. Chronici Alexandrini quoque author his ipsis Consulibus & superioribus huius Aureliani PP. II. meminit.

" Quidam mutabat hanc vocem in *creati*.

" *σπήλαια καὶ ἀφανισμόν*, vt de Iudæorum Synagogis Chrysostomus, *orat.* I. *aduersus Iudæos in fin.*

" Donaria hic & *l.* 25. *infr. de Iudæis*: de his vide quæ Iuretus *in Symm. lib.* 8. *epist.* 26.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. in hæreticos constitutiones sequuntur septem, putà *lex* 57. 58. 59. 60. 61, 65. 66. *seu vltim.* nareà enim iam tres eiusdem fuerunt. Hæc nominatim est in Montanistas. Hi verò cœtus agitare, Clericos creare pœnis propositis à Theodosio Iun. hâc Constitutione prohibentur, eorúmque Ecclesiæ vna cum donariis venerabilibus Ecclesiis addici iubentur. Atque hæc altera est Theodosij Iun. in Montanistas constitutio. Erit & tertia *l.* 65. *infr.*

¶ Obseruetur saltem, quod fine legis continetur, priuatorum bonis abstinendum, neque priuatos obtentu rerum ad Ecclesias Montanistarum pertinentium spoliandos, diripiendos.

LVIII. * Idem AA. Aureliano PF. P. II.

DOMVS *Eunomianorum* propriæ Clericorum, quæ apud Inclytam Vrbem" habentur, fisci viribus addicantur, in quas" nefarios conuentus habitos, vel iteratum baptisma claruerit, quod" in modum semel nati hominis; semel à Deo conceditur. ¶ Quod facinus, ne etiam à ceteris hæreticis" perpetretur, commonemus: Similem expectaturis pœnam etiam aliis Clericis hæreticis, si diuinum baptisma nefariè crediderint iterandum. ¶ Ne" eo quoque extra pœnam relegationis" futuro, qui sponte adque vltrò passus fuerit, ad secundum se baptisma, & geminata, semel" indultæ fidei, mysteria, imbui" temerè, vel perperam deuocari. ¶ Pari pœna deportationis absque alicuius intercessione in Eunomianos Clericos processurâ, si conuentus exercere vel in hac Inclyta Vrbe, vel in Prouinciis, ciuitatibus, ac territoriis, vel creare ausi fuerint Clericos pestiferi dogmatis vel creari. ¶ Confirmatis itaque prioribus" legibus, quæ promulgatæ sunt, tam circa inhibendos conuentus Eunomianorum, quàm etiam circa interdictas nouissimas voluntates, aut liberalitates, illud addimus, vt si qui de Eunomianis speciali beneficio meruerant, vt eis testamenti factio indulgeretur, vel donandi, vel accipiendi ex largitate licentia tribuatur, priuentur hoc beneficio, & pares ceteris sint, quibus pares sunt in dogmatis prauitate. Nulli penitus testari liceat Eunomiano in Eunomianum, nulli eiusdem peruersitatis ex testamento quicquam percipere Eunomiani: nemo donet, nec Eunomianus ab Eunomiano liberalitatem prædij vel domus accipiat; etiamsi per interpositam" alterius sectæ personam, vel titulum venditionis imaginariæ" fraus quædam legi fuerit excogitata. Tantùm hi, qui ab intestato venturi sunt ex legibus, in eorum ex hæreditate succedant: adque his locus pateat successionis, ad quos iura sanguinis legitimas intestatorum deferunt hæreditates. ¶ Conuenticula etiam eorum

in domos" fi qua fuerint, vel poffeffiones, pro norma generalium fanctionum ærario noftro abfque dubio focientur: fibi hoc inputante domino, qui interdictos cœtus feiens paffus eft fub tecto proprio, vel in prædio ruftico exerceri. ¶ Illo ineunctanter exfequendo, vt vbivbi reppcrti fuerint Eunomianorum Clerici, qui auctores iterati baptifmatis exftiterunt, conprehenfi in perpetuum fub pœna deportationis ad exilium deducantur. † Etiam † illo addendo, vt nemo Eunomianus, vel militet, vel Prouinciam fub adminiftratione cuiuflibet officij fufcipiat gubernandam, &c. Dat. VIII. Id. Nou. CP. DD. NN. Honorio x. & Theod. VI. AA. COSS. [415.]

NOTÆ.

* Et *huius legis* meminit Baronius *Anno* 415. *num.* 51.
"Conftantinopolitanam.
"Antiptofi vulgata helleniftica. Ita paulò poft rurfum *conuenticula etiam eorum in domos*: vide *Gloff. Theod.*
"de hoc dicetur *fuo tit. ne fanctum baptifma.*
"Veluti......
"Relegatio, pro deportatione, *verf. pars pœnæ*: quomodo & *l.* 33.
"vt *fupr.* quod in modum femel nati hominis, femel à Deo conceditur.
"hanc vocem malè follicitat nonnemo.
"putà 49. & 50. *fupr.*
"vide *l.* 20. *fupr. de Epifcopis.*
"vide *l. vlt. infr. de Apoftatis*: *l.* 5. §. 5. *l.* 8. § 6. *l.* 49. *w. de Donat. inter virum & vxorem.*
"vt fuprà *domus in quas nefarios conuentus habitos.*
† Hoc caput iudicat & explicat Idem Theodofius Iun. *l.* 61. *infr.*

COMMENTARIVS.

IN EVNOMIANOS eft hæc altera Theodofij Iun. conftitutio, quibus addenda & tertia Anno 413. *l. vltim. infr. ne fanctum baptifma.* Addenda & quarta in *l.* 60. *infr.* Quinta *l.* 65. *infrà.*

¶ Iftius fenfus hic eft. 1. Domos proprias Clericorum Conftantinop. in quibus Eunomianorum conuentus habiti fuerint, vel iteratum Baptifma, confifcandas (eadem pœnâ propofita aliis Clericis Hæreticis Baptifma iterantibus, de quo dicetur fuo titulo.) 2. Rebaptizari fe vlrò paffum deportandum. 3. Clericos, conuentus vbi vbi exercentes vel Clericos creare creatiue aufos, pariter deportandos. 4. *Teftamentorum* & donationum ius Eunomianis interdici, confirmatis prioribus legibus, id eft, *l.* 49. & 50. *fupr.* Legitimos tantùm his ioteftatis fuccedere. 5. Domos in quibus conuenticula habita fuerint confifcandas. 6. Clericos rebaptizantes in perpetuum deportandos. 7. Poftremùm, militis & Prouinciæ adminiftratione Eunomianis interdici: de quo militandi iure hæreticis interdicto iam fæpè, & quidem de Eunomianis *l.* 25. *fupr.* & *l* 60. *infr.* quã hæc lex indicatur & explicatur. Sanè Syoefius quoque Cyrenes Epifcopus, *Epiftola* 5. per hæc tempora memorat Eunomianorum per Ptolemaidis io exercitu potentiam, eorúmque fuffragia in agris & ædibus, & eorundem nefarios conuentus, déque iis eruendis, apud Presbyteros ferio agit.

LIX. * Idem AA. Afclepiodoto PF. P. Poft alia.



MANICHÆI & Fryges (quos Pepyzitas," fiue Prifcillianiftas, vel alio latentiore" vocabulo appellant) Arriani itidem, Macedonianique & Eunomiani, Nouatiani ac Sabbatiani, ceterique hæretici, fciant vniuerfa fibi hâc quoque conftitutione denegari, quæ illis generalium fanctionum interdixit auctoritas: Puniendis, qui contra generalium Conftitutionum interdicta venire temptauerint. Dat. v. Id. April. Conftantinop. Afclepiodoto & Mariniano CONS. [423].

NOTÆ.

* Inferuit & *hanc legem* Annalibus fuis Baronius *Anno* 423. *n.* 4. Iungendæ autem huic funt tres Conftitutiones *p. l.* 26. *infr. de Iudæis*, *l.* 5. *infr ne Chriftian mancip. Iudæus*: & *l. vnic. infr. de Paganis.*
"pro *Pepuzitas.*
"Intelligi puto Tafcodrogitas, Ophitas, Borboritas, Paffalorinchitas, Afcodrogos, Antotyntas.

COMMENTARIVS.

GENERALIS hæc eft Theodofij Iun. Conftitutio in hæreticos: quâ eadem his interdicit quæ generalibus antea fanctionibus interdicta fuerant, vbi 1. Primò quidem Manichæis, odium fuum indicit, pariter vt *l.* 65. *infr.* fic quidem etiam, vt Manichæos primo loco nominet: quomodo viceuerfa *d. l.* 65. poft alios hæreticos nominatos, Manichæos vltimo loco ftatuit, eófque *ad imam vfque fcelerum nequitiam peruenisse*, ait. Secundò, *Phrygas* defignat: quos & defignat *d. l.* 65. *infr.* Et inter eos quidem Pepyzitas, & Prifcillianiftas. De his poftremis fuit iam *l.* 40. 43. 48. *fupr.* erit eiufdem Theodofij *lex* 35. *infr.* Pepyzitarum fit quoque meorio *L.* 24. *infr. de Paganis*, hoc ipfo anno, menfe Iunio. Quanquam ibi perperam *Pepitas* expreffum, pro *Pepyzitas.* Eorudem & mentio infarta *legi* 5. *C. de hæreticis*, quæ alioquin defumpta eft ex *l.* 65. *infr.* De his videndus

dendus est Sozomenus *lib.7.cap.*18. & cum maximè Epiphanius *heresi Phrygum* 48. *num.*14. & *heresi* 49. Ex quo pariter vt ex hac lege liquet, eos Phrygum sectam fuisse; ita dictos, à Pepuza quodam, oppido siue loco Phrygiæ, quem singulari veneratione habebant, affirmantes eo cœlestem Hierusalem descendere. Quare eò proficiscentes mysteria quædam ibi obibant, sacrísque ceremoniis pro opinione sua vacabant.

Connumerat tertio loco inter cæteros hæreticos, *Arianos*: in quos eiusdem Theodosij Iun. duæ sunt præterea constitutiones, putà *lex* 60. *&* 65. de quorum statu sub Theodosio Iun. circa hæc tempore Socrates *lib.7. cap.*6. Quarto loco *Macedonianos*, in quos est eiusdem *lex* 60. *infr.* Aduersus quos quonam animo comparatus, undè quo odio eos prosecutus fuerit hoc tempore Theodosius Synadorum Phrygiæ Episcopus, vide apud Socratem, *lib.7. cap.*3. vbi narrat inter alia, quomodo cùm Rectores Prouinciæ videret ad vindictam de Macedonianis non sufficere, Constantinopolim profectus sit ad impetrandum, quomodo & fecit, Præfecti Prætorio mandatum, ἐπαρχικὰ προστάγματα, seu ἐπαρχικὴν βοήθειαν: vide eundem & *lib.7.c* 17. & Sozomenum *lib.*8. *cap.*17. Quinto loco *Eunomianos* hic insequitur Theodosius Iun. pariter vt tribus aliis legibus, puta *l.* 49.50 58. *supr.* Postremò, *Nouatianos & Sabbatianos* insequitur *hac leg.* pariter vt *l.*65. *infr.* Nouatianos, inquam: de quorum statu hoc tempore Socrates, *lib* 5.*cap.*5.7.11. 12.17. 25. *Sabbatiani* (iidémque & Protopaschitæ *l.*6 *infr. ne sanctum baptisma*: vbi plenè dicam) progenies Nouatianorum fuerunt, & vt loquitur *dict. l.*ū. *Nouatianorum collegij desertores, ac refugæ fuerunt*; quod etiam ait Socrates *lib.7. cap.*5. à Sabbatio quodam ita dicti, de quo Socrates *lib.*5. *cap.*20. & *lib.7. cap.*5. 12. *&* 25. Et Sozomenus *lib.7. cap.*18.

¶ Nouatianos igitur Theodosius Iunior cæteris hæreticis connumerat neque sine *Attici* Episcopi Constantinopolitani, quicquid Baronius contra dicat, consilio. Nam vt maximè Socrates *lib.7. cap.*25. de Attico quædam memorat, quibus aliquando Nouatianorum intra ciuitates conuentus probasse videatur, attamen idem alia subiicit, quibus apertè Atticus testatus est, Nouatianos se minimè probare. Et sanè, quod argumento etiam alicui esse potest, Attico mortuo *l.*65. *infr.* Nouatianis & Sabbatianis, nouationis tantùm licentia adimitur: atque adeò conueniendi licentia sit. Quanquam neque satis certum, num Nouatianis & Sabbatianis *hac leg.* conueniendi licentia à Theodosio Iuniore adimitur; illud enim hactenus statuitur, neque eos contra generalium constitutionum interdicta venire posse. Atenim Nouatiani nunquam antea ita prædamnati sunt, vt non Ecclesiæ suæ his relinquerentur: sub Constantino Magno, sub Theodosio Magno & Arcadio auo & Patre huius Theodosij Iun. quod lex secunda docuit & Sozomenus *lib.2. cap.*30. *lib.*8. *cap.*1. & Socrates *lib* 5. *cap.*10. Quorum verba ad *dict. l.*7. adscripsi. Et sanè eò quoque pertinet, quod idem Theodosius Iun. in *dict. l.*65. ait, non omnes eadem auctoritate hæreticos plectendos. Et hæc de Nouatianis.

¶ Cæterùm ex coniunctione earum, quas dixi legum cum hac nostra, puta *l.*26. *infr. de Iudæis*: *l.*5. *ne Christian. mancipium*, *l.*22. *infr. de Paganis*, liquet, Theodosium Iun. prolixa Constitutione non hæreticis modo, verùm Iudæis, Paganis occursum eâ voluisse: & hactenus tamen, vt maiorum suorum, id est, Theodosij & Arcadij decreta confirmaret: pariter vt cõfirmari nominatim videmus *l. prox* 60. Nam ita habet præfatio *d.l.*26. *Nota sunt atque omnibus diuulgata nostra maiorúmque decreta, quibus abominandorum Paganorum, Iudæorum etiam atque hæreticorum spiritum, audaciámque compressimus: libenter tamen repetendæ legis occasionem amplexi, Iudæos scire volumus*, &c. Rursum ita habet *l.*60. *proxima. De hæreticis omnibus illa præcipimus debere seruari quæ Diui Auus & Pater Nostræ Clementiæ constituerunt.* Atque hoc etiam argumentum superioribus accedat, cum de Nouatianis ageremus.

LX. * Idem AA. Asclepiodoto PF. P.

DE hæreticis omnibus (quorum & errorem execramur, & nomen) hoc est, de Eunomianis, Arianis, Macedonianis, ceterísque omnibus, quorum sectas piissimæ sanctioni tædet inserere, quibus cunctis diuersa nomina, sed vna perfidia, illa præcipimus debere seruari, quæ Diui Auus," & Pater" Nostræ Clementiæ constituerunt: scituris vniuersis, quòd si in eodem furore permanserint, interminatæ" pœnæ erunt obnoxij, &c. Dat. VI Id. Iul." Constantinop. Asclepiodoto & Mariniano COSS. [423.]

NOTÆ.

* Inseruit & hanc legem Annalibus suis *Anno* 425. *num.*5. Iungendæ autem huic sunt *l.*27. *infr. de Iudæis*, *l.*23. *&* 24 *infr. de Paganis*, emendato huius legis mense subscripto. Quinimò pars prior *legis* 24. *infr. de Paganis*, huc referri debuit atque in eo peccatum ab huius Codicis conditoribus: de quo in *Prolegomenis*.

" Theodosius Magnus. " Arcadius.

" Tilij editio & aliæ nonnullæ etiam Cujaciana habebant *intemerata*: Verùm postrema Parisiensis editio rectè exhibet *interminatæ*.

" *Et. Iun.* quomodo habent tres illæ leges quas huic coniungendas ostendi.

COMMENTARIVS.

CONFIRMAT hac rursum constitutione & specialiùs quidem ac enixiùs Theodosius Iun. eadem licet sententia, qua ante duos menses, lege superiore, Theodosij Magni aui sui, & Arcadij Patris in hæreticos constitutiones, ac pœnas. Quinimò pariter vt lege superiore, iis quas huic coniungendas esse dixi leges. Similia quæ iam ante de Paganis & Iudæis constituit.

¶ Duo tantùm hic obseruanda. Primùm quod

Theodosij

Theodosij Iun. hac lege prohibetur, se ita hæreticorum errorem & nomen execrati vt tædeat ea sanctioni inserere : quod execrationis genus & alia in re vsurpatum : quale illud, non nominandus filius. Secundò obseruanda sunt illa, *quibus cunctis diuersa sunt nomina, sed vna perfidia*. Postremò, comminatio seuerioris pœnæ.

LXI. * Idem AA. Asclepidoto PF. P.



Omnis dubiæ interpretationis ambages hâc sententiâ resoluentes," publicari præcipimus, Quod Lex, † quæ *super Eunomianis militare prohibitis*, ceterisque execrabilium religionum & professionum ritibus, promulgata cognoscitur, nihil ad eos qui Cohortalini sunt, pertinet; His" enim sunt Apparitionibus obligati, in quibus, emensis militiæ stipendiis, veterani Primipili munus sustinere coguntur. Dat. VI. Id. Aug. Eudoxiop." Asclepiodoto & Mariniano CONSS. [423.]

NOTÆ.

* Inseruit & *hanc legem* Annalibus suis Baronius *Anno* 423. *num.*5. Iungendáque ei videtur *lex* 2. *supr. de prædiis Curialibus*.!

† Intelligit *l.*58. *supr. hoc tit.* ante octennium latam Anno 415.

" Est qui tentet, *hi*.

" Itidem data sequenti die *lex* 2. *supr. de præd. & mancip. Curialium*, nisi potius, quod existimo, vtraque lex coniungenda: Alterutrius die emendata. De hac autem Eudoxiopoli : vide *legem* 42. *supr. de oper. publ.*

COMMENTARIVS.

Eunomianos, etsi Militare prohibeantur, (quod concordat *legi* 25. 29. 42. 48. 58. *supr.* & rursum *legi* 65. *infr.*) non ideò tamen Officiali seu Cohortalina Militia liberari vult *hâc leg.* Theodosius Iun. Quod vltimum concordat *l.*48. *supr.* quæ eundem Theodosium Iun. authorem habet. Huius autem legis ferendæ occasio hæc fuit, (quod ea ipsa indicatur.) Nempe quod Theod. Iun. & ipse *Anno* 415. ante octennium *l.*58. *supr.* vetuerat Eunomianos militare. Inde dubitari cœptum, num & Cohortali militia prohiberentur? Quod Eunomiani adserebant, ad euitandam videlicet grauem admodum militiam. Et verò alicubi aliquando id obtinuisse ostendit *d. l.*48. *supr.* Verùm huic dubitationi *hâc leg.* occurritur: aliam videlicet esse alterius militiæ rationem, aliam cohortalinæ. Quod & ipsum præterea ostendere videtur Theodosij Magni *lex* 16. *supr. de cohortalibus*: coniuncta cum *lege* 17. *supr. hoc tit.* quæ & ipsa est de Eunomianis. Et sanè quod ea lex ait, eos qui pro sceleribus suis soluto militiæ cingulo infamiæ addicuntur, de Eunomianis accipiendum est. Tandem eadem lex, postrema huius legis verba explicat. De Primipilo nempe ex vtraque iam id colligitur, Apparitores Iudicum emensis militiæ stipendiis, id est, post gradus decursos in officio Iudicum ad extremum, & velut pro clausula (vnde *extrema functio, d. l.*16. vocatur, hac autem lege *veteranis sustineri emensis militia stipendiis*) Primipili munus sustinere coactos seu Primipili pastum, vt vocatur *dict. l.*16. id est, annonæ Militaris procurationem : de quo eo *titulo de cohortalibus*, ad *l.*6. plenissimè dixi.

¶ Ceterùm huic legi non temerè iungendam puto *legem* 2. *suprà de prædiis & mancipiis Curialium*. Nam & eâ lege simili dubitationi occurritur. Quid quod Osdroënæ in *dict. l.*2. mentio fit Orientis Prouinciæ, vbi Eunomianos extitisse docet *lex* 8. *supr. hoc tit.*

LXII. * Impp. Theod. A & VALENTINIANVS Cæs. ad Faustum P.V."



Manichæos, Hæreticos, Schismaticos," omnémque sectam Catholicis" inimicam, ab ipso aspectu Vrbis Romæ exterminari præcipimus: vt nec præsentiæ criminosorum contagione fœdentur." ¶ Circa hos autem maximè vrgenda" commotio" est, qui prauis suasionibus à Venerabilis Papæ" sese communione" suspendunt, quorum schismate plebs etiam reliqua vitiatur. His conuentione" præmissa viginti dierum condonauimus inducias: intra quos nisi ad communionis redierint Vnitatem, expulsi vsque ad centesimum lapidem solitudine, quam eligunt, macerentur. Dat. XVI. Kalend. Aug. Aquileiæ Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. COSS. [425.]

NOTÆ.

* Inseruit & *hanc legem* Annalibus suis Baronius *Anno* 425. *num.* 9.

" Romæ.

" Vnicâ postremâ editione Parisiensi excepta, omnes alij hæc verba addunt, *siue Mathematicos*. Quod non temerè respuam: arg. *l. vlt. de Maleficis & Mathematicis* : de quo mox plura.

" *Catholici*, scilicet: nam alioquin si referas ad aspectum Vrbis Romæ, scribendum fuerit, *fœdetur*.

" *exercenda commonitio*, in Tiliana & Cujacianâ editione malè; Commotio Iudicis, *l.*14. *quorum appell.* iudiciaria *l.*1. *de Palat.* S. L.

" nonnulli

*nonnulli malè hic reponunt *condemnatione*.
"CAELESTINI.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Cæsaris Placidiæ F. à Theodosio Iun. creati, tres ordine constitutiones in hæreticos sequuntur & schismaticos: Hâc scilicet constitutione Valentinianus III. Vrbe Roma Manichæos, Hæreticos, Schismaticos, expelli iubet Anno Domini 425.

¶ Nempe, cùm tres eius continua serie, hîc intra vnius mensis spatium latæ constitutiones occurrant, putà hæc lex cum duabus sequentibus: quarum postrema etiam, putà *lex* 64. ex hac deformata est & transcripta, paucis immutatis: hæc *Vrbem Romam* nominatim spectat: *lex* 63. Africam speciatim: *l.* 64. Vrbes diuersas, id est, omnes Italiæ.

¶ Valentinianus hic scilicet cùm superiore Anno 424. Cæsar à Theodosio creatus, atque ad Occidentis Imperium destinatus, per Ioannis eo anno Tyrannidem Italiæ incubantis: (de quo dixi ad *legem vltim. supr. de Episcopis*, quæ *d. legi* 64. *hoc tit.* iungenda videtur) Occidentis Imperio, atque Italiæ nominatim, nequicquam potitus fuisset, mox hoc Anno 425. Ioanne cæso, Imperio Cæsareo AQVILEIÆ (quam primam Italiæ Vrbem cum Ardabure aduersus Ioannem ingressus fuerat teste Socrate *lib* 7. *cap.* 23.) constitutus mense Iulio perpotiri cœpit. Quare illicò siue ipse, siue mater ipsius Placidia potius, curam suam conuertit ad Ecclesiæ statum in Vrbe Roma & Italia restituendum, qui per Ioannis Tyrannidem perturbatus fuerat, vt docet *l. vltim. supr. de Episcopis*. Hinc itaque *Aquileia* hoc tempore datæ, non tantùm *lex* 46. *supr. de Episcopis*, & *lex* 63. *infr. hoc tit.* quæ Africam respiciunt: verùm & eo ipso tempore ibidem datæ *lex hac*, & *lex* 64. *infr. hoc tit.* item *lex vltim. supr. de Episcopis*: quæ Vrbem & Italiam spectant: restituendo per eas Ecclesiæ statui. Atque ex hac nominatim liquet, iam *mense Iulio* huius Anni 425. Ioannem Tyrannum deuictum cæsúmque Romámque in Valentiniani fide & obsequio fuisse.

¶ Valentinianus Cæsar igitur simul ac Vrbe Româ potitus est, Hæreticos, & in his nominatim *Manichæos*, Schismaticos, Vrbe Româ *hâc leg.* (quæ ideò P. V. data est) exterminari iussit. Sed & peculiariter in eos motum suum exerit & commotionem Iudicianam scilicet vigeri & exerceri iubet, qui (vt loquitur) *prauis suasionibus* à Venerabilis Papæ (*Cælestini* videlicet) communione sese suspendebant; & quorum schismate plebs etiam reliqua vitiabatur. Quibus verbis indubiè intelligit Valentinianus, reliquias *Eulaliani Schismatis*: de quo Baronius *Anno* 419. quæ hoc adhuc tempore Romæ durauêre: quem Eulalium etiam reuocari Bonifacio mortuo Clerici & Presbyteri petierant: (Anno vt videtur superiore 424.) vt in libro Pontificum Romanorum legi tradit Baronius *Anno* 424. *num.* 8. Ex *hâc leg.* certè quoque discimus, quosdam fuisse velut auctores schismatis: à quibus plebs alia distinguitur.

¶ Porrò hos *Vltra centesimum ab Vrbe Româ lapidem* expelli iubet, nisi intra 20. dierum inducias, ad vnitatem & communionem redierint: iubet inquam, hâc constitutione ad P. V. emissa: *Vt ita*, inquit, *solitudine quam eligunt, macerentur.* Nempe consueta & solemnis hæc vltra cẽtesimum relegationis pœna, & quidem intra Præfecturam Vrbicam, & Episcopatũ Vrbicum: seu Romani hi fines fuêre; quoniam intra vt Præfectus Vrbis Schismaticos ferre non debet, ita à communione Episcopi abstinentes vltra eos relegari & æquum & necessarium. Æquum, inquam: nempe iis, qui ab Episcopi alicuius Vrbis communione sese pertinaciter suspendunt, intra diœcesim eius consistendi facultas parere non debet: quin solitudine, quam hoc facto eligunt, macerandi. Necessarium rursum: ne alioquin intra Diœcesin adhuc consistentes, in vicinis Vrbibus, regionibus proximis, plebem adhuc vitiare possint & ad schisma suum pertrahere. Et verò non hoc tantùm exemplum mortis istius: (ne quis ab vnico exemplo deriuare sua me putet,) sed duo insuper occurrunt. Primum exemplum, & huic planè geminum est, in Vrsicino, qui pariter Schisma in Ecclesiam & Episcopatum R. inuexerat. Nempe & hic eiúsque erroris consortes tum constitutionibus, quas Baronius memorat è Codice Vaticano, & quidem ad P. V. pariter datis, vltra centesimum ab Vrbe lapidem relegari iussi, vel, quod idem est, vltra Suburbicarias regiones. *Nonne absurdius est, quod Vrsicini*, inquit Valentinianus, *dum iussit amentia, quam quod serenitas nostra mitibus persuasit edictis, vt omnes qui impios cœtus profanatâ religione tentarent, vel ad centesimum Vrbis milliare pellerentur, vbi pertinax furor, ab obsequentibus dellitus in eius tantum perniciem rueret, qui solus erraret, & vt condemnati iudicio rectè sentientium Sacerdotum, reditum posteà vel ad Ecclesias, quas contaminauerant, non haberent, vel redintegrationem iudicij frustra à nobis impudenti pertinacia precarentur*: & sub finem. *Post hæc nisi omnes, vt nominatim iussionis nostra summa complectitur, vel quos turbas istiusmodi molientes sanctorum Episcoporum concilia consensu ostenderint, vltra centesimum ab Vrbe milliarium depuleris atque earum ciuitatum finibus extorres esse præceperis, quarum plebem vel Ecclesias vel per se vel per simile sui vulgus exercent, præter æstimationis iniuriam, cuius apud bonos non leuis iactura est, piaculum neglecta sanctionis incurres.* Valentiniani Senioris hæc verba sunt ad Ampelium P. V. *Dudum Vrsicini inquietudine prouocati fauentes concordia populi Christiani, quieti etiam Vrbis sacratissima prouidentes, vno interim loco inter Gallias dumtaxat perturbatorem tranquillitatis publica statueramus iure cohiberi, scilicet ne applicatione morum lata dissensionis incommodum spargeretur. Verùm natura nostra mansuetudine leuigati, ita memorato abscedendi copiam dedimus, ne ad Vrbem Romam, VEL certè Suburbicarias regiones pedem inferat.* Et rursus idem de eiusdem consortibus in rescripto ad Maximum Vicarium Vrbis. *Ex quo oritur, vt Vrsicino quem propter quietem populi Christiani & debitam religioni ac legibus disciplinam vno interim loco morari intra Gallias iusseramus, discedendi copiam fecerimus sub ea conditione, ne vagandi arbitrium præberemus, neve ad Vrbem Romam, VEL Regiones Suburbicarias valeat commanere.* Et infra: *Sic enim mansuetudinis nostra indulgentiam temperamus, ne occasione præstita vicinitate inquietorum ad aliquam forsan vociferationem religiosi populi studia prouocemus.*

Historia huius rei tota sic habet: Primùm *Vrsicinus*, qui aduersus Damasum Episcopus electus fuerat, cum Damasi electioni cedere nollet, in Galliam relegatus est: Socij eius & ministri Româ tantùm remoti, vt docet rescriptum Valentiniani ad Prætextatum P. V. Mox anno sequente, sub-

 moti

moti ab Vrbe vltra vicesimum lapidem, vt legere est in rescripto ad Olybrium P. V. Postmodum facta potestas Vrsicino in Italiam redeundi, dummodo abstineret Vrbe & regionibus Suburbicariis. Et sic Suburbicariis regionibus exclusus seu centesimo lapide. Quod & ipsum statutum de erroris consortibus. Hæc tam variè tum circa ipsum Vrsicinum schismatis auctorem, tum circa eius asseclas: nempe Vrsicinus seuerius ab initio habitus: ministri eius ab initio lenius: tandem ad legitimam exilij legem deuentum, in schismaticis solemnem, putà ad relegationem extra Diœcesin Episcopatus Romani, vltra centesimum seu Suburbicarias regiones, exilio libero & soluto, id est, vbicumque prætereà locorum consistendi facultate relicta. Denique etsi legitima hæc in Schismaticis lex & ratio fuerit, eos videlicet relegandi extra Diœcesin, non tamen semper aut illicò eo deuentum, sed pro periculo schismatis quandoque vlterius, quandoque citerios submoti. Et cum primis obseruanda Valentiniani Iun. constitutio, vbi *Vrbis Romæ centesimum milliare & aliarum ciuitatum fines* exæquantur. Nempe quod aliis Vrbibus suum est territorium, sui fines, hoc Vrbi Romæ centesimum milliarium præstat. Quare iam corruunt eorum molitiones omnes, qui hæc eludere conantur, ne fateri necesse habeant, vt P. V. ita & Episcopi Vrbis Romæ Diœcesin centesimum milliare fuisse, de quo iam dicere anteuerti altera *dissertatione de Suburbicariis regionibus*, *cap.3.* & vindiciarum *de Suburbicariis Ecclesiis, c.4.* Quod autem dictum est citerius quandoque schismaticos relegatos, adde & hæreticos, & per gradus sæpè quosdam ad totius Diœceseos interdictionem deuentum, eius exemplum quoque præbuit hoc ipso titulo *l.18. 20. supr.* Addatur & exemplum Athanasij ex Epistola Iuliani *ad Alexandrinos 52.* *ἀπελθεῖν αὐτὸν προσηγορεύσαμεν τῆς πόλεως καὶ Αἰγύπτου πάσης.* Sequitur nunc tertium exemplum. Nempe & Pelagiani quoque ita ante quinquennium fermè Constantij Imp. edicto, ad Volusianum P.V. vltra centesimum lapidem relegati iussi: quod memorat Baronius *Anno 420. num.2.* *Cum tum præteritæ superstitionis tum recentis pœna vanitatis iamdudum corrigi iusserimus, quotidianis insinuationibus maior fieri nunciatur. Et quoniam discordia animos commouet populorum: ea quo iamdudum iusseramus, præcipimus iterari. Vnde his lectis Eximietas tua, omnes qui Dei inuident pietati, diligenter inquirat, & eos faciat statim è muris expelli, ita tamen, vt ne intra centesimum quidem lapidem habeant licentiam consistendi, Cœlestinum quoque magis ac magis ex Vrbe expelli mandamus. Constat enim iisdem ex medio sublatis gratiam & concordiam tenere veterem firmitatem.* Sic tria exempla tenemus Schismaticorum extra centesimum Vrbis Romæ relegatorum intra 50. annorum spatium: nempe in *Vrsicinianis, Pelagianis, Eulalionis.*

¶ Et propagatum tamen centesimariæ huius relegationis, in Schismaticis vsurpatæ, exemplum & ad alias Vrbes. Quod docuit *lex 35. supr. de Episcopis*, & docebit *lex 2. infr. de Episcop. iudicio.* Non quasi cuiúsque Vrbis termini eò quoque prolati fuerint. Verùm adsumpta iam eâ ratione, quæ etsi peculiarem habeat in Diœcesi Romana relationem, ad aliàs tamen Vrbes rectè transfertur. Mitto ciuilis relegationis vltra centesimum ab Vrbe lapidem exempla colligere. Vide Herodianum *lib.2.* Dionem *lib.55.* Prosperum Aquitanicum, vbi de *Symmacho* agit.

LXIII. * Idem A. & Cæs. Georgio'' Proc. Afric.



Mnes'' hæreses, omnésque perfidias, omnia Schismata, superstitionésque Gentilium,'' omnes Catholicæ legis inimicos insectamur errores. Si quos'' verò hæc quoque Clementiæ Nostræ statuta pœna comitetur, &'' nouerint sacrilegæ superstitionis auctores, participes, conscios, proscriptione'' plectendos: vt ab errore perfidiæ, si ratione retrahi nequeunt, saltim'' terrore'' reuocentur: Et vniuerso supplicationum aditu in perpetuum denegato criminibus, debitâ seueritate plectantur, &c. Dat. Prid. Non. Aug.'' Aquil. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. COSS. [425.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* inseruit Annalibus suis Baronius *Anno 425. num.10.* Iungenda autem huic est *lex 46. supr. de Episcopis.* Quanquam dies paulum discrepat.
''Eidem inscribitur *d.l 46. supr. de Episcopis.*
''Omnes *quidem* hoc supplendum.
''Potuit hæc quoque huiusce legis pars referri ad *tit. de Paganis.*
''Hæreseos alicuius nomen hic latet. ''*vt.*
''*Se plectendos.* ''pro *saltem.*
' vide Augustini *epist.48.* vide & Codicem canonum Ecclesiæ Africanæ *can.93 p.259.*
''Iul. *d.l.64.*

COMMENTARIVS.

In incerti nominis, & sacrilegæ superstitionis hæreticos, (quorum etsi nomen sub illis verbis *si quos* lateat, per Africam sanè positos fuisse inscriptio legis ostendit) proscriptionis pœnam statuit hac Constitutione Valentinianus III. Placidiæ F. odium in eos peculiare, non vnâ ratione testatus. Primò, cum præfatur omnes quidem hæreses se insectari, hos verò eximia aliqua pœna dignos. Secundò, dum non authores tantùm, sed & participes & conscius eâdem pœnâ plecti iubet. Postremò dum bis denunciat præclusum in perpetuum aditum supplicationibus. Nisi *Cœlicolas*, intelligat, quos intelligat diuinare nequeo. De quibus alioquin dicitur *infr. tit. de Iudæis & Cœlicolis.* Sanè Catholicos per Africam quoque fuisse apertè ostendit *l.44 supr. hoc tit.* Neque tempora abludunt: Cœlicolarum enim superstitio noua hâc tempestate, atqui *nouæ superstitionis* auctores hic designari videntur.

LXIV. * Idem A. & Cæſ. Baſſo Com. R. P. Poſt alia.

MANICHÆOS," Hæreticos: ſiue Schiſmaticos, omnémque ſectam Catholicis inimicam ab ipſo aſpectu vrbium" diuerſarum" exterminari præcipimus: vt nec præſentiæ criminoſorum contagione fœdentur. Omnes igitur perſonas erroris infauſti iubemus excludi, niſi his emendatio matura ſubuenerit, &c. Dat. VIII. Id. Aug." Aquil. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæſ. COSS. [425.]

NOTÆ.

* Huius legis meminit quoque Baronius *Anno 425. num 11.* Iungenda autem huic eſt *lex vltim ſupr. de Epiſcopis.* Sed & edita nuper ex Codice Lugd. & Aniciensi conſtitutio Valentiniani Cæſaris nomine ad Amatum PP. Galliarum à Sirmondo in app. *Th. n. 6* vbi hæc lex inſerta. Quæ ſanè farrago potius eſt.

"Prima huius legis ſententia totidem ferè verbis deſumpta ex *l. 67. ſupr.*

"id eſt, quantumcunque ſeu omnium.

' In *d. l. 62.* Vrbis Romæ.

"In Codice Aniciensi habetur VIII. Id. Iul. in *d. l. vlt.* VIII. Id. Octob.

COMMENTARIVS.

VRBIBVS vniuerſis Manichæos hæreticos, Schiſmaticus, exterminari hac conſtitutione Valentinianus III. Placidiæ F. iubet. Vrbibus, inquam, vniuerſis Italiæ. Quomodo eos Vrbe Roma paulo ante (initio videlicet à capite & principe Vrbe facto) pelli iuſſerat *l. 62. ſupr.* Propagatum itaque exemplum ab Vrbe Roma, ad alias Vrbes: & quidem pauciſſimis poſt diebus. Quare & prior potiórque huius legis ſententia ex ea totidem penè verbis tranſcripta.

¶ Porrò vt inter hæc Cæſarei Imperij initia Valentinianus ſuum illicò in hæreticos odium tribus hiſce conſtitutionibus teſtatus eſt; quanquam neque ipſi hæc adſcribenda, qui nondum ſeptennis erat, ita erga Eccleſias & Clericos ſuum teſtatus pariter affectum *l. 46. ſupr. de Epiſcopis* (quam *legi 63. huius tit.* coniungendam dixi) & *lege vltim ſupr. de Epiſcopis*: (quæ huic iungenda.) Vt ferme eiuſdem opera fuit, hæreticis bellum indicere, Eccleſiam & Clericos fauore ſuo amplecti: quod ad *dict. l. 46.* oſtenſum fuit. Quod vt in aliis Principibus obſeruare eſt, ita ipſa horum temporum ratio Principem hunc vel eius matrem potius. (nam huic has leges adſcribi oportet) eò adegit. Cæterùm vicennio pòſt idem Valentinianus Iun. eximam, ſeuerámque in Manichæos Nouellam ſcripſit quæ eſt 2. *inter Valentin.* quæ legi meretur: vbi Leonis Papæ meminit: pariter vt Cœleſtinum deſignauit *d. l. 62. ſupr.*

LXV. * Impp. Theod. & Valentinianus AA. Florentio PF. P."

HÆRETICORVM ita eſt reprimenda inſania, Vt * ante omnia quas ab Orthodoxis abreptas tenent vbicumque *Eccleſias*, 'ſtatim Catholicæ Eccleſiæ tradendas eſſe non ambigant: quia ferri non poteſt, vt qui nec proprias habere debuerant, ab Orthodoxis poſſeſſas, aut conditas, ſuáque temeritate inuaſas, vltra detineant. 2. ¶ Dein, * vt ſi alios ſibi adiungant *Clericos*, vel vt ipſi æſtimant, *Sacerdotes*, decem" librarum auri multa, per ſingulos, ab eo qui fecerit, & qui fieri paſſus ſit: vel ſi paupertatem prætendant, de communi Clericorum eiuſdem ſuperſtitionis corpore, vel etiam donariis" ipſis, extorta noſtro inferatur ærario. 3. ¶ Poſt * hæc, quoniam" *Non omnes eadem auſteritate plectendi ſunt*, Arrianis quidem, Macedonianis" & Apollinarianis," quorum hoc eſt facinus, quòd, nocenti meditatione decepti, credunt de Veritatis fonte mendacia, intra nullam ciuitatem Eccleſiam habere liceat Nouatianis" autem & Sabbatianis" omnis innouationis adimatur licentia, ſi quam fortè temptauerint. Eunomiani" verò, Valentiniani," Montaniſtæ," ſeu Priſcillianiſtæ," Fryges," Marcianiſtæ," Borboriani," Meſſaliani," Euchitæ," ſiue Enthyſiaſtæ," Donatiſtæ," Audiani," Hydroparaſtatæ," Aſcodrogitæ," Fotiniani," Pauliani," Marcelliani," &, qui ad imam vſque ſcelerum nequitiam peruenerunt, Manichæi," nuſquam in Romano ſolo conueniendi, orandíque" habeant facultatem, Manichæis etiam de ciuitatibus expellendis:" Quoniam nihil his omnibus" relinquendi" loci eſt, in quo ipſis etiam elementis fiat iniuria. ¶ Nulla * his penitus, præter Cohortalinam" in Prouinciis," & Caſtrenſem," indulgenda militia: ¶ Nullo * donationis faciendæ inuicem, nullo teſtamenti, aut voluntatis vltimæ penitus iure conceſſo. ¶ Cunctíſque * legibus, quæ contra hos, cæteróſque, qui noſtræ fidei refragantur, olim latæ ſunt, diuerſíſque promulgatæ temporibus, ſemper viridi obſeruantiâ valituris: ſiue de donationibus in hæreticorum factis Eccleſias, ſiue ex vltima voluntate rebus qualitercumque relictis: ſiue de priuatis ædificiis,

lex fidem facit.) Addit idem Socrates *ead. lib. cap.* 31. & Macedonianos afflixisse: tandémque Imperatori persuasisse, vt Ecclesiæ illis adimerentur: & verò ademptam eis Ecclesiam extra vetera Vrbis Constantinopol. mœnia sitam, alteram Cyzici, & alibi prætereà complures, quas in agris Hellesponti tenebant. Iuxta hanc legem scilicet quâ iis eo ciuitatibus tantùm Ecclesiæ eis interdictæ. Ergo quæ memorat Socrates, posteriora sunt hac lege.

LXVI. * Impp." THEOD. & Valentinianus AA." Leontio PF. P."

DAMNATO" portentosæ" superstitionis auctore Nestorio, nota congrui nominis eius inuratur gregalibus ne" *Christianorum* appellatione abutantur: sed quemadmodum Arriani," lege † diuæ memoriæ Constantini ob similitudinem impietatis *Porfyriani* à Porfyrio nuncupantur, sic vbique participes nefariæ sectæ Nestorij *Simoniani*" vocentur: vt cuius scelus sunt in" deserendo Deo imitati, eius vocabulum iure videantur esse sortiti. ¶ Nec verò impios libros nefandi" sacrilegij Nestorij aduersus venerabilem Orthodoxorum sectam decretáque Sanctissimi Cœtus" Antistitum Ephesi habiti scribtos habere, aut legere, aut describere quisquam audeat: quos diligenti studio requiri, ac publicè comburi decernimus: Ita, vt nemo in religionis disputatione aliquam supradictu" nomine faciat mentionem: Aut quibusdam eorum habendi concilij gratia, in ædibus, aut villa, aut suburbano suo, aut alio quolibet loco, conuenticulum, clàm aut apertè, præbeat: quos omni" conuentus celebrandi licentia priuari statuimus: Scientibus vniuersis violatorem huius legis publicatione bonorum esse coërcendum. Dat. III. Non. Aug. CP. DN. Theod. A. XV. & qui fuerit nuntiatus. [435.]

NOTÆ.

* *Lex damnato 6. Cod. eod. tit.* Eam quoque Annalibus suis inseruit, déque eâ egit Baronius *Anno* 435. *num* 1.2.3. Extat plenior Græcè & Latinè in Actis Concilij Ephesini: inscriptione tamen & subscriptione carens: *parte* 3. *cap.* 45. *pag.* 711 712.

"*Iidem AA.* tantùm huic legi inscribendum erat.

"*Præfectum Vrbi* ita omnes editiones Codicis Theodof. excepta Parisiensi postremâ. Ita quoque Codex Iustinianeus in *d. l. damnato* 6. Id verò comprobat omninò *lex vltim supr. de Principib. agentium in reb.* quæ hoc ipso anno data sic habet. *Eodem exemplo Isidoro PFP. Regino Illyrici PFP. Leontio PPV.* &c. Item *lex* 3. *supr. de frum. v. Constantinop.* quæ superiore Anno 434. data est.

"in Conelio Ephesino Anno D. 431. *vt mox.*

"*Portentosa* Cod. Iust. rectè.

"*nec* Cod. Iust.

"*Sed quemadmodum Ariani ab Ario, lege* 8. *memoria Constantini, ob similitudinem impietatis, Porphyriani à Porphyrio nuncupantur: sic vbique participes nefariæ sectæ Nestorij, Nestoriani vocentur,* Cod. Iust. Ita hic locus deformatus, & ineptè: non tantùm malè distinctus: de quo mox.

"ἐν τῇ τῷ θεῷ ἀποστροφῇ [ἀπογραφῇ] id est descriptione.

"*Simoniani*, quæ apud Socratem *lib.* 1. *cap* 6.

"Ita quoque Paraphrasis Græca: de quo mox. At in Cod. Iust. hodie ineptè *Nestoriani*.

"*nefandi & sacrilegi*, Cod. Iust.

"CONCILII EPHESINI.

"*Supradicti nominis*, Cod. Iust. de quo mox.

"*quos omnes cœtus celebrandi*, &c. Cod. Iust.

"*III. Kalend. Aug. Theodosio XV. & Valentiniano IV. AA.* CONSS.

COMMENTARIVS.

ADVERSVS NESTORII nomen librósque & Nestorianorum cœtus seu conuentus, est hæc Theodosij Iun. constitutio, inter aliàs plures: quæ & ipsa plenior extat in Actis Concilij Ephesini, quam vtraque lingua Græcè & Latinè promulgari voluit, & nos hic eam totam exibere voluimus. Cui addi potest & Præfectorum Edictum, Isidori, inquam, & Regini (quibus pariter inscripta hoc ipso Anno 435. *l. vltim. supr. de Principibus agenti. in rebus.*) sub quo hæc lex proposita fuit: quod & ipsum extat inter Acta Concilij Ephesini *parte* 3. *cap* 46.

¶ Et hæc quidem lex à Theodosio Iuniore sancita, quòd hac lege disertè profitetur, firmandis Concilij Ephesini decretis, quo Nestorius portentosæ superstitionis auctor damnatus fuit: quod quidem Concilium habitum fuir ante quadriennium Anno 431. Igitur data hæc lex quadriennio post eam Synodum. Tam serò inquies? Nempe vt maximè Nestorius eâ Synodo damnatus, attamen de curando ipso post eam actum: & sectatores eius fidem Catholicam dolosè professi, quinimò libros adhuc sparsêre. Itaque vbi spes nulla correctionis amplius, contrà eius hæresis porrò diffunderetur atque inualesceret, huiusce legis ferendæ consilium Theodosius cepit.

¶ Antequam verò ipsam *leg.* expendimus, de Nestorij hæresi breuiter monendum est, eum prædicasse Christum ex Mariâ hominem, non Deum natum: verùm & diuinitatem posteà collatam pro merito, ὕστερον ἔσχε τὴν θεὸν προσαγορεύεσθαι αὐτῷ: Quare Virginem Mariam *Deiparam* non dieendam. Hanc *portentosam* superstitionem hæc lex vocat. De quâ *leg.* nunc.

¶ Eius tria sunt capita. Primùm est, de *Nomine* Nestorij Gregalium siue sectatorum. Nempe *Simonianos* eos vocari iubet: ratione tum & exemplo additis: Ratione, inquam: *Vt cuius*, inquit, *scelus*

scelus sunt in deserendo Deo imitati, eius vocabulum iure videantur esse sortiti. Nempe hoc vult, Nestorianos Dei desertores à Simone Mago Dei pariter desertore dicendos. Neque tamen hæc generalis tantùm ratio nominis adæquationis mihi sufficiens videtur. Cur enim potiùs Nestoriani *Simoniani*, à Simone Mago, quàm ab alio hæretico; omnes enim hæretici desertores fidei, ac proinde & Dei? Igitur tenendum est Simonem portentosè inter alia astruxisse, se Helenæ cœlo antea lapsæ, posteà de cœlo descendisse, κατεληλυθέναι; eum ipsius aduentum hactenus ea expectatei, teste Epiphanio, *hæresi* 10. *num*.2.3. & Theodoreto *hæret. fabul*.1. *pag*.192. eámque οὐσίωσιν fecisse: vt omittam nescio quas συζυγίας, de quibus idem Theodoretus. Hinc igitur Nestoriani *Simoniani* dicti, quòd Simonis scelus imitarentur; nempe, quia Nestorius asserebat Christum nudum hominem natum ex Virgine Maria (quam ideò Deiparam dici nolebat) & sic Mariam peperisse non Deum, sed Diuinitatis instrumentum, ἐτεκεν ἄνθρωπον θεότητος ὄργανον, & postea Deum de cœlo descendisse, κατεληλυθέναι; Christóque homini Diuinitatem collatam pro merito, ὕστερον ἔχει τὴν θεὸν προστεθεῖσαν αὐτῷ. Exemplo rursum se munit Theodosius: nempe Constantini Magni, qui similiter lege latâ Arianos iussit à Porphyrio *Porphyrianos* vocari ob similitudinem videlicet impietatis. Et verò ea ipsa Constantini Magni lex extat apud Socratem *lib*.1. *cap*.6. quæ & hic tota sternenda seu consignanda est. Nam & huic gemina propè est: hæcque ad illius instar composita.

Victor Constantinus Max. August. Episcopis & populo S.

CVm Arius scelestorum & impiorum hominum consuetudinem imitetur, eandem cum illis ignominiæ & turpitudinis notam merito subire debet. Quemadmodum Porphyrius capitalis pietatis hostis, qui nefarios libros contra religionem Christianam nuper edebat, mercedem dignam laboribus recepit & eiusmodi quidem vt apud posteriora secula, non ipse solùm maximis probris vexatus fuerit, & turpissima infamiæ labe aspersus, verum etiam impia eius scripta deleta & extincta: sic iam visum est Arium & eius sectatores Porphyrianos nuncupare, vt quorum secuti sunt mores, eorum etiam nomen habeant: quin etiam si quod opus ab Ario conscriptum reperiatur, illud cremandum esse, vti non modo execrabilis eius doctrina funditus tollatur, sed etiam nullum monumentum eiusdem omninò relinquatur ad posteritatem. Illud etiam mandamus, vt si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus sit, & eum non statim in medium adductum igne combusserit, morte mulctetur. Nam mox vt comprehensus fuerit, plectatur capite. Deus vos seruet incolumes. Hoc Constantini Edictum totidem quoque verbis recitat Nicephorus *lib*.8. *cap*.25. At Sozomenus *lib*.1. *cap* 20. id sic recitat, vt tamen omittat, quæ de Arianis à Porphyrio Porphyrianis nominandis eo cauta fuerant. Ad rem. Igitur sicut Arianos adscito nomine Constantinus Magnus *ob similitudinem impietatis* Porphyrianos à Porphyrio dici voluit, ita Theodosius Iun. nunc Nestorianos ob desertionis à Deo similitudinem (à Simone scilicet Mago) *Simonianos* dici voluit. Atque hæc est hac parte Theodosij Iun. *hâc leg.* mens & legis huius lectio, quam & Paratitla Græca agnoscunt (οἱ Νεστοριανοὶ Σιμωνιανοὶ λέγονται). Et confirmant manifestissimè sequentia *huius leg.* verba: *vt* CVIVS *scelus sunt in deserendo Deo* IMITATI, EIVS *vocabulum iure videantur sortiti.* Quod Leunclauius quoque iam rectè notauit *pag*.198. Atenim Iustin. hæc non vitiosâ distinctione tantum verùm immutata prorsus exhibet, & incerto sensu, quasi Constantinus iusserit ab Ario Arianos dici, Theodosius verò iusserit *Nestorianos* à Nestorio dici: vt Porphyriani à Porphyrio dicuntur. Quam lectionem corruptam præter *hanc leg.* Paratitla quoque Græca *lib*.1.*t*.5.§.6. & Photius *in Nomocanone* ostendit *tit*.12. *cap*.3. cuius verba mendosa perperam arbitratus est Pancirolus 2.*var*.176.

§ Secundum *huius legis* caput est de *Libris Nestorij* aduersus Orthodoxam fidem & decreta Concilij Ephesini scriptis: nempe eos haberi, describi, legi, vetat: quin diligenter inquisitos publicè comburi. Et hoc ipsum pariter Constantini exemplo: Sed & ipsorum Patrum Ephesinorum iam anteà inuitatione, vt docet epistola Synodalis Cyrilli prima ad ipsummet Theodosium, præterquam quod mos hic solemnis improbatæ lectionis librorum comburendorum. De Eunomianorum & Montanistarum libris *l*.34 *supr.* de Maleficorum & Mag. libris: vide *l. vltim. supr. de Maleficis & Mathemat.* Sanè & Nestorius ad spargendum virus suum libros ediderat: quibus Cyrillus Ep. Alexandrinus rescripsit. Et post eum damnatum Andreas & Theodoretus Nestoriani aduersus Synodi capitula libros scripsêre: vt ex Theodoreto *epist*.12. constat: & Cyrillo *epist*.30. Atque hoc est quod *hâc leg.* indicatur, *Impios*, inquit, *libros nefandi sacrilegij Nestorij aduersus decreta sanctissimi cœtus Antistitum Ephesi habiti scriptos.*

Tertio *huius legis* capite, *Cœtus Nestorianorum* prohibentur, atque adeò loca his vbicunque præberi siue in ipsa Vrbe Constantinop. siue in Suburbanis. Hæc enim lex propriè pertinet ad eam Vrbem, vt inscriptio legis docet. Quanquam & eodem exemplo ἰσοτύπως scripta lex ad Prefect. P. Orientis & Illyrici, sub quorum etiam Edicto eâ vt anteà ostendi proposita fuit.

¶ Supersunt quædam notanda. Primùm, quid sibi Theod. his verbis velit. *Ita vt nemo in religionis disputatione aliquam supradicto nomine faciat mentionem.* Quod obscurum vtique, se maximè cum dare ista sonent, *supradicto nomine faciat mentionem.* Verùm integra lex, vt habetur in Actis Ephesinis, ostendit, spectare hunc versiculum ad priorem legis partem, atque hanc eorum esse mentem, Nestorianorum in disputationibus de religione nullam mentionem fieri oportere, verùm τῷ Σίμωνος ὀνόματι, id est, *Simonianorum* nomine indigitandos: μηδὲ μνήμην δὲ τινος ἄλλου ὀνόματος ἀνθρώπους ἐν τισι τῆς θρησκείας διαλέξεσι ἑτέρως ἢ τῷ Σίμωνος ὀνόματι ποιεῖσθαι. Secundò, quid post hoc Edictum Nestoriani moliti sint, ostendit Liberatus Diaconus, *Breuiculi cap.* 10. & ex eo Baronius *Anno* 435. *num*.3.4. &c. Postremò non absimilis est huic & altera Theodosij Iun. constitutio *l*.3. *Cod. de summa Trinit.* quam & Euagrius memorat *lib*.1.*c*.12. quæque extat in Actis Concilij Ephesini *part*.3. *c*.47. vna cum Edicto præfatorum sub quo ea promulgata *cap*.48. anno Diocletiani 164.

in domos" fi qoa fuerint, vel poffeffiones, pro norma generalium fanctionum ærario noftro abfque dubio fociéntur: fibi hoc inputante domino, qui interdictos cœtus fciens paffus eft fub tecto proprio, vel in prædio ruftico exerceri. ❡ Illo incunctanter exfequendo, vt vbi vbi repperti fuerint Eunomianorum Clerici, qui auctores iterati baptifmatis extiterunt, conprehenfi in perpetuum fub pœna deportationis ad exilium deducantur. † Etiam † illo addendo, vt nemo Eunomianus, vel militet, vel Prouinciam fub adminiftratione cuiuflibet officij fufcipiat gubernandam, &c. Dat. VIII. Id. Nou. CP. DD. NN. Honorio X. & Theod. VI. AA. COSS. [415.]

NOTÆ.

* Et *huius legis* meminit Baronius *Anno* 415. *num.* 51.
"Conftantinopolitanam.
"Antiptofi vulgata hellenifitica. Ita paulò poft rurfum *conuenticula etiam eorum in domos*: vide *Gloff. Theod.*
"de hoc dicetur *fuo tit. ne fanctum baptifma.*
"Veluti......
"Relegatio, pro deportatione, *verf. pars pœna*: quomodo & *l.* 13.
"vt *fupr.* quod in modum femel nati hominis, femel à Deo conceditur.
"hanc vocem malè follicitat nonnemo.
"putà 49. & 50. *fupr.*
"vide *l.* 20. *fupr. de Epifcopis.*
"vide *l. vlt. infr. de Apoftatis*: *l.* 5. §. 5. *l.* 8. § 6. *l.* 49. *w. de Donat. inter virum & vxorem.*
"vt fuprà *domus in quas nefarios conuentus habitos.*
† Hoc caput indicat & explicat Idem Theodofius Iun. *l.* 61. *infr.*

COMMENTARIVS.

IN EVNOMIANOS eft hæc altera Theodofij Iun. conftitutio, quibus addenda & tertia Anno 413. *l. vltim. infr. ne fanctum baptifma* Addenda & quarta in *l.* 60. *infr.* Quinta *l.* 65. *infrà.*

❡ Iftius fenfus hic eft. 1. Domos proprias Clericorum Conftantinop. in quibus Eunomianorum conuentus habiti fuerint, vel iteratum Baptifma; confifcandas (eadem pœnâ propofita aliis Clericis Hæreticis Baptifma iterantibus, de quo dicetur fuo titulo.) 2. Rebaptizati fe vltrò paffum deportandum. 3. Clericos, conuentus, vbi vbi exercentes vel Clericos creare creatiue aufos, pariter deportandos. 4. *Teftamentorum* & donationum ius Eunomianis interdici, confirmatis prioribus legibus, id eft, *l.* 49. & 50. *fupr.* Legitimos tantùm bis inteftatis fuccedere. 5. Domos in quibus conuenticula habita fuerint confifcandas. 6. Clericos rebaptizantes in perpetuum deportandos. 7. Poftremùm, militia & Prouinciæ adminiftratione Eunomianis interdici: de quo militandi iure hæreticis interdicto iam fæpè, & quidem de Eunomianis *l.* 25. *fupr.* & *l.* 60. *infr.* quâ hæc lex indicatur & explicatur. Sanè Synefius quoque Cyrenes Epifcopus, *Epiftola* 5. per hæc tempora memorat Eunomianorum per Ptolemaida in exercitu potentiam, eorúmque fuffragia in agris & ædibus, & eorundem nefarios conuentus, déque iis eruendis, apud Presbyteros fetio agit.

LIX. * Idem AA. Afclepiodoto PF. P. Poft alia.

MANICHÆI & Fryges (quos Pepyzitas," fiue Prifcillianiftas, vel alio latentiore" vocabulo appellant) Arriani itidem, Macedonianique & Eunomiani, Nouatiani ac Sabbatiani, ceterique hæretici, fciant vniuerfa fibi hâc quoque conftitutione denegari, quæ illis generalium fanctionum interdixit auctoritas: Puniendis, qui contra generalium Conftitutionum interdicta venire temptauerint. Dat. V. Id. April. Conftantinop. Afclepiodoto & Mariniano CONS. [423].

NOTÆ.

* Inferuit & *hanc legem* Annalibus fuis Baronius *Anno* 423. *n.* 4. Iungendæ autem huic funt tres Conftitutiones *p. l.* 26. *infr. de Iudæis*, *l.* 5. *infr. ne Chriftian mancip. Iudæus*: & *l. vnic. infr. de Paganis.*
"pro *Pepuzitas.*
"intelligi puto Tafcodrogitas, Ophitas, Borboritas, Paffalorinchitas, Afcodrogos, Anotyntas.

COMMENTARIVS.

GENERALIS hæc eft Theodofij Iun. Conftitutio in hæreticos: quâ eadem his interdicit quæ generalibus antea fanctionibus interdicta fuerant, vbi 1. Primò quidem Manichæis, odium fuum indicit, pariter vt *l.* 65. *infr.* fic quidem etiam, vt Manichæos primo loco nominet: quomodo viceuerfa *d. l.* 65. poft alios hæreticos nominatos, Manichæos vltimo loco fternit, eófque *ad imam vfque fcelerum nequitiam peruenifse*, ait. Secundò, *Phrygas* defignat: quos & defignat *d. l.* 65. *infr.* Et inter eos quidem Pepyzitas, & Prifcillianiftas. De his poftremis fuit iam *l* 40. 43. 48. *fupr.* erit eiufdem Theodofij *lex* 15. *infr.* Pepyzitarum fit quoque mentio *l.* 24. *infr. de Paganis*, huc ipfo anno, menfe Iunio. Quanquam ibi perperam *Pepitas* expreffum, pro *Pepyzitas.* Eorundem & mentio infarta *legi* 5. *C. de hæreticis*, quæ alioquin defumpta eft ex *l.* 65. *infr.* De his videndus

dendus est Sozomenus *lib.7.cap.*18. & cum maximè Epiphanius *heresi Phrygum* 48. *num.*14. & *heresi* 49. Ex quo pariter vt ex hac lege liquet, eoa Phrygum sectam fuisse; ita dictos, à Pepuza quodam, oppido siue loco Phrygiæ, quem singulati veneratione habebant, affirmantes eo cœlestem Hierusalem descendere. Quare eò proficiscentes mysteria quædam ibi obibant, sacrísque ceremoniis pro opinione sua vacabant.

Connumerat tertio loco inter cæteros hæreticos, *Arianos*: in quos eiusdem Theodosij Iun. duæ sunt præterea constitutiones, putà *lex* 60. & 65. de quorum statu sub Theodosio Iun. circa hæc tempore Socrates *lib.7. cap.*6. Quarto loco *Macedonianos*, in quos est eiusdem *lex* 60. *infr.* Aduersus quos quonam animo comparatus, vndè quo odio eos prosecutus fuerit hoc tempore Theodosius Synadorum Phrygiæ Episcopus, vide apud Socratem, *lib.7. cap.*3. vbi narrat inter alia, quomodo cùm Rectoris Prouinciæ videret ad vindictam de Macedonianis non sufficere, Constantinopolim profectus sit ad impetrandum, quomodo & fecit, Præfecti Prætorio mandatum, *ἐπαρχικὰ προστάγματα*, seu *ἐπαρχικὰς βοηθείας*: vide eundem & *lib.7.c* 17. & Sozomenum *lib.*8. *cap.*17. Quinto loco *Eunomianos* hìc insequitur Theodosius Iun. pariter vt tribus aliis legibus, puta *l.*49.50 58.*supr.* Postremò, *Nouatianos & Sabbatianos* insequitur *hac leg.* pariter vt *l.*65. *infr.* Nouatianos, inquam: de quorum statu hoc tempore Socrates, *lib* 5.*cap.*5.7.11.12.17. 25. *Sabbatiani* (iidémque & Protopaschitæ *l.*6 *infr.ne sanctum baptisma*: vbi plenè dicam) progenies Nouatianorum fuerunt, & vt loquitur *dict. l.*6. *Nouatianorum collegij desertores, ac refugae fuerunt*; quod etiam ait Socrates *lib.7. cap.*5. à Sabbatio quodam ita dicti, de quo Socrates *lib.*5.*cap.*20. & *lib.*7. *cap.*5. 12. & 25. Et Sozomenus *lib.*7. *cap.*18.

¶ Nouatianos igitur Theodosius Iunior cæteris hæreticis connumerat neque sine *Attici* Episcopi Constantinopolitani, quicquid Baronius contra dicat, consilio. Nam vt maximè Socrates *lib.7. cap.*25. de Attico quædam memorat, quibus aliquando Nouatianorum intra ciuitates conuentus probasse videatur, attamen idem alia subiicit, quibus apertè Atticus testatus est, Nouatianos se minimè probare. Et sanè, quod argumento etiam alicui esse potest, Attico mortuo *l.*65.*infr.* Nouatiania & Sabbatianis, nouationis tantùm licentia adimitur: atque adeò conueniendi licentia sin. Quanquam neque satis certum, num Nouatianis & Sabbatianis *hac leg.* conueniendi licentia à Theodosio Iuniore adimitur; illud enim hactenus statuitur, neque eos contra generalium constitutionum interdicta venire posse. Atenim Nouatiani nunquam antea ita prædamnati sunt, vt non Ecclesiæ suæ his relinquerentur: sub Constantino Magno, sub Theodosio Magno & Arcadio auo & Patre huius Theodosij Iun. quod lex secunda docuit & Sozomenus *lib.*2. *cap.*30. *lib.*8. *cap.*1. & Socrates *lib* 5.*cap.*10. Quorum verba ad *dict. l.*7. adscripsi. Et sanè eò quoque pertinet, quod idem Theodosius Iun. in *dict. l.*65. ait, non omnes eadem auctoritate hæreticos plectendos. Et hæc de Nouatianis.

¶ Cæterùm ex coniunctione earum, quas dixi legum cum hac nostra, puta *l.*26. *infr. de Iudæis*: *l.*5. *ne Christian. mancipium*, *l.*22. *infr. de Paganis*, liquet, Theodosium Iun. prolixa Constitutione non hæreticis modo, verùm Iudæis, Paganis occursum eâ voluisse: & hactenus tamen, vt maiorum suorum, id est, Theodosij & Arcadij decreta confirmaret: pariter vt cōfirmari nominatim videmus *l.prox* 60. Nam ita habet præfatio *d l.*26. *Nota sunt atque omnibus diuulgata nostra maiorúmque decreta, quibus abominandorum Paganorum, Iudæorum etiam atque hæreticorum spiritum, audaciámque compressimus: libenter tamen repetenda legis orationem amplexi, Iudæos scire volumus*, &c. Rursum ita habet *l.*60. *proximo. De hæreticis omnibus illa præcipimus debere seruari quæ Diui Auus & Pater Nostræ Clementiæ constituerunt.* Atque hoc etiam argumentum superioribus accedat, cum de Nouatianis ageremus.

LX. * Idem AA. Asclepiodoto PF. P.

DE hæreticis omnibus (quorum & errorem execramur, & nomen) hodie est, de Eunomianis, Arianis, Macedonianis, ceterísque omnibus, quorum sectas piissimæ sanctioni tædet inserere, quibus cunctis diuersa nomina, sed vna perfidia, illa præcipimus debere seruari, quæ Diui Auus," & Pater" Nostræ Clementiæ constituerunt: scituris vniuersis, quòd si in eodem furore permanserint, interminatæ" pœnæ erunt obnoxij, &c. Dat. VI Id. Iul." Constantinop. Asclepiodoto & Mariniano COSS. [423.]

NOTÆ.

* Inseruit & *hanc legem* Annalibus suis *Anno* 423. *num.*5. Iungendæ autem huic sunt *l.*27. *infr. de Iudæis*, *l.*23. & 24 *infr. de Paganis*, emendato huius legis mense subiecipro. Quinimò pars prior *legis* 24. *infr. de Paganis*, huc referri debuit atque in eo peccatum ab huius Codicis conditoribus: de quo in *Prolegomenis*.

"Theodosius Magnus. "Arcadius.

"Tilij editio & aliæ nonnullæ etiam Cujaciana habebant *intemerata*: Verùm postrema Parisiensis editio rectè exhibet *interminata*.

"*Ig. Iun.* quomodo habent tres illæ leges quas huic coniungendas ostendi.

COMMENTARIVS.

CONFIRMAT hâc rursum constitutione & specialiùs quidem ac enixiùs Theodosius Iun. eadem licet sententia, qua ante duos menses, lege superiore, Theodosij Magni aui sui, & Arcadij Patris in hæreticos constitutiones, ac pœnas. Quinimò pariter vt lege superiore, iis quas huic coniungendas esse dixi leges. Similia quæ iam ante de Paganis & Iudæis constituit.

¶ Duo tantùm hic obseruanda. Primùm quod Theodosij

Theodoſij Iun. hac lege prohibetur, ſe ita hæreticorum errorem & nomen execrari vt rædeat ea ſanctioni inſerere: quod execrationis genus & alia in re vſurpatum: quale illud, non nominandus filius. Secundò obſeruanda ſunt illa, *quibus cunctis diuerſa ſunt nomina, ſed vna perfidia*. Poſtremò, comminatio ſeuerioris pœnæ.

LXI. * Idem AA. Aſclepidoto PF. P.



OMNIS dubiæ interpretationis ambages hâc ſententiâ reſoluentes," publicari præcipimus, Quod Lex, † quæ *ſuper Eunomianis militare prohibitis*, ceteriſque execrabilium religionum & profeſſionum ritibus, promulgata cognoſcitur, nihil ad eos qui Cohortalini ſunt, pertinet: His" enim ſunt Apparitionibus obligati, in quibus, emenſis militiæ ſtipendiis, veterani Primipili munus ſuſtinere coguntur. Dat. VI. Id. Aug. Eudoxiop." Aſclepiodoto & Mariniano CONSS. [423.]

NOTÆ.

* Inſeruit & *hanc legem* Annalibus ſuis Baronius *Anno* 423. *num.*5. Iungendâque ei videtur *lex* 2. *ſupr. de prædiis Curialibus.*[1]

" Intelligit *l.*58. *ſupr. hoc tit.* ante octennium latam Anno 415.

" Eſt qui tentet. *hi.*

" Itidem data ſequenti die *lex* 2. *ſupr. de præd. & mancip. Curialium*, niſi potius, quod exiſtimo, vtraque lex coniungenda: Alterutrius die emendata. De hac autem Eudoxiopoli: vide *legem* 42. *ſupr. de oper. publ.*

COMMENTARIVS.

EVNOMIANOS, etſi Militare prohibeantur, (quod concordat *legi* 25. 29. 42. 48. 58. *ſupr.* & rurſum *legi* 65. *infr.*) non ideò tamen Officiali ſeu Cohortalina Militia liberari vult *hâc leg.* Theodoſius Iun. Quod vltimum concordat *l.*48. *ſupr.* quæ eundem Theodoſium Iun. authorem habet. Huius autem legis ferendæ occaſio hæc fuit, (quod ea ipſa indicatur.) Nempe quod Theod. Iun. & ipſe *Anno* 415. ante octennium *l.*58. *ſupr.* vetuerat Eunomianos militare. Inde dubitari cœptum, num & Cohortali militia prohiberentur? Quod Eunomiani adſerebant, ad euitandam videlicet grauem admodum militiam. Et verò alicubi aliquando id obtinuiſſe oſtendit *d. l.*48. *ſupr.* Verùm huic dubitationi *hâc leg.* occurritur: aliam videlicet eſſe alterius militiæ rationem, aliam cohortalinæ. Quod & ipſum præterea oſtendere videtur Theodoſij Magni *lex* 16. *ſupr. de cohortalibus*: coniuncta cum *lege* 17. *ſupr. hoc tit.* quæ & ipſa eſt de Eunomianis. Et ſanè quod ea lex ait, eos qui pro ſceleribus ſuis ſoluto militiæ cingulo infamiæ addicuntur, de Eunomianis accipiendum eſt. Tandem eadem lex, poſtrema huius legis verba explicat. De Primipilo nempe ex vtraque iam id colligitur, Apparitores Iudicum emenſis militiæ ſtipendiis, id eſt, poſt gradus decurſos in officio Iudicum ad extremum, & velut pro clauſula (vnde *extrema functio*, *d. l.*16. vocatur, hac autem lege *veteranus ſuſtineri emenſis militiæ ſtipendiis*) Primipili munus ſuſtinere coactos ſeu Primipili paſtum, vt vocatur *dict. l.*16. id eſt, annonæ Militaris prœrogationem: de quo eo *titulo de cohortalibus*, ad *l.*6. pleniſſimè dixi.

¶ Cæterùm huic legi non temerè iungendam puto *legem* 2. *ſuprà de prædiis & mancipiis Curialium*. Nam & eâ lege ſimili dubitationi occurritur. Quid quod Oſdroënæ in *dict. l.*2. mentio ſit Orientis Prouinciæ, vbi Eunomianos extitiſſe docet *lex* 8. *ſupr. hoc tit.*

LXII. * Impp. Theod. A. & VALENTINIANVS Cæſ. ad Fauſtum P.V."



MANICHÆOS, Hæreticos, Schiſmaticos," omnémque ſectam Catholicis" inimicam, ab ipſo aſpectu Vrbis Romæ exterminari præcipimus: vt nec præſentiæ criminoſorum contagione fœdentur." ¶ Circa hos autem maximè vrgenda" commotio" eſt, qui prauis ſuaſionibus à Venerabilis Papæ" ſeſe communione" ſuſpendunt, quorum ſchiſmate plebs etiam reliqua vitiatur. His conuentione" præmiſſa viginti dierum condonauimus inducias: intra quos niſi ad communionis redierint Vnitatem, expulſi vſque ad centeſimum lapidem ſolitudine, quam eligunt, macerentur. Dat. XVI. Kalend. Aug. Aquileiæ Theod. A. XI. & Valentiniano Cæſ. COSS. [425.]

NOTÆ.

* Inſeruit & *hanc legem* Annalibus ſuis Baronius *Anno* 425. *num.* 9.

" Romæ.

" Vnicâ poſtremâ editione Pariſienſi excepta, omnes alij hæc verba addunt, *ſiue Mathematicos*. Quod non temerè reſpuam: arg. *l. vlt. de Maleficis & Mathematicis*: de quo mox plura.

" *Catholicis*, ſcilicet: nam alioquin ſi referas ad aſpectum Vrbis Romæ, ſcribendum fuerit, *fœdetur*.

" *exercenda commonitio*, in Tiliana & Cujacianâ editione malè: Commotio Iudicis, *l.*14. *quorum appell.* iudiciaria *l.*1. *de Palat.* S. L.

" nonnulli

*nonnulli malè hic reponunt *condemnatione.*
''Cælestini.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Cæsaris Placidiæ F. à Theodosio Iun. creati, tres ordine constitutiones in hæreticos sequuntur & schismaticos: Hâc scilicet constitutione Valentinianus III. Vrbe Roma Manichæos, Hæreticos, Schismaticos, expelli iubet Anno Domini 425.

¶ Nempe, cùm tres eius continua serie, hîc intra vnius mensis spatium latæ constitutiones occurrant, putà hæc lex cum duabus sequentibus: quarum postrema etiam, putà *lex 64.* ex hac deformata est & transcripta, paucis immutatis: hæc *Vrbem Romam* nominatim spectat: *lex 63.* Africam speciatim: *l. 64.* Vrbes diuersas, id est, omnes Italiæ.

¶ Valentinianus hic scilicet cùm superiore Anno 424. Cæsar à Theodosio creatus, atque ad Occidentis Imperium destinatus, per Ioannis eo anno Tyrannidem Italiæ incubantis: (de quo dixi ad *legem vltim. supr. de Episcopis*, quæ *d. legi 64. hoc tit.* iungenda videtur) Occidentis Imperio, atque Italiæ nominatim, nequicquam potitus fuisset, mox hoc Anno 425. Ioanne cæso, Imperio Cæsareo AQVILEIÆ (quam primam Italiæ Vrbem cum Ardabure aduersus Ioannem ingressus fuerat teste Socrate *lib 7. cap. 23.*) constitutus mense Iulio perpotiri cœpit. Quare illicò siue ipse, siue mater ipsius Placidia potius, curam suam conuertit ad Ecclesiæ statum in Vrbe Roma & Italia restituendum, qui per Ioannis Tyrannidem perturbatus fuerat, vt docet *l. vltim. supr. de Episcopis.* Hinc itaque *Aquileia* hoc tempore datæ, non tantùm *lex 46. supr. de Episcopis*, & *lex 63. infr. hoc tit.* quæ Africam respiciunt: verùm & eo ipso tempore ibidem datæ *lex hac*, & *lex 64. infr. hoc tit.* item *lex vltim. supr. de Episcopis*: quæ Vrbem & Italiam spectant: restituendo per eas Ecclesiæ statui. Atque ex hâc nominatim liquet, iam *mense Iulio* huius Anni 425. Ioannem Tyrannum deuictum cæsúmque Românque in Valentiniani fide & obsequio fuisse.

¶ Valentinianus Cæsar igitur simul ac Vrbe Româ potitus est, Hæreticos, & in his nominatim *Manichæos*, Schismaticos, Vrbe Româ *hâc lege* (quæ ideò P.V. data est) exterminari iussit. Sed & peculiariter in eos motum suum exerit & commotionem Iudiciariam scilicet vrgeri & exerceri iubet, qui (vt loquitur) *prauis suasionibus* à Venerabilis Papæ (*Cælestini* videlicet) communione sese suspendebant; & quorum schismate plebs etiam reliqua vitiabatur. Quibus verbis indubiè intelligit Valentinianus, reliquias *Eulaliani Schismatis*: de quo Baronius *Anno* 419. quæ hoc adhuc tempore Romæ durauêre: quem Eulalium etiam reuocari Bonifacio mortuo Clerici & Presbyteri petierant: (Anno vt videtur superiore 424.) vt in libro Pontificum Romanorum legi tradit Baronius *Anno* 424. *num.* 8. Ex *hâc leg.* certè quoque discimus, quosdam fuisse velut auctores schismatis: à quibus plebs alia distinguitur.

¶ Porrò hos *Vltra centesimum ab Vrbe Româ lapidem* expelli iubet, nisi intra 20. dierum inducias, ad vnitatem & communionem redierint: iubet inquam, hâc constitutione ad P. V. emissa: *Vt ita*, inquit, *solitudine quam eligunt, macerentur.* Nempe consueta & solemnis hæc vltra cẽtesimum relegationis pœna, & quidem intra Præfecturam Vrbicam, & Episcopatũ Vrbicum: seu Romani hi fines fuêre; quos intra vt Præfectus Vrbis Schismaticos ferre non debet, ita à communione Episcopi abstinentes vltra eos relegari & æquum & necessarium. Æquum, inquam: nempe iis, qui ab Episcopi alicuius Vrbis communione sese pertinaciter suspendunt, intra diœcesim eius consistendi facultas patere non debet: quin solitudine, quam hoc facto eligunt, macerandi. Necessarium rursum: ne alioquin intra Diœcesin adhuc consistentes, in vicinis Vrbibus, regionibus proximis, plebem adhuc vitiare possint & ad schisma suum pertrahere. Et verò non hoc tantùm exemplum moris istius: (ne quis ab vnico exemplo deriuate iua me putet,) sed duo insuper occurrunt. Primum exemplum, & huic planè geminum est, in Vrsicino, qui pariter Schisma in Ecclesiam & Episcopatum R. inuexerat. Nempe & hic eiúsque erroris consortes tum constitutionibus, quas Baronius memorat è Codice Vaticano, & quidem ad P. V. pariter datis, vltra centesimum ab Vrbe lapidem relegari iussi, vel, quod idem est, vltra Suburbicarias regiones. *Nonne absurdius est, quod Vrsicini*, inquit Valentinianus, *dum iussit amentia, quam quod serenitas nostra mitibus persuasit edictis, vt omnes qui impios cœtus profanatâ religione tentarent, vel ad centesimum Vrbis milliare pellerentur, vbi pertinax furor, ab obsequentibus destitutus in eius tantùm perniciem rueret, qui solus erraret, & vt condemnati iudicio rectè sentientium Sacerdotum, reditum postea vel ad Ecclesias, quas contaminauerant, non haberent, vel redintegrationem iudicij frustra à nobis impudenti peruicacia precarentur*: & sub finem. *Post hæc nisi omnes, vt nominatim iussionis nostra summa complectitur, vel quos turbas istiusmodi molientes sanctorum Episcoporum concilia consensu ostenderint, vltra centesimum ab Vrbe milliarium depuleris atque earum ciuitatum finibus extorres esse praceperis, quarum plebem vel Ecclesias vel per se vel per simile sui vulgus exercent, prater astimationis iniuriam, cuius apud bonos non leuis iactura est, piaculum neglecta sanctionis incurres* Valentiniani Senioris hæc verba sunt ad Ampelium P. V. *Dudum Vrsicini inquietudine prouocati fauentes concordia populi Christiani, quietè etiam Vrbis sacratissima prouidentes, vno interim loco inter Gallias duntaxat perturbatorem tranquillitatis publica statueramus iure cohiberi, scilicet ne applicatione morum lata dissensionis incommodum spargeretur. Verùm natura nostra mansuetudine leuigati, ita memorato abscedendi copiam dedimus, ne ad Vrbem Romam, VEL certè Suburbicarias regiones pedem inferat.* Et rursus idem de erroris consortibus in rescripto ad Maximum Vicarium Vrbis. *Ex quo oritur, vt Vrsicino quem propter quietem populi Christiani & debitam religioni ac legibus disciplinam vno interim loco morari intra Gallias iusseramus, discedendi copiam fecerimus sub ea conditione, ne vagandi arbitrium praberemus, neve ad Vrbem Romam, VEL Regiones Suburbicarias valeat commeare.* Et infra: *Sic enim mansuetudinis nostra indulgentiam temperamus, ne occasione prastita vicinitate inquietorum ad aliquam forsan vociferationem religiosi populi studia prouocemus.*

Historia huius rei tota sic habet. Primùm *Vrsicinus*, qui aduersus Damasum Episcopus electus fuerat, cum Damasi electioni cedere nollet, in Galliam relegatus est: Socij eius & ministri Româ tantùm remoti, vt docet rescriptum Valentiniani ad Prætextatum P. V. Mox anno sequente, sub-

moti ab Vrbe vltra vicesimum lapidem, vt legere est in rescripto ad Olybrium P. V. Postmodum facta potestas Vrsicino in Italiam redeundi, dum modo abstineret Vrbe & regionibus Suburbicariis. Et sic Suburbicariis regionibus exclusus seu centesimo lapide. Quod & ipsum statutum de erroris consortibus. Hæc tam variè tum circa ipsum Vrsicinom schismatis auctorem, tum circa eius asseclas: nempe Vrsicinus seueriùs ab initio habitus: ministri eius ab initio lenius: tandem ad legitimam exilij legem deuentum, in schismaticis solemnem, putà ad relegationem extra Diœcesin Episcopatus Romani, vltra centesimum seu Suburbicarias regiones, exilio libero & soluto, id est, vbicumque prætereà locorum consistendi facultate relictâ. Denique etsi legitima hæc in Schismaticis lex & ratio fuerit, eos videlicet relegandi extra Diœcesin, non tamen semper aut illicò eo deuentum, sed pro periculo schismatis quandoque vlterius, quandoque citerius submoti. Et cum primis obseruanda Valentiniani Iun. constitutio, vbi *Vrbis Romæ centesimum milliare & aliarum ciuitatum fines* exæquantur. *Vrsicinianis* nempe quod aliis Vrbibus suum est territorium, sui fines, hoc Vrbi Romæ centesimum milliarium præstat. Quare iam corruunt eorum molitiones omnes, qui hæc eludere conantur, ne fateri necesse habeant, vt P. V. ita & Episcopi Vrbis Romæ Diœcesin centesimum milliare fuisse, de quo iam dicere anteuerti altera *dissertatione de Suburbicariis regionibus, cap.3.* & vindiciarum *de Suburbicariis Ecclesiis, c.4.* Quod autem dictum est citerius quandoque schismaticos relegatos, adde & hæreticos, & per gradus sæpè quosdam ad totius Diœceseos interdictionem deuentum, eius exemplum quoque præbuit hoc ipso titulo *l.18. 20. supr.* Addatur & exemplum Athanasij ex Epistola Iuliani *ad Alexandrinos 52. ἐπιλαθόμενοι ... τῆς εἰκόνος ... τῆς Αἰγύπτου.* Sequatur nunc tertium exemplum. Nempe & Pelagiani quoque ita ante quinquennium fermè Constantij Imp. edicto, ad Volusianum P.V. vltra centesimum lapidem relegati iussi: quod memorat Baronius *Anno 420. num.a. Cum tum prætereà superstitionis tum recentis pœna vanitatis iamdudum corrigi iusserimus, quotidianis insinuationibus maior fieri nunciatur. Et quoniam discordia animos commouet populorum: ea quæ iamdudum iusseramus, præcipimus iterari. Vnde his lectis Eximietas tua, omnes qui Dei inuident pietati, diligenter inquirat, & eos faciat statim è muris expelli, ita tamen, vt ne intra centesimum quidem lapidem habeant licentiam consistendi, Cœlestium quoque magis ac magis ex Vrbe expelli mandamus. Constat enim iisdem ex medio sublatis gratiam & concordiam tenere veterem firmitatem.* Sic tria exempla tenemus Schismaticorum extra centesimum Vrbis Romæ relegatorum intra 50. annorum spatium: nempe in *Vrsicinianis, Pelagianis, Eulalianis.*

¶ Et propagatum tamen centesimariæ huius relegationis, in Schismaticis vsurpatæ, exemplum & ad alias Vrbes, Quod docuit *lex 35. supr. de Episcopis*, & docebit *lex a. infr. de Episcop. iudicio.* Non quasi cuiusque Vrbis termini eò quoque prolati fuerint. Verùm adsumpta iam eâ ratione, quæ etsi peculiarem habeat in Diœcesi Romana relationem, ad alias tamen Vrbes rectè transfertur. Mitto ciuilis relegationis vltra centesimum ab Vrbe lapidem exempla colligere. Vide Herodianum *lib.a.* Dionem *lib.55.* Prosperum Aquitanicum, vbi de *Symmacho* agit.

LXIII. * Idem A. & Cæs. Georgio" Proc. Afric.

OMNES" hæreses, omnésque perfidias, omnia Schismata, superstitionésque Gentilium," omnes Catholicæ legis inimicos insectamur errores. Si quos" verò hæc quoque Clementiæ Nostræ statuta pœna comitetur,&" nouerint sacrilegæ superstitionis auctores, participes, conscios, proscribtione" plectendos: vt ab errore perfidiæ, si ratione retrahi nequeunt, saltim" terrore" reuocentur: Et vniuerso supplicationum aditu in perpetuum denegato criminibus, debitâ seueritate plectantur, &c. Dat. Prid. Non. Aug." Aquil. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. COSS. [425.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* inseruit Annalibus suis Baronius *Anno 425. num.10.* Iungenda autem huic est *lex 46 supr.de Episcopis.* Quanquam dies paulum discrepat.

"Eidem inscribitur *d.l 46. supr. de Episcopis.*

"Omnes *quidem* hoc supplendum.

"Potuit hæc quoque huiusce legis pars referri ad *tit. de Paganis.*

"Hæreseos alicuius nomen hic latet. "*vt.*

"*Se plectendos.* "pro *saltem.*

' vide Augustini *epist.48.* vide & Codicem canonum Ecclesiæ Africanæ *can.93 p.159.*

' *Iul. d.l.64.*

COMMENTARIVS.

IN INCERTI nominis,& sacrilegæ superstitionis hæreticos,(quorum etsi nomen sub illis verbis *si quos* lateat, per Africam sanè positos fuisse inscriptio legis ostendit) proscriptionis pœnam statuit hac Constitutione Valentinianus III. Placidiæ F.odium in eos peculiare,non vnâ ratione testatus. Primò,cum præfatur omnes quidem hæreses se insectari,hos verò eximia aliqua pœna dignos. Secundò,dum non authores tantùm, sed & participes & conscios eâdem pœnâ plecti iubet. Postremò dum bis denunciat præclosum in perpetuum aditum supplicationibus. Nisi *Cœlicolas*, intelligat,quos intelligat diuinare nequeo. De quibus alioquin dicetur *infr. tit.de Iudais & Cœlicolis.* Sanè Catholicos per Africam quoque fuisse apertè ostendit *l.44 supr.hoc tit.* Neque tempora abludunt:Cœlicolarum enim superstitio noua hâc tempestate, atqui *noua superstitionis* auctores hic designari videntur.

LXIV. * Idem A. & Cæſ. Baſſo Com. R. P. Poſt alia.

MANICHÆOS," Hæreticos: ſiue Schiſmaticos, omnémque ſectam Catholicis inimicam ab ipſo aſpectu vrbium" diuerſarum" extermioari præcipimus: vt nec præſentiæ criminoſorum contagiooe fœdentur. Omnes igitur perſonas erroris infauſti iubemus excludi, niſi his emendatio matura ſubuenerit, &c. Dat. VIII. Id. Aug." Aquil. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæſ. COSS. [425.]

NOTÆ.

* Huius legis meminit quoque Baronius *Anno* 415. *num* 11. Iungenda autem huic eſt *lex vltim. ſupr de Epiſcopis.* Sed & edita nuper ex Codice Lugd. & Anicienſi conſtitutio Valentiniani Cæſaris nomine ad Amatum PP. Galliarum à Sirmondo in app. *Th. n* 6 vbi hæc lex inſerta. Quæ ſané farrago potius eſt.

"Prima huius legis ſententia totidem feré verbis deſumpta ex *l.* 67. *ſupr.*

"id eſt, quantumcunque ſeu omnium.

' In *d.l.*62. Vrbis Romæ.

"In Codice Anicienſi habetur VIII Id. Iul. in *d.l.vlt.* VIII. Id. Octob.

COMMENTARIVS.

VRBANVS vniuerſis Manichæos hæreticos, Schiſmaticos, exterminari hac conſtitutione Valentinianus III. Placidiæ F. iubet. Vrbibus, inquam, vniuerſis Italiæ. Quomodo eos Vrbe Roma paulo ante (initio videlicet à capite & principe Vrbe facto) pelli iuſſerat *l.*62. *ſupr.* Propagatum itaque exemplum ab Vrbe Roma, ad alias Vrbes: & quidem pauciſſimis poſt diebus. Quare & prior potiórque huius legis ſententia ex ea totidem pené verbis tranſcripta.

¶ Porrò vt inter hæc Cæſarei Imperij initia Valentinianus ſuum illicò in hæreticos odium tribus hiſce conſtitutionibus teſtatus eſt; quanquam neque ipſi hæc adſcribenda, qui nondum ſeptennis erat, ita erga Eccleſias & Clericos ſuum teſtatus pariter affectum *l.*46. *ſupr. de Epiſcopis* (quam *legi* 63. *huius tit.* coniungendam dixi) & *lege vltim ſupr. de Epiſcopis:* (quæ huic iungenda.) Vt ferme eiuſdem opera fuit, hæreticis bellum indicere, Eccleſiam & Clericos fauore ſuo amplecti: quod ad *dict.l.*46. oſtenſum fuit. Quod vt in aliis Principibus obſeruare eſt, ita ipſa horum temporum ratio Principem hunc vel eius matrem potius. (nam huic has leges adſcribi oporret) eò adegit. Cæterùm vicennio pòſt idem Valentinianus Iun. enixam, ſeuerámque in Manichæos Nouellam ſcripſit quæ eſt 2. *inter Valentin.* quæ legi meretur: vbi Leonis Papæ meminit: pariter vt Cœleſtinum deſignauit *d.l.*62. *ſupr.*

LXV. * Impp. Theod. & Valentinianus AA. Florentio PF. P."

HÆRETICORVM ita eſt reprimenda inſania, Vt * ante omnia quas ab Orthodoxis abreptas tenent vbicunque *Eccleſias*, 'ſtatim Catholicæ Eccleſiæ tradendas eſſe non ambigant: quia ferri non poreſt, vt qui nec proprias habere debueraot, ab Orthodoxis poſſeſſas, aut conditas, ſuáque temeritate inuaſas, vltra detineant. 2. ¶ Dein, * vt ſi alios ſibi adiungant *Clericos*, vel vt ipſi æſtimant, *Sacerdotes*, decem" librarum auri multa, per ſingulos, ab eo qui fecerit, & qui fieri paſſus ſit: vel ſi paupertatem prætendant, de communi Clericorum eiuſdem ſuperſtitionis corpore, vel etiam donariis" ipſis, extorta noſtro inferatur ærario. 3. ¶ Poſt * hæc, quoniam" *Non omnes eadem auſteritate plectendi ſunt*, Arrianis quidem, Macedonianis" & Apollinarianis," quorum hoc eſt facinus, quòd, nocenti meditatione decepti, creduot de Veritaris fonte mendacia, intra nullam ciuitarem Eccleſiam habere liceat Nouatianis" autem & Sabbatianis" omnis innouationis adimatur licentia, ſi quam fortè temptauerint. Eunomiani" verò, Valentiniani," Montaniſtæ," ſeu Priſcillianiſtæ," Fryges," Marcianiſtæ," Borboriani," Meſſaliani," Euchitæ," ſiue Enthyſiaſtæ," Donatiſtæ," Audiani," Hydroparaſtatæ," Aſcodrogitæ," Fotiniani," Pauliani," Marcelliani," &, qui ad imam vſque ſcelerum nequitiam peruenerunt, Manichæi," nuſquam in Romano ſolo conueniendi, orandíque" habeant facultatem, Manichæis etiam de ciuitatibus expellendis:" Quoniam nihil his omnibus" relinquendi" loci eſt, in quo ipſis etiam elementis fiat ioiuria. ¶ Nulla * his penitus, præter Cohortalinam" in Prouinciis," & Caſtrenſem," indulgenda militia: ¶ Nullo * donationis faciendæ inuicem, nullo teſtamenti, aut voluntatis vltimæ penitus iure conceſſo. ¶ Cunctíſque * legibus, quæ contra hos, cæteróſque, qui noſtræ fidei refragantur, olim latæ ſunt, diuerſíſque promulgatæ temporibus, ſemper viridi obſeruantiâ valituris: ſiue de donationibus in hæreticorum factis Eccleſias, ſiue ex vltima voluntate rebus qualitercumque relictis: ſiue de priuatis ædificiis,

in quæ domino permittente, vel conhibente conuenerint, venerandæ nobis Catholicæ vindicandis Ecclesiæ: siue de Procuratore, qui hoc nesciente domino fecerit, decem librarum auri multam, vel exilium, si sit ingenuus subituro: metallum verò post verbera si seruilis conditionis sit: Ita vt nec in publico conuenire loco, nec ædificare sibi Ecclesias, nec ad circunscribtionem legum quicquam meditari valeant: Omni Ciuili & Militari, Curiarum etiam etiam, & Defensorum, & Iudicum, sub viginti librarum auri interminatione, prohibendi auxilio. ¶ Illis etiam in suâ omnibus manentibus firmitate, quæ de militia," & donandi iure, ac testamenti factione, vel negandi penitus, vel in certas" vix concessa personas, prœisque variis de diuersis sunt hæreticis promulgatæ: ità vt nec speciale" quidem beneficium aduersus leges valeat impetratum. ¶ Nulli * hæreticorum danda licentia, vel ingenuos, vel seruos proprios, qui Orthodoxorum sunt initiati mysteriis, ad suum rursus baptisma deducendi: Nec verò" illos, quos emerint, vel qualitercumque habuerint, necdum suæ superstitioni coniunctos, prohibendi Catholicæ sequi religionem Ecclesiæ. Quod qui fecerit, vel cùm sit ingenuus, in se fieri passus sit, vel factum non detulerit, exilio ac decem librarum auri multa damnabitur, testamenti & donationis faciendæ vtrique deneganda licentia. ¶ Quæ * omnia ita custodiri decernimus, vt nulli Iudicum liceat delatum ad se crimen minori, aut nulli cohercitioni mandare, nisi ipse id" pati velit, quod aliis dissimulando concesserit. Dat. III. Kalen. Iun. Constantinop. Felice & Tauro COSS. [428]

NOTÆ.

* Lex *Africani* 5. *Cod. eod. tit.* hinc, capite fineque detractis, & omissa in medio sententia, interpolata. Et *hanc leg.* Annalibus suis inseruit Baronius *Anno* 428. *num.* 25.26. & eius occasione plura apud eundem: vid. n.21.22.23.27.28.

"*Florentius*, hic PP. Orientis fuit sub Theodosio Iun. vid. *Prosopogr.*

* *Prima* sententia, de Ecclesiis Orthodoxorum ab hæreticis inuasis, restituendis.

"Nempe hæretici Clericos suos Sacerdotes vocabant.

* *Secunda* sententia, de Clericorum ab hæreticis ordinatione: eiúsque rei pœna seu multa.

"De hâc decem librarum auri multâ à Theodosio M. primùm Clericorum ordinatoribus hæreticis, ipsísque Clericis ordinatis imposita: vid. *l.* 21. *supr.*

"*Donatiorum*, horum pariter mentio *l* 57. *supr.* vbi dixi.

* *Tertia* sententia, de Ecclesiarum habendarum vel non habendarum ab hæreticis iure.

"Verissima hæc sententia: quam & suprà sæpè expendi. Tribonianus vt eam sustulit, ita æquo pede omnes hæreticos dimensus est.

"de *Macedonianis*, vid *l.* 11.12.13.39.60. *supr.* De his obseruandum *Anno prox.* 429 Orthodoxos Macedonianorum Ecclesiam extra muros Vrbis Constantinop. positam abstulisse; quoniam iidem Macedoniani Antonium Germis Catholicum Ep. interfecerant, vt tradit Marcellinus *Chron.* & Socrates *lib.* 7. *cap.* 31.

"de *Apollinarianis*, vid. *l.* 12.13.14 33 *supr.*

"de *Nouatianis*, vid. *l.* 2. & eiusdem Theodosij Iun. *l.* 59. *supr. hoc tit.* & *l.* 6. *infr. ne sanctum bapt.*

"de *Sabbatianis*, vid. quoque *l* 59. *supr.* Malè Cod. Iust. *d. l.* 5. Sebatiani.

"de *Eunomianis*, vid. *l.* 6. 8 11.12.13.17.23.25.27.31.32.34.36.49.30.58.59.60.61. *supr.* & *l. vltim. infr. ne sanctum bapt.*

"*Valentinianorum*, hoc Codice vnica hæc mentio occurrit: Quibus à Theodosio Iun. *hâc leg.* conueniendi orandíque facultas in Romano solo interdicitur. Quòd & ipsum Theodosium fecisse testatur Ambrosius *epist.* 29. *ad Theodosium, sub finem. Qui habet Valentinianorum hæresin vindicare? quam pietas tua quomodo vindicat, cùm eos excludi iusserit, nec conueniendi vsurpare copiam.*

"de *Montanistis*, vid. *d. l.* 34 48.57. *supr.*

"de *Priscillianistis*, (à Priscillâ dictis non à Priscilliano, quod Pancirolus tradit 2. *var.* 175.) vid. & *l.* 40.45.48.50 *supr.*

"de *Frygibus*, vid. & *l.* 40.59. *supr.*

"*Marcianistarum*, vnica hæc hoc Codice mentio occurrit: rescribendum autem *Marcionista*, quomodo & vocati, non minus quam *Marcionita*: vid. *Epiphanium*.

"*Borborianorum*, hoc Codice vnica hæc mentio extat: *βορβοριανοὺς* Græca Paratitla exhibent: vid. *Leunel p.* 108. de quibus vid. *qui de hæresibus* scripsêre: quæque nos iam ad Philostorgium, *lib.* 3. *c.* 15.

"al. *Massaliani*, aliter *Messalianorum*, vnica & hæc hoc Codice mentio fit: v. *Epiphanium hæresi* 80. vid. *apud Photium, n.* 52. Synodum Sidetanam, aliáque contra Messalianos.

"*Euchita* Messaliani, de quorum exortu sub Valentiniano: vid. Theodoretum *lib.* 4. *cap.* 20. & Histor. Trip. *lib.* 7. *cap.* 11. Niceph. 11. *cap.* 14.

"*Enthusiasta*.

"de *Donatistis*: vid *l.* 37.38.39 40.43 44.46 52.54.55. *supr.*

"*Audiani*, ab Audæo sub Constantino & Constantio Imp cœperunt: de his Epiphanius *hæresi* 70. Theodosius hæreticus factus, qui hoc ipso tempore sub Theodosio Iun. scribebat. Baronius *Anno* 341. *num.* 38. 39. Vulcanius in Cyrillum aduersus Anthropomorphitas statim initio. Malè hic Paratitla Græca *ἀνδριανούς*.

"de *Hydroparastatis*, vid & *l.* 7.9.11. *supr.*

"*Tascodrogita*, nominantur *l.* 10. *supr.* vbi dixi: *ἀσκοδρούγους* hic habent Paratitla Græca.

"de *Photinianis*, vid. & *l.* 6. *supr.*

"*Paulianorum*, vnica hæc hoc Codice mentio. *Paulianiani* in Cod. Iust. vbi tamen Græca Paratitla habent *παυλιανούς*.

"*Marcellianorum*, quoque vnica hæc hoc Codice mentio: vt hic cum Photinianis copulantur, ita & apud Epiphanium *hæres.* 71.72. & *initio* 73. Hic porrò in Cod Iust. adduntur & alij hæretici.

"de *Manichæis*, vid. & *l* 3 7 9.11.18.25 35 38.40.41.43.59.62.64. *supr.* & *l.* 24. *infr. de Paganis*: *l.* 3. *infr. de Apostatis*.

"*Romanum locum*, Cod. Iust. vbi Contius *Romano loco*.

"*Morandique*: in editis Cod Iustin. verùm & Græci & Manuscripti habent, vt hîc *orandique*, & repetitum *Nouell.* 28. *μηδὲ τόπον τῆς αἱρέσεως ἔχειν*.

"*Et vltimo supplicio tradendos*: add. Cod. Iust. sed ab imperito homine, nam tota lex repetitur & vel proximè cohærentia verba. Et tamen Paratitla quoque Græca ea habent, & aliis legibus id continetur, *l.* 11.12.16. *Cod. de hæret.* vnde & fortè assumendum illud.

"est qui tentat *hominibus*, scilicet Manichæis: Nil opus.

"*ex. relinquendum*, vt habet Cod. Iust.

"An hæc propter Manichæos, id est dicuntur, quia Manichæi volebant quinque esse elementa, non quatuor: puta fumum,

ten-bras,

tenebras, ignem, aquam, ventum: vnde negabant aërem & terram esse elementa: & hæc aiebant à gente tenebrarum condita: In fumo dicebant hominem & omnes bipedes creatos: in tenebris serpentes: in igne quadrupedes: in aere volatilia, in aqua natantia. Esse autem quinque alia elementa bona à Deo nulla, ad hæc debellanda: & esse permixtum aëra fumo, tenebris lucem, igni malo bonum, uquæ malæ bonam, vento malo bonum à quibus purgantur: vid. Augustinum. Putem ego hæc superioribus hæreticis communia. Nempe si locus quidam hæreticis relinquatur ad cultum suum exercendum, non tamen Numini diuino, verùm etiam ipsis elementis iniuria fiat, quæ talem superstitionem, & fœditatem abhorreant, quæque exinde fœdarentur, aer potissimum & terra.

* *Quarta* sententia, de *Militia* interdictâ hæreticis.

"Concordat *lex* 48.61. vbi dixi.

"*Castrensem*, id est, militarem: militiâ igitur armatâ non interdicti hæretici.

* *Quinta* sententia de *Donationis & testamenti* inuicem iure hæreticis ademoto.

* *Sexta* sententia: quâ leges anteriores confirmantur, de *donariis* Ecclesiarum hæreticarum, déque puniendis qui conuenticulis hæreticorum locum præbuerint, &c.

"Iám de hoc supra actum in quarta sententia. Cur igitur hic repetitum?

"de hoc dictum *infrà*.

* *Septima* sententia, de *Ingenuis* & seruis ab hæreticis superstitione sua non imbuendis. Hic autem desumpta *lex vltim. C. ne sanctum bapt.*

"*nec non* Cod. Iustin.

* *Postrema* sententia de Iudicis officio.

"idem Cod. Iustin. *d. l. vltim.*

COMMENTARIVS.

IN HÆRETICOS & hæreses, quarum *viginti tres* hîc nominat, est hæc amplissima Theodosij Iunioris constitutio: data fine mensis Maij Anno D. 458. qua cum pleraque anterioribus constitutionibus cauta repetantur, ac nominatim confirmentur: nil attinet ea sigillatim expendere: præsertim cum eius capita & sententias iam in Notis distinxerimus. Quare singularia tantùm quædam in eâ nunc sectabor. Primùm eo notabilis est hæc lex, quod Theodosius Iun. *hæreticos non omnes eâdem austeritate plectendos:* ait. Quod in argumento de hæreticis sedulò obseruandum, & verò ex huius tituli constitutione passim id ipsum discimus. Theodosius certè *hâc leg.* ideò quatuor vt hæreticorum classes, ita & pœnarum gradus constituit. Prima classis est eorum, quibus intra ciuitates tantùm non in agris Ecclesiarum ius adimit. Quo in censu ponit tres hos: Arianos, *Macedonianos & Apollinarianos:* suæ proinde quædam his Ecclesiæ a Theodosio *hâc leg.* relictæ extra ciuitates. Quod etiam discimus de *Macedonianis*, ex iis quæ Anno proximo 429. contigêre: Eo scilicet Macedonianis ablatæ Ecclesiæ extra muros Vrbium quarundam, & in his Constantinopolitanæ, eâ occasione quam memorat Socrates *lib. 7. cap. 31.* & Marcellinus Chronico: Ἀφῃρέθησαν, inquit Socrates, ἣν ἐν Κωνσταντίνου πόλει πρὸ τοῦ παλαιοῦ τείχους τῆς πόλεως, καὶ ἣ ἐν Κυζίκῳ καὶ ἄλλαι πολλαὶ ἃς εἶχον ἐν τοῖς ἐν Ἑλλησπόντῳ ἀγροῖς. *Orthodoxi nostri,* inquit Marcellinus, *Macedonianorum Ecclesiam extra Vrbis muros positam abstulerunt*, quoniam, &c. Secunda classis hæreticorum est, eorum quos suis Ecclesiis contentos esse iubet, neque alias de nouo ædificare (putà *Nouatianos, Sabbatianos.*) Tertia classis est eorum, quibus nusquam in Romano solo conueniendi, orandique, neque in agris, facultatem patere iubet. Postrema in classe sunt Manichæi, quos etiam ciuitatibus expelli iubet. Vnde liquet etiam, leuissimam Nouatianorum & Sabbatianorum conditionem: grauissimam Manichæorum constituit. Nempe Nouatiani & Sabbatiani meliore semper loco inter hæreticos habiti fuêre: de quo dixi plenè ad *l. 2. & 59. supr.* etiam ex Socrate & Sozomeno. Atenim Manichæi deterrimo, quos & ideò hîc ad imam vsque scelerum nequitiam peruenisse ait Theodosius Iun. In Nouellâ suâ de Iudæis 3. vers. superest *Deo semper offensos*, de quo dixi ad *l. 3. supr.* & *l. 3. 4. infr. de Apostatis.* Secundò obseruetur, Castrensi seu armata militia hæreticos & in his Eunomianos non interdicit & Synesium tamen conqueri videmus *epist. 5.* de Eunomianorum militiâ. Sanè horum temporum militia armata, ad miscellanea omnis generis hominum venit, Barbarorum, hæreticorum. Tertiò obseruetur, hæreticis donandi, testandi in certas personas ius concessum fuisse. Quænam verò personæ illæ sint alibi non expressum. Quartò notetur, hæreticis Catholicos vt seruos habere quocunque titulo permittitur, ita mysteriis suis imbuendi, vel prohibendi eos Catholicam religionem sequi, pœnam exilij & to. librarum auri imponi. Atenim Iudæo neque Christianum mancipium quoquo titulo habere licuit, & id superstitione suâ imbuenti capitale fuit: vt docebit *titulo infr. ne Christianum mancip. Iud.* Postremùm notetur, Iudici pœnas legem neque dissimulare, neque mollire sine fraude licere: cui congruit & *lex 8. supr. de appellationibus, l. vltim. supr. ad L. Iul. de vi publ. seu l. 8. Cod. eod.* Symmachus *libro extremo epist. extrema. Alia est conditio Magistratuum, quorum corrupta videntur esse sententia, si sint legibus mitiores: alia Dominorum Principum potestas, quos decet acrimoniam seueri iuris inflectere:* vid. & Nouellam *Iustin* 82. Quintil. *declam.* 317. 345. *l. 15. π. ad municipal.* Quid est igitur, quod Augustinus *in epist. ad Marcellinum* 158. scribit: *Soleo enim audire, in potestate esse Iudicis mollire sententiam & mitius vindicare quam leges?* Nempe de illis legibus id accipio, quæ ad terrorem scriptæ, cuiusmodi fuêre fermè in hæreticos scriptæ. Quod tamen ipsum *hâc leg.* exertè Iudicibus interdicit.

§ Tandem certam puto Baronij coniecturam, *hanc leg.* à Theodosio Iun. promulgatam, Nestorij, (qui his Coss. superiore mense 4. Idus Aprilis Episcopus Constantinopolitanus creatus fuit, quod testatur Socrates *lib. 7. cap. 29.*) persuasione. Nam non Vincentius Lerinensis tantùm, (qui octennio post *hanc leg.* scribebat) testatur *eum cunctarum hæreseon blasphemias insectatum:* verùm & Socrates *disertè d. cap. 29.* scribit, cum simul ac Ep. creatus fuit, oratione ad Imp. Theodosium Iun. habita, hæc, quæ postea in multorum ore fuerunt, inter cætera dixisse: *Mihi, ô Imperator, terram hæreticis purgatam tribue, & ego tibi cælum tribuam. Tu mihi in profligandis hæreticis subueni, & ego tibi in profligandis Persis subueniam:* Δός μοι ὦ βασιλεῦ καθαρὰν τὴν γῆν τῶν αἱρετικῶν, κἀγώ σοι τὸν οὐρανὸν ἀντιδώσω· συγκάθελέ μοι τοὺς αἱρετικούς, κἀγὼ συγκαθελῶ σοι τοὺς Πέρσας. Quæ verba, vt etiam ab iis, quibus odio erant hæretici, accepta fuerint, mox subiicit, subiicit etiam *eod. cap. 29.* quid in Arianos, Nouatianos, Quartadecimanos molitus sit, ad tumultum & incendium vsque; impetum tamen eius in Nouatianos ab Imp. repressum (cuius Theodosij moderationis in Nouatianos & hæc

lex fidem facit.) Addit idem Socrates *ead. lib. cap.* 31. & Macedonianos afflixiſſe: tandémque Imperatori perſuaſiſſe, vt Eccleſiæ illis adimerentur: & verò ademptam eis Eccleſiam extra vetera Vrbis Conſtantinopol. mœnia ſitam, alteram Cyzici, & alibi prætereà complures, quas in agris Helleſponti tenebant. Iuxta hanc legem ſcilicet quâ iis in ciuitatibus tantùm Eccleſiæ eis interdictæ. Ergo quæ memorat Socrates, poſteriora ſunt hac lege.

LXVI. * Impp." THEOD. & Valentinianus AA." Leontio PF. P."

DAMNATO" portentoſæ" ſuperſtitionis auctore Neſtorio, nota congrui nominis eius inuratur gregalibus ne" *Chriſtianorum* appellatione abutantur: ſed quemadmodum Arriani," lege † diuæ memoriæ Conſtantini ob ſimilitudinem impietatis *Porfyriani* à Porfyrio nuncupantur, ſic vbique participes nefariæ ſectæ Neſtorij *Simoniani*" vocentur: vt cuius ſcelus ſunt in" deſerendo Deo imitati, eius vocabulum iure videantur eſſe ſortiti. ¶ Nec verò impios libros nefandi" ſacrilegij Neſtorij aduerſus venerabilem Orthodoxorum ſectam decretáque Sanctiſſimi Cœtus" Antiſtitum Epheſi habiti ſcriptos habere, aut legere, aut deſcribere quiſquam audeat: quos diligenti ſtudio requiri, ac publicè comburi decernimus: Ita, vt nemo in religionis diſputatione aliquam ſupradicto" nomine faciat mentionem: Aut quibuſdam eorum habendi concilij gratia, in ædibus, aut villa, aut ſuburbano ſuo, aut alio quolibet loco, conuenticulum, clàm aut apertè, præbeat: quos omni" conuentus celebrandi licentia priuari ſtatuimus: Scientibus vniuerſis violatorem huius legis publicatione bonorum eſſe coërcendum. Dat. III. Non.' Aug. CP. DN. Theod. A. XV. & qui fuerit nuntiatus. [435.]

NOTÆ.

* *Lex damnato 6. Cod. eod. tit.* Eam quoque Annalibus ſuis inſeruit, déque eâ egit Baronius *Anno* 435. *num* 1. 2. 3. Extat plenior Græcè & Latinè in Actis Concilij Epheſini: inſcriptione tamen & ſubſcriptione carens: *parte* 3. *cap.* 45. *pag.* 711 712.

"*Iidem AA.* tantùm huic legi inſcribendum erat.

"*Præfectum Vrbi* Ita omnes editiones Codicis Theodoſ. excepta Pariſienſi poſtremâ. Ita quoque Codex Iuſtinianeus in *d. l damnato* 6. Id verò comprobat omninò *lex vltim ſupr. de Principib. agentium in reb.* quæ hoc ipſo anno data ſic habet. *Eadem exempla Iſidoro PFP. Regino Illyrici PFP. Leontio PPV.* &c. Item *lex* 3 *ſupr. de frum. v. Conſtantinop.* quæ ſuperiore Anno 434. data eſt.

"in Concilio Epheſino Anno D. 431. vt *mox.*

"*Portentoſa* Cod. Iuſt. rectè.

"*nec* Cod. Iuſt.

"*Sed quemadmodum Ariani ab Ario, lege* 8. *memoria Conſtantini, ob ſimilitudinem impietatis, Porphyriani à Porphyrio nuncupantur: ſic vbique participes nefariæ ſectæ Neſtorij, Neſtoriani vocentur.* Cod. Iuſt. Ita hic locus deformatus, & ineptè: non tantùm malè diſtinctus: de quo mox.

"ὧν τῇ εἰς θεὸν ἀποστροφῇ [ἀποχωρήσει] id eſt deſcriptione.

"*Simoniani*, quæ apud Socratem *lib.* 1. *cap* 6.

"Ita quoque Paratitla Græca: de quo mox. At in Cod. Iuſt. hodie ineptè *Neſtoriani.*

"*nefandi & ſacrilegi,* Cod. Iuſt.

"CONCILII EPHESINI.

"*Supradicti nominis,* Cod. Iuſt. de quo mox.

"*quos omnes cœtus celebrandi,* &c. Cod. Iuſt.

"*III. Kalend. Aug. Theodoſio XV. & Valentiniano IV. AA. CONSS.*

COMMENTARIVS.

ADVERSVS NESTORII nomen libróſque & Neſtorianorum cœtus ſeu conuentus, eſt hæc Theodoſij Iun. conſtitutio, inter alias plures: quæ & ipſa plenior extat in Actis Concilij Epheſini, quam vtraque lingua Græcè & Latinè promulgari voluit, & nos hic eam totam exhibere voluimus. Cui addi poteſt & Præfectorum Edictum, Iſidori, inquam, & Regini (quibus pariter inſcripta hæc ipſo Anno 435. *l. vltim. ſupr. de Principibus agenti. in rebus,*) ſub quo hæc lex propoſita fuit: quod & ipſum extat inter Acta Concilij Epheſini *parte* 3. *cap* 46.

¶ Et hæc quidem lex à Theodoſio Iuniore ſancita, quòd hac lege diſertè profitetur, firmandis Concilij Epheſini decretis, quo Neſtorius portentoſæ ſuperſtitionis auctor damnatus fuit; quod quidem Concilium habitum fuit ante quadriennium Anno 431. Igitur data hæc lex quadriennio poſt eam Synodum. Tam ſerò inquies? Nempe vt maximè Neſtorius eâ Synodo damnatus, attamen de curando ipſo poſt eam actum: & ſectatores eius fidem Catholicam doloſè profeſſi, quinimò libros adhuc ſparsêre. Itaque vbi ſpes nulla correctionis amplius, contrà eius hæreſis porrò diffunderetur atque inualeſceret, huiuſce legis ferendæ conſilium Theodoſius cepit.

¶ Antequam verò ipſam *leg.* expendimus, de Neſtorij hæreſi breuiter monendum eſt, eum prædicaſſe Chriſtum ex Mariâ hominem, non Deum natum: verùm & diuinitatem poſteà collatam pro merito, ὑπὲρ ἧς ἐκ τὸν θεὸν προσδοκίας αὐτοῦ: Quare Virginem Mariam *Deiparam* non dicendam. Hanc *portentoſam* ſuperſtitionem hæc lex vocat. De quâ *leg.* nunc.

¶ Eius tria ſunt capita. Primùm eſt, de *Nomine* Neſtorij Gregalium ſiue ſectatorum. Nempe *Simonianos* eos vocari iubet: ratione tum & exemplo additis: Ratione, inquam: *Vt cuius,* inquit, *ſcelus*

scelus sunt in deserendo Deo imitati, eius vocabulum iure videantur esse sortiti. Nempe hoc vult, Nestorianos Dei desertores à Simone Mago Dei pariter desertore dicendos. Neque tamen hæc generalis tantùm ratio nominis adæquationis mihi sufficiens videtur. Cur enim potiùs Nestoriani *Simoniani*, à Simone Mago, quàm ab alio hæretico; omnes enim hæretici desertores fidei, ac proinde & Dei? Igitur tenendum est Simonem portentosè inter alia astruxisse, se Helenæ cœlo antea lapsæ, posteà de cœlo descendisse, *κατεληλυθέναι*; cum ipsius aduentum hactenus ea expectaret, teste Epiphanio, *heresi* 20. *num*.2.3. & Theodoreto *heret. fabul.* 1. *pag*.192. eámque *σωθῆναι* fecisse: vt omittam nescio quas *συζυγίας*, de quibus idem Theodoretus. Hinc igitur Nestoriani *Simoniani* dicti, quòd Simonis scelus imitarentur; nempe, quia Nestorius asserebat Christum nudum hominem natum ex Virgine Maria (quam ideò Deiparam dici nolebat) & sic Mariam peperisse non Deum, sed Diuinitatis instrumentum, *ἄνθρωπον θεότητος ὄργανον*, & postea Deum de cœlo descendisse, *κατεληλυθέναι*; Christóque homini Diuinitatem collatam pro merito, *ὥσπερ ἔχει τὸν θεὸν ἀφωμοιώμενον αὐτῷ*. Exemplo rursum se munit Theodosius: nempe Constantini Magni, qui similiter lege latâ Arianos iussit à Porphyrio *Porphyrianos* vocari ob similitudinem videlicet impietatis. Et verò ea ipsa Constantini Magni lex extat apud Socratem *lib.*1. *cap*.6. quæ & hic tota sternenda seu consignanda est. Nam & huic gemina propè est: hæcque ad illius instar composita.

Victor Constantinus Max. August. Episcopis & populo S.

CVm Arius scelestorum & impiorum hominum consuetudinem imitetur, eandem cum illis ignominiæ & turpitudinis notam merito subire debet. Quemadmodum Porphyrius capitalis pietatis hostis, qui nefarios libros contra religionem Christianam nuper edebat, mercedem dignam laboribus recepit & eiusmodi quidem vt apud posteriora secula, non ipse solum maximis probris vexatus fuerit, & turpissima infamia labe aspersus, verum etiam impia eius scripta deleta & extincta: sic iam visum est Arium & eius sectatores Porphyrianos nuncupare, vt quorum secuti sunt mores, eorum etiam nomen habeant: quin etiam si quod opus ab Ario conscriptum reperiatur, illud cremandum esse, vti non modò execrabilis eius doctrina funditus tollatur, sed etiam nullum monumentum eiusdem omninò relinquatur ad posteritatem. Illud etiam mandamus, vt si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus sit, & eum non statim in medium adductum igne combusserit, morte mulctetur. Nam mox vt comprehensus fuerit, plectatur capite. Deus vos seruet incolumes. Hoc Constantini Edictum totidem quoque verbis recitat Nicephorus *lib*.8. *cap*.25. At Sozomenus *lib*.1. *cap* 20. id sic recitat, vt tamen omittat, quæ de Arianis à Porphyrio Porphyrianis nominandis eo cauta fuerant. Ad rem. Igitur sicut Arianos adscito nomine Constantinus Magnus *ob similitudinem impietatis* Porphyrianos à Porphyrio dici voluit, ita Theodosius Iun. nunc Nestorianos ob desertionis à Deo similitudinem (à Simone scilicet Mago) *Simonianos* dici voluit. Atque hæc est hac parte Theodosij Iun. *hâc leg.* mens & legis huius lectio, quam & Paratitla Græca agnoscunt: *οἱ Νεστοριανοὶ Σιμωνιανοὶ λέγονται*. Et confirmant manifestissimè sequentia *huius leg.* verba: *vt* CVIVS *scelus sunt in deserendo Deo* IMITATI, EIVS *vocabulum iure videantur sortiti.* Quod Leunclauius quoque iam rectè notauit *pag*.198. Atenim Iustin. hæc non vitiosâ distinctione tantum verùm immutata prorsus exhibet, & incerto sensu, quasi Constantinus iusserit ab Ario Arianos dici, Theodosius verò iusserit *Nestorianos* à Nestorio dici: vt Porphyriani à Porphyrio dicuntur. Quam lectionem corruptam præter *hanc leg.* Paratitla quoque Græca *lib*.1. *t*.5. §.6. & Photius *in Nomocanone* ostendit *tit*.12. *cap*.3. cuius verba mendosa perperam arbitratus est Pancirolus 2. *var*.176.

¶ Secundum *huius legis* caput est de *Libris Nestorij* aduersus Orthodoxam fidem & decreta Concilij Ephesini scriptis: nempe eos haberi, describi, legi, vetat: quin diligenter inquisitos publicè comburi. Et hoc ipsum pariter Constantini exemplo: Sed & ipsorum Patrum Ephesinorum iam anteà inuitatione, vt docet epistola Synodalis Cyrilli prima ad ipsummet Theodosium, præterquam quod mos hic solemnis improbatæ lectionis librorum comburendorum. De Eunomianorum & Montanistarum libris *l*.34 *supr.* de Maleficorum & Mag. libris; vide *l. vltim. supr. de Maleficis & Mathemat.* Sanè & Nestorius ad spargendum virus suum libros ediderat: quibus Cyrillus Ep. Alexandrinus rescripsit. Et post eum damnatum Andreas & Theodoretus Nestoriani aduersus Synodi capitula libros scripsère: vt ex Theodoreto *epist*.11. constat: & Cyrillo *epist*.30. Atque hoc est quod *hâc leg.* indicatur, *Impios*, inquit, *libros nefandi sacrilegij Nestorij aduersus decreta sanctissimi cœtus Antistitum Ephesi habiti scriptos.*

Tertio *huius legis* capite, *Cœtus Nestorianorum* prohibentur, atque adeò loca his vbicunque præberi siue in ipsa Vrbe Constantinop. siue in Suburbanis. Hæc enim lex propriè pertinet ad eam Vrbem, vt inscriptio legis docet. Quanquam & eodem exemplo *ἰσοτύπως* scripta lex ad Prefect. P. Orientis & Illyrici, sub quorum etiam Edicto eâ vt anteà ostendi proposita fuit.

¶ Supersunt quædam notanda. Primùm, quid sibi Theod. his verbis velit. *Ita vt nemo in religionis disputatione aliquam supradicto nomine faciat mentionem.* Quod obscurum vtique, ac maximè cum dare ista sonent, *supradicto nomine faciat mentionem.* Verùm integra lex, vt habetur in Actis Ephesinis, ostendit, spectare hunc versiculum ad priorem legis partem, atque hanc eorum esse mentem, Nestorianorum in disputationibus de religione nullam mentionem fieri oportere, verùm *τῷ Σίμωνος ὀνόματι*, id est, *Simonianorum* nomine indigitandos: *μηδὲ μνήμην τοῦ ἀσεβοῦς ἀνδρὸς ὀνομάζεσθαι ἀνθρώπων ἔν τινι τῆς θρησκείας διαλέξει ἑτέρως ἢ τῷ Σίμωνος ὀνόματι ποιῆσθαι*. Secundò, quid post hoc Edictum Nestoriani moliti sint, ostendit Liberatus Diaconus, *Breuiculi cap*.10. & ex eo Baronius *Anno* 435. *num*.3.4. &c. Postremò non absimilis est huic & altera Theodosij Iun. constitutio *l*.5. *Cod. de summa Trinit.* quam & Euagrius memorat *lib*.1. *c*.12. quæque extat in Actis Concilij Ephesini *part*.3. *c*.47. vna cum Edicto præfatorum sub quo ea promulgata *cap*.48. anno Diocletiani 164.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

NE SANCTVM BAPTISMA ITERETVR.

TITVLVS VI.

I. Cod. Ivst. VI. Ad hunc titulum præterea referendæ sunt *lex* 5.17.54.58 65. *supr. de hæret.* & *lex* 4. *infr. de Apostatis.*

PARATITLON.



Baptisma *Rubrica*, & *l.*2.4.5. *hoc tit.* Sanctum *Rubr.* & *l.*4. *infr de Apostatis.* Sacrosanctum *l.*4. *hoc tit.* Diuinum *l.*58. *supr. de hæreticis:* seu *supr. de hæreticis:* Cœleste lauacrum *l. dominico vltim. de spectac.* Dicitur & Mysterium absolutè *l.*4. *hoc tit. l.*58. 65. *supr. de hæreticis: d. l.*8. mysterium Catholicæ sectæ *l.*6. *hoc tit.* mysterium diuinum *l.*4. *de Apostatis*, mysterium indultæ fidei *d l.*58. mysterium Orthodoxorum *l.*65. *supr. de hæreticis.* Dicitur & Sacramentum Christiani nominis *l.*2, *hoc tit.* Catholicæ fidei Sacramentum *l.*44. *de hæreticis*, Dei summi Sacramentum *l.*1. *supr. de Scenicis.* Item dicitur Gratia *l.*1. & 2. *hoc tit.* seu diuina gratia *l.*5. *hoc tit.* Gratia communionis *l.*5 *infr. de Apostatis.* Sanctitas, cœlitus infusa *l.*5. *hoc tit.* indéque sanctitas baptismi *l.*1. *hoc tit.* Munus diuinitatis *l.*4. *hoc tit.* Lux noua sancti baptismatis *d. l. vltim. de spectaculis.* Fides: hinc baptismus plenius mysterium indultæ fidei *l.*8. *supr. de hæreticis*, Baptizati imbuti fide *l. vltim. hoc tit.* & *l.*58. *supr. de hæreticis:* Fideles *l.*2. *infr. de Apostatis.* Apostatæ facti post baptismum, fidem prodere, fidem polluere, *l.*4. *infr. de Apostatis*, fide deuij *l* 5. *infr. de Apostatis:* Baptizati ipsi dicuntur initiati Orthodoxorum ritu *l.*6 *hoc tit.* imbuti fide *l. vltim. hoc tit.* & *d. l.*58. *supr. de hæreticis:* munere diuinitatis abluti *l* 4. *hoc tit.* fideles *l.*2. *infr. de Apostatis:* quibus opponebantur Catechumeni *d. l.*2.

¶ Id Baptisma in modum semel nati hominis semel quoque à Deo concedi dicitur *d. l.*58. *supr. de hæreticis.* Quare iterari Baptisma seu geminari atque adeò rebaptizari huius tituli Constitutionibus omnibus prohibetur: item *l.*5. 58. 65. *supr. de hæreticis.* Quod qui faciunt, dicuntur contaminare *l.*1. *hoc tit.* incestare, non purificare *l.*2. *hoc tit.* inficere contagione profanæ repetitionis *l.*4. *hoc tit.* polluere cœno profanatæ religionis & hæreticorum sordibus *l.*6. *hoc tit.* tabefacere corpora reparata morte *l.*5. *supr. de hæreticis*, sacrum mysterium inquinare *l.*54. *versu* 6. *supr. de hæreticis.* Horum dogma peruersum dicitur *l.*5. *hoc tit.* crimen piaculare *l. vltim. hoc tit.* error *l.*2. *hoc tit.* blandus error *l.*4. deuius error *l.*3. *hoc tit.* miser error *d l.*2. prauæ mentis error *l.*4. *hoc tit.* facinus *l.*4. *hoc tit.* & *d. l.*58. nefarium facinus *d. l.*58. furor immanis *l.*5. *hoc tit.* institutio nefaria *l.*5. *supr. de hæreticis.* sacrilegium ferale *l.*4. *hoc tit.* & temeritas noxia *l.*4. *hoc tit.* Tandem inlicita vsurpatio *l* 1. *hoc tit.*

¶ Id verò admittebant varia hæreticorum genera, vt docet *lex* 65. *supr. de hæreticis.* Inter alios Donatistæ *l.*4.5. *hoc tit.* ad quos etiam pertinet *lex* 1.2.3. *hoc tit.* item *lex* 5.38. *supr. de hæreticis.* Item Eunomiani *l.*6. & *l. vltim. hoc tit.* & *l.*17.58. *supr. de hæreticis:* & hi quidem singulari quodam ritu: vnde & Histopodes dicti *d. l.*17. de profanantibus baptismum per Apostasiam: vid. *tit. de Apostatis.*

¶ Quod pœnas eorum attinet, exequuntur id huius tituli leges: Valentiniani Iunioris *lex* 1. Gratiani *lex* 2. Honorij *lex* 3 4.5. Theodosij Iun *l.*6.7. *seu vlt.*

¶ Tandem de pœnis eorum qui post baptismum Apostatæ facti fuissent: vide *l.*2.4.5. *infr. de Apostatis* His omnibus adiice, & Cœlicolas circa baptismum quid noui instituisse, vt docet *lex* 44. *supr. de hæreticis:* & Augustinus. Auctores constitutionum quæ hoc titulo occurrunt, in rebaptizantes sunt: Valentinianus Sen. *l.*1. Gratianus *l.*2. Honorij tres sunt leges, *l.*3.4 5. Theodosij Iun *l.*6. & 7. *seu vltim.* Ad Africam pertinent *lex* 1.2. proculdubio etiam *lex* 3. & 4.5. ad Orientis Imperium *lex* 6. & *l. vltim.* In Donatistas latæ *lex* 1.2.3.4.5. in Nouatianos *l.*6. in Eunomianos *lex vltim.*

¶ Valenti

VALENTINIANI Sen. *constitutio in rebaptizantes.*

I. * Impp. VALENTINIANVS & Valens" AA. ad Iulianum" Proc. Afric.

ANTISTITEM," qui sanctitatem baptismi inlicitâ vsurpatione geminauerit, &," contra instituta" omnium," eam Gratiam iterando contaminauerit, Sacerdotio indignum esse censemus. Dat. x. Kalend. Mart. Treu. Valentiniano & Valente IV. AA. COSS. [373]

NOTÆ.

* *Lex* I. *Cod. eod. tit.* hinc & ex *l. sequente* confl̃ata est. Inseruit eam rectè Baronius Annalibus Ecclesiasticis *Anno Domini* 373 *num.*35.

" *Iuliano* huic Proconsuli Africæ inscribitur quoque Anno 371. *lex* 2. *supr. de scenicis*, & Anno superiore 372. *l.*12. *supr. de diuersis officiis*. Eiusdem meminit & Amm. Marcellinus, *lib.*27. *p.*366. vid. de eo *Prosopogr.*

" Addendum & *Gratiani* A. nomen. vid. *Consular. Theod.*

" *Antistitem*, id est, Sacerdotem, Episcopum: vid *Gloss. Theod.*

" Hæc verba, *&*, *contra instituta omnium*, *eam gratiam iterando contaminauerit*, recidit Tribonianus.

" instituationes *l.*2. præcepta *d.l.*2. vbi vide quæ dico plenè.

" Euangeliorum scilicet (seu Euangelistarum) Apostolorum, Traditionis incorruptæ: adde & Imperatores Catholicos *d.d. l.*2.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANVS Sen. Treuiris in Galliis constitutus, proculdubio etiam Gallicanorum Episcoporum consilio, vel ad relationem ad se ex Africâ factam *hâc leg.* Sacerdotem (seu Episcopum) rebaptizantem, Sacerdotio suo seu Episcopatu, per Africam Proconsularem indignum esse pronunciat, Anno D. 373. & proculdubio eâ re priuari eum oportere iubet: per Africam, inquam, Proconsularem, cuius Proconsuli hæc lex inscribitur. Vnde haud inanis coniectura est spectare eam ad Donatistas, pariter vt ad eosdem pertinent quatuor sequentes: vt & duæ aliæ, puta *lex* 5 *&* 38. *supr. de hæreticis*. Et verò spectare ad Donatistas, qui recentissimè Firmo tyranno fauerant in Africâ, testatur Augustinus *epist.* 164. Quæque proculdubio tolerauit Valentinianus, data sua ἐθελοθρησκείας cuique licentia, de quâ dixi ad *l. supr. de maleficiis*: anabaptismo tantùm in his damnato, sub pœna Sacerdotij priuationis, neque enim vltra progreditur Valentinianus. De hac ipsâ porrò lege Optatum Afrum Mileuitanum *circa initium lib* 5. sensisse putat Balduinus. *Hac*, inquit, *nostra vox est, qui in Trinitate baptismatis vnitatem defendimus, non pro nobis, qui baptisma, in cuius imagine sunt illa duo, audacter, & quod contra* LEGES *est, iteratis: quamuis & vos ipsi non negatis, quia non debet iterari, quod semel iussum est fieri.* In quo largiter fallitur: nam, quod & ipse alibi rectè tradit, Optatum ante hunc Annum 373. scripsisse certum est: & sanè scripsit is, quod apertè Optatus ipse profitetur, sexagesimo & quod excurrit anno post persecutionem Diocletianeam, id est, circa Annum Domini 367. vt alibi fusè ostendo. Illud equidem verùm, *hanc legem* esse de numero earum, quæ à Valentiniano in rebaptizantes scriptæ fuerunt, quarum meminit Gratianus quoque *l.*2. *prox.* & quidem in Donatistas πρώην, vt Augustinus testatur *epist.* 166. *ad Donatistas*. *Huic* [Iouiano] inquit, *successit Valentinianus: legite quæ* CONTRA *vos iusserit*: de quo iam etiam aliquid dictum ad *l.* 3. *supr. de hæreticis*. Ergo Optati locus accipiendus est de aliis Valentiniani legibus (si quæ ante hanc in Donatistas latæ sunt) Constantini item & Constantij (vel potius Constantis) quarum mentio *l.* 2. *infr.*

¶ Notabilia duo in *hâc leg.* hæc occurrunt. Primùm est, quod ait, *contra instituta omnium*, quæ latius explicata reperies ad *d.l.*2. *prox.* Alterum est, quod baptismum vocat *Gratiam & diuinam gratiam*: quomodo & *gratia communionis* vocatur in *l.*5. *infr. de Apostatis*. Gratianus pariter 3. *epist.* 17. *Audientibus, si qui fuerint periculo præuenti, et si in exitu constituti, vigilantia vestra non desit, implorantibus* DIVINAM GRATIAM, *misericordia Domini non denegetur*. Qui locus omninò componendus est cum *l.*1. *supr. de scenicis*. Græcis quoque vt Eucharistia, ita & baptismus χάρις dicta. De Eucharistia apud Cyrillum sæpius hæ locutiones, τῆς θείας χάριτος μεταλαμβάνειν, & προσιέναι πρὸς τὴν ἱερωτάτην χάριν: & Optatus *lib.*5. pariter de Eucharistia: *veniunt gentes ad gratiam: exhibet illo qui inuitare dignatus est: ministerium exercet turba famulorum*. Omitto alia. Non minus sæpè de Baptismo: qui cum plura habeat nomina, quæ Clemens Alexandrinus *lib.*1. Gregorius Nazianzenus *orat.*40. & Chrysostomus non semel recensent, vnum illorum est χάρισμα vel χάρις. In 4. mystagogicon Cyrilli προσέρχεσθαι τῇ χάριτι est, ad baptismum accedere. Græcus quoque interpres Canonum Ecclesiæ Africanæ p. 174. vbi Latina habent, vt (ægrotantibus,) *Scenicis atque Histrionibus cæterisque huiusmodi Personis Reconciliatio non negetur* (qui locus alioquin cum *d.l.*1. *de scenicis*, componendus est) *reconciliationis* loco χάριν ἢ καταλλαγμὰ vertit, & rectè eo quippe loco *reconciliationis* verbo, id quod alias *viaticum* & extremum suffragium dicitur, id est, baptismus & Eucharistia indicantur: de quo ad *d.l.*1. *de scenicis*.

§ Illud postremùm hic semel monendum, quæ *hâc leg.* omnibúsque aliis huius tituli cõstitutionibus in rebaptizantes constituuntur, accipienda non indefinitè, sed de hæreticorum tantùm anabaptismo, qui inlicitâ vsurpatione, furore immani, & institutione nefaria collatum semel rectè baptismum in Ecclesia Catholica, Catholicæ Ecclesiæ odio, iterabant quod clarè sat colligitur ex sequentibus legibus: vide inter alias *legem* 6. Aliuquin enim & ipsi Catholici baptisma quandoque rescindebant, seu quosdam hæreticorum rebaptizabant: quâ de re vide *canonem* 6. Concilij Nicæni, (cuius meminit & Rufinus, *lib.*1. *cap.*6.

*cap.*6. Augustinus, *de hæresibus*, *hæresi* 44. Laodiceni, *canonem* 7. & 8. Constantinopolitani secundi Oecumenici *canon*.7. vide & quæ Athanasius *orat*.3. *contra Arianos*. Basilium *epistola canonica ad Amphilochium*, *cap*.1.

¶ GRATIANI *constitutio in rebaptizantes*.

II. * Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. ad Flauianum" Vic. Africæ.

EORVM * condemnamus errorem, qui, Apostolorum præcepta calcantes, Christiani nominis Sacramenta" sortitos alio rursus baptismate, non purificant, sed incestant," *Lauacri* nomine polluentes. Eos igitur Auctoritas Tua erroribus miseris iubebit abstistere:" Ecclesiis, quas contra fidem retinent, restitutis Catholicæ." Eorum quippe institutiones" sequendæ sunt, qui Apostolicam fidem, sine intermutatione" baptismatis, probauerunt. Nihil enim aliud præcipi volumus, quàm quod Euangeliorum & Apostolorum fides, & traditio incorrupta seruauit: sicut & lege Diuali Parentum Nostrorum, Constantini, † Constanti, † Valentiniani, † decreta sunt. ¶ Sed plerique, expulsi de Ecclesiis, occulto tamen furore" grassantur, loca magnarum domorum, seu fundorum, inlicitè frequentantes: quos fiscalis publicatio comprehendet, si piaculari doctrinæ secreta præbuerint: Nihil vt ab eo tenore sanctio nostra dimiouat, qui, dato dudum † ad Nitentium" præcepto, fuerat constitutus. ¶ Quòd si errorem suum diligunt," suis malis" domesticóque secreto, soli" tamen, foueant viros" impiæ disciplinæ. Dat. XVI. Kal. Nouemb. CP." Gratiano A. IV. & Merobaude COSS. [377.]

NOTÆ.

* Ex hac, vt iam dixi, *l.* & *l.*1. *supr.* conflata est *lex* 1. *Cod. eod. tit.* Inseruit eam rectè Baronius Annalibus suis *Anno Domini* 377. *num*.6.

"*Flauiani* huius Vicarij Africæ meminit quoque Amm. Marcellinus extremo *lib*.28 *p*.409. sub Gratiano: & Augustinus, *epist*.164. vid. & Symmachum *lib*.2. *epist*.27. & 63. Plura in *Prosopogr*.

* Hinc desumptus est §.1. *legis* 1. *Cod. eod. tit.*

"*Sacramenti* nomen de baptismo *hac leg.* & *l*.1. *supr. de feriis*.

"de hac *incestandi* voce vid. *Gloss. Theod.* sensus hic est, quasi loturos, rebaptizare, qui tamen re vera polluunt: *lauacri nomine*, id est, sub specie lauacri.

"Ecclesiæ scilicet: repetita hic voce ἀπὸ τοῦ κοινοῦ: vel certè, absolutè *Catholica*, pro Ecclesiæ Catholicæ, pariter vt *l. habeat* 4. *supr. de Episcopis*, vbi plura, & non vno loco *tit. de hæreticis*.

"instituta *l* 8 *supr.*

"*Intermutatione*, id est, iteratione.

† Constantini M. Constantij, (vel potius Constantis) Valentiniani constitutiones nota in rebaptizantes.

"testificat quis *decretum est*. Ego nil mutem, & istud sustineam.

"*Furor*, & alibi Donatistis tribuitur: vide & *l*.44. *supr. de hæreticis*.

† Legem ad Nitentium datam obserua, quæ Valentiniani Patris fuisse videtur. Ego eiusdem Gratiani puto.

"Quis hic *Nitentius*? Est qui reponat *Vincentium*, vel *Vitentium*. Ego malim *Nicentium*, de quo mox.

"*Diligere errorem suum* est, porrò tueri, tenere, seu pertinaciter defendere. Ita Symmachus, *lib*.1 *epist*.12. *Eâ indulgentiâ, qua plerunque singuli etiam vitia nostra diligimus.*

id est, *vitiis*?

"Ita biennio post fermè *l*.5. *supr. de hæreticis*: *sibi tantummodo nocitura sentiat, sibi solus talia nouerit, aliis nefaria institutione non perdat, aliis obfutura non pandat.*

"*virus.*

"Vitiosum hoc; est enim hæc lex Gratiani, non Valentis, quandoquidem ad Africam pertinet.

COMMENTARIVS.

GRATIANI Imp. hæc in rebaptizātes constitutio est (vt ex inscriptione patet, data enim ea dicitur *ad Flauianum Vicarium Africæ*: quæ vtique Africa Gratiano parebat.) Quare vitium hæret in subscriptione, ibi *Dat. CP.* id est, Constantinopoli: nam & Gratianus hoc anno versatus est in Galliâ, & Treueris quidem vel Mogontiaci. Vt proinde minus dubitem, *hanc legem* scriptam in Galliâ ex consilio & dictatu Episcoporum Gallicorum: Et certè, assurgere eam palam est Gallicano cothurno.

¶ Ergo Gratianus *hâc leg.* rebaptizantium per Africam errorem, cœtúsque damnat: variis tum rationum momentis tum & sanctionibus: Rationum inquam, Theologicarum: & Ecclesiasticarum. Quarum prima est à baptismatis, quod vnum esse debet, neque reperi oportet, naturâ: cùm ait. *Christiani nominis Sacramenta sortitos alio rursus baptismate non purificari, sed incestari lauacri nomine.* Quibus similia alia ex aliis legibus, in vnum cumulata habes *in Paratitlo*. Altera est, petita ab auctoritate Euangelij, Apostolorum, Traditionis incorruptæ, antectorum tandem Principum præiudiciis & constitutionibus. Hinc scilicet rebaptizantes ait, *Apostolorum præcepta calcare*. Hinc mox pro canone subiicit: *institutiones sequendas eorum qui Apostolicam fidem probauerunt*. Item, *Nibil aliud præcipi se velle, quàm quod Euangeliorum & Apostolorum fides & Traditio incorrupta seruauit: sicut & Lege Diuali*, &c. Quod Euangelij & Apostolorum prærogatiuam attinet, de eo iam satis, ad *l. cunctos populos* 2. *supr. de fide Cathol.* & ad *l*.28. *supr.*

supr. de hæreticis. Traditionem incorruptam quoque hic aduocati notandum est: qua sanè se tuitos iam olim hic in re ipsâ aduersus anabaptismum Stephanus Papa, anabaptismum omnem damnans, aduersus Cyprianum, Firmilianum & Africæ Concilia: vt testatur Cyprianus ipse qui hæc Stephani verba recitat *epist. 74. ad Pompeium Sabratensem. Si quid ergo à quacunque hæresi venerit, ad nos, nihil innouetur, nisi quod TRADITVM est, id est, præter id quod traditum est.* Et Eusebius *lib. 7. histor. Eccles. cap. 2.* [illegible] *cap. 3.* [illegible], id est, *Stephanus nihil noui aut alieni à TRADITIONE AB ANTIQVO OBTINENTE, moliendum arbitratus, animo ob hanc causam indignabatur.* Augustinus quoque, *lib. 5. de baptismo contra Donatistas, cap. 23. Apostoli quidem nihil exinde præceperunt: sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum TRADITIONE exordium sumpsisse credendum est: sicut sunt multa quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.* Vincentius tandem Lirinensis in commonitorio suo *c. 9.* cùm multa hanc in sententiam scribat, tandem ait, *epistolam à Stephano missam ad Africam, vbi hæc verba sanxit, nihil innouandum, nisi quod TRADITVM est.* Quæ ipsa sunt Stephani verba, quæ Cyprianus suprà memorabat. Et Cyprianus tamen illud in Stephano reprehendebat, quod Scripturis, quibus suam niti docerent Patres Africani, obduceret & opponeret Traditionem, atque adeò Traditionis nomine prauam venditaret Consuetudinem, quæ non esset ab Apostolis, sed posteà irrepsisset. Sed de ista in ipsa Africa iuniores à Cypriano abiêre, & in argumento Stephani P.P. acquieuêre, qui contendebat ante Agrippinum nunquam in Ecclesiâ iterati baptismum solitum. Et acquieuit etiam tanto post Augustinus, *lib. 2. cap. 7. de baptismo contra Donatistas. Quam consuetudinem credo ex Apostolica TRADITIONE venientem, sicut multa non inueniuntur in libris eorum, neque in Conciliis posteriorum: & tamen quia per vniuersam Ecclesiam custodiuntur, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Et *lib 4. cap. 24. Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est nonnisi authoritate Apostolica institutum rectissimè creditur:* vide eundem & *lib. 1. contra Cresconium, cap. 33.* Sequuti & hanc sententiam & Traditionis prærogatiuam Imperatores ab Episcopis edocti, Valentinianus scilicet *l. 1. supr.* vbi eodem sensu ait, *contra INSTITVTVM omnium baptismum iterari*: Gratianus *hâc leg.* vbi pariter ait, INSTITVTIONES *sequendas* & item, *quod* TRADITIO *incorrupta seruanit.* Honorius *l. 4. infr.* vt traditum est. Eadem verò Traditione sicut singularitas baptismi, ita & pleríque ritus in baptismate, ne de aliis nunc dicam, defendebantur, vt prolixè & egregiè multis demonstrat Tertullianus *de corona mil. cap. 3. 4. 5.* & Basilius *de Spiritu sancto, cap. 27.* velut consecratio aquæ, oleíque vnctionis; & ipsius qui baptismum accipit, renuntiatio Satanæ & Angelis eius; lactis & mellis prægustatio, ipsa fidei professio, & alia id genus: Tandem & trina mersio, Hieronymus quoque aduersus Luciferianos: *An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, vt baptizatis posteà manus imponatur, & ita inuocetur Spiritus sanctus? Exigis, vbi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius Orbis in hac parte consensus instar Præcepti obtineret: nam & multa, quæ per TRADITIONEM in Ecclesia obseruantur, authoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt, velut in lauacro ter mergitare.* Quare & ad ipsum Dominum & Apostolos hos ritus referre non verentur Chrysostomus, si Chrysostomi est, *homilia de fide in Patrem Filium & Spiritum sanctum*, & Pelagius apud Gratianum, *de consecr. dist. 4.* Et ita quoque hæc iam dicuntur & hic habentur *Apostolorum præcepta*, hæc *Apostolica & Apostolorum fides*, quam scilicet Traditio incorrupta seruauit. Cui & *Euangeliorum* fides hîc sociatur: Quomodo Augustinus quoque etsi traditionem & consuetudinem vrgeat, idem tamen, ne videretur humanis tantùm argumentis agere, ex Euangelio documenta & testimonia protulit, quibus non solùm idem colligeretur, sed planè ostenderetur: *lib. 1. contra Donatistas*: & *lib. 2. cap. 14. lib. 4. cap. 7. lib. 5. cap. 4. & 23.*

¶ Prouocat & *hâc leg.* Gratianus ad superiorum Principum Constitutiones, Constantini M. Constantij (ego *Constantis* malim, cui Africa cesserat, non Constantij, qui etiam hæretica labe adspersus erat) itémque Valentiniani.

¶ Prouocat & ad sanctionem seu præceptum quoddam anterius ad Nitentium datum: quod quale sit nondum comperio: Illud crediderim anteriorem ipsiusmet Gratiani constitutionem hîc indicari: & quidem emissam ad *Nitentium Tribunum & Notarium* (cuius mentio apud Ambrosium *epist. 64.*) extra ordinem in Africam missum eum mandatis seu *Præcepto* (quomodo & hîc vocatur) ad cohibendos hæreticorum cœtus: vt cæteroquin Tribuni & Notarij ab Imperatoribus cum mandatis & præceptis missi etiam in negotio religionis, de quo plenè ad *l. vnic. supr. de mandatis Principum*: vbi Marcellini & Dalmatij exempla inter alia.

¶ Nunc de *huius legis sententia*, quidque aduersus rebaptizantes constituat Gratianus: Nempe tria hæc, hunc in finem statuuntur.

¶ Primùm abstinere miseris erroribus fuis, Vicarij Africæ auctoritate iubentur, id est, eorum cœtus inhibere his iubetur. Quod mirum: Flauianus enim hic Vicarius Africæ: (cuius alioquin meminit quoque Ammianus Marcellinus *extremo libro* 28. & Augustinus *Epist* 164. vide Symmachum *lib. 2. ep. 27. & 63.*) partis Donatistarum erat, quod Augustinus locis dicta *Epist. 164.* ostendit, vbi Donatistas sic inducit loquentes, tum & eis respondet. *At enim* (sunt verba Donatistarum) *& malos Christianis non licet persequi. Esto* (respondet Augustinus) *non liceat: sed nunquid hoc Potestatibus, ad hoc ipsum ordinatis, fas est obiicere? an Apostolum delebimus? Sed vos, inquies:* (altera hæc est Donatistarum obiectio) *alibi* [potestatibus] *communicare non debetis? Quid ergo?* (respondet Augustinus) *vos Flauiano quondam Vicario partis vestræ homini, quia Legibus seruiens nocentes quos inueniret, occidebat, non communicastis?* Et sanè *l. 4. supr. de hæreticis*, idem Gratianus (Anno proximo 378. quod existimo) cœtus hæreticos dissimulatione Indicum agitari permissos testatur. Et verò ea lex (addatur & *lex 5. eod*) huic firmandæ lata videtur: & vtraque anterior aliqua lex antiquior aduersus cœtus hæreticorum confirmatur: *olim inquit, dicti, l. 4.* insinuus. Hac verò lege, *Nihil vt ab eo tenore sanctio nostra diminuat, qui dato dudum ad Nitentium præcepto fuerat constitutus.*

¶ Secundò, *Ecclesias*, quas adhuc nonnullas retinebant Donatistæ Ecclesiæ Catholicæ restituere iubentur.

¶ Tertiò, *loca* in quibus coierint confiſcari iubentur. Vbi notandum ad id delegiſſe eos *magnas domos* ſeu *fundos*: de qua confiſcatione Auguſtinus, *lib.* 1. *contra literas Petiliani*, *c.* 24.

¶ Tandem ſibi quiſque nocitura quod ſentit ſentire monetur: ſibique ſolis ſouere *virus* (nam ita repono) impiæ diſciplinæ. Quod omninò congruit, ſententiæ ſimul & verbis, *l.* 5. *ſupr. de hæreticis*, quæ biennio fermè poſt hanc legem data eſt.

¶ Et hæc quidem omnia Donatiſtas reſpiciunt. Neque enim audio Baronium exiſtimantem poſteriorem huiuſce legis partem ad Manichæos ſpectare: Nam imò tota legis ſeries contrarium oſtendit. Denique duo Donatiſtarum genera hic conſtituuntur: Vnum eorum, qui Eccleſias adhuc quaſdam contra fidem retinebant: Alterum eorum, qui de Eccleſiis licet expulſi, occulto tamen furore graſſabantur, loca magnarum domorum ſeu fundorum illicitè frequentantes.

¶ HONORII *lex in rebaptizantes.*

III. * Imppp. Arcad. HONOR. & Theod. AAA. Edictum."

REBAPTIZANTIVM non patimur deuios errores, &c. Dat. Prid. Id. Febr Rau. Stilichone II. & Anthemio COSS. [405.]

NOTÆ.

* Abeſt *hæc lex à Cod. Iuſt.* velut inanis, & neque quidquam ſanciens. Baronius quoque eam omiſit in ſuo anno. Iungenda autem illi *lex* 38. *ſupr. de hæreticis*: Imò & *lex* 4. & 5. *infr.*

"Henoticum ſeu de vnitate: de quo ad *d. l.* 38.

COMMENTARIVS.

HONORII tres in rebaptizantes conſtitutiones ſequuntur: & omnes quidem conſtitutiones in Donatiſtas, cuius in Donatiſtas plures aliæ extant *titulo de hæreticis*, & quidem vndecim, numero: de quo vide quæ nos ad *l.* 38. *eo tit.* Neque eo ſecius, ad alios quoque hæreticos rebaptizantes hæc ipſa lex generaliter pertinere videatur.

¶ Et cùm breuis eius & perſpicua ſit ſententia, & ſententiæ quàm legi propior, vtpote quæ neque definiat quid, neque ſanciat; atque ideò quoque à Cod. Iuſtin. abeſt, vnicum nobis id ſupereſt ſpectandum & notandum, quòd ea non ad Magiſtratum aliquẽ directa ſit, verùm *Edictum* dicitur. Nempe lex hæc, ſolemnis illius Honoriani Edicti de vnitate ſeu Henotici, per Africanas regiones Anno Domini 405. ad Patrum Africanorum Legationem (de quo ad *ll. proximas*) emiſſi, pars eſt: pariter vt *lex* 38. *ſupr. de hæreticis*, quæ proinde huic coaſſanda venit, ad quam plenè de hoc Edicto Henotico ſeu vnitatis dixi: cuius etiam mentio fit ab ipſomet Honorio *l.* 2. *infr. de religione*, in *canone* 99. *Codicis Africani*, & apud Idacium *iis ipſis COSS. qui huic legi ſubnotati.* Eo Edicto omnibus ab vnitatem commonitis, Donatiſtæ nominatim, vt & Manichæi damnati, coetúmque coetus prohibiti fuere: atque adeò & rebaptizantium error, propoſitis in eos ſeueriſſimis pœnis, ſi ad vnitatem non redirent: Quod præter *hanc legem*, & *d. l.* 38. oſtendent adhuc proximè ſequentes duæ *leges*, 4. & 5. quæ & ipſæ huic coniungendæ ſunt, velut eodem die datæ; etſi *ad Hadrianum PP.* directæ ſint: vt cæteroquin eadem operâ leges ad Magiſtratus emitti ſolitæ, exequendis Edictis quæ populo proponerentur vulgarentúrque. Tandem huius ipſius Edicti de vnitate, ſeu Henotici, pars quoque fors fuit ſententia conſtitutionis illius, quam memorat Auguſtinus *epiſt.* 166. quam Balduinus Conſtantino perperam tribuit *not. in Optatum*, *pag.* 82. cuius etiam verba nonnulla, conſignat. *Attendite* (Donatiſtas compellat) *quam manifeſtiſſimâ verate per cor Regis quod in manu Dei, eſt, ipſe Deus dixerit in iſta ipſa Lege, quam contra vos prolatam dicitis: eſt autem ſi intelligatis prolata pro vobis. Attendite quid habeant verba Principis. Nam ſi iis qui primò initiati ſunt, idcircò religio baptiſmatis indicatur infirma, quod ij à quibus accipitur, peccatores putantur, toties renouari neceſſe erit traditum Sacramentum, quoties indignus fuerit inuentus collati baptiſmi adminiſtrator & fides noſtra non ex noſtra voluntatis arbitrio, neque ex diuini muneris gratia, ſed ex meritis Sacerdotum & Clericorum qualitate pendebit. Faciunt mille Concilia Epiſcopi veſtri: huic vni ſententiæ reſpondeant*, &c.

¶ *Secunda* HONORII *lex in rebaptizantes.*

IV. * Idem AAA. Hadriano PF. P.



ADVERSARIOS Catholicæ fidei extirpare huius decreti auctoritate proſpeximus: Ideóque intercidendam" ſpecialiter eam ſectam nouã" Conſtitutione cenſuimus, quæ * *hæreſis*" vocaretur, appellationes" ſchiſmatis præferebat. Intantum enim ſceleris progreſſi dicuntur ij, quos *Donatiſtas* vocant, vt baptiſma ſacroſanctum," myſteriis recalcatis," temeritate noxiâ, iterent, & homines ſemel, vt traditum" eſt, munere" diuinitatis ablutos, contagione profanæ repetitionis infecerint: ita contigit, vt hæreſis ex ſchiſmate naſceretur. Inde malè credulas mentes ad ſpem ſecundæ indulgentiæ blandus error inuitat: Facilé" eſt enim

enim persuadere peccantibus, veniam prius præstitam denuò posse præstari: quæ si concedi iterum eodem modo potest, non intelligimus cur tertio denegetur. Hi verò & seruos, vel homines iuri proprio subditos, iterati baptismatis polluunt"sacrilegio. ¶ Quare hâc lege sancimus, *Vt* * *quisquis post hæc fuerit rebaptizasse" detectus, Iudici, qui Prouinciæ præsidet, offeratur, vt facultatum omnium publicatione multatus, inopiæ pœnam*, quâ in perpetuum adficiatur, *expendat*: Ita vt *filiis* * eorum, si à paternæ societatis prauitate dissentiunt, ea quæ fuerint paterna non pereant, vt" si ipsos forsitan sæuitas" paternæ deprauitatis" in" iudicantis ac reuerentiæ ad Catholicam religionem malunt, adipiscendorum his honorum copia non negetur. ¶ Ea * prætereà *loca* seu prædia, quæ feralibus sacrilegiis deinceps constiterit præbuisse secretum, fisci viribus applicentur, si tamen dominus aut domina, aut præsens fortè fuisse, aut consensum præstitisse probetur," quos quidem iuxta" etiam præsentiam" notauit infamia. ¶ Si * verò his nesciis per Conductorem Procuratorémve eorum in domo agitatum huiusmodi facinus comprobatur, præiudicio à prædiorum publicatione suspenso, implicitii sceleris auctores" coërciri plumbo, exilium, in quo omni vitæ suæ tempore afficiantur, accipient." ¶ Ac * ne forsitan sit liberum conscienciam piacularis perpetrati" intra domesticos parietes silentio celare secreto, his" qui forsitan ad rebaptizandum cogentur, refugiendi ad Ecclesiam Catholicam sit facultas, vt eius præsidio, aduersus huius criminis & societatis auctores, attributæ libertatis præsidio, defendantur, liceátque his sub hac conditione fidem tueri, quam extorquere ab inuitis domini temptauerint; nec adsertores dogmatis Catholici ea, quâ ceteros qui in potestate sunt positi, oportet ad facinus lege constringi; & maximè conuenir omnes homines sine vllo discrimine condicionis aut status infusæ cœlitùs sanctitatis" esse custodes. ¶ Sciant * ij verò qui à" supradictis iterare baptisma non timuerint, aut qui consentiendo hoc facinus propriâ huius societatis permixtione damnauerint," non solùm testandi sibi, verùm adipiscendi aliquid sub specie donationis, vel agitandorum contractuum in perpetuum copiam denegatam, nisi prauæ mentis errorem reuerendo" aduersus fidem consilio emendatio correxerit. ¶ Illos * quoque par nihilominus pœna constringit," qui memoratorum interdictis cœtibus seu ministeriis præbuerint conhibentiam: Ita vt Moderatores Prouinciarum, si in contemptum sanctionis huiusmodi consensum putauerint commodandum, sciant se viginti librarum auri" multandos: Officia etiam sua simili condemnatione subiuganda: Principales vel Defensores ciuitatum, nisi id quod præcipimus fuerint exsecuti," vel his præsentibus Ecclesiæ Catholicæ vis fuerit inlata, eadem multa se nouerint adnnendos. Dat. Prid. Id. Febr. Rau. Stilichone II. & Anthemio coss. [405]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus suis inseruit Baronius *Anno D.405. num.25.26.* Iungenda autem huic *lex 5. prox. infr.* Imò & *l.3. supr* & *l 38. infr. de hæret.*

"vetus Codex *introducendam*, quod non probo.

"hâc scilicet.

" ※. *qua ne hæresis vocaretur*: Et ita ex Pithœano vel Corbeiensi edidit Sirmondus *in Append. Cod. Theod. n.12.* vel *antequam hæresis.*

" ※. *appellationem.*

"*semel apud Catholicos traditum.* Hæc Sirmondus hoc loco ex prædictis Codicibus addidit.

"*recalcatus*: ita nonnulli, & in his Sirmondus. Male: *recalcatu*, id est, iterum calcatis.

"vid. quæ notaui ad *l.1. supr.*

"*Munus diuinum* est baptisma Ita pariter Imperator in alia constitutione aduersus Donatistas latâ, referente Augustino *epist.166.* *Et fides nostra non ex nostra voluntatis arbitrio, neque ex diuini muneris gratia, sed ex meritis Sacerdotum & Clericorum qualitate pendebit.*

'Arnobius *lib.7. p.271.* *Crescit multitudo peccantium cum redimendi peccati spes datur: & facilè itur ad culpas, vbi est venalis ignoscentium gratia.*

* Hæc repetuntur *l. prox.* Prima autem hæc & secunda huiusce *l.* sententia est: de offerendis Iudici Donatistis, déque Bonis eorum.

"rebaptizasse *d.l. prox.*

"Hæc sententia de *Filiis Donatistarum*, pendet à superiore.

" ※. *Et.*

" ※. *feuitas*: vide *Glossarium.*

"*deprauitas*, pro ingenti prauitate: vide *Glossarium.*

"Locus hic corruptissimus cum sic restituo: *implicuit*, vel *inquinauit*, vel *inludificauit*, *ac reuerti nunc ad* de quo mox. Sanè Sirmondus è Pithœano vel Corbeiensi ita edit. *deprauationis implicait ac reuerti ad*, &c.

* *Tertia* sententia de *Locorum*, in quibus baptisma à Donatistis iteratum, confiscatione.

"*prodetur*, ita edidit Sirmondus. Hoc nostrum probum.

"Et qui textabat *iusta*: Sirmondus ita edidit: *quos quidem iustam etiam per sententiam notabit infamia.* Quod non respuo: nisi quod *iusta* potius placet: vel etiam *iniusta.*

"*præsentissima.* " ※ *notabit.*

* *Quarta* sententia de *Conductoribus* & Procuratoribus, conseq.

"*Auctores*: vid *Gloss. Theod.*

"*accipiet*: Sirmondus, malè.

* *Quinta* sententia, de *seruis* & colonis, déque perfugio eis ad Ecclesiam concesso.

"*Flagitij*: hanc vocem addit Sirmondus. "Seruis.

"*Sexta* sententia de iure *testandi*, donationum, contractuum Donatistis denegato.
"ϰ. è ex. Ita Sirmondus.
"*non damnauerint*: Locum hunc ita edidit Sirmondus: *aut qui consentiendo hoc faciunt propriam huius societatis permixtionem damnauerint.*
"*errorem reuerendam aduersus fidem, consilij emendatio*: vel *reuertendo rursus ad fidem, consilij emendatio.* Sirmondus ita: *nisi praua mentis errorem reuertendo ad veram fidem consily emendatione correxerint.* Quidam ita, *errore reuerendo ad veram fidem consilio, emendatio correxerit.* Ego ita: *nisi praua mentis errore, reuertendi ad veram rursumfidem consilio, emendatio correxerit.*
* *Postrema* sententia, de *coniuentibus Magistratibus.*
"ϰ. *constringet*, *constringat* Sirmondus.
"*Pœna esse multandos*, ita.
"*persecuti*, al.

¶ *Tertia* HONORII *lex in rebaptizantes.*

V. * Idem AA. Adriano PF. P.

NE diuinam gratiam," sub repetito baptismate pollutam, Donatistarum secreta violarent," &" fallendi occasionem, seueritate huius præceptionis, abolemus," statuentes, vt cetera" huiusmodi homines pœna sequatur, legisque censuram experiantur vltricem qui in Catholicam religionem peruerso dogmate commisissent." ¶ Iubemus igitur, *Vt * si qui posthac fuerit rebaptizare" detectus, Iudici qui Prouinciæ præsidet offeratur, vt facultatum omnium publicatione multatus inopiæ pœnam expendat*, &c. Dat. Prid. Id. Febr. Rauennæ, Stilichone & Anthemio COSS. [405.]

NOTÆ.

* Iungenda, vt dixi, hæc lex superiori, &c. quinimò & pars *huius leg.* ex superiore descripta.
"*Gratiam*, de baptismate *hâc leg.* & *l.* 1. 2. *supr. hoc tit.* *l.* 5. *infr. de Apostatis.*
"an. *violent*, vel violare audeant.
"id est, etiam.
"*Cætera* pœna in singulari pro cæteris pœnis: nisi quis malit, *certa*: *Certa*, autem mox vt subijcit: *Iubemus igitur*, &c. Quod non puto.
* Hæc vt dixi ex *l. super.* descripta.
"*rebaptizasse* d. l. super.

COMMENTARIVS.

HONORIANÆ constitutionis, ad Adrianum PP. emissâ, aduersus anabaptismum Donatistarum, eorundémque hâc parte vim & fallaciam, Anno D. 405. latæ, hæ duæ partes sunt: & quidem eodem die finéque emissæ, quo Henoticum edictum, cuius pars est *lex* 3. *supr.* & *l.* 38. *supr. de hæreticis*, quibus proinde hæ duæ quoque coassandæ veniunt. Nempe, quod ad *d. l.* 3. quoque iam indicaui, eodem semper fine & Henoticum Edictum ad populum per Africanas Prouincias propositum, Donatistis ad vnitatem adducendis, innitandis: & hæc constitutio nostra, ad frangendam eorum contumaciam, audaciam, *fallendique occasionem* (vt *l.* 5. dicitur) præcidendam. Hâc scilicet duplici via Honorius Donatistas hoc tempore adgredi instituit, & Edicti monitorio, & pœnarum seueritate, vt expressè dicitur *l.* 5. emissâ constitutione ad Adrianum PP. qui seueritatem *huius leg.* exerceri curaret, per Moderatores Prouinciarum: Officiales, Principales, Defensores: de quo *fine leg.* Mirum tantùm ab huic Codicis conditoribus in duas leges eam constitutionem hîc discerptam: & posteriore quidem, eandem sanctionem totidem verbis reperi, quæ priore iam continebatur.

¶ Antequam ad ipsam constitutionis dispositionem accedo, duo præstanda præmittendáque sunt. Primò tenendum, hanc constitutionem, vt & Henoticum illud Edictum, emissa ab Honorio Imper. ad Legationem Concilij Carthaginensis quod habitum fuit Anno superiore 404. Honorio A. VI. & Aristæneto Coss. 6. Kal. Iulias. Quod vt ipsa temporum ratio suadet, ita fidem omninò faciunt capita Legationis istius, eáque quæ ab Imp. Honorio Legatis petenda commissa fuerunt comprehensa eo Commonitorio quod extat in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ *c.* 93. posteà ostendemus.

Secundo loco spectanda nobis ea veniunt, quibus confodere, & confundere nititur Honorius his legibus Donatistas & eorum anabaptismum; contrà quibus fidem Catholicam, legitimúmque & singularem baptismi vsum commendatum it: atque adeò rationes quibus eum adstruit.

¶ Singulares ante omnia, variásque *baptismatis* appellationes, quæ hîc vsurpantur, colligere in vnum iuuat. Vocat scilicet id 1. *Mysterium.* 2. *Munus* diuinitatis 3. *Indulgentiam* 4. Infusam cœlitus *sanctitatem* 5. Diuinam *gratiam*: (de quâ *gratia* appellatione dixi iam ad *l.* 1. *supr.*)

¶ Procedant dein ea quibus odium suum Honorius aduersus Donatistarum sectam & anabaptismum passim profitetur, verborúmque adeò atrocitate ea confodit: Vocat eos, Aduersarios Catholicæ fidei: Eos extirpare huius decreti auctoritate prospexisse se: Intercidendam (non *interdicendam*, vt quidam reponunt) specialiter eam sectam: Scelus, temeritatem, noxiam prauitatem eis tribuit; Contagione profanæ repetitionis ablutos inficere ait: Iterati baptismatis sacrilegio polluere: Sæuitatem deprauitatis imputat, feralia sacrilegia, facinus, piaculare perpetratum, crimen, prauæ mentis errorem, gratiam sub repetito baptismate pollutam, peruersum dogma.

¶ Iam, summoperè notandum quod ad historiam Donatistarum pertinet, simul & ad hæreticos

ſeos & ſchiſmatis differentiam. Nempe ait, Donatiſtas *ſectæ ſuæ prætuliſſe appellationem ſchiſmatis*, & tenere tamen *hæreſim ex ſchiſmate ortam*, dum anabaptiſmum inuehunt. Quod hæreſeos & ſchiſmatis differentiam attinet, eſt ea iam ſatis nota, ex obuiis veterum teſtimoniis, Cypriani in his, Auguſtini & Balſamonis. Vetus ſaltem Auctor dialogi ſeu Conſultationis aut altercationis author inter Apollonium Philoſophum & Zachæum Chriſtianum *lib.2.* de Nouatianis agens: *Fuerunt hi aliquando nobiſcum, ſed Nouato quodam auctore diſrupti ſunt: non tamen hæreticis æquandi, quia non à confeſſione Catholica, ſed à charitate diſſentiunt, atque in ſolam pietatem rebelles Dei miſericordia ſubtrahunt, quos ſemel inimici laqueis irretites reſtitui non admittunt, mundos ſe, atque vt ipſorum verbo vtar, Catharos vocant, & conuentus extra Eccleſiam contrahunt.* Par ratio Donatiſtarum, & ſchiſmatis eorum: de quo videndus vel Optatus Mileuitanus. Sed enim, vt *hic leg.* dicitur *hæreſis ex ſchiſmate nata eſt*, vt fermè alias adſolet. Nempe notum, Donatiſtas nullo primùm de religione ſeu capite diſſidio, ab Eccleſia tantùm Catholica, & ſic à corpore receſſiſſe: verùm poſteà ſchiſmati hæreſin & obſtinationem, anabaptiſmo inuecto, odio Catholicorum, ſuperinduxere & *in tantùm ſceleris progreſſi ſunt*, quod & Auguſtinus non vno etiam loco tradit: inter alia *epiſtola* 164. vbi ait: *eos ſchiſmatis crimen, etiam hæreſin, male perſeuerando feciſſe.*

¶ Notandæ etiam Honorij *Rationes.* è mediâ Theologiâ in anabaptiſmum, ab Epiſcopis quos proculdubio in conſilium adhibuit ſuggeſtæ: præter generales, quæ etiam aliis legibus continentur, iſta planè Theologica: *Inde*, inquit, *malè credulas mentes ad ſpem ſecundæ indulgentiæ blandus error inuitat: facilè eſt enim perſuadere peccantibus, veniam prius præſtitam denuo poſſe præſtari: quæ ſi concedi iterum eodem modo poteſt, non intelligimus, cur tertiò denegetur.* Huc pertinet illud Tertulliani *lib. de baptiſmo. Semel baptiſmum inimus, ſemel delicta diluuntur, quia iterari ea non oportet.*

¶ Antequam etiam de mediis agimus, atque ideò de iuſta Honorij his legibus ſeueritate ad cohibendum anabaptiſmum, videndum quouſque Donatiſtarum ſcelus ſeu facinus vel fallacia hâc in re proceſſerint. Nempe domos, loca ſeu prædia ſeligebant, quæ feralibus ipſorum ſacrilegiis præberent ſecretum; idque ſi non dominis, at Conductoribus, Procuratoribus eorum conſentientibus, quos in partes ſuas trahebant: & ſic conſcientiam piacularis perpetrati intra domeſticos parietes ſilentio celabant ſecreto: ſeruos item ſuos ad id inuitos cogebant: tandem & conniuentes ſibi ſæpè in officio conſtitutos habebant. Hæ tres fallaciæ rebaptizantium erant.

¶ His igitur, horúmque temeritati, imò omni *fallendi occaſioni*, vt dicitur *l.5. hoc tit.* iuſtam ſeueritatem & prouiſionem opponit his Legibus Honorius, ſeptémque adeò media & remedia: cui omninò ſimilis eſt eiuſdem Honorij lex biennio poſt 40. *ſupr. de hæreticis*, in Manichæos, Frygas, Priſcillianiſtas. Primò, publicam hanc accuſationem facit, dum in vtraque *l.4. & 5.* ſtatuit, eos qui rebaptizaſſe detecti fuerint, Iudici qui Prouinciæ præeſt offerendos: & mox addit, maximè conuenire omnes homines ſine vllo diſcrimine conditionis aut ſtatus, infuſæ cœlitus ſanctitatis eſſe cuſtodes: de quâ publicâ hæreſeos, vt & Apoſtaſiæ accuſatione, *ſuis titulis.* Et ſic humanum quodammodo genus omne in hos animat. Secundò, rebaptizantes, bonis ſuis multari iubet, quæ fiſco adquirantur, niſi filios iam Orthodoxos habeant, vel qui fieri ſerò velint.

Tertiò, *loca* in quibus rebaptizatio facta fuerit, domino ſciente, conſentiente confiſcari imperat: imò & dominum infamiâ notari. Quartò, Conductores, Procuratores conſcios plumbatis cæſos, in perpetuum exiliū dandos. Quintò, Seruis & Colonis, quos domini ad anabaptiſmū cogere velint, Eccleſiæ perfugium patere debere, & ad libertatem ideò peruenire, ſeu, vt loquitur, *attributa libertatis præſidio defendi.* Quod quidem adiectum videri poſſit, propter Criſpinum Calamenſem Donatiſtarum Epiſcopum, qui Colonos quoſdam mercede attractos rebaptizauerat: de quo Auguſtinus *epiſtola* 173. & *contra literas Petiliani, cap.* 88. Et hic interim caſus aliis addatur, quibus Serui & Coloni pro præmio libertatem adipiſcuntur. Sextò, teſtandi, adipiſcendi aliquid ex donatione, vel contrahendi ius rebaptizantibus, quique eorum cœtibus ſeu miniſteriis præbuerint conniuentiam, in errore permanentibus, adimit. Quod ad Patrum Africanorum petitionem & Legationem ſancitum: ſic enim illi in commonitorio Legatis dato. *Petendum etiam, vt Lex quæ hæreticis, vel ex donationibus vel ex teſtamentis aliquid capiendi vel relinquendi denegat facultatem, ab eorum quoque pietate haſtenus repetatur, vt eis relinquendi vel ſumendi ius adimat, qui pertinacia furore cæcati in Donatiſtarum errore perſeuerare voluerint. Cæterùm illis, qui conſideratione vnitatis & pacis ſe corrigere voluerint, abſque interdicto huius legis capiendæ ius hæreditatis pateat, ſi adhuc in errore hæretico conſtitutis aliquid ante donationis vel hæreditatis obuenerit:* vbi vides eandem quoque Exceptionem: *Niſi*, inquit, *Honorius, prauæ mentis errorem reuertendo rurſus ad fidem conſilij emendatio correxerit.* Ergo reuertentibus ad fidem Catholicam & ipſis, & eorum filiis ſupra venia data: Et ſic poſt propoſitas pœnas ſeueriſſimas veniæ ſpe, Donatiſtarum pertinaciam frangi poſſe credidit Honorius: Et limitatio tamen quædam addita à Patribus Africanis: *his ſanè exceptis, qui lite pulſati putauerint ad Catholicam tranſeundum: quia de talibus credibile eſt, non metu cœleſtis iudicij potius, quàm terreni commodi auiditate vnitatem Catholicam præoptaſſe.* Quod tamen Honorio diſplicuit Anno 407. in *l.41. ſupr. de hæret.* quæ hanc in rem eſt elegantiſſima & humaniſſima.

¶ Poſtremò Rectoribus Prouinciarum, Officialibus eorum, Principalibus, item & Defenſoribus hanc curam iniungit, multámque adeò minatur Honorius, *huic* rei conniuentibus, vel vim non arcentibus. Quod tralatitium, & quidem eidem Honorio geminâ germana *leg.* ab eodem Honorio Imp. *l.40. ſupr. de hæret.* ſimiliter in negotio Manichæorum Phrygum, ſiue Priſcillianiſtarum vſurpatum, vt & *l*[illegible] *eod tit.* & *l.46.* ſimiliter vt iiſdem iniunxit vt vim à Iudæis & Gentilibus amolirentur, in quiete degentibus, *l.24. infr. de Paganis*, ita & à Patribus Africanis poſtulatum: ſic enim in Commonitorio. *Sed nos illud poſcimus vt Catholicis Eccleſiis Ordinum* (& ſic Principalium) *per Ciuitates ſingulas, & vicinorum quorùmque Poſſeſſorum per diuerſa loca ſine ullâ diſſimulatione Tuitio præbeatur.* Et mox. *Ad hæc autem omnia præſidio opus eſt Poteſtatum ſuarum quarumcunque Prouinciarum.* Quatuor hæc ſcilicet hominum genera in Prouinciis erant, qui oppreſſis Tuitionem præbere debebant quoſque vigilare oportuit, ne quid aduerſus leges admitteretur: de Defenſoribus, vid. quæ in Paratitlon *tit. de Defenſorib.* congeſta ſunt: de Principalibus, vide Paratitlon *de Decurionib.*

THEODO

¶ THEODOSII Iun. *constitutio in anabaptismum.*

VI. * Impp. Honorius & THEOD. AA. ad Anthemium PF. P."

NVLLVS rebaptizandi scelus adripiat, nec eos qui Orthodoxorum ritu" fuerint initiati cœno profanatarum religionum hæreticorúmque sordibus polluere moliatur: Quod licet fidam" metu seuerissimæ † interminationis à nullo penitus, ex quo interdictum est, fuisse commissum, tamen, vt prauæ mentis homines ab inlicitis temperent vel coacti, volumus renouari, Vt si * quis rebaptizasse," "ex" quo Lex lata est, quempiam de mysteriis" Catholicæ sectæ fuerit detectus, vnà cum eo qui piaculare crimen" commisit, si tamen criminis per ætatem capax sit, cui" persuasum sit, statuti prioris" supplicio percellatur. ¶ Illud * etiam, quod à retrò Principibus dissimulatum, & in iniuriam sacræ legis ab exsecrandis hominibus agitatur, & ab iis potissimum qui *Nouatianorum* collegio desertores ac refugæ, auctores se quàm potiores" memoratæ sectæ haberi contendunt, quibus ex crimine nomen est, cùm se *Protopaschitas* appellari desiderent, inultum esse non patimur, Sed si alio die Nouatiani, quam quo Orthodoxorum Antistites prædicandum ac memorabilem in sæculis" diem Paschæ duxerint celebrandum, auctores illius conuentionis" deportatio pariter ac proscriptio subsequatur: contrà quos acrior etiam pœna fuerat promulganda: si quidem hoc delictum etiam hæreticorum vesaniam superet, qui alio tempore, quàm quo Orthodoxi Paschæ festiuitatem obseruantes, alium penè Dei Filium, non quem colimus, venerantur. Dat. XI. Kalend. April. CP. Lucio v. c. COSS. [413.]

NOTÆ.

* Meminit *huius* quoque *legis* Baronius, Annalibus *Anno* 413. *num.* 18. *seu vltim.* Porrò iungendam censeo cum *l. prox.* 7. *infr.*

"Orientis.

"fide imbuti *l. prox.*

"confidam.

† Quænam lex illa, cuius mox rursum mentio fit?

* *Lex* 12. *Cod. hoc eod. tit.* hinc desumpta est.

"*rebaptizare*, Cod. Iustin.

"*ex quo lex lata est*: velut ἀτόνναυς hæc absunt à Cod. Iust.

"*ministris*, Cod. Iust. male: nam & in aliis nonnullis rectè *mysteriis*. *de mysteriis* autem, id est, Orthodoxorum ritu initiatum: vt *initio leg.* fide imbutum, *l.* 7. *prox.* & apertè *l.* 65. *supr. de hæretic.* qui Orthodoxorum sunt initiati mysteriis: de hâc mysteriorum voce plura ad *l.* 5. *supr. de hæretic.*

"id est, cum his qui rebaptizantur, vt *l. prox.* quæ hanc indicat.

"*& hic cui*: ita Cod. Iust. quod nil opus erat, imò hunc versiculum qui cohærere debet versiculo, si tamen, malè diuellit.

"*vltimo supplicio*: ita Cod. Iust. & rectè vt puto.

* Fugitiua & hæc *huius leg.* pars, & ad *tit. de hæreticis*, referri debuit.

" Ita *l.* 5. *supr. de lustrali conlat.* *Potiorum quoque homines vel potiores*, & mox cum potiorum quisque, &c. vbi vide quæ dixi: vid. Item *l.* 2. *supr. de publ. comparat.* Et quid si hic legamus, *portiones*?

"*in sæcula.*

"cœtus, conuenticuli.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. duæ constitutiones sequuntur, & quantum quidem existimo inter se coniungendæ; quibus & hoc commune est; vt potissima eorum pars ab hoc titulo fugitiua sit, atque in titulum de hæreticis coniici potius debuerit. Hâc lege constituuntur. Primùm POENÆ seo supplicium in iterantes baptismum vel iterari consentientes, recenratur: & quidem seuerissimum, antehote quadam lege constitutum fuerat, quæ mihi lex illa videtur, eiusdem Theodosij Iunioris, vnde *lex* 49. *&* 50. *supr. de hæretic.* desumpta sunt. Nam & ea ipsa de Euuomianis est, Histapodibus, baptisma iterantibus, ad quas vtique hæc lex pertinet pariter, vt lex proximè sequens, quanquam & Nouatianis aptàri ea possit, vti apertè alterum *huius leg.* caput de iis est.

¶ De cætero obseruandum, hanc pœnam imponi seuerissimam, non omnibus baptisma iterantibus, verùm his qui Orthodoxorum ritu seu mysteriis iam initiatos baptizarent; quod præter *hanc legem & sequ.* docet insuper eiusdem Theodosij Iun. Constitutio, putà *l.* 65. *supr. de hæretic.* proculdubio enim impunè cessit rebaptizantibus, si quos ex hæreticis, veluti Arianis ad sectam suam concedentibus rebaptizassent; quod Eunomianos fecisse ostendi, ad *l.* 17. *supr. de hæret.* Tandem ne de Eunomianis plura dicam, huc arcessi oportet, quæ ad *eam legem* plenius dixi.

Secundo capite, quod ab hoc titulo fugitiuum est, NOVATIANI potissimum perstringuntur, atque in his *Protopaschitæ*: quanquam & omnes alij hæretici, qui in venerabili die Paschæ à Catholicis dissentiebant, & notanda mira Theodosij hunc errorem perstringentis atrocitas, cum ait, *hoc delictum etiam hæreticorum vesaniam superare, cum alio tempore, quàm quo Orthodoxi Pascha festiuitatem obseruantes alium penè Dei Filium, non quem colimus venerentur.* Quinimò & eo nomine retrò Principes suggillat, qui hæc in iniuriam sacræ legis ab exsecrandis hominibus agitari dissimula

ſimulauerint : Quanquam contra ſtat Theodoſij M. *lex* 9. *in fine ſupr. de hereticis*. Quæ ſanè eſt Theodoſij Iun. nimietas quædam. Quanquam & hæc de Paſchatis die controuerſia veterem Ecclesiam ſæpè colliſit. Hactenus quidem crimini id rectè deputatur, quod in diuerſa ab Eccleſia ire & in ſchiſma inuehere, Eccleſiæ vnitas non patitur.

¶ De NOVATIANIS interim & PROTOPASCHITIS iſtis (qui & *Sabbatiani*) de quibus eſt etiam *lex* 24. *infr. de Paganis*, & *lex* 59. 65. *infr. de hereticis* : & de quibus fusè agunt Socrates *lib.* 5. *cap.* 20. & *lib.* 7. *cap.* 5. 12. 18. 25. & Sozomenus *lib* 7. *cap.* 18. ex hac lege, quæ omnium antiquiſſima eſt, hæc obſeruentur. Primò, Protopaſchitas iſtos fuiſſe ſectam Nouatianorum & ex Collegio deſertores ac refugas fuiſſe, quod certè de Sabbatianis Socrates & Sozomenus aiunt. Nempe *Sabbatiani* à Sabbatio, de quo Socrates & Sozomenus. Protopaſchitæ ex errore, *quibus* inquit hæc lex *ex crimine nomen eſt*. Nempe error eorum circa Paſcha erat : nam morem Iudæorum circa azyma ſeruabant & Paſcha eodem die cum Iudæis celebrabant : ducto iam inde initio huius erroris à Valentis temporibus ex Concilio, quod habitum à paucis Nouatianis in Pazo vico Phrygiæ ad Sangarium fluuium, teſte Socrate & Sozomeno, qui renouatus à Sabbatio ſub Theodoſio M. Et proculdubio primum *Protopaſchitæ* audierant (vt hæc lex docet) mox poſt mortem Sabbatij, quem præcipuo honore habuerunt, Sabbatiani, de cuius morte & honoribus ei delatis eſt hiſtoria Anno 413. (quo & ipſo data *dict. l.* 59. *ſupr. de hereticis* :) vide Socratem *lib.* 7. *cap.* 25. Cur autem *Protopaſchitæ* appellari deſiderabant? Nempe quia anteuertebant Chriſtianorum aliorum Paſcha & quidem vt illi volebant ex primo omnium inſtituto : aduerſus quod vide quæ Socrates & Sozomenus.

¶ *Secunda* THEODOSII Iun. *conſtitutio in anabaptiſmum.*

VII. * Idem AA. Anthemio PF. P.

NEFARIOS" Eunomianorum cœtus, ac funeſta conuenticula, penitùs arceri iubemus. Eos qui, Epiſcoporum," ſeu Clericorum, vel Miniſtrorum nomine vſurpato, huiuſcemodi cœtibus præſunt, quorúmve in domibus ſeu in agris conuenticula Eunomianorum celebrantur inlicita, (ſi non ab hoc facinore ignoratione defendantur,) cùm in hoc fuerint ſcelere deprehenſi, ſtilum proſcriptionis incurrere & bonorum amiſſione coërceri." ¶ Eos verò qui fide, vt dictum" eſt, imbutos immani furore rebaptizare deteguntur, cum his qui rebaptizantur, ſi" hac ſint ætate cui crimen poſſit opponi," &c. Dat. IV." Kalend. April. Lucio V. C. CONS. [413.]

NOTÆ.

* Meminit quoque *huius leg.* Baronius *Anno D.* 413. *num. vlt.* Et iungenda huic *lex ſuperior*.
"Fugitiua eſt potiſſima *huius leg.* pars : nam etſi Nouatiani & ipſi de anabaptiſmo notabiles eſſent, tamen vltimus tantùm *huius leg.* verſiculus eò pertinet.
"vid. *l.* 36 *in fin. ſupr de hereticis*, quæ & ipſa eſt de Eunomianis.
"Repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *iubemus*.
"Hæc verba relatiua, euincunt, *hanc leg.* cum ſuperiori coniungendam.
"Ita quoque ſuperiori *l. ſi tamen criminis per ætatem capax ſit, cui perſuaſum ſit*.
"quæ ſcilicet *ſuperiori leg.* continentur, quæque hic repeti fruſtrà foret.
"Alterutrius *leg.* ſubſcriptio emendanda : quanquam huius potius.

COMMENTARIVS.

IN EVNOMIANOS hæc pariter vt ſuperior, eſt Theodoſij Iun. conſtitutio : imò vtraque ex eadem conſtitutione deſumpta eſt, & Codicis huius conditores oſcitantiæ cuiuſdam arguit, & quidem duplicis dum eadem *fine legis* repetuntur, quæ iam *ſuperiore leg.* dicta fuerant, gemino errore, qui ab iiſdem admiſſus circa *l.* 4. *&* 5. *ſupr. hoc ipſo titulo* : & dum fugitiuam potiſſimâ ſui parte legem in hunc titulum coniecerunt ; de cœtibus Eunomianorum prohibitis, déque proſcriptionis pœna Antiſtitibus eorum, domúmve his præbentibus impoſita, quæ in *titulum de hereticis* coniecta oportuit. Quod Eunomianorum baptiſmum attinet iam ad *l. ſuper.* de eo quoque eſſe videntur *lex* 31. 32. *ſupr. de hereticis*.

DE APOSTATIS.

TITVLVS VII.

I. Cod. ivst. VII. Addenda huius tituli Legibus (Paratitli vice) *lex 1. in fin. infr. de Iudæis: lex 7. d. tit. de Iudæis*, (quæ eſt in Cod. Iuſtin. *lex 1. hoc tit.*) & *lex 11. ſupr. de fide teſtium*, (quæ deſumpta eſt ex *l. 4. hoc tit.*) Subiicitur autem hic titulus ſuperiori, ob hanc quoque cauſam, quòd Apoſtatarum nonnulli, & maximi quidem, baptiſma profanarent: vt docet *lex 2. 4. hoc tit.* Sed & medio loco, inter hæreticos, Iudæos, & Paganos hic titulus poſitus eſt, quia Apoſtatæ in hos tres ritus tranſeunt.

PARATITLON.



Postatæ, *Rubr.* & *l. vltim. hoc tit.* dicuntur violatæ atque deſertæ Chriſtianæ religionis rei *l. 3. hoc tit.* eorúmque crimen *præuaricationis* nomine deſignatur *d. l. 3.* Sacrilegum nomen eorum dicitur *l. vlt. hoc tit.*

¶ Trium porrò generum Apoſtatæ reperiuntur, pro ratinne ſtatus videlicet, ad quem tranſirent (quâ cauſa vt iam dixi, titulus hic poſitus eſt in medio titulorum *de hæreticis, de Iudæis, & de Paganis.*) I. Alij quippe ex Chriſtianis *Pagani* fiunt, de quibus agitur omnibus huius tituli legibus: qui ſcilicet ad Paganos ritus cultúſque migrant, *l. 2.* venerabili religione neglecta ad aras & templa tranſeunt *d. l. 2.* in ſacrilegia templorum tranſeunt *l. 3. hoc tit.* nomen Chriſtianitatis induti ſacrificia faciunt *l. vltim. hoc tit.* à ſacroſanctæ religionis cultu & reuerentia deſciſcunt, ac ſe ſacrificiis mancipant *l. 5.* idolorum ſuperſtitione impiâ ſe maculant *l. 6. hoc tit.* II. Alij Apoſtatæ ſunt, qui in ritus *Iudaicos* tranſeunt, ſeu qui Chriſtianæ religionis & nominis dignitate neglecta Iudaicis ſemet polluunt contagiis *l. 3. hoc tit.* quò etiam pertinet *lex 1. & 7. infr. de Iudæis.* III. Tertium Apoſtatarum genus cenſebatur eorum, qui ex Chriſtianis *Manichæorum* nefanda ſecreta & ſceleroſos ſectari malebant receſſus *l. 3. hoc tit.*

¶ Ratione verò ſtatus, à quo Apoſtatæ tranſibant, duo genera Apoſtatarum erant: Vnum eorum, qui ex *Fidelibus* Apoſtatæ fiebant: *l. 2. hoc tit.* id eſt, qui iam baptizati à fide Chriſtiana recedebant, & ſanctum baptiſma profanabant, qui ſanctam fidem prodere dicuntur *d. l. 4.* fide deuij deſciſcere *d. l. 5.* quorum etiam maius crimen & pœna erat: de quibus *l. 2. 4. hoc tit.* & *l. 11. ſupr. de teſtium*: Alij verò *Catechumeni* tantùm, qui ſcilicet nondum baptizati deficiebant *d. l. 2.*

¶ Pœnæ in Apoſtatas Chriſtianorum Impp. conſtitutionibus variæ conſtitutæ fuerunt. Pœnas meritas in genere comminatur Conſtantinus Magnus iis qui ex Chriſtianis Iudæi fierent *l. 1. in fin. infr. de Iudæis.* Iiſdem bonorum proſcriptionis pœnam impoſuit Conſtantius *l. 7. infr. de Iudæis.* Theodoſius Magnus Apoſtatis qui ex Chriſtianis Pagani fierent teſtamenti condendi, éxque teſtamento capiendi ius ademit *l. 1.* ſub quadam tamen diſtinctione *l. 2. hoc tit.* vt & Valentinianus Iun. omni Apoſtatarum generi: & inſuper vt inteſtabiles eſſent *l. 3. 4.* & perpetua infamia inuſti omni dignitate ſpoliarentur *l. 5. hoc tit.* & *l. 11. ſupr. de fide teſtium*: ac nominatim ex Chriſtianis Pagani facti, vt teſtandi ius non haberent in alios, conſtituit Arcadius *l. 6. hoc tit.* Quinimò Valentinianus III *lege 7.* ſeu *vltim. hoc tit.* vt nec donandi nec vendendi in fraudem legis ius haberent. Accuſatio denique Apoſtaſiæ cum temporaria initio fuiſſet *l. 3.* tandem perpetua facta eſt *d. l. vlt.* Tandem, cùm nouem omninò in Apoſtatas conſtitutiones hoc Codice occurrant, eſt 1. Conſtantini Magni *lex 1. infr. de Iudæis.* 2. Conſtantis *lex 7. de Iudæis.* 3. Theodoſij Magni *l. 1. 2. hoc tit.* 4. Valentiniani Iun. *l. 3. 4. 5. hoc tit.* 5. Arcadij *l. 6. hoc tit.* 6. Valentiniani 3. *l. 7. ſeu vlt. hoc tit.*

¶ Theodosii Magni *prima constitutio, in Apostatas, qui ex Christianis* Pagani *facti sunt.*

1. * Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. ad Eutropium PF. P."

His qui ex Christianis Pagani facti sunt, eripiatur facultas iúsque testandi: Omne defuncti, si quod est, testamentum, submotâ condicione, rescindatur. Dat. VI." Non. Mai, CP. Syagrio & Eucherio coss. [381.]

Interpretatio" *Vt testandi licentia denegetur, qui Christianæ religionis & nominis dignitatem neglexerint.*

NOTÆ.

* Hanc legem Annalibus suis Ecclesiasticis rectè inseruit Baronius *Anno* 381. *num* 80. Omisit eam Tribonianus, pariter vt *legem secundam* & potissimam partem *legis* 3. prælatâ Valentiniani Iunioris *l.*4. (quæ est *Cod.Inst.lex* 3.) Iungenda porrò ei videtur *lex* 7. *supr. de hæreticis*: dies tantum alterutrubi emendandus venit.

"*Eutropius* hic Præfectus Prætorio Orientis erat sub Theodosio M. Eidem, vt omittam complures alias leges, inscribuntur hoc ipso anno *lex* 6. & 7. *supr. de hæret.* Ad hunc extant quoque duæ Gregorij Nazianzeni epistolæ, *puta* 137. 138. quibus clarè ostendit, cum Præfectum Prætorio fuisse: virtutémque eius commendat.

"VIII Id. Maij *d.l.*7.

"Hanc interpretationem inseruit auctor epistolæ 1. Anacleti *p.*103. Eutychis *epist* 2. *p.*373. Felicis 2. *epist.*1. *p.*507.

COMMENTARIVS.

Theodosii Magni hæc & proximè sequens per Orientis Imperium in Apostatas constitutio est: ac nominatim in eos qui ex Christianis Pagani fierent. Et hæc quidem data Anno D. 381.

¶ Inquies, nullæne ergo ante Theodosium Magnum in hoc genus Apostatatum, qui ex Christianis Pagani facti fuissent ab Imperatoribus constitutiones promulgatæ fuerunt? Nullæ, inquam, mihi occurrunt: & Theodosius Magnus ni fallor, primus Imperatorum Christianorum eos constitutionibus insectatus est. Constantinum Magnum equidem & Constantium in eos qui ex Christianis Iudæi fierent censuram suam exercuisse reperio *l.*1. & *l.*7. *infr. de Iudæis.* Rursum eosdem in ritus Paganus inuectos liquet: ipsos verò Paganos, vel in Paganorum ritus transeuntes, pœnis insectatos nuspiam deprehendo. De Iuliano res adhuc clarior, vtpote qui Apostata ipse etiam alios in Apostasiam pertrahere studuerit: De Iouiano, Valentiniano & Valente idem sentiendum, quandoquidem hi Principes vnicuique quod imbibisset, libuisset colendi liberam facultatem dedêre: vt *lex* 9. *supr. de maleficis.* Themistius *orat.* 12. & alterâ Latinè editâ. Ammianus Marcellinus, *lib.* 30. Symmachus, *lib.* 10. *in relatione*: Socrates, *lib.*3. *cap.*21. *in fin.* Theodoretus, *lib.*5. *cap* 10. de quo prolixè ad *l.*7. *infr. de Paganis*, (quæ hoc ipso Anno 381. data est.) Ergo primus Theodosius Magnus non tantùm in Paganorum ritus, quod alij superiores ætate Principes fecerant, hoc ipso Anno 381. insurgendum sibi putauit (quod docent quinque eius constitutiones infra: *titulo de Paganis*, puta *lex* 7.8.9. 11.12.) Verùm etiam, quod alij nondum fecerant, in Apostatas è Christianis ad Paganorum ritus transeuntes. Neque dubium mihi, per grauissimam nuperámque in Christianos Catholicos sub Valente persecutionem, tum à Gentilibus & Iudæis, tum ab hæreticis exercitam, quibus licentiam omnem Valens Imp. fecerat (quod Theodoretus scribit, *lib.*4. *cap.*22.) nonnullos è Christianis, quà vi quà sponte Paganos factos: præsertim cùm historia Ecclesiastica doceat, Gentilium licentiam eò tum processisse alicubi, veluti Alexandriæ, tempore persecutionis Lucij Ep. Ariani, vt Catholicos ad Deorum cultum cogere præsumerent. Valente igitur iam mortuo Theodosius Imp. statim vt in Imperium adscitus fuit, etsi eradicandæ gentilitiæ superstitioni haud statim animum, ceu impos, intenderit, de quo dicam ad *d.l.*7. *infr. de Paganis*, attamen sufflaminandæ rei Christianæ vndiquaque animum adiiciens, etiam Apostatas pœnis coërcendos credidit, tum *hâc lege* tum proximâ. Et quidem *hâc leg.* (quod obseruandum) circa ipsum secundi Concilij Constantinopolitani œcumenici tempus. Testamenti igitur condendi ius his Apostatis adimit Theodosius Magnus, atque eatenus intestabiles eos facit. Quæ quidem in Apostatas pœna placuit etiam deinceps Valentiniano Iun. *l.*3.4 *infr.* Arcadio *l.*6. vt & Valentiniano Tertio *l.*7. *seu vltim. huius tit.* Imò placuit eam quoque eidem Theodosio Magno imponere Manichæis, *l.*7. *infr. de hæreticis*, (quam legem ceu eiusdem constitutionis partem huic coassandam censeo) quomodo & aliàs Manichæi, atque Apostatæ iisdem sæpè pœnis subiacuêre, & verò subijciuntur à Valentiniano Iun. *l.*3. *infr. hoc tit.* Imò & eadem pœna propagata posteà ad alios hæreticos: de quo ad *d. l.* 7.

¶ Notandæ interim hæc, sic vt dicam *Intestabilitatis* pœna; cuius quænam ratio, quæ proportio cum hoc Apostasiæ crimine sit, meritò quæri potest: aut cur non potius alia imposita fuerit? Verùm eam indicare videtur ipsemet Theodosius Magnus *l.*2. *infr.* verbis illis, *vt sint absque Iure Romano*: Nempe, Theodosio Magno Apostatis superstitibus bonorum suorum dispositionem adimere minus è re visum, quandiu scilicet pœnitentiæ (quam tamen Valentinianus Iun. posteà non admisit *l.*4. *infr. hoc tit.*) spes aliqua superesset: tum demum id adimere visum, cùm iam in Apostasia decederent: & verò eos plectere visum eo iure, quod ciuium Romanorum proprium erat. Hoc sensu dicitur *l.*2. *infr. vt sint absque Iure Romano.* Quomodo & *l.*7 *de hæreticis*, (quæ huic legi iungenda est) *de Manichæis, viuendi Iure Romano eri-*

pimus facultatem : & *l.17. supr. de haeretic.* de Eunomianis, *nihil habeant commune cum reliquis*, & *l.18. de haeretic.* de Manichaeis, *nihil sit commune cum mundo*, & *l.40. de haeretic.* de Manichaeis, &c. • *huic hominum generi, nihil ex moribus, nihil ex legibus sit commune* : Nempe ius Romanum seu ius ciuium Romanorum in testandi iure potissimum constitit, potissimóque loco habitum. Quare eos qui Ecclesiam & ciuitatem Dei deseruerent, ciuium Romanorum iure potissimo multandos Christiani Principes, atque eatenus in peregrinitatem redigendos crediderunt. Quod & caeteroquin potissimum solatium est morientibus repositum, videlicet vt supremae voluntatis, postquam aliud iam velle non possunt, liber sit stilus & licens quod amplius non redit arbitrium, vt eleganter Constantinus Magnus *l 4. infr. de Episcop. Eccles. & Cleric.* Hinc interim videmus, primò in Apostatarum Defunctorum poenam tantùm itum: Mox paulatim & viui poenis nonnullis adfecti, vt ab ipsomet Theodosio Magno *l.2. infr.* ita & à Valentiniano Iun. *l 4.5. infr.*

¶ Caeterùm Theodosius Magnus *hâc lege*, ita Apostatis istis testandi ius adimit, vt adimat, *submotâ conditione*, id est, (vt equidem accipio) nulla distinctione facta testantis, nulla eius in cuius fauorem testamentum conditur: *Testantis* inquam, • siue is ex fideli iam, id est, baptizatus, Apostata factus fuerit (quo sanè *fidelium* numero iam erat hoc tempore ipse Theodosius Magnus, vtpote superiore Anno 380. iam baptizatus, quod testatur Socrates *lib.5. cap.6.*) siue ex Catechumeno tantùm, id est, nondum baptizatus. Cùm tamen posteà aliqua hac parte distinctio facta fuerit, tum ab ipsomet Theodosio Magno *l.2. prox.* tum à Valentiniano Iun. *l.4. infr.* vbi dicam plura. Rursum ait, Theodosius Magnus *hâc leg. submotâ conditione*, id est, distinctione nullâ factâ eius in cuius commodum Apostata testatus fuerit, siue is propinquus, siue coniux, siue benemeritus, siue filius eiusdem criminis particeps fuerit: quomodo id etiam de Manichaeis, pariter cauetur *d.l.7. infr. de haeretic.* (quam huic vti dixi, coaequandam censeo) cum tamen distinctio quaedam hac parte posteà facta fuerit ab ipsomet Theodosio Magno *d.l.2. infr.* & ab Arcadio filio eius *l.6. infr.* Ad Theodosij sanè mentem in commune facit istud Tertulliani *cap.6. de poenitentia. Nemo sibi aduletur, quia inter Auditorum Tyrocinia deputetur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat. Quid autem eo à perfecto Dei seruo separas? An alius intinctis est Christus, alius audientibus?*

¶ THEODOSII Magni *Secunda constitutio, in Apostatas qui ex Christianis* PAGANI *facti sunt.*

II. * Iidem AAA. Posthumiano PF. P."

HRISTIANIS ac" *Fidelibus*, qui ad Paganos ritus cultúsque migrarunt, omnem in quamcunque personam *Testamenti condendi* interdicimus potestatem, vt sint absque iure Romano. His verò qui Christiani & *Catechumeni* tantùm venerabili religione neglectâ ad aras" & templa transierint, si filios vel fratres germanos habebunt, hoc est suam" aut legitimam successionem, testandi arbitratu proprio in quaslibet alias personas ius adimatur. ¶ Pari & circa eorum personas in *capiendo* custodienda forma, &" praeter suas & legitimas, quae iisdem ex parentum vel germanorum fratrum bonis peruenire potuerint successiones, iudicio" etiam, si ita res ferant, conditae voluntatis, nulla omninò in capiendis hereditatibus testamenti iura sibi vindicent. Et indubitatè ab omni testamentorum debeant, non solùm condendorum, sed etiam, sub adipiscendae pontificio" hereditatis, vsurpandorum potestate excludi. Dat. XIII. Kalend. Iun. CP. Merobaude & Saturnino COSS. [383.]

NOTAE.

Abest & *haec lex* à *Cod. Iustin.* Memorat eam quoque Baronius *Anno D.383. num.33.*

"Orientis. Eidem Posthumiano Praefecto Praetorio, vt omittam plures alias leges, inscribitur hoc ipso Anno *l.11. & 12. supr. de haeretic.* Ad hunc scribit Gregorius Nazianzenus *epist.* [illegible] 71. vbi Praefecturam eius indicat & mentia Christianúmque fuisse ostendit.

"simul &

"ad *Aras* & *Templa* transire *hâc leg.* & *l.prox.* pro ad superstitionem gentilitiam transire. Nempe duo haec praecipua superstitionis gentilitiae symbola & Sacramenta fuère. Contra Christiani haec potissimùm auersati, inque his Gentiles culpantes: videndi qui Apologias pro Christianis scripsere.

"*Sua successio* est filiorum: Legitima fratrum & quidem germanorum.

"*ȝ. vt.*

"Iudicium auditae voluntatis, id est, testamentum.

"*Pontificium*, hic & *l.3. supr. de fide Cathol.* est ius, potestas, facultas, praerogatiua: vide *Gloss. Theod.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Magni haec altera constitutio est, per Orientis Imperium Anno D.383. in Apostatas, qui ex Christianis Pagani facti sunt: superiori legi partim derogans, partim verò adiiciens: *Derogans* inquam, nam cùm superiori lege indistinctè, & vt ibi dicitur, *submotâ conditione*, omnibus Apostatis testandi ius Theodosius M. ademisset, hâc constitutione sua iam quandam conditionis distinctionem induxit: puta differentiâ factâ inter *Fideles*, & *Catechumenos*, in Apostasiam prolapsos. Quae Apostatarum diuisio ratione status, *à quo* transirent, sola hoc aeuo obtinuit:

nuis : (Nulla, qualis hodie in Apoſtatas fidei, obedientiæ, religionis :) Populus ſcilicet Chriſtianus ſeu Chriſtiani olim diuidebantur in fideles & Catechumenos : Fideles πιστοὺς vocabant, qui iam baptizati ſeu intincti erant : Ambroſius *lib.*1. *de Sacramentis, cap.*1. *Roma*, inquit, *Fideles dicuntur, qui baptizati ſunt* : vide & Chryſoſtomum paſſim : inter alia *homilia* 25. ad Hebr. *edit. Commel. p.*1917. Catechumenos verò, qui nondum baptizati, ἀμύητοι : etiam Monachi nonnulli, teſte Chryſoſtomo *d. loco*, verùm baptizandi & κατηχούμενοι (qui & ipſi ſubdiuiſi in Audientes ſeu Auditores, & Competentes.) Quod vt paſſim notum aliunde, ita & ex *hac* quoque *leg.* diſcere licet : & ex *l.* 4. *infr.* Ergo, vt magnum cæteroquin inter Fideles & Catechumenos diſcrimen diſciplina Chriſtiana inſtituit, ita quoque fidelium quam Catechumenorum delicta grauiora habita : de quo extat quoque locus Chryſoſtomi *homilia* 75. *Gr. Comel. l.*76. *in Matth. p.* 641. ac nominatim (quod ad *hanc leg.* & ad *d. l.*4. proximè facit) ſi lapſi eſſent, alio atque alio pœnæ genere defungebantur. Idque non vnâ ratione : tum ne Catechumeni intolerabili quodam pœnarum iugo à propoſito religionis deterrerentur, tum quia Catechumeni nondum plenè aut perfectè Chriſtiana religione inſtituti, imbuti, neque baptiſmo obſignati erant, quo peccata omnia atque exinde pœnas aboleri atque expungi cenſebant, vt proinde omni potiùs lenitate eos habendos cenſuerint. Hinc adeò *canone* 11. *Niceno*, fideles πιστοὺς lapſos prolixa duodecim annorum pœnitentia caſtigari videmus : at *canone* 14. Catechumenos omniſi triennij pœnitentia : Videndum in id & Concilium Pſeudo-Elibertinum *canone* 2. 3. 55. & Neocæſarienſe *canone* 5. Eóque pertinet exceptio illa dicti Concilij Eliberini : *ſi tamen ſit fidelis*, vel *ſi ſit fidelis*. Hoc igitur exemplum in ſanctionibus quoque ſuis in Apoſtatas ſecuti Principes Chriſtiani : & in his quidem Theodoſius Magnus *hac leg.* Qui in fidelibus, in Apoſtaſiam prolapſis, ſuperioris conſtitutionis ſuæ ; id eſt, *leg.*1. *ſupr.* ſeueritatem abſciſſe ſeruari iubet, videlicet vt his omninò in quamcunque perſonam teſtamenti condendi poteſtas ſubmotâ conditione interdicatur : At enim Catechumenis in Apoſtaſiam prolapſis, teſtandi in filios ſaltem ſuos & fratres germanos licentiam concedit ; (quæ filiorum & fratrum germanorum prærogatiua notanda eſt, de quo ad *l.*6. *infr.*) Verùm Arcadius poſteà fideles Catechumenis hac parte exæquaſſe videtur, tuo alias inſuper perſonas, in quas Apoſtatæ teſtari poſſent, expreſſit, & adiecit *l.*6. *infr. hoc tit.* Et hactenus quidem de priore huius legis capite, quo ſuperiori derogatur.

Secundo capite, ſuperiorem legem ſuam ampliat Theodoſius Magnus. Nempe vt teſtandi, ita & capiendi quoque ex Teſtamento ius ſub eadem diſtinctione perſonarum Apoſtatis denegat vel permittit. Quod ſuperiore conſtitutione expreſſum non videmus, de iure inquam capiendi pariter his denegato. Etſi id expreſſum fuiſſet ad eodem Theodoſio Magno, tum de Manichæis ageret *l.*7. *ſupr. de hæreticis* ; quæ tamen illi *legi* 1. *ſupr.* vbi dixi, conſtanda videtur.

¶ Vno verbo igitur Teſtamenti factio à Theodoſio Magno Apoſtatis illis tum actiua tum paſſiua ſub certa conditione *hac leg.* denegatur.

¶ Tandem illud obſeruari cupio, eodem Anno latam in Apoſtatas & hanc legem a Theodoſio Magno per Orientem & à Valentiniano Iun. per Occidentem *l.*3. *infr.* & quidem intra biduum (vno quippe die hæc illam anticipat) vt proinde exinde colligatur, Magnum hoc tempore per Orientem & Occidentem Apoſtatarum prouentum ſeu numerum fuiſſe : cui malo quaſi conſpiratione facta obuiare neceſſe habuerint Principes illi duo : Qui cæteroquin eradicandæ Gentilitiæ ſuperſtitioni maximè incubuêre : de quo *tit. de Paganis.*

¶ VALENTINIANI Iun. *prima conſtitutio in Apoſtatas* TRIVM *generum.*

III. * Iidem AAA. ad Hypatium PF. P."

CHRISTIANORVM ad aras & templa migrantium, negatâ teſtandi licentiâ, vindicamus admiſſum. ¶ Eorum quoque flagitia puniantur," qui Chriſtianæ religionis & nominis dignitate neglectâ, Iudaicis ſemet polluêre contagiis. ¶ Eos verò qui Manichæorum nefanda ſecreta, & ſcelerpſos aliquando ſectari maluêre ſeceſſus, ea iugiter atque perpetuò pœna comitetur, quam vel Diualis arbitrij Genitor Valentinianus † adſcripſit, vel noſtra nihilominus" ſæpiùs decreta iuſſerunt. ¶ Auctores verò perſuaſionis huius, qui lubricas mentes in proprium deflexerant" conſortium, eadem quæ reos erroris huiuſcemodi pœna comitetur : Quinetiam grauiora plerumque pro motibus Iudicum, & qualitate commiſſi, extra ordinem promi in nefarios ſceleris" huius artifices ſupplicia cenſemus. Sed, ne" vel mortuos perpetua vexet criminationis iniuria, vel hereditariæ quæſtiones, temporum varietate longorum prorſus emortuæ, in rediuiuos ſemper exagitentur conflictus, huiuſcemodi quæſtionibus metam temporis adſcribimus, vt ſi * qui defunctum violatæ atque deſertæ Chriſtianæ religionis accuſat, eúmque in ſacrilegia" templorum vel in ritus Iudaicos, vel" ad Manichæorum dedecus, tranſiſſe contendit, eáque gratia" teſtari minimè potuiſſe confirmat ; intra * quinquennium iuge," quod inofficioſis" actionibus conſtitutum eſt, proprias exerat" actiones, futurſque iudicij huiuſcemodi ſortitur" exordium, vt" eodem in luce durante, cuius præuaricatio" criminanda eſt, flagitij huius & ſceleris particeps fuiſſe doceatur publicâ" ſub teſtificatione teſtatus," probet indicium:" ne-

que, quam ſuperno nomini tacitus præſtitit perfidiam, ſceleribus adquieſcens: præuaricatione deinceps, tanquam ignarus accuſet. Dat. XII. Kalend. Iun. Pataui, Merobaude II. & Saturnino COSS. [383.]

Hæc lex interpretatione non eget. Reliqua pars de Manichæis ideò facta non eſt, quia in Nouellis euidentior inuenitur.

NOTÆ.

* Abeſt huius legis potiſſima pars à Cod. Iuſt. prælatâ *lege vlt. hoc tit.* quâ duæ limitationes huius legis abrogantur, tum & grauiores pœnæ ſuper adiiciuntur. Inſeruit eam rectè Annalibus ſuis Baronius *Anno D.* 383. *n.* 21. vbi tamen perperam eam *Gratiano* tribuit.

Italiæ ſcilicet *Hypaty.* huius geminam Præfecturam memorat quoque Ammianus Marcellinus, *lib.* 29. *p.* 421.

Eodem ſcilicet pœnæ genere, quo ſuperiores Apoſtatæ.

Reliqua pars de Manichæis ideò facta non eſt, quia in Nouellis euidentior inuenitur. Hæc add. in Anianeis Codicibus: receſſit ſequentibus.

† Intelligit vt exiſtimo *legem* 3. *ſupr. de hæreticis*, vel ſaltem integram Valentiniani conſtitutionem, cuius illa ἀπόσπασμα eſt.

Non extant hæ Valentiniani Iun conſtitutiones in *Manichæos.*

Intelligit Auctores huius perſuaſionis & illius.

Hic locus arguit genium & ingenium Valentinianei Quæſtoris.

* *Lex* 2. *Cod. de Apoſtatis*: hinc deſumpta eſt.

Propria hæc vocabula ſeu attributa: *Templorum ſacrilegia*: *Iudaici ritus, Manichæorum dedecus.*

vel ad Manichæorum dedecus: hæc recidit Tiſius.

id eſt, eam ob cauſam.

* *Lex* 5 *ſupr. de inoffic. teſt.* hinc deſumpta eſt, nonnullis tamen auctior.

Hæc vox abeſt à *d. l.* 5.

Ita quoque in *d. l.* 5. & in *l.* 1. *eod. tit.* at in Cod. Iuſt. *de inofficioſis actionib.* de quo vide quæ dixi ad *d. l.* 1.

exigat. Ita Cod Iuſt. editur: membranæ enim rectè habent, vt hic extat, vel certè *eſerat*, vnde facilè efficias *exerat*: vide Stewn. in Vegetij *lib.* 1. *cap.* 8.

al. ſortiatur, vt etiam habetur Cod. Iuſt.

Sententia hæc intricata, quam tamen illuſtrat *lex vlt. infr. hoc tit. verſ. Nec illud patiemur obſtare*: de quo mox. Hic tantùm excidit vox *ſi*: vt *ſi.*

Præuaricatio hic eſt Apoſtaſia παράβασις: quomodo etiam interpres canonis Nicæni 11. vbi in Græco extat περὶ τῶν παραβάντων, vertit *de his qui præuaricati ſunt.* D. Ambroſius, *in Pſalm.* 18. *ſermon.* 15. *p.* 138. *Præuaricator* dicitur, qui diſcedit a Domino: denique Græcè à diſcedendo Apoſtata nominatur. Et mox. Sed non ſolus ille præuaricator eſt, qui prohibitâ Eccleſia ad cultus tranſgreditur Idolorum: ſed etiam quicunque legis mandata non ſeruat. Nomen commune, ſed meritæ diuerſa delictorum & pretia ergo diuerſa culparum. Alio verò, nec tamen abſimili ſenſu fine huius legis præuaricatio de hærede, modo probantis, modo improbantis defuncti iudicium.

Reponat quis, *teſtati probet iudicium.* Quod non admitto: de quo mox.

an *iudicium*, id eſt teſtamentum? vide quæ notu ad *d. l.* 5. *ſupr. de inoff. teſt.*

al. ſupremo Numini: de quo mox.

Pataui quoque data hoc ipſa anno *lex* 14. *ſupr. de accuſat.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iun. tres ordine ſequuntur in Apoſtatas per Occidentis Imperium Leges: ita quidem, vt hæc prima (quam vno tantùm die poſt legem Theodoſianam *l.* 2. *ſup.* promulgauit) non eos tantùm Apoſtatas complectatur, qui ex Chriſtianis Pagani fierent vt *lex* 1 *&* 2. *ſupr.* Verùm etiam eos qui Iudæi & Manichæi. In his ſcilicet tribus generibus Apoſtaſiæ fidei crimen vertitur, atque adeò & *h. l.* dicitur: ratione ſtatus ſcilicet in quem tranſitur: Cum aliquando ceriſque caſibus Apoſtatarum nomen ad priores tantùm, & *Paganos* quidem reſtringi videamus, veluti à Valentiniano Tertio in ſpecie *leg. vltim. hoc tit.* Ergo & in his quoque, qui ex Chriſtianis *Iudæi* fiunt Apoſtatarum crimen & nomen cenſetur. De quo Apoſtatarum genere ſunt duæ prætereà hoc Codice conſtitutiones: putà Conſtantini Magni *l.* 1. *infr. de Iudæis*: Conſtantij *lex* 7. *infr. d. tit. de Iudæis*: Hæc Valentiniani Iun. omnium vltima: Hæ ſcilicet tres, neque plures, hoc Codice conſtitutiones occurrunt in Apoſtatas, qui ex Chriſtianis Iudæi fiunt. Alio atque alio etiam pœnarum genere in hoc ſancito. Conſtantinus Magnus quippe *d. l.* 1. pœnas meritas his comminatur, neque tamen ſatis pœnæ genus exprimit, de quo ad eam legem. Conſtantius verò pœnam bonorum proſcriptionis comminatur *dict. l.* 7. at Valentinianus Iun. *hâc leg.* pœnam Inteſtabilitatis pariter vt aliis Apoſtatis. Et hæc de Apoſtatis qui ex Chriſtianis Iudæi fierent. Ex quibus apparet, haud infrequens hoc Apoſtaſiæ genus ſub Chriſtianis Principibus fuiſſe, ſub Conſtantino, Conſtantio & Valentiniano Iun. Quibus ideò tribus legibus illis occurritur: contrà quam Grotio viſum, *Obſeruationibus in Nouum Teſtam. c.* 31. *p.* 240. 541. qui Conſtantio tantùm *l.* 7. *infr. de Iudæis*, vidit, & allegat: (ex hoc etiam tantùm Codice, cùm ea quoque extet Cod. Iuſtin.) vt probet paucos fuiſſe, qui Chriſtianorum pietatem deſererent, vt in Iudæorum numerum nomina ſua darent:

¶ Sed & Apoſtaſiæ crimen in his quoque *hâc leg.* cenſetur, qui ex Chriſtianis Manichæi fierent. Præcipuo ſcilicet olim inter hæreticos odio habiti fuêre Manichæi, vtpote qui ad imam vſque ſcelerum nequitiam peruenerant, quotúmque inceſta peruerſitas religionis nomine lupanaribus quoque ignota vel pudenda committebat; de quo plenè dixi ad *l.* 3. *ſupr. de hæret.* Hoc primum igitur in *hâc leg.* Valentiniani notandum eſt.

¶ Alterum eſt, non diſtingui iam in *hâc leg.* fideles ſeu baptizatus à Catechumenis (cuiuſmodi ſanè erat ipſemet Valentinianus Iun. huiuſce legis auctor, vt docet Ambroſius *in orat. funebr. ſuper eo habita.*) Quomodo alioquin in hoc argumento diſtinguuntur à Theodoſio Magno *l.* 2. *ſupr.* vnico tantùm die ante hanc legem, imò ab ipſomet Valentiniano Iun. *l.* 4. *infr.*

¶ Tertiò obſeruandum, Valentinianum Iun. pœnam Inteſtabilitatis communem facere *hâc leg.* etiam iis, qui Chriſtianos vel ad Paganorum vel ad Iudæorum vel ad Manichæorum ſectam perſuaſionibus ſuis pertraxiſſent. Pari ſcilicet pœna plecti voluit Apoſtatam & Apoſtaſiæ auctorem. Imò vt extra ordinem pro motu Iudicum grauiora in hoc ſupplicio promi vult. Quomodò ſanè

ſanè Theodoſiua Iun. poſteà *Nouella* 3. *de Iudæis*, eos qui ſeruum vel ingenuum inuitum vel ſuaſione plectenda ex cultu religionis Chriſtianæ in nefandam Iudæorum ſectam ritumve traduxiſſet, diſpendio fortunarum, capite puniri voluit. De quâ quæſtione & pœnâ inquam auctorum Apoſtaſias: vide Farinacium, *de hereſi queſt.* 178. *n.* 141. & *queſt.* 183. *num.* 21. Ergo maiori pœnâ Apoſtaſias & defectionis Auctores puniri voluerunt Valentinianus Iun. & Theodoſius Iun. quam ipſos Apoſtatas: quos ſanè capitis ſupplicio affici noluerunt, vt proinde labatur Menochius, qui à fortiori Apoſtatis ipſis indictam à Theodoſio & Valentiniano pœnam mortis vult. Ex quo interim loco liquet, Valentinianum Iun. nondum Manichæis in commune teſtandi ius hoc tempore ademiſſe: quod poſteà demum ab eo factum eſt *l.* 18. *ſupr. de heretic.* quod & anteà iam placuerat Theodoſio Magno *l.* 7. *d. t.*

¶ Nunc de ipſa legis ſententia. Teſtandi ius Apoſtatis (& quidem omnibus) denegat *hâc leg.* Valentianus Iun. pariter vt alij Principes, de quo ad *l.* 1. *ſupr.* imò ipſe rurſum *l.* 4. *infr.* Atque adeò teſtamenta eorum euerti & reſcindi poſſe à ſuis & legitimis ſucceſſoribus definit. Illæ ſcilicet ſunt propriæ actiones, quas exert poſſe hac lege ait: Propriæ actiones ſunt, quæ ſuis & legitimis ſucceſſoribus ab inteſtato venientibua competunt, de quo vide & *l. vlt. infr.* quibus opponuntur alieni in *l.* 6. *infr.*

¶ Apoſtatarum igitur teſtamenta à ſuis & legitimis hæredibus reſcindi poſſe definit *hâc leg.* Valentinianus Iun. ſub duplici tamen limitatione, vnâ temporis, perſonarum altera. Quæ limitationes hactenus non obtinebant, vt proinde Valentinianus Iun. Theodoſio Magno hâc parte mitior fuerit. Qui poſteà *l.* 4. & 5. aliâ parte acriores pœnas intendit: è contra vtramque huiuſce legis limitationem poſteà Valentinianus Tertius ſuſtulit *l. vltim.* Prior limitatio eſt temporis, intra quod videlicet hæc actio reſciſſoria inſtitui poſſit, nempe intra quinquennium iuge tantùm, à morte eius qui Apoſtata deceſſiſſe dicitur: exemplo ſcilicet actionum de inofficioſo: quæ huius legis ſententia ideò repetita extat, & pleniùs etiam, *l.* 5. *ſupr. de inoffic. teſtam.* (vbi prolixius) ratione hâc additâ elegantiſſimis verbis: *ne vel mortuos perpetua vexet criminationis iniuria, vel hereditariæ queſtiones temporum varietate longorum prorſus emortua in redinines ſemper agitentur conflictus*: quam alioquin rationem expendi iam ad *l. vltim. ſupr. de raptu virginum.* Ergo temporalem hanc actionem & accuſationem, & quinquennalem quidem, ſeu præſcriptioni quinquennij obnoxiam, fecit Valentinianus Iun. *hac l.* poſteà *continuam* ſeu perpetuam reddidit Valentinianus Tertius, *l. vlt. infr.* abrogatâ *hâc leg.* Altera, vt dixi, limitatio eſt, ratione perſonarom: Nempe definit Valentinianus Iun. *hâc leg.* hanc actionem reſciſſoriam non competere ei qui viuo Apoſtata, conſcius eius Apoſtaſias, flagitiique huius & ſceleria particeps, tacuerit. Quam huiuſce legis ſententiam tum ipſamet verba, quamlibet intricata & corruptiſſima, ingerunt, tum apertiſſimè *d. lex vltim. infr.* vbi hæc altera limitatio pariter abrogatur: *Nec illud*, inquit, *patiemur obſtare, ſi nihil in conteſtationem profano dicatur viuente perductum.* Quare totum hunc locum ita conſtituo: *Futurique iudicij huiuſmodi ſortiatur exordium, vt ni eodem in luce durante, cuius præuaricatio criminanda eſt, flagitij huius & ſceleris participem fuiſſe doceat: nec publica ſub teſtificatione teſtatus, probet iudicium*: (vel, *vt eodem in luce durante, cuius præuaricatio criminanda eſt, flagitij huius & ſceleris particeps fuiſſe doceatur, publica ſub teſtificatione nil teſtatus, probet iudicium*:) *neque quam ſuperno Numini tacitus præſtitit perfidiam, ſceleribus adquieſcens, præuaricatione deinceps tanquam ignarus accuſet.* Ait lex, *futurij iudicij huiuſmodi ſortiatur exordium*: quomodo *d. l. vltim.* Vniuerſis ab inteſtato venientibua etiam poſt mortem peccantis abſolutam vocem inſimulationi congruæ non negamus: & Paulus 4. *ſentent. tit.* 5. §. 8. pactio talis, ne de inofficioſo dicatur, querelam ſuper iudicio futuram non excludit. Ait lex: *Nec publica ſub teſtificatione teſtatus*, vel, *publica ſub teſtificatione nil teſtatus*, vt *dict. lex vltim.* nihil in conteſtationem perductum. Ait lex *probet iudicium*, nam ita repono: id eſt, approbare cogatur teſtamentum: in ſpecie enim hac hæres ab inteſtato Apoſtatæ teſtamentum nullum dicebát. *Iudicium* pro teſtamento paſſim, vt *l.* 5. 6. *de inoffic. teſt. l.* 9. *de infirm. his qui ſub Tyrann. l.* 9. 20. *de Epiſcopis*: (vt *l. vnic. ſupr. de Imaginibus Imper.*) Denique repoſuimus *ſuperno Numini tacitus præſtitit perfidiam*, id eſt, aduerſus Deum, Apoſtaſiam reticendo. Cum quo non rectè componitur quod Iuriſconſultus ſcribit *l. penultim.* §. *vltim.* ff. *de inoffic. teſtam.* repellendum ab accuſatione ſeu querela inofficioſi, eum qui in teſtamento adſcripſit, *poſt mortem patris conſentire ſe.* Expreſſus quippe conſenſus......alicui ſibi noxio adhibitus, ibi......hoc caſu taciturnitas ſufficit......Serò ſcilicet eius iudicium impugnat, qui perfidiæ & ſceleris particeps fuit, id reticendo. Qua ratione ſanè Valentinianus Iun. Apoſtatarum delatores elicere voluit. Cùm contra Valentinianus Tertius hoc caput, vt & ſuperius, aliquando *d. l. vltim. infr.* odium ſuum in Apoſtatas perpetuum profiteri maluerit. Et ſic vterque Impp. alio atque alio tantùm heutematico, ad eundem ſcopum collineatunt.

¶ VALENTINIANI Iun. *Secunda conſtitutio, in duas Leges diſcerpta, in Apoſtatas* PAGANOS *factos, & quidem ex* FIDELIBVS.

IV. * Imppp. VALENTINIANVS, Theodoſius & Arcadius AAA. Flauiano PF. P."

HI * qui ſanctam fidem prodiderint, & ſanctum" baptiſma profanauerint," à conſortio omnium ſegregati, ſint à teſtimoniis alieni," teſtamenti, (vt ante † iam ſanximus, non habeant factionem: Nulli in hæreditate ſuccedant: à nemine

mine ſcribantur heredes: Quos etiam præcepiſſemus" procul abſci, ac longius amandari, niſi *pœna* viſum fuiſſet *eſſe maioris*, *verſari inter homines*, *& hominum carere ſuffragiis*. ¶ Sed nec vnquam in ſtatum priſtinum reuertentur:" Non" flagitium morum oblitetabitur pœnitentiâ, neque vmbrâ aliquâ exquiſitæ" defenſionis, aut muniminis obducetur: Quoniam quidem eos, qui fidem, quam Deo dicauetant" polluerunt, & prodentes diuinum myſterium" in profana migrarunt," tueri, ea quæ ſunt commentitia & concinnata non poſſunt: Lapſis etenim & errantibus ſubuenitur: perditis verò (hoc eſt, ſanctum baptiſma profanantibus,) nullo remedio *pœnitentiæ*, quæ *ſolet aliis criminibus prodeſſe*," ſuccurritur. Dat. v. Id. Mai, Concordiæ, Tatiano & Symmacho COSS. [391.]

NOTÆ.

* *Lex 3. hoc tit.* Et *hanc legem* Annalibus ſuis inſeruit Baronius *Anno* 391. *num*.5. vbi tamen Theodoſio M. eam perperam tribuit, pariter vt proximam *legem* 5. Iungenda porrò huic *lex 5. prox. inf. hoc tit.* ceu eodem die data ad eundem, & *lex* 11. *ſupr. de fide teſtium*: quæ ex huius legis principio deſumpta eſt.

" *Flauianus* PP. Illyrici & Italiæ: vt hoc ipſo anno diſertè præfert inſcriptio *legis* 2. *ſupr. de conſilit. Princip. lex, dudum* 6. *ſupr. de contract. empt. lex, ſi vindicari* 13. *ſupr. de pœnis*: de hoc eodem Flauiano Præfecto Prætorio vide Symmachum *lib* 2. *epiſt*.27.33.75. Sozomenum *lib*.7. *cap*.22. Paulianum *in vita Ambroſij*: vid. & *Proſopogr. noſtram.*

* *Lex* 11. *inſr. de fide teſtium*: hinc deſumpta ſeu delibata eſt.

" Ita quoque *d.l.*3. *C. hoc tit.* ac *d.l.*11. *Sacrum.*

" hæretica ſuperſtitione: hoc additum à Triboniano ineptè, vt mox oſtendetur.

' profanarint *d.l.*11. profanarunt *d.l.*3. Cod. Iuſt.

" Hactenus *lex* 11. *ſupr. de fide teſtium.*

† *legem* 3. *ſupr.* intelligit, quæ lata eſt ante octennium: errant enim grauiter, qui his indicari tradunt *legem Eunomiani ſpadones ſupr. de hæretic.*

' præciperemus Cod. Iuſt. *d.l.*3.

" *nec flagitium horum*: ita Cod. Iuſt. non ita eleganter.

" *Exquiſita*, id eſt, excogitatæ, anxiè quæſitæ, demonſtratæ.

" *dedicauerant*, Cod. Iuſt.

" id eſt, baptiſma.

" *migrauerunt*, Cod. Iuſt.

" *adeſſe*, Cod. Iuſt non ita rectè.

" prope Aquileiam.

v. * Iidem AAA. Flauiano PF. P."

SI quis ſplendor collatus" eſt in eos, vel" ingenitus, dignitatis, qui fide" deuij, & mente cæcati, ſacroſanctæ" religionis cultu & reuerentiâ deſciuiſſent, ac ſe ſacrificiis mancipaſſent, perdant," vt de loco" ſuo ſtatúque deiecti perpetuâ vrantur" infamiâ, ac ne in extremâ quidem vulgi ignobilis parte numerentur. *Quid* enim *his cum hominibus poteſt eſſe commune*, *qui*, *infandis & feralibus mentibus*, *gratiam*" *communionis exoſi*, *ab hominibus receſſerunt?* Dat. v. Id. Mai, Concordiæ, Tatiano & Symmacho COSS. [391.]

NOTÆ.

* Abeſt *hæc lex* à *Cod. Iuſt.* Inſeruit eam Baronius Annalibus ſuis *Anno D*.391. *num*.6. Iungenda ei *lex ſuper. prox* 4. ceu eodem data ad eundem & quæ inde deſumpta eſt *lex* 11. *ſupr. de fide teſtium.*

" Illyrici & Italiæ: vt ad ſuperiorem legem oſtenſum.

" Dignitas alia collata, alia ingenita.

" *à fide.*

' *à ſacroſancta.*

' *eum perdant.*

" Locus de dignitate: vide *Gloſſ. Theod.*

" inurantur.

" de hac Gratiæ voce mox dicam.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iunioris ſecunda & tertia hæc in Apoſtatas hoc titulo lex eſt, non Theodoſij Magni, quod putauit Baronius. Eſt verò vtraque vnius & eiuſdem conſtitutionis Valentinianeæ pars, atque adeò inter ſe coaſſandæ, duâ̂mque atque vno ſpiritu interpretandæ veniunt, vtpote cùm eundem diem præferant & ad eundem Flauianum PP. datæ ſint, vnà cum *l.* 11. *ſupr. de fide teſtium*, quæ excerpta eſt ex priore *lege* 4. Quæ & ideò diligentius retractanda nobis venit, quòd hactenus è Codicis Iuſtinianæi interpretibus minùs intelligitur: præſertim ob ineptum Triboniani ἐμβλημα. Quo factum eſt, vt de Catholicis ad hæreſin deflectentibus vel tota vel pars eius accipiatur: Ab aliis verò de Paganis, qui ad Chriſtianam religionem acceſſerant, mox ad Paganam ſuperſtitionem redeuntibus (quod Baronius facit.) Alij nominatim ad *Eunomianos* eam referunt: Imò & abſurdè admodum de excommunicatione ad eam tractetor.

¶ Primò igitur obſeruandum eſt, hanc conſtitutionem ſeu has duas leges eſſe nominatim de Apoſtatis, qui ex Chriſtianis Pagani facti eſſent, pariter vt cæteræ omnes huius tituli leges, vna tantùm *l.* 3. *ſupr.* excepta, quæ communis eſt omnibus Apoſtatarum generibus: vt proinde, quod

iam

jam dixi, fucum fecerit Tribonianus qui vt ad deflectentes in hæreſin *Legem* 4. traduceret, emblema iſtud, *hæreticâ ſuperſtitione*, inſeruit. Secundò notandum, has leges eſſe de eo Apoſtatarum genere, qui ex fidelibus Apoſtatæ facti eſſent. Apoſtatarum ſcilicet diſcrimen quod fit *l.* 2. *ſupr.* idem & his legibus ingeritur: Quod quidem apertiſſimè colligitur ex illis *legis* 4. verbis: *qui ſanctam fidem prodiderint & ſanctum baptiſma profanauerint.* Et mox: *Sanctum baptiſma profanantibus.* Item ex illis: *Qui fidem, quam Deo dicauerant, polluerunt, & prodentes diuinum myſterium, in profana migrarunt.* Tandem, qui *gratiam communionis exeſi.* Quæ verba omnia non hæreticorum anabaptiſmum adſignificant (quod Iuſtinianei Interpretes opinantur, à Triboniano, vti dixi, in errorem inducti illo duarum vocum emblemate: *hæretica ſuperſtitione*) verùm Apoſtaſiam fidelium iam baptizatorum: Etiam poſtrema illa, *prodentes diuinum myſterium in profana migrarunt.* *Diuinum* ſcilicet *myſterium*, ibi eſt baptiſmus: Nempe de Sacramentis paſſim propriè *myſterij* vox vſurpata, frequentiſſimè apud Patres, & quidem ſignatè de Sacramento baptiſmatis: pariter vt hâc *l.* 5. per *gratiam communionis* baptiſmus intelligendus eſt: Nam & ita *Gratia* abſolutè & *diuina Gratia* pro baptiſmo vſurpatur *l.* 1. 2. 5 *ſupr. ne ſanctum baptiſma.* Imò & diſertè (pariter vt *hâc leg.* 5.) *gratia communionis* eodem ſenſu in Concilio Toletano apud Gratianum *de conſecrat. diſt.* 4 *cap.* 2. Eſt enim baptiſmus teſſera communionis fidelium & ſanctorum. Et *communionis Gratia* hic opponitur Apoſtaſiæ, per quam Apoſtata, ſicut à communionis gratia exciderit, ita & à communione humanâ, vt proinde cum hominibus ei nil poſſit eſſe commune: Breuiter, qui fidelium communionem, & ſic baptiſmum eierat & communione hominum idem indignus iudicatus eſt.

¶ His ita poſitis, de harum duarum Legum ſententia videndum eſt. Valentinianus ſcilicet Iun. (qui ipſe *Fidelium* numero, ſeu baptizatus non erat) in Apoſtatas ex fidelibus factos varias pœnas his legibus cumulat: & ſæuiores quidem quàm antea: Et verò numero tres: quarum duæ priores continentur *l* 4. tertia *l.* 5. Prima pœna eſt, quod *Inteſtabiles* eos vndequaque faciat, non modo teſtandi vel capiendi iure his interdicto (quod iam Theodoſius Magnus cauerat *l.* 1. *&* 2. *ſupr.* imò & ipſe Valentinianus *l.* 3. *ſupr.*) Verùm etiam teſtimonij dictione, quæ ſententia repetita extat *l.* 11. *ſupr. de fide teſtium* (de qua Apoſtatarum pœna: vide Farinacium *quæſt.* 173. *num.* 46.) & ſic in infamiam & inteſtabilium numerum eos redigit. Quod magis & magis elucebit ex tertia pœna. Atque id eſt quod ait *à conſortio omnium ſegregatos*: vel vt dicitur *l.* 2. *ſupr.* de teſtandi iure Apoſtatis adempto *abſque iure Romano eſſe* oportere. Errant enim qui verbis illis neſcio quam pœnam intelligunt, maiorem pœnâ deportationis vel relegationis, quæque ſimilis ſit pœnæ excommunicationis, qua excommunicatus priuatur conſortio commercióque hominum. Et ſanè tantùm abeſt, maiore aliquâ quam deportationis & relegationis pœna Valentinianus Iunior *hâc lege* Apoſtatas affici voluerit vel etiam mortis (quod rectè de iure Ciuili, ac nominatim de *hâc leg.* negarũt Nicolaus Arelatenſis, Alphonſus de Caſtro,) vt contra diſertè profiteatur nolle eâ pœna eos affici. Cæteroquin verum Apoſtatæ non tantùm relegandi ſint, verùm etiam morte naturali afficiendi, ac maximè Clerici: vide id affirmantes Hoſtienſem *in Summa, de Apoſtatis, qualiter puniantur, num.* 3. Alciatum *reſp.* 478. Farinacium *quæſt.* 183. *num.* 16. 50. 51. Menochium *de arbitr.* 2. *cent* 6. *caſu* 546. *num.* 3. *&* 6. *&* 15. 16. 17. & *lib.* 5. *præſumpt.* 6. *num.* 34. Rationem portò ſubiicit Valentinianus, cur exilio Apoſtatas iſtos multari noluerit, *quia pœnæ maioris id viſum ſibi, verſari huiuſmodi Apoſtatas inter homines, hominum carere ſuffragiis.* Ait autem *ſuffragiis*, id eſt: conſortio (vt antè dixit commercio & beneficio.) Quam in ſententiam quoque illud eſt Socratis inter alia *ποῖ.....in fin.* πολὺ πλεονέκτημα.....τοῖς αὐτοῦ πολίταις ἀπωλεῖαν ἀλλ᾽ ὅλον, ἢ παρ᾽ ἑτέροις μένειν. In quam ſententiam & Iulius Cæſar diſſeruit, cùm de puniendis Catilinariæ coniurationis ſociis ageret, apud Salluſtium. Et hanc quidem rationem per occupationem ab eo additi notandum eſt, *Quos etiam*, inquit, *præcepiſſemus procul abiici ac longius amandari, niſi pœna*, &c. Nempe fuerant proculdubio è Patribus, atque alij, qui in conſilio erant, qui Valentiniano Iun. ſuaderent, huiuſmodi Apoſtatas exilio multari & quidem longinquo: Quo certè pœnæ genere affecti ex hæreticis nonnulli, vt docet inter alias *lex* 52. 53. 57. *ſupr. de hæretic.* ne ſcilicet præſentia & contagione horum, alij in Apoſtaſiam traherentur. Quod tamen Valentiniano eâ quam dixi, ratione minus placuit. Et hæc de primâ pœnâ.

¶ Secunda pœna hæc eſt, quod ne *Pœnitentibus* quidem gratiam ſe facturum comminetur, atque adeò indulgentiæ ſpem omnem in futurum hîc præcidit. Cùm tamen aliàs pœnitentiæ locus ſit in hæreticis conuerſis, vt docet *lex* 41. *ſupr. de hæretic.* Quæ verò Patrum, Conciliorum, hâc in re ſententia fuerit, vtrumue inquam Apoſtatis pœnitentibus venia danda eſſet in Eccleſiâ, diſcere eſt, ex canonibus variis Conciliorum, ſcriptoribúſque variis: quæ hîc cumulata nolo. Vnus Ambroſius Ep. Mediol. horum ipſorum temporum ſcriptor, *libris* 2. *de pœnitentia*, quibus Nouatianos paſſim perſtringit, huic rei ſufficit. Nos ad Valentinianum Imp. redeamus. Et idem tamen Valentinianus Iun. *hâc leg. lapſis & errantibus* veniam pollicetur. Quibus verbis non hæretici deſignantur, quod *Cujacius* etiam volebat, putans hanc differentiam conſtitui inter hæreticos & Apoſtatas, verùm Valentinianus (& ipſe Catechumenus) Catechumenos lapſos intelligit: atque ita fideles in Apoſtaſiam prolapſos, à Catechumenis lapſis, diſtinguit; pariter vt diſtinguuntur à Theodoſio Magno *l* 2. *ſupr.* cuius differentiæ rationem etiam ipſis appellationibus ſatis aperit: Nempe illos *perditos* vocat, hos *lapſos* tantùm & *errantes*: de cuius differentiæ ratione ad *d. l.* 2. *ſupr.* [Et verò in illos ideò tam graues pœnæ ſancitæ, quod hac tempeſtate nonniſi adulti fermè fidémque profeſſi baptizabantur, neque infantum adhuc baptiſmus planè inoleuerat, etſi alicubi vſurparetur, & Patrum quoque ſententiæ vrgerent: de quo præter Cyprianum & Origenem ſuperiore ſeculo, hoc noſtro Athanaſius *quæſt.* 124. Gregorius Nazianzenus *orat.* 3. *in ſanctum lauacrum*, Ambroſius *lib.* 2. *de Abrahame, cap.* 11. & *lib.* 10. *epiſt.* 84. Hieronymus *lib.* 3. *dialogorum aduerſus Pelagianos & aduerſ. error. Ioan Hieroſolym.*] Facilè ſcilicet venia data Catechumenis ceu lapſis & errantibus, at fidelibus haud æquè, ceu perditis: de quo ad *dictam legem* 4. *ſupr.* Indiſtinctè ſanè Canone XI. Niceno cautum fuerat, de his qui præuaricati ſunt, licet miſericordia indigni ſint, benignitate tamen in eos vtendum, & ad pœnitentiam admittendos. Atenim ante Concilium Nicænum Apoſtatas nec in morte abſolutos qualibet pœnitentiâ

fungerentor, testis Cyprianus *epist. ad Antoninum. Apostata verò & desertores vel aduersary & hostes & Christi Ecclesiam dissipantes, nec si occisi pro nomine foris fuerint, admitti secundum Apostalum possint ad Ecclesiæ pacem, quando nec spiritus nec Ecclesiæ tenuerunt vnitatem.* Quâ de re plura erudite Aurelianensis Ep. *lib.2. sacrar. Obseruat. cap.9.* 10. 11. 15. & nos etiam quædam obseruabamus haud ita pridem ex Tertulliani *lib.1. ad Nationes, cap.5.* Igitur cùm aliàs lapsis pœnitentibus venia daretur, Apostatis ex fidelibus denegata, vt in Ecclesia à Valentiniano Iun. Qui ideò his omnem omnem pœnitentiam frustra cessuram comminatur, quam exquisita ea esse possit: *Neque vmbra*, inquit, *aliqua exquisita defensionis aut muniminis obducetur*, & mox *tueri ea qua sunt commentitia, & concinnata non possunt.* Quantacunque scilicet pœnitentia sit, quamlibet plena iustave, vt eam passim vocat Cyprianus *lib.1. ep.5. & 11.* & *libello de lapsis lib.3. epist.8.* & *lib.4. epist.2.* quam scilicet exquisitis iudiciis, fletibus, ieiuniis animi dolorem præferat, quantumuis longa & per quatuor pœnitentiæ gradus *προσκλαίοντας, ἀκροωμένους, ὑποπίπτοντας, συνεστῶτας* decurrat. Hic inquam *huius leg.* sensus est, atque adeò verborum quæ modo vrgebam. Inanis enim est cuiusdam sententia, qui censet illa accipienda de pœnitentia ficta & commentitia. Quæ verò hâc parte Doctorum hodie sententia sit super hâc quæstione, vtrum pœnitenti, Apostatæ ignoscendum sit, vide Menochium 2. *de arbitr. 6. cap. 546. num. 19. 20. 21.* de Hæreticis verò pœnitentibus, num his venia data: vide *l. 40. 41. supr. de hæreticis, l. 4. ne sanctum baptisma.*

¶ Tertia seu vltima pœnarum, quam hâc constitutione sua Apostatis istis Valentinianus Iunior comminatus est; Dignitatum omnium quà ingenitarum, quà collatarum priuatio: atque adeò infamiæ perpetuæ (vt cæteroquin infamibus non patent portæ dignitatum, de quo passiuæ sunt obseruationes.) De hac porrò infamiæ, & dignitatum priuationis pœnâ Apostatis indictâ: vide Farinacium *de hæresi quæst. 173. num. 43.*

¶ ARCADII *constitutio, in Apostatas, ex Christianis* PAGANOS *factos.*

VII. * Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Cæsario PF. P."



Os, qui, cùm essent Christiani, idolorum' se superstitione impiâ maculauerint, hæc pœna persequitur," vt testandi in alienos" non habeant facultatem, sed certa his generis sui propago succedat," id est pater ac mater, frater ac soror, filius ac filia, nepos ac neptis: nec vlteriùs sibi progrediendi quisquam vindicet potestatem. Dat. x. Kalend. April. CP. Arcadio IV. & Honorio III. AA. COSS. [396.]

NOTÆ.

Abest *hac lex* à *Cod. Iust.* Eius meminit quoque Baronius *Anno D. 396. n. 10.*

"*Cæsarius* sub Arcadio PP. Orientis scilicet. Eidem Cæsario Præfecto Prætorio & aliæ complures Arcadij constitutiones inscribuntur, ac inter alias Ecclesiasticæ sequentes, putà anno superiore 395. *l. 27. supr. de hæreticis*: hoc ipso Anno 396. *l. 14. inf. de Paganis*: *lex 31. 32. supr. de hæreticis.* Anno 397. lex 13. *de Iudæis*, Anno 398. *lex 32. supr. de Episcopis.*

"vide & *l. 13. supr. de Paganis, sacrif. & templis.*

"persequatur. Quanquam & illud sustineri posset.

"*Alteri* sunt extranei: quibus opponuntur ij quibus propriæ actiones competunt *l. 3. in fin. supr.*

"Ex testamento & ab intestato.

COMMENTARIVS.

ARCADII hæc vnica per Orientem in Apostatas constitutio est, de iure testandi Apostatis denegato, de qua interdictione iam ad superiores leges omnes actum est. Et quidem est hæc lex de Apostatis indistinctè quibuscunque, nullo Apostasiæ discrimine facto, vtrum videlicet ex fideli, an verò ex Catechumenis tantùm Apostatæ factæ fuerint. Pariter vt nulla facta fuerat à Theodosio *l. 1. supr.* Valentiniano Iuniore *l. 3. suprà.*

¶ Et nouum porrò ius aliquod *hâc leg.* inducit Arcadius circa hoc testandi ius: & mitius quidem quam Theodosius Magnus pater eius aliquando, qui primùm, submotâ omni conditione omne omninò testandi ius Apostatis ademerat *l. 1. supr.* mox, ex fidelibus Apostatis factis tantùm *l. 2.* Catechumenis testandi iure aliquo relicto in filios scilicet & fratres germanos. Sed & Valentinianus Iun. quoque abscisè testandi licentiam denegauerat *l. 3. & 4. supr.* Apostatis ex fidelibus. At nunc benignior & lenior paulò his omnibus est Arcadius Imperator, ac nominatim lenior quam Theodosius Magnus *d. l. 2. supr.* (cui legi abrogandæ hæc lata mihi omninò videtur.) Lenior verò in duobus, tum in eo, quod nullo Apostasiæ & Apostatarum discrimine facto, testandi ius aliquod, etiam Apostatis ex fidelibus, facit; tum in eo, quod testandi ius concedat non tantùm in filios vel fratres germanos, vt Theodosius fecerat *d. l. 2.* verùm & in alios prætereà. Primò, quidem in Patres & Matres quoque, quorum successio anteà non tam fauorabilis Theodosio Magno visa *d. l. 2. supr.* quæ etiam dubitandi ratio fuit in *l. 5. supr. de inoffic. test.* quæ desumpta est ex parte ex *l. 3. supr. hoc tit.* sed eadem visa Arcadio hac lege. Secundò, etiam in fratres, etsi non germanos: Cùm Theodosius tamen id de germanis disertè cauisset *d. l. 2. supr.* vt aliàs in aliis iure articulis germanorum fratrum potior aliquando ratio visa, veluti in querela inofficiosi aduersus fratrum testamenta *l. 1. supr. de inoffic. test.* quia germani soli agnati essent & legitimi successores: Vterini

non

non item. quod etiam Ambrosius testatur *epistola 66.* Tertiò, etiam in sorores, cùm Theodosius *d.l.1.* nonnisi in partes disertè testandi licentiam Apostatis & Catechumenis tribuisset. Quartò, etiam in nepotes & neptes, cùm Theodosius M. nonnisi in filios tribuisset *d. l.2.* Denique, vt verbo dicam, ab Arcadio hæc lex lata videtur ampliandæ & abrogandæ Patris Theodosij M. *legi 2. supr.*

¶ VALENTINIANI *Tertij in Apostatas constitutio, qui ex Christianis* PAGANI *facti.*

VII. * Impp. Theodosius, & VALENTINIANVS AA. Basso PF. P." Post alia.

 APOSTATARVM sacrilegum nomen singulorum vox" continuæ" accusationis incesset: & nullis finita temporibus huiusmodi criminis arceatur indago: ¶ Quibus quamuis præterita interdicta sufficiant, tamen etiam illud iteramus, ne quam," postquam fide deuiauerint, testandi aut donandi quippiam habeant facultatem: sed nec venditionis specie facere legi fraudem sinantur, totúmque ab intestato Christianitatem sectantibus propinquis potissimùm deferatur. ¶ Intantum autem contra huiusmodi sacrilegia perpetuari volumus actionem, vt vniuersis ab intestato venientibus, etiam post mortem peccantis, absolutam" vocem insimulationi" congruæ non negemus: Nec illud" patiemur obstare, si nihil in contestationem profano dicatur viuente perductum." ¶ Sed ne huius interpretatio criminis latiùs incerto" vagetur errore, eos præsentibus insectamur oraculis, qui nomen" Christianitatis induti sacrificia fecerint:" Quorum etiam post mortem comprobata perfidia hac ratione plectenda est, vt donationibus testamentisque rescissis, ij quibus hoc defert" legitima successio, huiusmodi personarum hereditate potiantur. Dat. VII." Id. April. Rauennæ Theodosio XII. & Valentiniano II. AA. COSS. [426]

NOTÆ.

* *Lex 4 Cod. hoc tit.* Omisit eam Baronius in Annum & Annales suos referre. Iungenda autem ei *lex 28. infr. de Iudæis.*

"*Bassus* PP. sub Valentiniano III. Eidem Basso Præfecto Prætorio & aliæ plures leges inscribuntur: quas v. in *Prosopogr.*

"Ita mox, *vocem insimulationi congrua non negemus.* Scilicet vox propriè de accusatione & querela *his locis & l.2. supr. de nuptiis, l.5. supr. ad L. Iul. de Adulter. l.1. supr. de offic. rectoris prou. l.3.4. vlt. supr. ne praeter crimen maiest.* vide plura in *Gloss. Theod.*

"*Continua accusatione*: in nonnullis Codd. Iustin. Sed rectiùs habent alij, vt hic, *vox continua accusationis.*

"*Continua*, id est, perpetuæ *hac leg.* vt & supposititia *l.vlt infr. de Episcop. Iud. continua lege sancimus.* Itaque in sequentibus mox *perpetuari volumus actionem,* item *nullis finita temporibus.*

"Abest hæc vocula à Cod. Iust.

" *Absolutam*, id est, liberam.

" id est accusationi: Id Cod. Iust. malè *insimulationis.*

"*id.* Cod. Iustin.

"*productum*, Cod. Iust. male.

"*in incerto*, Cod. Iust.

"*nomine*, Cod. Iust.

"*sacrificia sacrilega vel fecerint, vel facienda mandauerint*: ita Cod. Iust.

"*deferret*, Cod. Iustin.

"VII. *d. l.28. infr. de Iudæis.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Tertij Placidiæ filij (qui ex Cæsare recens Imperator factus fuerat) grauis hæc & seuera per Occidentem in Apostatas lex est: cui etiam coassanda venit (ceu ex eadem constitutione desumpta) *lex 28. infr. de Iudæis*: quæ & ipso argumento huic respondet. Nam vt hæc lex est de his qui ex Christianis Pagani facti sunt: ita contra illa de *proselytis* qui ex Iudæis Christiani fierent: Rursum, quodammodo illa lege multa continentur in fauorem eorum, qui ex Iudæis Christiani fierent: ita vicissim graues pœnæ hac lege continentur in eos qui ex Christianis Pagani facti essent. De hoc quippe Apostatarum genere est expressè hæc lex, & in iis tantùm huiusce legis pœnis locum esse vult disertè Valentinianus Tertius, proposita eorum distinctione seu descriptione: ibi, *Sed ne huius interpretatio criminis*, &c.

¶ Ergo cùm aliàs Apostasiæ crimen, atque adeò pœnæ in Apostatas constitutæ, in eos quoque qui ex Christianis Iudæi vel Manichæi fiunt, cadere solent: (quod docuit Valentinianus Iun. *lex 3. supr. hoc tit.* & Constantini Magni *lex 1. infr. de Iudæis*, & Constantij *lex 7. eod. tit.*) Valentinianus Tertius pœnas hac constitutione sua comprehensas iis qui ex Christianis Pagani facti, essent propias esse voluit. Inquies, quidnam igitur Valentinianus senserit de altero illo Apostatarum genere qui ex Christianis Iudæi effecti essent, de quibus sanè hac constitutione eum aliquid cauisse oportet; quandoquidem & contrario casu aliquid cauendum putauit *d.l.28. infr. de Iudæis*; putà de proselytis Christianis ex Iudæis effectis? Mihi mens ea, Valentinianum Tertium *hac leg.* abrogatum iuisse Valentiniani Iun. *leg.3. supr.* Sic quidem, vt pœnas eâ lege sancitas manere voluerit in

in iis qui ex Christianis Iudæi effecti essent, & sic mitius eum his egisse: atenim grauiores iam pœnas iis qui Pagani facti essent indixisse; Grauiores inquam pœnas, in hisce duobus: Tum quoad accusationem huius criminis: Tum quoad pœnas. Quoad *Accusationem* in duobus abrogata *d. l.3.* Primò, scilicet perpetuam huiusce criminis *Accusationem* post mortem Apostatæ facit, seu vt *hâc leg.* dicitur *continuam* accusationem & *perpetuari actionem*: denique *absolutam* vocem insimulationi non negandam, sic vt Apostasiæ crimen non præscribatur, cum temporariam tantùm & quidem quinquennalem esse voluisset Valentinianus Iun. *d.l.3.* & *l.5. supr. de inoffic. test.* exemplo querelæ inofficiosi testamenti, de quo ad *eam legem*. Quo mirum magis, Tribonianum vtramque constitutionem & *dictam l.3.* inquam, & hanc in Codicem suum (purà in *l.2.* & *4.*) coniecisse, quæ adeò inter se contrariæ sunt, nullâque satis commoda ratione conciliari possunt, quicquid randem alij distinguant. Secundò, hanc actionem, competere vult ab intestato venientibus, ad rescindenda Apostatarum testamenta etiam iis qui viuo Apostata conscij eius Apostasiæ, tacuerint, cùm tamen anteà Valentinianus Iun. id eis denegasset *d. l.3.* Ergo Valentinianus Tertius quoad accusationem duas limitationes propositas à Valentiniano Iun. *dict. l.3. hâc leg.* disertè abrogatum iuit quoad accusationem. 2. Quod *Pœnas* attinet, & eas pariter *hâc leg.* auctum iuit: Nam cum anteà nonnisi testandi tute Apostatis his interdictum fuisset, & quidem à Valentiniano Iun. *d.l.3. hâc leg.* à Valentiniano Tertio etiam donandi inter viuos iure interdicitur, imò & vendendi in fraudem huiusce legis. Et sic cùm anteà testandi tantùm solatio interdicti fuissent, atque sic solatio morientibus proposito, etiam viuis hæc interdicta. Ac proinde hâc parte iam valet argumentum negatiuum à iure testandi, sd ius donandi & vendendi.

DE IVDÆIS, COELICOLIS" ET SAMARITANIS."

TITVLVS VIII.

I. Cod. Ivst. IX. De Ivdæis, & Coelicolis: nullâ *Samaritarum* mentione factâ. Quare & omissa Cod. Iust. *lex 16.* & *28. hoc tit.*

"de *Cœlicolis* dicam ad *legem 19. hoc tit.*

"*Samaritanorum* præter Rubricam fitptæreà mentio *l.16.* vbi de iis dicam & *l.28.*

PARATITLON.

I. Ivdæorvm secta *l.1.8.9.* religio, *l.10.13.23.* lex, *leg. 28.* & *l.2. supr. de metatis*, *l.99 supr. de Decurion.* corpus, *l.18. supr. de naucul.* Etsi dicatur secta feralis *l.1.* & nefaria *d.l.1.* superstitio, item *l.10. supr. de iurisdict.* *l.24. 28.* *hoc tit.* *l.157. 158. supr. de Decurionib.* flagitiáque his tribuantur *l.6.* & turpitudo *d. l.6.* vt & peruersitas *l.24.* illi imputentur, sub Christianis tamen Imperatoribus lata fuit *l.9.* Iudæique passim per Imperium Romanum dispersi fuêre, tam in Oriente per Præfecturam Prætorianam Orientis *d.l.10. de Iurisdict.* & *l.158. supr. de Decurionib.* *l.4.5 8.9.10.13 15.18.22.25.26 27. hoc tit.* (purà per diœcesin Orientis *l.9.11. hoc tit.* per Ægypti diœcesin *d.l.18. supr. de nauicular.* *l.2. supr. de his qui ad Eccles. conf.* in vtraque Palæstinâ *l. vltim.* & per Præfecturam Illyrici *l.12.21. hoc tit.*) quàm in Occidente *l.23.* (purà per Præfecturam Italiæ *l.7.14.16. 17. 19.20.24.28. hoc tit.* *l.99. supr. de Decurionib.* *l. vltim. supr. de feriis*, & *l.8. supr. de section.* per Apuliam & Calabriam, nominatim *l.158. supr. de Decurionib.* per Galliam Belgicam, Agrippinæ *l.3. hoc tit.*) Qui omnes (vt hodie) vilibus fermè commerciis occupati fuêre: vide *l.18. supr. de nauicular.* Quâ verò conditione lati fuerint, mox ostendetur. Prius enim videndum est eorum regimen.

¶ Igitur Iudæis hoc æuo summo loco præfuere *Patriarchæ* de quibus agitur *l.8.11.13. in princ. l.14. 15. 17.* & *l. vlt. hoc tit.* & eòad eos denique pertinet *lex 22.* quæ data est Anno Domini 415. Iique summâ dignitate. Hinc adeò viri clarissimi & Illustres vocantur *l.8.11.1* & spectabiles *d.l.15.* nisi hæc lex sit de minoribus Patriarchis, sic quidem etiam vt sub Theodosio Iun. in *l.22.* Anno Domini 415. *Gamalielis* cuiusdam [Patriarchæ scilicet] mentio fiat, honorati Codicillis honorariæ Præfecturæ Hi Patriarchæ Apostolos adsessores suos habuêre *l.14. hoc tit.* Ab his præpositi alij Iudæis qui his præessent *l.15. hoc tit.* *Primates* scilicet Iudæorum *l.8. hoc tit.* Horum ditioni subiecti erant, *Archisyna*

Archisynagogi, Patriarchæ, Presbyteri aliíque *l.13. hoc tit.* de quibus mox. Tandem Pattiarchæ esse desierunt iam Anno D.429.*l. vltim. hoc tit.*

¶ Post Pattiarchas igitur & sub his fuêre in SYNAGOGIS, Primates *l.8.* 1. Hierei *l.4. hoc tit.* vbi de his dicam. 2. Archisynagogi *l.4.13.14.* Patres Synagogarum *dict. l.4.* qui Legi præsidete dicuntur *l.2.* aliíque qui Synagogis deseruiunt *l.4.* à Patriarchis præpositi *l.15.* In his & Didascali *l.3. hoc tit.* & *l.3.infr. tit. prox.* Maiores *l.1. hoc tit. d.l.3.* & *d.l.23.* Presbyteri l.2.13.14. Fit & post Presbyteros apud Epiphanium mentio *Azanitarum*, qui apud eos Diaconi & ministri fuêre: Πρεσβυτέρων, inquit, καὶ Αζανιτῶν τῶν παρ' αὐτοῖς διακόνων ἑρμηνευομένων ἢ ὑπηρετῶν. Iique comprehenduntur & *l.4. hoc tit.* his verbis, *cæterísque qui in eodem loco, seu Synagogis deseruiunt*, & *l.13.* his verbis, *cæterísque qui in eius religionis Sacramento versantur.*

¶ In SYNEDRIIS verò erant *Primates* singulis Prouinciis præpositi *l.vltim. Patriarcha*, scilicet minores *l.1.2.13. hoc tit. l.10. supr.* de Iurisdictione (qui Archisynagogis postpoountut *d.l.13.* paritet vt Patriarchia Synagogis *l.3.* Presbyteris præponuntur *d.l.3.& 13.* & maioribus iunguntur *d.l.1,*) Proceres singulis ciuitatibus *l.10. hoc tit.* Nisi hi duo iidem sint. Hi pretia rerum venalium Iudæis statuebant *d.l.10. hoc tit.* disciplinæ Iudæorum & modestiæ inspectores erant *d.l.1. & 23. hoc tit.* eorúmque velut Syndici *l.3. infr.tit. prox. ne Christianum mancipium*: suâ de teligione sententiam habuêre arbitrio Patriarcharum *l 8.*

¶ Iudæis itaque (vt sub vnum conspectum proponam quis Iudæotum *status* sub Christianis Imperatoribus fuerit) vt sui Primates fuêre, de quibus modo,. fuítque adstricti cærimoniis extitere *l.13.* 1. Ita & sua illi Synedria habuêre *l.vltim.* seu Conuenticula *l.20.* suas Synagogas *l.2.9.12.14.20.21.22.25.26.27. hoc tit.* & *l.2.supr. de metatis*: aliáque religiosa loca *d.l.2. supr.de metatis*: Patriarchia & Presbyteria, *l.3. hoc tit.* 2. Conuentúsque in his hac tempestate liciti fuêre *l.9.* 3. *Ferias* item suas & festinitates exercere nullo interturbante, potuêre *l.vltim.de feriis supr. l.8.supr. de exsect. l 18. 20. hoc tit.* veluti Sabbathum *d.l.vltim.* & *l.8.* Solemne item quo Aman incendunt *l.18. hoc tit.* & alios dies: sic quidem vt his diebus exigi, conueniri non possent: ne quidem fisci nomine *dd. ll.* 4. *Synagogæ* item eorum à metati oncre immunes fuêre *l.2.de metatis*: neque Christianis eas violare, inuolare, destruere, exurere licuit *l.9.12.20.21.25.26 27. de Iudæis*, donariave expilare *d. l.25.* 5. Ipsos *Iudæos* obtetere vel lædere, contumeliave afficere, manúsque inferre impunè non licuit, *l.21.26. de Iudæis*, *l.24. de Paganis*, vt & eorum bona diripere *d. l.24.* multo minus illustrium Patriarcharum contumeliosam in publico facere mentionem *l.11.d. tit. de Iudæis.* 6. *Disciplina* quoque his sua seruata relictáque. Proiecti quippe à Primatibus suis vt reciperentur rursum à Iudicibus cogi non potuêre *l.8. de Iudæis.* Confugientes etiam ad Christianam religionem ad euitanda tantùm crimina aliásque necessitates, recuperauêre, *l.23. de Iudæis*, *l.2. de his qui ad Eccles. 3.4. vltim.* 7. *Priuilegia* etiam Archisynagogis, Patriarchis & cæteris in huius religionis Sacramento versantibus eadem, quæ Clericis concessa fuêre *l.13.15. de Iudæis*: putà ciuilium, curialium, personalium munerum immunitas *l.2 4 13. de Iudæis.* 8. Primatum item & Patriarcharum de religione, seu quæ ad eorum superstitionem pertinent, sententia seu iudicium fuit *l.8. hoc tit.* & argum. *l.10. de Iurisdict.* De cæteris, vt & si inter Chtistianos & Iudæos contentio esset, Rectoris Prouinciæ forum sortiti *d.l.10.* & *l.22. hoc tit.* 9. *Pretium* retum venalium his, non discursores, moderatores statuêre, sed ipsorum proceres *l.10. hoc tit.* 10. Liberalibus etiam studiis instituti exercendæ *Aduocationis* licentiam habuêre *l.24. hoc tit.* 11. Postremum, Apostolatus seu auri coronarij Hierosolymam ex omni orbe Romano ad Patriarchas & ad Primates exigendi mittendíque ius eis fuit *l.14.17.vlt. hoc tit.*

¶ Viceuersa, Iudæorum audacia *l 44. de hæreticis*: ne aut incresceret, aut in Chtistianos fortè insolescerent, varia subinde in hos constituta: 1. Synagogas scilicet nouas condere prohibiti *l.22.25.27. hoc tit.* 2. Nuptiæ item inter Christianum & Iudæum vetitæ *l.6.hoc tit.l.1.de nuptiis*, *l.6.ad L.Iul. de adult.* 3. Militia item omni Palatinâ, armata ab Honorio exclusi *l.16.24. hoc tit.* 4. Muneribus vicissim publicis, curiis, corporibúsque obnoxij erant & ad ea vocari poterant *l.2.3.24. hoc tit. l.99. 157. 158. 165. de Decurionib.* Inter alia idonei facultatibus ad functionem nauiculariam vocari poterant *l.18. de nauicular.* 5. Etiam quoad nuptias contrahendas: de quo est *lex 7. Cod. de Iudeis*, Romano & communi Iure viuere iussi *l.10. de Iurisdict.* 6. Iudicandi in Christianos Patriarchis copia non fuit *l.22. hoc tit.* 7. Ex Christianis Iudæi effecti, pœnis affecti *l.1. hoc tit.* veluti bonorum proscriptionis *l.3. hoc tit.* vide & *l.7. de Apostatis.* 8. Contrà Chtistianæ teligionis odio, filium Christianum ex Iudæo factum patet, ideò exhæ-

redare non potuit: imò quamlibet ingrato Falcidiam relinquere teuebatur *l.18. hoc tit.* Sed & alium ex Iudæo Chriſtianum factum inquietautes ſupplicio affecti *l.25. hoc tit.* 9. Vetiti item Chriſtianum circumcidere *l.22. 26. hoc tit.* 10. imò Chriſtianum mancipium habere *l.22. d. tit.* de quo *tit. ſpecialis prox.* 11. Denique vetiti quidquam in Chriſtianæ religionis contemptum admittere, veluti Crucem incendere in ſolemni feſtiuitate Amanis *l.18.* vel quicquam præceps in Chriſtianæ cultionis reuerentiam admittere *l.21. infr. hoc tit.*

II. *Cælicolæ* quoque erant de quibus agitur in *Rubrica, hoc tit.* (vbi medio loco poſiti hi inter Iudæos & Samaritanos:) & tribus legibus huius Codicis, putà *l.19. hoc tit.* & *l.40.44 de hæreticis.*

III. *Samaritani*; de his agitur, præter Rubricam, tribus legibus: putà *l.16.28. hoc tit.* & *l.18 ſupr. de nauicular.*

Cæterùm quorum Imperatorum de Iudæis vel in Iudæos conſtitutiones hoc titulo extent aliæque quæ hoc Codice occurrunt, hoc ſyllabo exhibere iuuat: vt ita hiſtoriæ Iudaicæ *pars inde tam confici poſſit.*

Conſtantini Magni eſt *lex* 1.2.3.4.5. *hoc tit. l.1. infr. tit. prox.*

Conſtantij *lex* 6.7. *hoc tit. l.2. tit. prox.*

Valentiniani Senioris *lex* 2. *ſupr. de metatis.*

Valentiniani Iun. *l.99. ſupr. de Decurionib. l.3. de Apoſtatis.*

Theodoſij Magni *lex*.8. 9. *hoc tit. l.18. ſupr. de nauicular. l.2. de nuptijs, l.5. ad L. Iul. de adulter.* adde & *l.7. Cod. de Iudæis.*

Arcadij *lex* 10.11.12.13.15. *hoc tit. l.10. ſuprà de Iuriſdict. l.2. de his qui ad Eccleſ.*

Honorij *lex* 14.16.17.19.20.23.24. *hoc tit. l.158. ſupr. de Decurion. l.8. ſupr. de execut. l.vltim. ſupr. de ferijs. l.3. tit. prox.*

Theodoſij Iun. *lex* 18.21. 22.25.26.27.29. *ſeu vlt. hoc tit. l.24. infr. de Paganis: l.4.5. infr. tit. prox.*

Valentiniani Tertij *lex* 28. *hoc tit.*

Et ſic in vniuerſum ſunt hoc Codice quadraginta ſex conſtitutiones de Iudæis, ex quibus, vt dixi Hiſtoriæ *Iudaicæ* partem breuéque Chronicon centum quindecim annorum, ab Anno D.315. ad 429. conficere licet.

I. * Imp. CONSTANTINVS A. ad Euagrium."

IVDÆIS," & Maioribus eorum, & Patriarchis, volumus intimari," quòd ſi qui, poſt hanc legem, aliquem, qui eorum feralem" fugerit ſectam, & ad Dei cultum reſpexerit, ſaxis aut alio furoris genere, (quod nunc" fieri cognoſcimus,) auſus fuerit adtemptare, mox flammis dedendus & cum omnibus ſuis participibus concremandus. ¶ Si * quis verò ex populo" ad eorum nefariam ſectam acceſſerit, & conciliabulis eorum ſe adplicauerit, cum ipſis pœnas meritas ſuſtinebit. Dat. XV. Kalend. Nou. Murgillo," Conſtantino A." IV. & Licinio IV. COSS. [315.]

NOTÆ.

* *Lex* 3. *Cod. eod. tit.* hinc deſumpta eſt. Hanc Annalibus quoque ſuis inſeruit rectè Baronius *Anno D.*315.

"*PF.P.* Ita Codex Iuſtin. vt *lege ſupr. de Centonar. & Dendrof.* quæ hoc ipſo anno data eſt ante menſem. Et ex his tamen legibus diſcere non licet vllo argumento, quamnam Præfecturam geſſerit. Si vera eſt coniectura eorum, qui *hanc legem* ad Ioſephum ex Iudæo Chriſtianum effectum referunt, tum dicendum fuerit, Euagrium hunc PP. Orientis fuiſſe, in quâ & Palæſtina erat.

"*Et Cælicolis*, hæc verba addita in *Cod. Iuſt.* etſi à quibuſdam manuſcriptis abſint. Sanè Conſtantini ſeculo hæc non conueniunt, vt ad *l.19. infr.* notabitur.

"*Feralis* ſecta Iudæorum, ſimiliter Theodoſius *Nouella de Iudæis & Samaritis* 3. *verſ. Quamobrem*: vt mox *infr. nefaria.*

" poſtea quam nos Chriſtianæ fidei vexillum ereximus.

* Secundum caput: quod recidit Tribonianus & à Codice ſuo abeſſe voluit: propter *l.7. infr. hoc tit.* & *l. vltim. ſupr. de Apoſtatis*, quas prætulit.

"*Populo* Chriſtiano tantùm, an verò & Gentili? Illud puto. Sanè & Doctorum conſtans eſt ſententia, Apoſtatam dici non poſſe, ſi quis ab improbâ ſectâ ad aliam reprobatam ſe transferat: veluti de Iudaiſmo ad Paganiſmum: & viceuerſa, vt de facto reſponderunt ....*conſil*...& Alciatus, *conſil.*478. quibus aſſentitur Clarus, *in praxi crim.* §. *vlt. q.*7. *n.*4. Albet. *in Rubr. Cod. de Iudæis, n*... Campegius *de.. q.*7. *verſ. ex his.*

"*Murſillo*: quod in Panonia ſuperiore, prope Murſam eius meminit Antoninus in Itinerario *p.*146. *Murſillum* eſt *Murſilla minor*, vt vocatur in Itin. Peuting.

"Ita quoque habet ſubſcriptio Cod. Iuſt. *d. l.* 3. vt mirer, vnde, aut quo argumento, Baronius *Anno D.*327.*n.*35. hanc ſubſcriptionem exhibet. *Dat. XV Kal.(.)Nou. Conſtantinopoli Conſtantino A. VIII. & Conſtantio VI. COSS.* Ex qua tamen colligit, *hanc leg.* hoc quidem tempore primum ſancitam, poſteà verò relatam & quidem Conſtantinopoli; (quæ tamen etiam eo tempore tum nulla erat.)

COMMEN

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI Magni tum in Iudæos, tum pro Iudæis, quinque priores huius tituli sunt constitutiones; quibus addenda & sexta eiusdem *lex* 1. *infr. tit. prox.* septimam non admitto, quam alioquin memorare videtur *lex* 21. *hoc tit.* vt ad *eam leg.* ostendo.

¶ Sanè omnes illæ leges Constantini Magni studium arguunt tum in propagandâ Christianâ religione, viceuersa in pessundanda Iudæorum superstitione, iam inde à primis susceptæ à se fidei Christianæ primordiis, tum in retundenda Iudæorum audaciâ: partim denique, quia simul & semel extirpari non poterant, in tuendis & protegendis Iudæis, quantum noui Imperij, déque nouo susceptæ religionis ratio vel desiderabat vel ferebat.

¶ Inter cætera verò, bonæ etiā mentis & ad fidem Christianam conuersionis & in ea manendi, sic vt dicam, impedimenta quædā Constantinus M. è medio amolienda credidit, quò pertinet hæc lex & *lex* 5. Huius legis duo sunt capita. Primùm cauetur, vt si quis Iudæus, Iudæum ὁμόφυλον PROSELYTVM, id est, ex Iudæo, Christianum factum, saxis, vel alio furoris genere appetierit, tum flammæ supplicio puniatur: Cui similis constitutio est *l.* 5. *infr.* Secundo capite viceuersâ, APOSTATAS, id est, ad Iudæorum sectam ex populo Christiano accedentes, meritis pœnis eum ipsis affici iubet. De quo *Apostatarum* genere est quoque Constantis *lex* 7. *infr. hoc tit.* (quæ alioquin prima est Cod. Iustin. *de Apostatis*:) vt & Valentiniani Iun. *lex* 3. *supr. de Apostatis.* Neque plures, quàm hæ tres constitutiones hoc Codice occurrunt de hoc Apostatarū, qui scilicet è Christianis Iudæi fiunt, genere: Cùm autē ait Constantinus M. *meritis pœnis* hos Apostatas afficiendos, arbitrariam pœnam constituit: Verùm posteà mitior aliquanto certáque pœna placuit Constantio *d. l.* 7. *infr. hoc tit.* nempe bonorum proscriptionis: vt & Valentiniano Iun. *l.* 3. *supr. de Apostat.* qui eos in intestabilium numerum redegit. Et has quidem leges Iustinianus prætulit, omissâ hac *huius l.* parte.

¶ Ad primum huius legis caput redeamus. Ex hâc constitutione & *l.* 5. *infr.* (quæ eiusdem Constantini Magni est:) videre licet, quanto Iudæi furore (ipsi *iudicium Zeli* vocabant: de quo Seldenus *de Iure naturæ & gentium secundum Hebræos. l.* 4.) hâc tempestate ferrentur, Christianæ religionis incrementis indolentes, & ad eam passim, Iudæis quoque ipsis meliore consilio transeuntibus: tantâ etiam procaciâ, vt quemadmodum cæteroquin proselytos ὁμοφύλους Iudæi atrocius semper insecuti sunt, quam Gentiles Christianos ex Gentilibus factos, vt testatur Chrysostomus in *cap.* 2. *epist. ad Galatas ed. Comel. pag.* 989. sub Constantino M. furentibus propiores, saxis aliove furoris & iniuriarum genere hos appeterent. Sanè Epiphanius quoque *in hæresi Ebionitarum* 30. *n.* 4. *&* 11. *&* 12. eius rei exemplum apponit, sub hoc ipsomet Constantino, nempe Iosephi cuiusdam ex Apostolo Iudæorum: (de quo munere dicam ad *l.* 14. *infr.*) ad Christianam religionem inclinantis, mox & conuersi, variis appetiti à Iudæis iniuriis. Locus dignus est, qui totus legatur. Nam & ex eo apparet, Constantinum Magnum hosce proselytos dignitatibus auxisse. Quinimò sunt, qui haud improbabiliter censent, eundem Iosephum *huic leg.* ferendæ Constantino causam præbuisse.

¶ Nunc de Maioribus & Patriarchis Iudæorum, quorum *hâc leg.* mentio fit, dispiciendum est. MAIORES Iudæorum, non hic tantùm memorantur, verùm & in inscriptione *legis* 23. *infr. hoc tit.* & *l.* 3. *infr. ne Christian. mancip. Iudæus hab.* vbi Didascalo proximè subiiciuntur *dict. l.* 23. & *d. l.* 3. his verbis, *Annati Didascalo & Maioribus Iudæorum.* Vnde apparet, maiorem Didascali fuisse dignitatem inter Iudæos, minorem fuisse *Maiorum.* Quid autem muneris eorum fuerit, hæ leges ex parte edocent; nempe, fuisse eos Iudæorum disciplinæ & modestiæ Inspectores, & quotidianis Iudæorum actibus præfuisse. Ideò scilicet hanc constitutionem Constantinus his intimari iubet, qua Iudæorum furori, proselytos, id est, ex Iudæis Christianos iam factos appetentium, occurritur. Hinc vt Didascalo, ita & *Maioribus* Iudæorum duæ illæ leges inscribuntur, quibus eis permittitur, criminis tantùm aliarumve necessitatum curandorum causa, Iudæos ad Ecclesiam simulatè transeuntes, retrahere ad propriam legem: iisdémque hoc negotij datur, vt ne Christianos seruos à Iudæis dominis à Christiana religione adduci patiantur. Sanè & Interpres ad *l.* 10. *supr. de Iurisdictione*, Iudices eorum fuisse ostendit *Maiores*, quæ ad religionis disciplinam pertinebant. Quanquam ibi eâ appellatione abutitur. Igitur fuerunt hi pars Synedrij Iudaici, neque dubito eosdem videri cum iis, qui *Proceres Iudæorum* vocantur, *l.* 10. *infr. hoc tit.* quorum muneris id quoque erat, vt Iudæis pretia statuerent, cum venalia proponebant. Et hæc de *Maioribus* Iudæorum; quos cum *Presbyteris*, de quibus ad *l. prox.* æquari non fero: etsi alioquin Presbyteros & Maiores dictos scio, vt apud Cyprianum *ad Quirinum, cap.* 76. & Interpres *ad Timoth.* & *can.* 7. *Cod. Africani.* Videndus & Suidas, item Benedictus Leuita *lib.* 5. *cap.* 107. & Flodoardus *in visionibus.* Maiores enim fuerunt pars vt dixi Synedrij: Presbyteri verò pars Synagogæ vt probatur *l.* 2. 13. 14. *infr.* Sanè & hæreticis quoque nonnullis sui Maiores fuére: vt apud Phryges οἱ μέγιστοι λεγόμενοι vt testatur *can* 8. *Laod.*

¶ Sequuntur *hâc leg.* PATRIARCHÆ Iudæorum: quorum multa hoc titulo, & quidem decem legibus mentio fit: purâ *hâc leg.* & *l.* 2. 8. 11. 13. 14. 15. 17. 22. *vltim. hoc tit.* ac præterea *l.* 10. *supr. de Iurisdict.* qui & *Principes* Iudæis ipsis dicti נשיאים. Quomodo Origenes καὶ ἀρχῶν, *lib.* 4. *cap.* 1. & Hieronymus eos vocat, *lib.* 2. *comment. in Esaiam.* De Patriarchis inquam hæ leges omnes sunt. Atenim, quod primo omnium loco obseruandum est, non vnum Patriarcharum genus fuit, alij aliis superiores: alij contra ditioni aliorum subiecti, quod ostendit disertè *lex* 13. *infr. hoc tit.* *Priuilegia*, inquit, *his, qui Inlustrium Patriarcharum ditioni subiecti sunt Archisynagogis, Patriarchisque, ac Presbyteris cæterisque qui in eius religionis Sacramento versantur, nutu nostri numinis perseuerent ea, quæ venerandæ Christianæ legis primis Clericis sanctimonia deferuntur.* Minores igitur hi Patriarchæ seu Pisioi sub inlustrium Patriarcharum ditione fuerunt: nempe Archisynagogis inferiores, Presbyteris Superiores; denique similes primis inter Christianos Clericis. De iisdem Patriarchis Minoribus accipio & hanc ipsam legem, vbi Maioribus Iudæorum coniunguntur. De iisdem accipio & *legem* 2. vbi pariter Synagogis, Patriarchis, Presbyteris dediti coniunguntur, haud aliter atque *dicta lege* 13. eodem prorsus ordine

&

& in eodem argomento. *Qui*, inquit, *deuotione istâ Synagogis Iudeorum, Patriarchis, vel Presbyteris se dederunt, & in memoratâ secta degentes Legi ipsi præsident, immunes ab omnibus tam personalibus, quam ciuilibus muneribus perseuerent*, &c. cum oporteat istiusmodi homines à locis in quibus sunt, nullâ *compellitatione discedere*. Ex his iam apparet, errasse Virum Doctum, qui ex *d.l.* 13. Patriarchas illos submouendos putabat sollicitatâ ciua legis lectione.

Ex hac interim quoque lege apparet, vt Synagogas ita & Patriarchias & Presbyteria localiter dicta. Itaque mox *à locis in quibus sunt*. Nempe Patriarcharum horum certus districtus fuit: certis ἀποδειχθεῖσι & ταγμοῖς præpositi erant. Atenim de Maioribus Patriarchis intelligenda est *lex* 8. 11. 15. *in princ.* 14. 17. & *lex* 29. *seu vltim. hoc tit.* de quibus sequentia obseruentur, præter id, quod de eorum munere docuit iam *Paratitlon*. Primùm, magnam eorum sub Christianis Imperatoribus dignitatem fuisse, vnde Clarissimi & Inlustres Patriarchæ vocantur *l.*8. 11. 13. vel etiam spectabiles *l.*15. adeò quidem, vt Gamaëlis Patriarchæ mentio fiat *l.*22. *hoc tit.* fastigio dignitatum erecti, collatis ei codicillis honorariæ Præfecturæ. Quinimò Iulianus Imp. *in Epist. ad Iudæos*, suo semper fine Patriarcham Iulum fratrem omni obseruatione dignum vocat: τὸν ἀδελφὸν τὸν αἰδεσιμώτατον Πατριάρχην [illegible]. Secundò notandum, horum Patriarcharum arbitrio Synagogas paruisse, constitutósque ab his Primates legis Iudaicæ *l.*8. *hoc tit.* id est: horum ditioni subiectos fuisse Archisynagogos, Patriarchas. (Minores scilicet: de quibus Imp.) ac Presbyteros cæterósque qui in eius religionis Sacramento versabantur, vt docet *lex* 13. *infr. hoc tit.* eius missionibus paruisse, vt docet *lex* 14. 17. & *vltim. hoc tit.* ab his præpositos, qui cæteris præessent *l.*15. *hoc tit.* Tertiò tenendum, adsessores suos habuisse, quos *Apostolos* vocabant, vt docet *l.*14. *hoc tit.* vbi de his Apostolis dicam plenissimè. Sed & Epiphanius *in hæresi Ebionitarum* 30. Quartò tenendum, certo tempore hos Patriarchas à singulis Synagogis certam summam exegisse anniuersario canone auri coronarij nomine: ita quidem, vt cùm Patriarchæ hi in Oriente essent, nihilominus ex Occidentalibus partibus id exigerent, vt docent tres huius tituli constitutiones, putà *lex* 14. 17. *vltim. hoc tit.* de quo, vbi ad eas ventum erit, dicam prolixè. Quintò, Patriarchas in sola Palæstina fuisse, docet *d.l. vlt. infr. hoc tit.* non alibi in Oriente, multo minus in *Occidente*, quod tamen ex *l. vltim. hoc tit.* malè nonnulli colligunt, de quo ad *eam legem*, quod etiam Doctissimus Marca *de concordiâ Sacerdotij & Imperij*, rectè monuit *p.*27. Et inanis est obseruatio Scriptoris nuperi, qui Patriarcham Huillum cuius ex Origene meminit Hieronymus *Apologiâ aduers. Rufin.* Alexandriæ nominatim Patriarcham fuisse scribit. Item Helleli (qui sub Constantino Magno) & Iudæ Tiberiadensium Patriarcharum meminisse Epiphanium κατ' Ἐβιωναίων, vnde etiam discere liceat, Ciliciam attributam fuisse Præfecturæ Patriarchæ Tiberiadensium: quorum neutrum tamen aut ab Hieronymo, aut ab Epiphanio dicitur. Sextò tenendum, ab initio nonnisi vnum fuisse & Catholicum, sic vt dicam, Patriarcham, & quidem adhuc Anno D.399. vt docet *lex* 14. *infr.* Quod Hadriani Imp. epistola apertissimè ostendit apud Phlegontem referente Vopisco *in vita Saturnini*: cuius hæc sunt verba, de Ægypto agentis: *Illi*, inquit, *qui Serapin colunt, Christiani sunt, & deuoti sunt Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt. Nemo illic Archisynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter, non Mathematicus, non Aruspex, non Aliptes. IPSE ILLE PATRIARCHA, quum Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab alijs cogitur Christum.* Vides *αὐτὸς ipse ille Patriarcha*, quod nonnisi de vno rectè dicitur. Qui, quod quintæ obseruationi addendum; etsi in Palæstina sedem suam haberet; attamen vicinas Prouincias subinde perlustrabat, ac nominatim Ægyptum, vt docet insignis ille Hadriani locus. *Ipse ille*, inquit, *Patriarcha cùm Ægyptum VENERIT.* Itaque ita locus ille deinceps intelligendus est, quem Viri Docti fermè non cepêre. Vnus Philippus Berterius hâc parte cœpit. In eo sanè vel maximè hallucinati sunt, quod hæc accepêre de Patriarcha Christiano Episcopo Alexandrino. Nam vt omittam argumenta alia, certissimum est, *Patriarcha* nomen in Ecclesia Christiana nonnisi diu post Hadriani tempora in Ecclesia auditum, quod alibi pluribus ostendi. Sanè & Origenes περὶ ἀρχῶν *lib.*4. *cap.*1. apertè vnum Patriarcham fuisse indicat. *Dicunt permanere adhuc Principem ex genere Iuda istum videlicet qui est gentis eorum Princeps, quem nominant Patriarcham.* Septimò notandum, inter varias hoc Codice constitutiones, præter Hadrianum, Epiphanium, Origenem, Patriarcharum meminisse & alios. Hieronymus, *Apologiâ aduersus Rufinum* ex Origene Patriarcham Huillum memorat: *Certè*, inquit, *etiam Origenes Patriarcham Huillum, qui temporibus suis fuit, nominat.* Atenim fallitur Vir Doctissimus Canonum *Isagogicorum lib.*3. *pag.*297. qui hunc Origenis Huillum miscet cum Hellele, cuius meminit Epiphanius *in hæresi Ebionit.* Nam tempora omninò refragantur. Sanè *lex vltim. infr.* plures fuisse Iudæorum Patriarchas innuit, vt & Theodoretus in ἀγγέλῳ. Erant Patriarchæ Iudæorum Babylonienses, Tiberiadenses, de quibus Seder olam, Rabbi Abraham, Rabbi Dauid in Zemach, Benjamin *Itinerario*. Octauò, neque illud ex Epiphanio omittendum; Patriarchas non delectu, verùm generis successione hanc dignitatem sortitos, natos aut factos, aut creatos: Sic vt filius Patrem exciperet eique succederet, etiam puer, quod Epiphanius testatur tutoribus ab eo acceptis fortè Apostolis. Nonò, istos Patriarchas videri voluisse esse de tribu Iuda, teste Origene *lib.* περὶ ἀρχῶν 4. *cap.*1. Quod Cyrillus *catechesi* 12. negat, vt & Theodoretus, qui eos ad stirpem Herodis refert. Epiphanius ad Gamalielem, & quidem eius, cuius mentio fit in Actis Apostolorum, refert. Neque illud quod idem addit de Iuda Patriarchâ luxu & deliciis dedito: Quod Hieronymus in commune de Patriarchis scribit *comment. in* 3. *Esaiæ*, ad hæc verba & *effœminati dominabuntur eis*, *Consideremus*, inquit, *Patriarchas Iudæorum & Iuuenes siue Pueros effœminatósque, ac deliciis affluentes & impletam Prophetiam esse cernemus.* Sed & Chrysostomus, *orat.*3. *aduers. Iudæos*, *p.*342. Patriarchas Iudæorum caupones, negotiatores, atque omni iniquitate plenos vocat, καπήλους, ἐμπόρους καὶ πάσης παρανομίας γέμοντας. Non igitur de Iuda solùm id verum, verùm etiam de aliis, vt proinde Vir Doctus perperam id ad Iudam restringat, qui fortè ne de Iuda quidem sensit, qui Constantini Magni temporibus fuit. Quæ causa etiam fortè abolendorum illorum, de quo ad *l. vlt. infr.* Non omittendum hîc quod Chrysostomus superioribus subiicit, de hisce Patriarchis Iudæorum; ἵνα μάθῃς, ὡς ὅτι οἱ οὖν Πατριάρχαι παρ' ὑμῖν λεγόμενοι, οὐχ ἱερεῖς εἰσιν, ἀλλὰ ἱερεῖς ὑποκρίνονται, καὶ παίζουσι καθάπερ ἐν τῇ σκηνῇ:

πολύν : *μᾶλλον δὲ οὐδὲ ὑπόκρισιν διατηρῆσαι δυνάνται: τοσοῦτον ἀπέχουσι τῆς ἀληθείας μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς ὑποκρίσεως αὐτῆς ἐξαναλώθησαν* : & hæc quidem *d. pag.*142. nam deinceps id repetit posteà rursum, & in sequentibus pluribus argumentis probat *pag.*343. vbi & denuo de his: *ὁρᾷς πῶς τὸ παλαιὸν οἱ ἱερεῖς ἐχειροτονοῦντο, νυνὶ δὲ πάντα τὰ παρὰ Ἰουδαίοις πάντα, καὶ γέλως, καὶ αἰσχύνη, καὶ μυρίας μεστὰ παρανομίας*. Quinimò nec illud omittendum, errorem esse quoque Viri Docti, qui suos Gentilibus quoque Patriarchas fuisse prodidit. Nam Gamaliel Patriarcha, cuius mentio apud Marcellum Empiricum *cap.*23. is non alius est, quam Patriarcha Iudæorum, vt & nomen eius ostendit, quod vtique inter Paganos nunquam vsurpatum est. Et verò is ille Gamaliel est, qui memoratur sub Theodosio Iuniore *l.*22. *infr. hoc tit.* & cuius etiam Hieronymus meminit *epistola ad Pammachium* 101. *tom.*3. *fol.*166. *litt. D.* Sed & alij passim Gamalieles non tantùm inter Didascalos, cuiusmodi est ille de quo Acta Apostolor. verùm etiam Patriarchæ Iudæorum fuêre, vt is quoque cuius meminit Epiphanius *in hæresi Ebionitarum* 20. *n.*4. Verùm de eo ad *l.*22. *infr.* pleniùs.

---

11. * Idem A. ad Ablauium PF. P."

QVi deuotione totâ Synagogis Iudæorum, Patriarchis," vel Presbyteris se dederunt, & in memoratâ" sectâ degentes" legi ipsi præsident, immunes ab omnibus, tam personalibus, quàm ciuilibus muneribus perseuerent: Ita vt, illi qui iam forsitan Decuriones sunt, nequaquàm ad prosecutiones" aliquas destinentur:" cùm oporteat istiusmodi homines à locis" in quibus sunt, nullâ compelli ratione discedere. Hij autem, qui minimè Curiales sunt, perpetuâ Decurionatus immunitate potiantur. Dat. III. Kalend. Decembr. Constantinop.", Gallicano & Symmacho coss. [330.]

NOTÆ.

Abest *hæc lex* à *Cod.Iust.* Meminit eius Baronius *Anno D* 315.*n.*9.*&*13. Hanc legem quoque indicat Arcadius *l.*15.*inf. hoc tit.* Porrò *ὕστερον πρότερον* hic admissum ab huius Codicis concinnatoribus: hæc enim lex, tertia hoc titulo esse debuit: tertia verò in hunc locum retrudi.

"*Ablauium* hunc Præfectum Prætorio fuisse comperio ex variis huius Cod. constitutionibus, iam inde ab Anno D.326. in Annum vsque 333. de quo mox plura.

"*& Patriarchis*: & mox quoque *Presbyteris*. Respondent enim hæc *Synagogis*. Quare mox sequitur *à locis in quibus sunt*, &c.

"Cujaciana editio habebat, *memoratas sectas*.

"*de gentis Lege ipsi præsident*, ita emendabat Doct. Petitus 2.*var.*10.*p.*149.160. minus rectè.

"*Prosecutiones* de his *suo tit.*

"al. *designentur*.

"id est Synagogis, Patriarchiis, Presbyteriis.

"Prima hæc omnium constitutionum *Constantinopoli* data: ac proinde primum hoc isto Codice vestigium Constantini moræ Constantinopoli exstat. Sanè Encænia Constantinopoleos in huius Anni 330. mensem Maium incidunt, de quo vide *Consularia Theodosiana*.

"al. *Basso*: malè.

COMMENTARIVS.

PRÆSIDENTES Legi Iudaicæ, veluti Archisynagogos, Patriarchas, Presbyteros, aliósque, ab omnibus omninò muneribus ciuilibus & personalibus manere, atque à curiali functione omni immunes, hac constitutione Constantinus Magnus iubet: & rursum *l.*4. *infr.* imò & *l.*5. quadamtenus. Quas Constantini Magni constitutiones intelligit Arcadius, *l.*13. *infr. hoc tit.* Quod & ipsum iusserunt posteà Constantius, Valentinianus & Valens, quorum constitutiones huc Codice desiderantur, quarum tamen eadem *lex* 13. meminit. Imò & Theodosius M. vt idem Arcadius docet *l.*15. *hoc tit.* cùm aliàs Iudæos Curiales in Curia retineri voluerit *l.*99. *supr. de Decurionib.* Denique & Arcadius ipse *d. l.*13. *&* 15.

¶ Et hoc quidem priuilegium his quos dixi in futurum tribuit Constantinus Magnus in tantùm, quæ *Ampliatio* hic adiicitur, vt si qui ex illis iam Decuriones sint, à *prosecutionis* onere tamen immunes esse velit, de quo *prosecutionis* onere Curialibus imminente, fidem quoque facit *lex* 161. *supr. de Decurionib.* & de eo plenissimè dictum *supr. lib.* 12. *tit. de auri publici prosecut.* Ratio hic adsignatur, cuius aperta sententia est, quæque etiam ex parte edocet, quod sit prosecutionis onus. Priuilegium hoc igitur Immunitatis Iudæorum Primatibus tributum: Quo vtique ipso supponitur Iudæos muneribus publicis, Curiísque obnoxios, conditioni suæ inhærere oportuisse: de quo præter *hanc leg.* & *proximam &* 4. *infr.* testes quoque sunt *lex* 99. 157. 158. 165. *de Decurionib.* & Nouella Theodosij *de Iudæis*, 3. *vers. & quoniam*: vbi Theodosius: *Ne videamur*, inquit, *hominibus execrandis contumelioso ambitu immunitatis beneficium præstitisse, quos volumus huius Constitutionis authoritate damnare.*

¶ Nunc de Præsidentibus illis Legi ipsi, videndum est; (nam ita retinenda hîc lectio est.) In his memorantur Archisynagogi, qui fuêre & ante *διασπορὰν* vltimam, vt patet ex historiâ Euangelicâ & Actibus Apostolorum, *cap.*13. *vers.*15. vbi munus & officium eorum satis indicatur, vt & *Lucæ cap.*13. *vers.*14. In magnis Vrbibus plures erant Synagogæ & singulis sui Archisynagogi; quomodo & olim in maximis Vrbibus, veluti Romæ, Antiochiæ, exceptâ Alexandriâ, plures fuêre Episcopi, pro diuersis Vrbium regionibus, vt testatur Epiphanius, quod in posterum vetuit Nicæna Synodus: etsi quidem aliud nonnullis aliis placet. Notum est autem Synagogæ Iudaicæ præpositos fuisse viros spectatæ probitatis, qui Chaldaico vocabulo dicebantur, quod volebat *ποιμαίνοντες*, Archisynagogi, *Act.*13. 15. vbi plurium

mine scribantur heredes: Quos etiam præcepissemus" procul abici, ac longius amandari, nisi *pœna* visum fuisset *esse maioris*, *versari inter homines*, *& hominum carere suffragiis*. ¶ Sed nec vnquam in statum pristinum reuertentur:" Non" flagitium motum obliterabitur pœnitentiâ, neque vmbrâ aliquâ exquisitæ" defensionis, aut muniminis obducetur: Quoniam quidem eos, qui fidem, quam Deo dicauerant" polluerunt, & prodentes diuinum mysterium" in profana migrarunt," tueri, ea quæ sunt commentitia & concinnata non possunt: Lapsis etenim & errantibus subuenitur: perditis verò (hoc est, sanctum baptisma profanantibus,) nullo remedio *pœnitentiæ*, quæ *solet aliis criminibus prodesse*," succurritur. Dat. v. Id. Mai, Concordiæ, Tatiano & Symmacho COSS. [391.]

NOTÆ.

* *Lex 3. tertii.* Et *hanc legem* Annalibus suis inseruit Baronius *Anno* 391. *num.* 5. vbi tamen Theodosio M. eam perperam tribuit, pariter vt proximam *legem* 5. Iungenda porrò huic *lex 5. prox. insr. hoc tit.* ceu eodem die data ad eundem, & *lex 11. supr. de fide testium*: quæ ex huius legis principio desumpta est.

"*Flauianus* PP. Illyrici & Italiæ: vt hoc ipso anno disertè præfert inscriptio *legis 2. supr. de consilit. Princip. lex, Audum 6. supr. de contract. empt. lex, si vindicari 13. supr. de pœnis*: de hoc eodem Flauiano Præfecto Prætorio vide Symmachum *lib 2. epist* 27. 33. 75. Sozomenum *lib. 7. cap.* 22. Paulianum *in vita Ambrosij*: vid. & *Prosopogr. nostram.*

* *Lex 11. insr. de fide testium*: hinc desumpta seu delibata est.

"Ita quoque *d. l. 3. C. hoc tit.* at *d. l. 11. Sacrum.*

"hæretica superstitione: hoc additum à Triboniano ineptè, vt mox ostendetur.

"profanatint *d. l. 11.* profanarunt *d. l. 3.* Cod. Iust.

"Hactenus *lex 11. supr. de fide testium.*

† *legem 3. supr.* intelligit, quæ lata est ante octennium: errant enim grauiter, qui his indicari tradunt *legem Eunomiani spadones supr. de hæresib.*

"præciperemus Cod. Iust. *d. l. 3.*

"*nec flagitium horum*: ita Cod. Iust. non ita eleganter.

"*Exquisita*, id est, excogitatæ, anxiè quæsitæ, demonstratæ.

"*dedicauerant*, Cod. Iust.

"id est, baptisma.

"*migrauerunt*, Cod. Iust.

"*adesse*, Cod. Iust non ita rectè.

"prope Aquileiam.

---

v. * Iidem AAA. Flauiano PF. P."

Si quis splendor conlatus" est in eos, vel" ingenitus, dignitatis, qui fide" deuij, & mente cæcati, sacrosanctæ" religionis cultu & reuerentiâ desciuissent, ac se sacrificiis mancipassent, perdant," vt de loco" suo statúque deiecti perpetuâ vrantur" infamiâ, ac ne in extremâ quidem vulgi ignobilis parte numerentur. *Quid enim his cum hominibus potest esse commune, qui, infandis & feralibus mentibus, gratiam" communionis exosi, ab hominibus recesserunt?* Dat. v. Id. Mai, Concordiæ, Tatiano & Symmacho COSS. [391.]

NOTÆ.

* Abest *hæc lex* à *Cod. Iust.* Inseruit eam Baronius Annalibus suis *Anno D.* 391. *num.* 6. Iungenda ei *lex super. prox* 4. ceu eodem data ad eundem & quæ inde desumpta est *lex 11. supr. de fide testium.*

"Illyrici & Italiæ: vt ad superiorem legem ostenium.

"Dignitas alia collata, alia ingenita.

"*à fide.*

"*à sacrosancta.*

"*eum perdant.*

"Locus de dignitate: vide *Gloss. Theod.*

"inurantur.

"de hâc Gratiæ voce mox dicam.

COMMENTARIVS.

Valentiniani Iunioris secunda & tertia hæc in Apostatas hoc titulo lex est, non Theodosij Magni, quod putauit Baronius. Est verò vtraque vnius & eiusdem constitutionis Valentinianeæ pars, atque adeò inter se coassandæ, ductímque atque vno spiritu interpretandæ veniunt, vtpote cùm eundem diem præferant & ad eundem Flauianum PP. datæ sint, vnà cum *l. 11. supr. de fide testium*, quæ excerpta est ex priore *lege* 4. Quæ & ideò diligentius tractanda nobis venit, quòd hactenus à Codicis Iustinianæi interpretibus minùs intelligitur; præsertim ob ineptum Triboniani ἔμβλημα. Quo factum est, vt de Catholicis ad hæresin deflectentibus vel tota vel pars eius accipiatur: Ab aliis verò de Paganis, qui ad Christianam religionem accesserant, mox ad Paganam superstitionem redeuntibus (quod Baronius facit.) Alij nominatim ad *Eunomianos* eam referunt: Imò & absurdè admodum de excommunicatione ad eam tractetur.

¶ Primò igitur obseruandum est, hanc constitutionem seu has duas leges esse nominatim de Apostatis, qui ex Christianis Pagani facti essent, pariter vt cæteræ omnes huius tituli leges, vna tantùm *l. 3. supr.* excepta, quæ communis est omnibus Apostatarum generibus: vt proinde, quod

iam

iam dixi, fucum fecerit Tribonianus qui vt ad deflectentes in hæresin *Legem* 4. traduceret, emblema istud, *hæretica superstitione*, inseruit. Secundò notandum, has leges esse de eo Apostatarum genere, qui ex fidelibus Apostatæ facti essent. Apostatarum scilicet discrimen quod fit *l.* 5. *supr.* idem & his legibus ingeritur: Quod quidem apertissimè colligitur ex illis *legis* 4. verbis: *qui sanctam fidem prodiderint & sanctum baptisma profanauerint.* Et mox: *Sanctum baptisma profanantibus.* Item ex illis: *Qui fidem, quam Deo dicauerant, polluerunt, & prodentes diuinum mysterium, in profana migrarunt.* Tandem, qui *gratiam communionis exosi.* Quæ verba omnia non hæreticorum anabaptismum adsignificant (quod Iustinianei Interpretes opinantur, à Triboniano, vti dixi, in errorem inducti illo duarum vocum emblemate: *hæretica superstitione*) verùm Apostasiam fidelium iam baptizatorum: Etiam postrema illa, *prodentes diuinum mysterium in profana migrarunt.* *Diuinum* scilicet *mysterium*, ibi est baptismus: Nempe de Sacramentis passim propriè *mysterij* vox vsurpata, frequentissimè apud Patres, & quidem signatè de Sacramento baptismatis: pariter vt hâc *l.* 5. per *gratiam communionis* baptismus intelligendus est: Nam & ita *Gratia* absolutè & *diuina Gratia* pro baptismo vsurpatur *l.* 1. 2. 5 *supr. ne sanctum baptisma.* Imò & disertè (pariter vt *hâc leg.* 5.) *gratia communionis* eodem sensu in Concilio Toletano apud Gratianum *de consecrat. dist.* 4 *cap.* 2. Est enim baptismus tessera communionis fidelium & sanctorum. Et *communionis Gratia* hic opponitur Apostasiæ, per quam Apostata, sicut à communionis gratia excidit, ita & à communione humanâ, vt proinde cum hominibus ei nil possit esse commune: Breuiter, qui fidelium communionem, & sic baptismum eierat & communione hominum idem iudignus iudicatus est.

¶ His ita positis, de harum duarum Legum sententia videndum est. Valentinianus scilicet Iun. (qui ipse *Fidelium* numero, seu baptizatus non erat) in Apostatas ex fidelibus factos varias pœnas his legibus cumulat: & sæuiores quidem quàm antea: Et verò numero tres: quarum duæ priores continentur *l.* 4. tertia *l.* 5. Prima pœna est, quod *Intestabiles* eos vndequaque faciat, non modo testandi vel capiendi iure bis interdicto (quod iam Theodosius Magnus cauerat *l.* 1. & 2. *supr.* imò & ipse Valentinianus *l.* 3. *supr.*) Verùm etiam testimonij dictione, quæ sententia repetita extat *l.* 11. *supr. de fide testium* (de qua Apostatarum pœna: vide Farinacium *quæst.* 173. *num.* 46.) & sic in infamiam & intestabilium numerum eos redigit. Quod magis & magis elucebit ex tertia pœna. Atque id est quod ait *à consortio omnium segregatos*: vel vt dicitur *l.* 2. *supr.* de testandi iure Apostatæ adempto *absque iure Romano esse* oportere. Errant enim qui verbis illis nescio quam pœnam intelligant, maiorem pœnâ deportationis vel relegationis, quæque similis sit pœnæ excommunicationis, qua excommunicatus priuatur consortio commercióque hominum. Et sanè tantùm abest, maiore aliquâ quam deportationis & relegationis pœna Valentinianus Iunior *hâc lege* Apostatas affici voluerit vel etiam mortis (quod rectè de iure Ciuili, ac nominatim de *hâc leg.* negarit Nicolaus Arelatensis, Alphonsus de Castro,) vt contra disertè profiteatur nolle eâ pœna eos affici. Cæterequin verum Apostatæ non tantùm relegandi sint, verùm etiam morte naturali afficiendi, ac maximè Clerici: vide id affirmantes Hostiensem *in Summa, de Apostatis, qualiter puniantur, num.* 3. Alciatum *resp.* 478. Farinacium *quæst.* 183. *num.* 16. 50. 51. Menochium *de arbitr.* 2. *cent.* 6. *casu* 546. *num.* 3. & 6. & 15. 16. 17. & *lib.* 5. *præsumpt.* 6. *num.* 34. Rationem portò subiicit Valentinianus, cur exilio Apostatas istos multari noluerit, *quia pœnæ maioris id visum sibi, versari huiusmodi Apostatas inter homines, hominum carere suffragiis.* Ait autem *suffragiis*, id est: consortio (vt anteà dixit commercio & beneficio.) Quam in sententiam quoque illud est Socratis inter alia *apud* ..... *in fin.* πολὺ ἀθλιώτερον ..... τοῖς ὑπὸ πάντων ἀποστρεφομένοις ζῆν, ἢ περὶ ἄλλους μετοικεῖν. In quam sententiam & Iulius Cæsar disseruit, cùm de puniendis Catilinariæ coniurationis sociis ageret, apud Sallustium. Et hanc quidem rationem per occupationem ab eo adiici notandum est, *Quos etiam*, inquit, *præcepissemus procul abiici ac longius amandari, nisi pœna*, &c. Nempe fuerant proculdubiò è Patribus, atque alij, qui in consilio erant, qui Valentiniano Iun. suaderent, huiusmodi Apostatas exilio multari & quidem longinquo: Quo certè pœnæ genere affecti ex hæreticis nonnulli, vt docet inter alias *lex* 52. 53. 57. *supr. de hæretic.* ne scilicet præsentia & contagione horum, alij in Apostasiam traherentur. Quod tamen Valentiniano eâ quam dixi, ratione minus placuit. Et hæc de primâ pœnâ.

¶ Secunda pœna hæc est, quod ne *Pœnitentibus* quidem gratiam se facturum comminetur, atque adeò indulgentiæ spem omnem in futurum hîc præcidit. Cùm tamen aliàs pœnitentiæ locus sit in hæreticis conuersis, vt docet *lex* 41. *supr. de hæretic.* Quæ verò Patrum, Conciliorum, hâc in re sententia fuerit, vtrumne inquam Apostatis pœnitentibus venia danda esset in Ecclesiâ, discere est, ea canonibus variis Conciliorum, scriptoribúsque variis: quæ hîc cumulare nolo. Vnus Ambrosius Ep. Mediol. horum ipsorum temporum scriptor, *libris* 2. *de pœnitentia*, quibus Nouatianos passim perstringit, huic rei sufficit. Nos ad Valentinianum Imp. redeamus. Et idem tamen Valentinianus Iun. *hâc leg. lapsis & errantibus* veniam pollicetur. Quibus verbis non hæretici designantur, quod *Cujacius* etiam volebat, putans hanc differentiam constitui inter hæreticos & Apostatas, verùm Valentinianus (& ipse Catechumenus) Catechumenos lapsos intelligit: atque ita fideles in Apostasiam prolapsos, à Catechumenis lapsis, distinguit; pariter vt distinguuntur à Theodosio Magno *l.* 5. *supr.* cuius differentiæ rationem etiam ipsis appellationibus satis aperit: Nempe illos *perditos* vocat, hos *lapsos* tantùm & *errantes*: de cuius differentiæ ratione ad *d. l.* 2. *supr.* [Et verò in illos ideò tam graues pœnæ sancitæ, quod hac tempestate nonnisi adulti fermè fidémque professi baptizabantur, neque infantum adhuc baptismus planè inoleuerat, etsi alicubi vsurparetur, & Patrum quoque sententiæ vrgerent: de quo præter Cyprianum & Origenem superiore seculo, hoc nostro Athanasius *quæst.* 124. Gregorius Nazianzenus *orat.* 3. *in sanctum lauacrum*, Ambrosius *lib.* 2. *de Abrahamo, cap.* 11. & *lib.* 10. *epist.* 84. Hieronymus *lib.* 3. *dialogorum aduersus Pelagianos & aduers. error. Ioan. Hierosolym.*] Facilè scilicet venia data Catechumenis ceu lapsis & errantibus, at fidelibus haud æquè, ceu perditis: de quo ad *dictam legem* 4. *supr.* Indistinctè sanè Canone XI. Nicæno cautum fuerat, de his qui præuaricati sunt, licet misericordia indigni sint, benignitate tamen in eos vtendum, & ad pœnitentiam admittendos. Atenim ante Concilium Nicænum Apostatas nec in morte absolutos qualibet pœnitentiâ

fungerentur, teſtis Cyprianus *epiſt. ad Antoninum. Apoſtatæ verò & deſertores vel aduerſarij & hoſtes & Chriſti Eccleſiam diſſipantes, nec ſi occiſi pro nomine foris fuerint, admitti ſecundum Apoſtolum poſſint ad Eccleſiæ pacem, quando nec ſpiritus nec Eccleſiæ tenuerunt vnitatem.* Quâ de re plura erudite Aurelianenſis Ep. *lib.2. ſacrar. Obſeruat. cap.9.* 10. 11. 12. & nos etiam quædam obſeruabamus haud ita pridem ex Tertulliani *lib.1. ad Nationes, cap.5.* Igitur cùm aliàs lapſis pœnitentibus venia daretur, Apoſtatis ex fidelibus denegata, vt in Eccleſia à Valentiniano Iun. Qui ideò his omnem omnem pœnitentiam fruſtra ceſſuram comminatur, quam exquiſita ea eſſe poſſit: *Neque vmbra*, inquit, *aliqua exquiſita defenſionis aut muniminis obducetur*, & mox *tueri ea quæ ſunt commentitia, & concinnata non poſſunt.* Quantacunque ſcilicet pœnitentia ſit, quamlibet plena iuſtave, vt eam paſſim vocat Cyprianus *lib.1.ep.2. & 18.& libello de lapſis lib.3.epiſt.8.* & *lib.4.epiſt.2.* quam ſcilicet exquiſitis iudiciis, fletibus, ieiuniis animi dolorem præferat, quantumuis longa & per quatuor pœnitentiæ gradus *συγκλαίοντας, ἀκροώμενος, ὑποπίπτοντας, συνιστάμενος* decurrat. Hic inquam *huius leg.* ſcopus eſt, atque adeò verborum quæ modo vrgebam. Inanis enim eſt cuiuſdam ſententia, qui cenſet illa accipienda de pœnitentia ficta & commentitia. Quæ verò hâc parte Doctorum hodie ſententia ſit ſuper hâc quæſtione, vtrum pœnitenti, Apoſtatæ ignoſcendum ſit, vide Menochium 2. *de arbitr.6. cap.546. num.19.20.21.* de Hæreticis verò pœnitentibus, num his venia data: vide *l.40. 41. ſupr. de hæreticis, l.4. ne ſanctum baptiſma.*

¶ Tertia ſeu vltima pœnarum, quam hâc conſtitutione ſua Apoſtatis iſtis Valentinianus Iunior comminatus eſt; Dignitatum omnium quà ingenitarum, quà collatarum priuatio: atque adeò infamiæ perpetuæ (vt cæteroquin infamibus non patent portæ dignitatum, de quo paſſiuæ ſint obſeruationes.) De hac porrò infamiæ, & dignitatum priuationis pœnâ Apoſtatis indictâ: vide Farinacium *de hæreſi quæſt.173. num.43.*

¶ Arcadii *conſtitutio, in Apoſtatas, ex Chriſtianis* Paganos *factos.*

VII. * Impp. Arcadius & Honorius AA. Cæſario PF. P."



EOs, qui, cùm eſſent Chriſtiani, idolorum" ſe ſuperſtitione impiâ maculauerint, hæc pœna perſequitur," vt teſtandi in alienos" non habeant facultatem, ſed certa his generis ſui propago ſuccedat," id eſt pater ac mater, frater ac ſoror, filius ac filia, nepos ac neptis: nec vlteriùs ſibi progrediendi quiſquam vindicet poteſtatem. Dat. x. Kalend. April. CP. Arcadio IV. & Honorio III. AA. COSS. [396.]

NOTÆ.

Abeſt *hæc lex* à *Cod. Iuſt.* Eius meminit quoque Baronius *Anno D.396.n.10.*

"*Cæſarius* ſub Arcadio PP. Orientis ſcilicet. Eidem Cæſario Præfecto Prætorio & aliæ complures Arcadij conſtitutiones inſcribuntur, ac inter alias Eccleſiaſticæ ſequentes, putà anno ſuperiore 395. *l.27. ſupr. de hæreticis*: hoc ipſo Anno 396 *l.14. infr. de Paganis*: *lex* 31.32. *ſupr. de hæreticis.* Anno 397. *lex* 13. *de Iudæis*, Anno 398. *lex* 32. *ſupr. de Epiſcopis.*

"vide & *l.13. ſupr. de Paganis, ſacrif. & templis.*

"perſequatur. Quanquam & illud ſuſtineri poſſit.

"*Alieni* ſunt extranei: quibus opponuntur ij quibus propriæ actiones competunt *l.3. in fin. ſupr.*

"Ex teſtamento & ab inteſtato.

COMMENTARIVS.

ARCADII hæc vnica per Orientem in Apoſtatas conſtitutio eſt, de iure teſtandi Apoſtatis denegato, de qua interdictione iam ad ſuperiores leges omnes actum eſt. Et quidem eſt hæc lex de Apoſtatis indiſtinctè quibuſcunque, nullo Apoſtaſiæ diſcrimine facto, vtrum videlicet ex fideli, an verò ex Catechumenis tantùm Apoſtatæ factæ fuerint. Pariter vt nulla facta fuerat à Theodoſio *l.1. ſupr.* Valentiniano Iuniore *l.3. ſuprà.*

¶ Et nonnum porrò ius aliquod *hâc leg.* induxit Arcadius circa hoc teſtandi ius: & mitius quidem quam Theodoſius Magnus pater eius aliquando, qui primùm, ſubmotâ omni conditione omne omninò teſtandi ius Apoſtatis ademerat *l.1. ſupr.* mox, ex fidelibus Apoſtatis factis tantùm *l.2.* Catechumenis teſtandi iure aliquo relicto in filios ſcilicet & fratres germanos. Sed & Valentinianus Iun quoque abſciſsè teſtandi licentiam denegauerat *l.3. & 4. ſupr.* Apoſtatis ex fidelibus. At nunc benignior & lenior paulò his omnibus eſt Arcadius Imperator, ac nominatim lenior quam Theodoſius Magnus *d. l.2. ſupr.* (cui legi abrogandæ hæc lata mihi omninò videtur.) Lenior verò in duobus, tum in eo, quod nullo Apoſtaſiæ & Apoſtatarum diſcrimine facto, teſtandi ius aliquod, etiam Apoſtatis ex fidelibus, facit; tum in eo, quod teſtandi ius concedat non tantùm in filios vel fratres germanos, vt Theodoſius fecerat *d.l.2.* verùm & in alios præterea. Primò, quidem in Patres & Matres quoque, quorum ſucceſſio anteà non tam fauorabilis Theodoſio Magno viſa *d. l.2. ſupr.* quæ etiam dubitandi ratio fuit in *l.5. ſupr. de inoffic. teſt.* quæ deſumpta eſt ex parte ex *l.3. ſupr. hoc tit.* ſed eadem viſa Arcadio hac lege. Secundò, etiam in fratres, etſi non germanos: Cùm Theodoſius tamen id de germanis diſertè cauiſſet *d.l.2. ſupr.* vt aliàs in aliis iure articulis germanorum fratrum potior aliquando ratio viſa, veluti in querela inofficioſi aduerſus fratrum teſtamenta *l.1. ſupr. de inoffic. teſt.* quia germani ſoli agnati eſſent & legitimi ſucceſſores: Vterini

non

non item, quod etiam Ambroſius reſtatur *epiſtola 66.* Tertiò, etiam in ſorores, cùm Theodoſius *d.l.1.* nonnſi in patres diſertè teſtandi licentiam Apoſtatis & Catechumenis tribuiſſet. Quartò, etiam in nepotes & neptes, cùm Theodoſius M. nonniſi in filios tribuiſſet *d. l.1.* Denique, vt verbo dicam, ab Arcadio hæc lex lata videtur amplianda & abrogandæ Patris Theodoſij M. *legi 2. ſupr.*

¶ VALENTINIANI *Tertij in Apoſtatas conſtitutio, qui ex Chriſtianis* PAGANI *facti.*

VII. * Impp. Theodoſius, & VALENTINIANVS AA. Baſſo PF. P." Poſt alia.



APOSTATARVM ſacrilegum nomen ſingulorum vox" continuæ" accuſationis inceſſet: & nullis finita temporibus huiuſcemodi criminis arceatur indago: ¶ Quibus quamuis præterita interdicta ſufficiant, tamen etiam illud iteramus, ne quam," poſtquam fide deuiauerint, teſtandi aut donandi quippiam habeant facultatem: ſed nec venditionis ſpecie facere legi fraudem ſinantur, totúmque ab inteſtato Chriſtianitatem ſectantibus propinquis potiſſimùm deferatur. ¶ Intantum autem contra huiuſmodi ſacrilegia perpetuari volumus actionem, vt vniuerſis ab inteſtato venientibus, etiam poſt mortem peccantis, abſolutam" vocem inſimulationi" congruæ non negemus: Nec illud" patiemur obſtare, ſi nihil in conteſtationem profano dicatur viuente perductum." ¶ Sed ne huius interpretatio criminis latiùs incerto" vagetur errore, eos præſentibus inſectamur oraculis, qui nomen" Chriſtianitatis induti ſacrificia fecerint." Quorum etiam poſt mortem comprobata perfidia hac ratione plectenda eſt, vt donationibus teſtamentiſque reſciſſis, ij quibus hoc defert" legitima ſucceſſio, huiuſmodi perſonarum hereditate potiantur. Dat. VII." Id. April. Rauennæ Theodoſio XII. & Valentiniano II. AA. COSS. [426]

NOTÆ.

* *Lex 4 Cod. hoc tit.* Omiſit eam Baronius in Annum & Annales ſuos referre. Iungenda autem ei *lex 28. infr. de Iudæis.*

" *Baſſus* PP. ſub Valentiniano III. Eidem Baſſo Præfecto Prætorio & aliæ plures leges inſcribantur: quas v. in *Proſopogr.*

" Ita mox, *vocem inſimulationi congruæ non negemus.* Scilicet vox propriè de accuſatione & querela *hic locus & l. 2. ſupr. de nuptiis, l. 5. ſupr. ad L. Iul. de Adulter. l. 2. ſupr. de offic. rectoris prou. l. 3. 4. vlt. ſupr. ne præter crimen maieſt.* vide plura in *Gloſſ. Theod.*

" *Continuæ accuſationé*: in nonnullis Codd. Iuſtin. Sed rectiùs habent alij, vt hic, *vox continuæ accuſationis.*

" *Continua*, id eſt, perpetuæ *hâc leg.* vt & ſuppoſitiua *l. vlt infr. de Epiſcop. Iud. continua lege ſancimus.* Itaque ita ſequentibus mox *perpetuari volumus actionem*, item *nullis finita temporibus.*

" Abeſt hæc vocula à Cod. Iuſt.

" *Abſolutam*, id eſt, liberam.

" id eſt accuſationi: Id Cod. Iuſt. malè *inſimulationis.*

" *id.* Cod. Iuſtin.

" *productum*, Cod. Iuſt. malè.

" *in incerto*, Cod. Iuſt.

" *nomine*, Cod. Iuſt.

" *ſacrificia ſacrilega vel fecerint, vel facienda mandauerint*: ita Cod. Iuſt.

" *deferret*, Cod. Iuſtin.

" VII. *d. l. 28. infr. de Iudæis.*

COMMENTARIVS.



VALENTINIANI Tertij Placidiæ filij (qui ex Cæſare recens Imperator factus fuerat) grauis hæc & ſeuera per Occidentem in Apoſtatas lex eſt: cui etiam cuaſſanda venit (ceu ex eadem conſtitutione deſumpta) *lex 28. infr. de Iudæis*: quæ & ipſo argumento huic reſpondet. Nam vt hæc lex eſt de his qui ex Chriſtianis Pagani facti ſunt: ita contra illa de *proſelytis* qui ex Iudæis Chriſtiani fierent: Rurſum, quodammodo illa lege multa continentur in fauorem eorum, qui ex Iudæis Chriſtiani fierent: ita viceuerſà graues pœnæ hac lege continentur in eos qui ex Chriſtianis Pagani facti eſſent. De hoc quippe Apoſtatarum genere eſt expreſsè hæc lex, & in iis tantùm huiuſce legis pœnis locum eſſe volt diſertè Valentinianus Tertius, propoſita eorum diſtinctione ſeu deſcriptione: ibi, *Sed ne huius interpretatio criminis*, &c.

¶ Ergo cùm aliàs Apoſtaſiæ crimen, atque adeò pœnæ in Apoſtatas conſtitutæ, in eos quoque qui ex Chriſtianis Iudæi vel Manichæi fiunt, cadere ſolent: (quod docuit Valentiniani Iun. *lex 3. ſupr. hoc tit.* & Conſtantini Magni *lex 1. infr. de Iudæis*, & Conſtantij *lex 7. eod. tit.*) Valentinianus Tertius pœnas hâc conſtitutione ſua comprehenſas iis qui ex Chriſtianis Pagani facti eſſent proprias eſſe voluit. Inquies, quidnam igitur Valentinianus ſenſerit de altero illo Apoſtatarum genere qui ex Chriſtianis Iudæi effecti eſſent, de quibus ſanè hâc conſtitutione eum aliquid cauiſſe, oportet; quandoquidem & contrario caſu aliquid cauendum putauit *d. l. 28. infr. de Iudæis*; putà de proſelytis Chriſtianis ex Iudæis effectis? Mihi mens ea, Valentinianum Tertium *hâc leg.* abrogatum iuiſſe Valentiniani Iun. *leg. 3. ſupr.* Sic quidem, vt pœnas eâ lege ſancitas manere voluerit

in iis qui ex Christianis Iudæi effecti essent, & sic mitius cum his egisse: atenim grauiores iam pœnas iis qui Pagani facti essent indixisse; Grauiores inquam pœnas, in hisce duobus: Tum quoad accusationem huius criminis: Tum quoad pœnas. Quoad *Accusationem* in duobus abrogata *d. l.3.* Primò, scilicet perpetuam huiusce criminis *Accusationem* post mortem Apostatæ facit, seu vt *hâc leg.* dicitur *continuam* accusationem & *perpetuari actionem*: denique *absolutam* vocem insimulationi non negandam, sic vt Apostasiæ crimen non præscribatur, cum temporariam tantùm & quidem quinquennalem esse voluisset Valentinianus Iun. *d.l.3.* & *l.5. supr. de inoffic. test.* exemplo querelæ inofficiosi testamenti, de quo ad *eam legem.* Quo mirum magis, Tribonianum vtramque constitutionem & *dictam l.3.* inquam, & hanc in Codicem suum (putà in *l.2.* & *4.*) coniecisse, quæ adeò inter se contrariæ sunt, nullaque satis commoda ratione conciliari possunt, quicquid tandem alij distinguant. Secundò, hanc actionem, competere vult ab intestato venientibus, ad rescindenda Apostatarum testamenta etiam iis qui viuo Apostata conscij eius Apostasiæ, tacuerint, cùm tamen anteà Valentinianus Iun. id eis denegasset *d. l.3.* Ergo Valentinianus Tertius quoad accusationem duas limitationes propositas à Valentiniano Iun. *dict. l.3.* *hâc leg.* disertè abrogatum fuit quoad accusationem. 2. Quod *Pœnas* attinet, & eas pariter *hâc leg.* auctum fuit: Nam cum anteà nonnisi testandi iure Apostatis his interdictum fuisset, & quidem à Valentiniano Iun. *d.l.3.* *hâc leg.* à Valentiniano Tertio etiam donandi inter viuos iure interdicitur, imò & vendendi in fraudem huiusce legis. Et sic cùm anteà testandi tantùm solatio interdicti fuissent, atque sic solatio morientibus proposito, etiam viuis hæc interdicta. Ac proinde hâc parte iam valet argumentum negatiuum à iure testandi, ad ius donandi & vendendi.

DE IVDÆIS, COELICOLIS'' ET SAMARITANIS.''

TITVLVS VIII.

I. COD. IVST. IX. DE IVDÆIS, & COELICOLIS: nullâ *Samaritarum* mentione factâ. Quare & omissa Cod. Iust. *lex 16.* & *28. hoc tit.*

''de *Cœlicolis* dicam ad *legem 19. hoc tit.*

''*Samaritanorum* præter Rubricam fit præterea mentio *l.16.* vbi de iis dicam & *l.28.*

PARATITLON.

I. IVDÆORVM secta *l.1.8.9.* religio, *l.10.13.23.* lex, *leg. 28.* & *l.2. supr. de metatis, l.99 supr. de Decurion.* corpus, *l.18. supr. de nauicul.* Etsi dicatur secta feralis *l.1.* & nefaria *d.l.1.* superstitio, item *l.10. supr. de iurisdict. l.24. 28. hoc tit. l.157. 158. supr. de Decurionib.* flagitiaque his tribuantur *l.6.* & turpitudo *d. l.6.* vt & peruersitas *l.24.* illi imputentur, sub Christianis tamen Imperatoribus lata fuit *l.9.* Iudæique passim per Imperium Romanum dispersi fuêre, tam in Oriente per Præfecturam Prætorianam Orientis *d.l.10. de Iurisdict.* & *l.158. supr. de Decurionib. l.4.5.8.9.10.13 15.18.22.25.26 27. hoc tit.* (putà per diœcesin Orientis *l.9.11. hoc tit.* per Ægypti diœcesin *d.l.18. supr. de nauicular. l.2. supr. de his qui ad Eccles. conf.* in vtraque Palæstinâ *l. vltim.* & per Præfecturam Illyrici *l. 12. 21. hoc tit.*) quàm in Occidente *l.23.* (putà per Præfecturam Italiæ *l.7. 14. 16. 17. 19. 20. 24. 28. hoc tit. l.99. supr. de Decurionib. l. vltim. supr. de feriis*, & *l.8. supr. de session.* per Apuliam & Calabriam, nominatim *l.158. supr. de Decurionib.* per Galliam Belgicam, Agrippinæ *l.3. hoc tit.*) Qui omnes (vt hodie) vilibus fermè commerciis occupati fuêre: vide *l.18. supr. de nauicular.* Quâ verò conditione lati fuerint, mox ostendetur. Prius enim videndum est eorum regimen.

¶ Igitur Iudæis hoc æuo summo loco præfuere *Patriarchæ* de quibus agitur *l.8.11.13. in princ. l.14. 15. 17.* & *l. vlt. hoc tit.* & eò ad eos denique pertinet *lex 22.* quæ data est Anno Domini 415. Iique summâ dignitate. Hinc adeò viri clarissimi & Illustres vocantur *l.8.11.1* & spectabiles *d.l.15.* nisi hæc lex sit de minoribus Patriarchis, sic quidem etiam vt sub Theodosio Iun. in *l 22.* Anno Domini 415. *Gamalielis* cuiusdam [Patriarchæ scilicet] mentio fiat, honorati Codicillis honorariæ Præfecturæ. Hi Patriarchæ Apostolos adsessores suos habuêre *l.14. hoc tit.* Ab his præpositi alij Iudæis qui his præessent *l.15. hoc tit. Primates* scilicet Iudæorum *l.8. hoc tit.* Horum ditioni subiecti erant,

Archisyna

Archisynagogi, Patriarchæ, Presbyteri aliíque *l.13. hoc tit.* de quibus mox. Tandem Patriarchæ esse desierunt iam Anno D.429. *l. vltim. hoc tit.*

¶ Post Patriarchas igitur & sub his fuêre in SYNAGOGIS, Primates *l.8.* 1. Hierei *l.4. hoc tit.* vbi de his dicam. 2. Archisynagogi *l.4. 13, 14.* Patres Synagogarum *dict. l.4.* qui Legi præsidere dicuntur *l.2.* aliíque qui Synagogis deseruiunt *l.4.* à Patriarchis præpositi *l.15.* In his & Didascali *l.3. hoc tit.* & *l.3 infr. tit. prox.* Maiores *l.1. hoc tit. d.l.3.* & *d.l.23.* Presbyteri l.2.13.14. Fit & post Presbyteros apud Epiphanium mentio *Azanitarum*, qui apud eos Diaconi & ministri fuêre: Πρεσβυτέρων, inquit, καὶ Αζανιτῶν τῶν παρ᾽ αὐτοῖς διακόνων ἑρμηνευομένων ἢ ὑπηρετῶν. Iique comprebenduntur & *l.4. hoc tit.* his verbis, *cæterísque qui in eodem loco, seu Synagogis deseruiunt*, & *l.13.* his verbis, *cæterísque qui in eius religionis Sacramento versantur.*

¶ In SYNEDRIIS verò erant *Primates* singulis Prouinciis præpositi *l. vltim. Patriarchæ*, scilicet minores *l.1. 2. 13. hoc tit. l.10. supr.* de Iurisdictione (qui Archisynagogis postponuntur *d.l.13.* pariter vt Patriarchia Synagogis *l.3.* Presbyteris præponuntur *d.l.3. & 13.* & maioribus iunguntur *d.l.1*,) Proceres singulis ciuitatibus *l.10. hoc tit.* Nisi hi duo iidem sint. Hi pretia rerum venalium Iudæis statuebant *d.l.10. hoc tit.* disciplinæ Iudæorum & modestiæ inspectores erant *d.l.1. & 23. hoc tit.* eorúmque velut Syndici *l.3. infr. tit. prox. ne Christianum mancipium:* suâ de religione sententiam habuêre arbitrio Patriarcharum *l.8.*

¶ Iudæis itaque (vt sub vnum conspectum proponam quis Iudæorum *status* sub Christianis Imperatoribus fuerit) vt sui Primates fuêre, de quibus modo; suísque adstricti cærimoniis extitere *l.13.* 1. Ita & sua illi Synedria habuêre *l. vltim.* seu Conuenticula *l.20.* suas Synagogas *l.2.9. 12. 14.20.21.22.25.26.27. hoc tit:* & *l.2. supr. de metatis:* aliáque religiosa loca *d.l.2. supr. de metatis:* Patriarchêa & Presbyteria, *l.3. hoc tit.* 2. Conuentúsque in his hac tempestate liciti fuêre *l.9.* 3. *Ferias* item suas & festiuitates exercere nullo interturbante, potuêre *l. vltim. de feriis supr. l.8. supr. de exsect. l.18. 20. hoc tit.* veluti Sabbathum *d.l. vltim.* & *l.8.* Solemne item quo Aman incendunt *l.18. hoc tit.* & alios dies: sic quidem vt his diebus exigi, conueniri non possent: ne quidem fisci nomine *dd. ll.* 4. *Synagogæ* item eorum à metati onere immunes fuêre *l.2. de metatis:* neque Christianis eas violare, inuolare, destruere, exurere licuit *l.9.12.20.21.25.26.27. de Iudæis*, donariave expilare *d.l.25.* 5. Ipsos *Iudæos* obterere vel lædere, contumeliave afficere, manúsque inferre impunè non licuit; *l.21.26. de Iudæis, l.24. de Paganis*, vt & eorum bona diripere *d.l.24.* multo minus illustrium Patriarcharum contumeliosam in publico facere mentionem *l.11. d. tit. de Iudæis.* 6. *Disciplina* quoque his sua seruata relictáque. Proiecti quippe à Primatibus suis vt reciperentur rursum à Iudicibus cogi non potuêre *l.8. de Iudæis.* Confugientes etiam ad Christianam religionem ad euitanda tantùm crimina aliásque necessitates, recuperauêre, *l.23. de Iudæis, l.2. de his qui ad Eccles. 3.4. vltim.* 7. *Priuilegia* etiam Archisynagogis, Patriarchis & cæteris in huius religionis Sacramento versantibus eadem, quæ Clericis concessa fuêre *l.13.15. de Iudæis:* putà ciuilium, curialium, personalium munerum immunitas *l.2 4 13. de Iudæis.* 8. Primatum item & Patriarcharum de religione, seu quæ ad eorum superstitionem pertinent, sententia seu iudicium fuit *l.8. hoc tit.* & argum. *l.10. de Iurisdict.* De cæteris, vt & si inter Christianos & Iudæos contentio esset, Rectoris Prouinciæ forum sortiti *d.l.10.* & *l.22. hoc tit.* 9. *Pretium* rerum venalium his, non discursores, moderatores statuêre, sed ipsorum proceres *l.10. hoc tit.* 10. Liberalibus etiam studiis instituti exercendæ *Aduocationis* licentiam habuêre *l.24. hoc tit.* 11. Postremum, Apostolatus seu auri coronarij Hierosolymam ex omni orbe Romano ad Patriarchas & ad Primates exigendi mittendíque ius eis fuit *l.14.17. vlt. hoc tit.*

¶ Viceuersa, Iudæorum audacia *l.44. de hæreticis:* ne aut incresceret, aut in Christianos fortè insolescerent, varia subinde in hos constituta: 1. Synagogas scilicet nouas condere prohibiti *l.22.25.27. hoc tit.* 2. Nuptiæ item inter Christianum & Iudæum vetitæ *l.6. hoc tit. l.2. de nuptiis, l.6. ad L. Iul. de adult.* 3. Militia item omni Palatinâ, armata ab Honorio exclusi *l.16.24. hoc tit.* 4. Muneribus vicissim publicis, curiis, corporibúsque obnoxij erant & ad ea vocari poterant *l.2.3.24. hoc tit. l.99. 157. 158. 165. de Decurionib.* Inter alia idonei facultatibus ad functionem nauiculariam vocari poterant *l.18. de nauicular.* 5. Etiam quoad nuptias contrahendas: de quo est *lex 7. Cod. de Iudæis*, Romano & communi Iure viuere iussi *l.10. de Iurisdict.* 6. Iudicandi in Christianos Patriarchis copia non fuit *l.22. hoc tit.* 7. Ex Christianis Iudæi effecti, pœnis affecti *l.1. hoc tit.* veluti bonorum proscriptionis *l.3. hoc tit.* vide & *l.7. de Apostatis.* 8. Contrà Christianæ religionis odio, filium Christianum ex Iudæo factum pater, ideò exhæ-

redare non potuit: imò quamlibet ingraio Falcidiam relinquere tenebatur *l.28. hoc tit.* Sed & alium ex Iudæo Chriſtianum factum inquietautes ſupplicio affecti *l.25. hoc tit.* 9. Vetiti item Chriſtianum circumcidere *l.22. 26. hoc tit.* 10. imò Chriſtianum mancipium habere *l.22. d. tit.* de quo *tit. ſpecialis prox.* 11. Denique vetiti quidquam in Chriſtianæ religionis contemptum admittere, veluti Crucem incendere in ſolemni feſtiuitate Amanis *l.18.* vel quicquam præceps in Chriſtianæ cultionis reuerentiam admittere *l.21. infr. hoc tit.*

II. *Cœlicolæ* quoque erant de quibus agitur in *Rubrica, hoc tit.* (vbi medio loco poſiti hi inter Iudæos & Samaritanos:) & tribus legibus huius Codicis, putà *l.19. hoc tit.* & *l.40. 44. de hæreticis.*

III. *Samaritani*; de his agitur, præter Rubricam, tribus legibus: putà *l.16.28. hoc tit.* & *l.18 ſupr. de nauicular.*

. Cæterùm quorum Imperatorum de Iudæis vel in Iudæos conſtitutiones hoc titulo extent aliæque quæ hoc Codice occurrunt, hoc ſyllabo exhibere iuuat: vt ita hoſtoriæ Iudaicæ *pars inde iam confici poſſit.*

Conſtantini Magni eſt *lex* 1.2.3.4.5. *hoc tit. l.1. infr. tit. prox.*

Conſtantij *lex 6.7. hoc tit. l.2. tit. prox.*

Valentiniani Senioris *lex 2. ſupr. de metatis.*

Valentiniani Iun. *l.59. ſupr. de Decurionib. l.3. de Apoſtatis.*

Theodoſij Magni *lex.8. 9. hoc tit. l.18. ſupr. de nauicular. l.2. de nuptijs, l.5. ad L. Iul. de adulter.* adde & *l.7. Cod. de Iudæis.*

Arcadij *lex 10.11.12.13.15. hoc tit. l.10. ſuprà de Iuriſdict. l.2. de his qui ad Eccleſ.*

Honorij *lex 14.16.17.19.20.23.24. hoc tit. l.158. ſupr. de Decurion. l.8. ſupr. de execut. l. vltim. ſupr. de feriis. l.3. tit. prox.*

Theodoſij Iun. *lex 18.21. 22.25.26.27.29. ſeu vlt. hoc tit. l.24. infr. de Paganis: l.4.5. infr. tit. prox.*

Valentiniani Tertij *lex 28. hoc tit.*

Et ſic in vniuerſum ſunt hoc Codice quadraginta ſex conſtitutiones de Iudæis, ex quibus, vt dixi Hiſtoriæ *Iudaicæ* partem breuéque Chronicon centum quindecim annorum, ab Anno D.315. ad 429. conficere licet.

---

1. * Imp. CONSTANTINVS A. ad Euagrium."

IVDÆIS," & Maioribus eorum, & Patriarchis, volumus intimari," quòd ſi qui, puſt hanc legem, aliquem, qui eorum feralem" fugerit ſectam, & ad Dei cultum reſpexerit; ſaxis aut alio furoris genere, (quod nunc" fieri cognoſcimus,) auſus fuerit adtemptare, mox flammis dedendus & cum omnibus ſuis participibus concremandus. ¶ Si * quis verò ex populo" ad eorum nefariam ſectam acceſſerit, & conciliabulis eorum ſe adplicauerit, cum ipſis pœnas meritas ſuſtinebit. Dat. XV. Kalend. Nou. Murgillo," Conſtantino A." IV. & Licinio IV. COSS. [315.]

NOTÆ.

* *Lex 3. Cod. eod. tit.* hinc deſumpta eſt. Hane Annalibus quoque ſuis inſeruit rectè Baronius *Anno D.315.*

"*PF P.* Ita Codex Iuſtin. vt *lege ſupr. de Centonar. & Dendrof.* quæ hoc ipſo anno data eſt ante menſem. Et ex his tamen legibus diſcere non licet vllo argumento, quamnam Præfecturam geſſerit. Si vera eſt coniectura eorum, qui *hanc legem* ad Ioſephum ex Iudæo Chriſtianum effectum referunt, tum dicendum fuerit, Euagrium hunc PP. Orientis fuiſſe, in quâ & Palæſtina erat.

"*Et Cœlicolis*, hæc verba addita in *Cod Iuſt.* etſi à quibuſdam manuſcriptis abſint. Sanè Conſtantini ſeculo hæc non conueniunt, vt ad *l.19. infr.* notabitur.

"*Feralis* ſecta Iudæorum, ſimiliter Theodoſius *Nouella de Iudæis & Samaritis 3. verſ. Quamobrem*: vt mox *infr. nefaria.*

" poſtea quam nos Chriſtianæ fidei vexillum ereximus.

* Secundum caput: quod recidit Tribonianus & à Codice ſuo abeſſe voluit: propter *l.7. infr. hoc tit.* & *l. vltim. ſupr. de Apoſtatis*, quæ prætulit.

"*Populo* Chriſtiano tantùm, an verò & Gentili? illud puto. Sanè & Doctorum conſtans eſt ſententia, Apoſtatam dici non poſſe, ſi quis ab improbâ ſectâ ad aliam reprobatam ſe transferat: veluti de Iudaiſmo ad Paganiſmum: & viceuerſa, vt de facto reſponderunt.....*conſil*...& Alciatus, *conſil.478.* quibus aſſentitur Clarus, *in praxi crim.11. vlt. q.7. n.4.* Albet. *in Rubr. Cod. de Iudæis, n.*. Campegius *de.. q.7. verſ. ex his.*

"*Murſillo*: quod in Panonia ſuperiore, prope Murſam eius meminit Antoninus in Itinerario *p.146.* *Murſillum* eſt *Murſilla minor*, vt vocatur in Itin. Peuting.

"Ita quoque habet ſubſcriptio Cod. Iuſt *d l 3.* vt mirer, vnde, aut quo argumento, Baronius *Anno D.327. n.35.* hanc ſubſcriptionem exhibet. *Dat. XV Kal. (.) Nou. Conſtantinopoli Conſtantino A. VIII. & Conſtantio VI. COSS.* Ex qua tamen colligit, *hanc leg.* hoc quidem tempore primum ſancitam, poſteà verò relatam & quidem Conſtantinopoli; (quæ tamen etiam eo tempore tum nulla erat.)

COMMEN

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI Magni tum in Iudæos, tum pro Iudæis, quinque priores huius tituli sunt constitutiones; quibus addenda & sexta eiusdem *lex* 1. *infr. tit. prox.* septimam non admitto, quam alioquin memorare videtur *lex* 22. *hoc tit.* vt ad *eam leg.* ostendo.

¶ Sanè omnes illæ leges Constantini Magni studium arguunt eius in propagandâ Christianâ religione, viceuersa in pessundanda Iudæorum superstitione, iam inde à primis susceptæ à se fidei Christianæ primordiis, tum in retundenda Iudæorum audaciâ: partim denique, quia simul & semel extirpari non poterant, in tuendis & protegendis Iudæis, quantum noui Imperij, déque nouo susceptæ religionis ratio vel desiderabat vel ferebat.

¶ Inter cætera verò, bonæ etiã mentis & ad fidem Christianam conuersionis & in ea manendi, sic vt dicam, impedimenta quædã Constantinus M. è medio amolienda credidit, quò pertinet hæc lex & *lex* 5. Huius legis duo sunt capita. Primùm cauetur, vt si quis Iudæus, Iudæum ἐπίφυλον PROSELYTVM, id est, ex Iudæo, Christianum factum, saxis, vel alio furoris genere appetierit, tum factum flammæ supplicio puniatur: Cui similis constitutio est *l.* 5. *infr.* Secundo capite viceuersâ, APOSTATAS, id est, ad Iudæorum sectam ex populo Christiano accedentes, meritis pœnis eum ipsis affici iubet. De quo *Apostatarum* genere est quoque Constantis *lex* 7. *infr. hoc tit.* (quæ alioquin prima est Cod. Iustin. *de Apostatis*:) vt & Valentiniani Iun. *lex* 3. *supr. de Apostatis*. Neque plures, quàm hæ tres constitutiones hoc Codice occurrunt de hoc Apostatarũ, qui scilicet è Christianis Iudæi fiunt, genere: Cùm autẽ ait Constantinus M. *meritis pœnis* hos Apostatas afficiendos, arbitrariam pœnam constituit: Verùm posteà mitior aliquanto certáque pœna placuit Constantio *d. l.* 7. *infr. hoc tit.* nempe bonorum proscriptionis: vt & Valentiniano Iun. *l.* 3. *supr. de Apostat.* qui eos in intestabilium numerum redegit. Et has quidem leges Iustinianus prætulit, omissâ hac *huius l.* parte.

¶ Ad primum huius legis caput redeamus. Ex hâc constitutione & *l.* 5. *infr.* (quæ eiusdem Constantini Magni est:) videre licet, quanto Iudæi furore (ipsi *iudicium Zeli* vocabant; de quo Seldenus *de Iure naturæ & gentium secundum Hebræos.* & *l.* 4.) hâc tempestate ferrentur, Christianæ religionis incrementis indolentes, & ad eam passim, Iudæis quoque ipsis meliore consilio transeuntibus: tantâ etiam proteruiâ, vt quemadmodum cæteroquin proselytos ὁμοφύλους Iudæi atrocius semper insecuti sunt, quam Gentiles Christianos ex Gentilibus factos, vt testatur Chrysostomus in *cap.* 2. *epist. ad Galatas ed. Comel. pag.* 989. sub Constantino M. furentibus propiores, saxis aliove furoris & iniuriarum genere hos appeterent. Sanè Epiphanius quoque *in hæresi Ebionitarum* 30. *n.* 4. & 11. & 12. eius rei exemplum apponit, sub hoc ipsomet Constantino, nempe Iosephi cuiusdam ex Apostolo Iudæorum: (de quo munere dicam ad *l.* 14. *infr.*) ad Christianam religionem inclinantis, mox & conuersi, variis appetiti à Iudæis iniuriis. Locus dignus est, qui totus legatur. Nam & ex eo apparet, Constantinum Magnum hosce proselytos dignitatibus auxisse. Quinimò sunt, qui haud improbabiliter censent, eundem Iosephum *huic leg.* ferendæ Constantino causam præbuisse.

¶ Nunc de Maioribus & Patriarchis Iudæorum, quorum *hâc leg.* mentio fit, dispiciendum est. MAIORES Iudæorum, non hic tantùm memorantur, verùm & in inscriptione *legis* 13. *infr. hoc tit.* & *l.* 3. *infr. ne Christian. mancip. Iudæus hab.* vbi Didascalo proximè subiiciuntur *dict. l.* 13. & *d. l.* 3. his verbis, *Annati Didascalo & Maioribus Iudæorum.* Vnde apparet, maiorem Didascali fuisse dignitatem inter Iudæos, minorem fuisse *Maiorum.* Quid autem muneris eorum fuerit, hæ leges ex parte edocent; nempe, fuisse eos Iudæorum disciplinæ & modestiæ Inspectores, & quotidianis Iudæorum actibus præfuisse. Ideò scilicet hanc constitutionem Constantinus his intimari iubet, qua Iudæorum furori, proselytos, id est, ex Iudæis Christianos iam factos appetentium, occurritur. Hinc vt Didascalo, ita & *Maioribus* Iudæorum duæ illæ leges inscribuntur, quibus eis permittitur, criminis tantùm aliarumvè necessitatum euitandorum causa, Iudæos ad Ecclesiam simulatè transeuntes, retrahere ad propriam legem: iisdémque hoc negotij datur, vt ne Christianos seruos à Iudæis dominis à Christiana religione adduci patiantur. Sanè & Interpres ad *l.* 10. *supr. de Iurisdictione*, Iudices eorum fuisse ostendit *Maiores*, quæ ad religionis disciplinam pertinebant. Quanquam ibi eâ appellatione abutitur. Igitur fuerunt hi pars Synedrij Iudaici, neque dubito eosdem videri cum iis, qui *Proceres Iudæorum* vocantur, *l.* 10. *infr. hoc tit.* quorum muneris id quoque erat, vt Iudæis pretia statuerent, cum venalia proponebant. Et hæc de *Maioribus* Iudæorum; quos cum *Presbyteris*, de quibus ad *l. prox.* æquari non fero: etsi alioquin Presbyteros & Maiores dictos scio, vt apud Cyprianum *ad Quirinum, cap.* 76. & Interpres *ad Timoth.* & *can.* 7. *Cod. Africani.* Videndus & Suidas, item Benedictus Leuita *lib.* 5. *cap.* 107. & Florilda *in visionibus.* Maiores enim fuerunt pars vt dixi Synedrij: Presbyteri verò pars Synagogæ vt probatur *l.* 2. 13. 14. *infr.* Sanè & hæreticis quoque nonnullis sui Maiores fuére: vt apud Phryges οἱ μείζονες λεγόμενοι vt testatur *can.* 8. *Laod.*

¶ Sequuntur *hâc leg.* PATRIARCHÆ Iudæorum: quorum multa hoc titulo, & quidem decem legibus mentio fit: putà *hâc leg.* & *l.* 2. 8. 11. 13. 14. 15. 17. 22. *vltim. hoc tit.* ac præterea *l.* 10. *supr. de Iurisdict.* qui & *Principes* Iudæis ipsis dicti נשיאים. Quomodo Origenes τῶν ἀρχῶν, *lib.* 4. *cap.* 1. & Hieronymus eos vocat, *lib.* 2. *comment. in Esaiam.* De Patriarchis inquam hæ leges omnes sunt. Atenim, quod primo omnium loco obseruandum est, non vnum Patriarchatum genus fuit, alij aliis superiores: alij cæterâ ditioni aliorum subiecti, quod ostendit disertè *lex* 13. *infr. hoc tit.* *Priuilegia*, inquit, *his, qui Inlustrium Patriarcharum ditioni subiecti sunt Archisynagogis, Patriarchisque, ac Presbyteris cæterisque qui in eius religionis Sacramento versantur, nutu nostri numinis perseuerent ea, quæ venerandæ Christianæ legis primis Clericis sanctimonia deferantur.* Minores igitur hi Patriarchæ seu Pisini sub inlustrium Patriarchatum ditione fuerunt: nempe Archisynagogis inferiores, Presbyteris Superiores; denique similes primis inter Christianos Clericis. De iisdem Patriarchis Minoribus accipio & hanc ipsam legem, vbi Maioribus Iudæorum coniunguntur. De iisdem accipio & *legem* 2. vbi pariter Synagogis, Patriarchis, Presbyteris dediti coniunguntur, haud aliter atque *dicta lege* 13. eodem prorsus ordine &

σιλοῦ: μᾶλλον δὲ ἤδη ὑπόκρισιν διατηρῆσαι δυνάνται: τοσοῦτον οὐχὶ τῆς ἀληθείας μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς ὑποκρίσεως αὐτῆς ἐξηκοντίζοντα: & hæc quidem *d. pag.* 242. nam deinceps id repetit postea rursum, & in sequentibus pluribus argumentis probat *pag.* 343. vbi & denuo de his: ὁρᾷς πῶς τὸ παλαιὸν οἱ ἱεροὶ ἐχειροτονοῦντο, νυνὶ δὲ παίγνια τὰ παρὰ Ἰουδαίοις πάντα, καὶ γέλως, καὶ αἰσχύνη, καὶ μυρίας μεστὰ παρανομίας. Quinimò nec illud omittendum, errorem esse quoque Viri Docti, qui suus Gentilibus quoque Patriarchas fuisse prodidit. Nam Gamaliel Patriarcha, cuius mentio apud Marcellum Empiricum *cap.* 23. is non alius est, quam Patriarcha Iudæorum, vt & nomen eius ostendit, quod vtrique inter Paganos nunquam vsurpatum est. Et verò is ille Gamaliel est, qui memoratur sub Theodosio Iuniore *l.* 22. *infr. hoc tit.* & cuius etiam Hieronymus meminit *epistola ad Pammachium* 101. *tom.* 3. *fol.* 166. *litt.* D. Sed & alij passim Gamalieles non tantùm inter Didascalos, cuiusmodi est ille de quo Acta Apostolor. verùm etiam Patriarchæ Iudæorum fuêre, vt is quoque cuius meminit Epiphanius *in hæresi Ebionitarum* 30. *n.* 4. Verùm de eo ad *l.* 22. *infr.* pleniùs.

11. * Idem A. ad Ablauium PF. P."



Qvi deuotione totâ Synagogis Iudæorum, Patriarchis," vel Presbyteris se dederunt, & in memoratâ" sectâ degentes" legi ipsi præsident, immunes ab omnibus, tam personalibus, quàm ciuilibus muneribus perseuerent: Ita vt, illi qui iam forsitan Decuriones sunt, nequaquàm ad prosecutiones" aliquas destinentur:" cùm oporteat istiusmodi homines à locis" in quibus sunt, nullâ compelli ratione discedere. Hij autem, qui minimè Curiales sunt, perpetuâ Decurionatus immunitate potiantur. Dat. III. Kalend. Decembr. Constantinop." Gallicano & Symmacho COSS. [330.]

NOTÆ.

Abest *hæc lex* à *Cod. Iust.* Meminit eius Baronius *Anno D.* 315. *n.* 9 & 13. Hanc legem quoque indicat Arcadius *l.* 13. *inf. hoc tit.* Porrò ὕστερον πρότερον hic admissum ab huius Codicis concinnatoribus: hæc enim lex, tertia hoc titulo esse debuit: tertia verò in hunc locum retrudi.

"*Ablauium* hunc Præfectum Prætorio fuisse comperio ex variis huius Cod. constitutionibus, iam inde ab Anno D. 326. in Annum vsque 333. de quo mox plura.

"* *Patriarchis*: & mox quoque *Presbyteris*. Respondent enim hæc *Synagogis*. Quare mox sequitur *à locis in quibus sunt*, &c.

"Cujaciana editio habebat, *memoratas sectas*.

"*de gentis Lege ipsi præsident*, ita emendabat Doct. Petitus 2. *var.* 10. *p.* 149. 160. minus rectè.

"*Prosecutiones* de his *suo tit.*

"al. *designentur*.

"id est Synagogis, Patriarchiis, Presbyteriis.

"Prima hæc omnium constitutionum *Constantinopoli* data: ac proinde primum hoc isto Codice vestigium Constantini moræ Constantinopoli extat. Sanè Encænia Constantinopoleos in huius Anni 330. mensem Maium incidunt, de quo vide *Consularia Theodosiana*.

"al. *Basso*: malè.

COMMENTARIVS.

Præsidentes Legi Iudaicæ, veluti Archisynagogos, Patriarchas, Presbyteros, aliósque, ab omnibus omninò muneribus ciuilibus & personalibus manere, atque à curiali functione omni immunes, hac constitutione Constantinus Magnus iubet: & rursum *l.* 4. *infr.* imò & *l.* 3. quadamtenus. Quas Constantini Magni constitutiones intelligit Arcadius, *l.* 13. *infr. hoc tit.* Quod & ipsum sustulerunt posteà Constantius, Valentinianus & Valens, quorum constitutiones hoc Codice desiderantur, quarum tamen eadem *lex* 13. meminit. Imò & Theodosius M. vt idem Arcadius docet *l.* 15. *hoc tit.* cùm aliàs Iudæos Curiales in Curia retineri voluerit *l.* 99. *supr. de Decurionib.* Denique & Arcadius ipse *d. l.* 13. & 15.

¶ Et hoc quidem priuilegium his quos dixi in futurum tribuit Constantinus Magnus in tantùm, quæ *Ampliatio* hic adiicitur, vt si qui ex illis iam Decuriones sint, à *prosecutionis* onere tamen immunes esse velit, de quo *prosecutionis* onere Curialibus imminente, fidem quoque facit *lex* 161. *supr. de Decurionib.* & de eo plenissimè dictum supr. *lib* 12. *tit. de auri publici prosecut.* Ratio hic adsignatur, cuius aperta sententia est, quæque etiam ex parte edocet, quod sit prosecutionis onus. Priuilegium hoc igitur Immunitatis Iudæorum Primatibus tributum: Quo velque ipso supponitur Iudæos muneribus publicis, Curiisque obnoxios, conditioni suæ inhærere oportuisse: de quo præter *hanc leg.* & *proximam* & 4. *infr.* testes quoque sunt *lex* 99. 157. 158. 165. *de Decurionib.* & Nouella Theodosij *de Iudæis*, 3. *vers.* & *quoniam*: vbi Theodosius: *Ne videamur*, inquit, *hominibus execrandis contumelioso ambitu immunitatis beneficium præstitisse, quos volumus huius Constitutionis authoritate damnare.*

¶ Nunc de Præsidentibus illis Legi ipsi, videndum est; (nam ita retinenda hîc lectio est.) In his memorantur Archisynagogi, qui fuêre & ante διασπορὰν vltimam, vt patet ex historiâ Euangelicâ & Actibus Apostolorum, *cap.* 13. *vers.* 15. vbi munus & officium eorum satis indicatur, vt & *Lucæ cap.* 13. *vers.* 14. In magnis Vrbibus plures erant Synagogæ & singulis sui Archisynagogi; quomodo & olim in maximis Vrbibus, veluti Romæ, Antiochiæ, exceptâ Alexandriâ, plures fuêre Episcopi, pro diuersis Vrbium regionibus, vt testatur Epiphanius, quod in posterum vetuit Nicæna Synodus: etsi quidem aliud nonnullis aliis placet. Notum est autem Synagogæ Iudaicæ præpositos fuisse viros spectatæ probitatis, qui Chaldaico vocabulo dicebantur, quod volebat πρωταίτοντες, Archisynagogi, *Act.* 13. 15. vbi plurium

Archisynagogorum vnius eiusdémque Synagogæ fit mentio. Sed inter eos eminebat vnus eruditionis nomine cæteris prælatus, cuius proprium munus erat legem interpretari, & Preces concipere, vt Iustinus aduersus Tryphonem nos docet: de quo vide plura apud Grotium in *N. T. p.*187. De Archisynagogis nominatim fit mentio in Hadriani ad Seruianum C o s. Epistola apud Vopiscum in Saturnino: tribus præterea *hoc tit.* legibus, putà *l.*4.13.14. Sanè hi *Presbyteris*, vt *hâc leg.* ita *d. l.*13. *&* 14. præferuntur: imò & Patriarchis (minoribus scilicet) vt *hâc leg.* ita & *dict. l.*13. in quâ idem ordo eadémque sententia occurrit: *Archisynagogis*, inquit, *Patriarchisque ac Presbyteris, cæterisque qui in eius religionis Sacramento versantur.* Quinimò & Patribus Synagogarum præmittuntur, tum in inscriptione, tum in corpore *legis* 4. *infr. hoc tit.* qui Patres quinam fuerint, inquiro ad *eam leg.* Atenim iidem subiiciuntur *Hiereis d. l* 4. Quidam ita hos distinguunt: *Archisynagogos*, Principes fuisse Synagogarum omnium totius Prouinciæ, haud aliter atque Archiepiscopi totius Prouinciæ Principes & Exarchæ: nam Iudaicam Ecclesiam imitata est Christiana: *Patriarchas* verò (Pisinnos videlicet) eosdem cum Patribus Synagogarum fuisse, id est, sic vt dicam, Regionarios, qui scilicet vni alicui regioni seu Prouinciæ parti præerant. Et verò hæc eiusce nominis ratio: πατρὶς enim regionem significat, quod iam est notissimum. Tandem Presbyteros (de quibus & *l.*13.14. quorum meminit quoque Iustinianus *Nouella* 146. pariter vt apud Christianos, qui Iudæos hac in re imitati de quibus 11. *Act.*30.) fuisse aiunt qui singulis Synagogis per ciuitates præerant, qui dicti Iudæis זקנים illorum dialecto. Epiphanius in hæresi Ebionæorum 30. *numero* 11. de his quoque Presbyteris agit in historia, quæ iis Constantini temporibus congruit: πολλῶν τῶν καλῶν κατασταθέντων Ἀρχισυναγώγων, καὶ Ἱερέων, καὶ Πρεσβυτέρων, καὶ Ἀζανιτῶν παρ' αὐτοῖς διακόνων ἑρμηνευομένων ἢ ὑπηρετῶν. Sed Petitus 2. *var.*10. *pag.*163.164. hos Presbyteros eosdem facit cum Senioribus, de quibus Tribonianus *l.*15. *Cod. de Iudæis*, & nobilissimos ait fuisse & sapientissimos, qui vnà cum suæ Synagogæ Archisynagogo, patre Synagogæ, Archiereo & Hiereo, Synagogæ suæ præerant, respondebántque illis qui de populo in Synedrium τῶν 72. legebantur, vt constat ex Maimonide. Grotius item *Presbyteros*, quorum in Nouo fœdere fit mentio, Senatores τοῦ συνεδρίου interpretatur, quomodo & συνέδριον Πρεσβυτέρων vocatur *Act.*20.5. *Luc.*22.66. vid. & 1. *Macc.*12.35. *&* 14.20. Epiphanius quoque Ebionitis suos fuisse Πρεσβυτέρους καὶ Ἀρχισυναγώγους testatur.

Tandem agendum nobis est, ad quem annum hæc lex referenda sit. Nam si ipsarum legum ordini, qui *hoc tit.* obseruatus, standum est, tum dicendum fuerit, hanc legem deferendam ad Annum 317. ac maximè, cum Auctor Fastorum Siculorum, siue Chronici Alexandrini Anno 317. eos ipsos Coss. designet, putà *Gallicanum & Symmachum*, qui huic legi subnotati sunt. Verùm sicut Auctor Chronici Alexandrini in eo lapsus est, cum adsignare debuerit *Gallicanum & Bassum* COSS (& simili lapsu in eo incurrerant huius Codicis conditores) ita hanc legem ad Annum 330. referendam, & sic præposterationem ab huiusce Codicis conditoribus admissam, hic non vno argumento mihi liquet. Primùm ex *Ablauij PF. P.* nomine & dignitate id coniicio: ea quippe dignitate functus Ablauius circa hæc tempora, vt ex huius Codicis legibus compluribus liquet: Atenim illis temporibus Ablauium nonnisi Vicarium fuisse suadet *lex* 1. *supr. de aliment. quæ inopes parentes*, &c. De hoc alioquin Ablauio plura apud Eunapium, *in vita Ædesij* apud Zosimum *lib.*2. Hieronymum *in Chronico*. Secundò, id docet quoque ipsa legis subscriptio, quæ dicitur data *Constantinopoli*, cuius vtique Encænia, antea nuspiam, in hunc Annum 330. incidunt, & quidem V. Id. Maij., vt docent Fasti Siculi aliique. Tertium argumentum educo ex ipsa lege, collata cum *lege* 3. *prox. infr.* Nam cum ad eius legis tempus vsque Iudæi à Curia immunes fuerint, quod illa primum lege abrogatum est, vtique hanc legem illâ posteriorem esse omninò necesse est: quandoquidem *hâc leg.* præsupponitur, id priuilegium, iam Iudæis in commune ademptum, cum Archisynagogis tantùm & Patriarchis & Presbyteris id pro singulari priuilegio deferatur. His addatur & postremum argumentum, quod educi potest ex iis, quæ ad *legem prox.* dicam. Tandem si bene iudico, videri possit Constantinus Magnus hâc quoque inter cæteras ratione, replendæ ciuitati suæ Constantinopolitanæ prospexisse: quò libentius videlicet Iudæorum Patriarchæ, Presbyteri Constantinopoli manerent.

¶ Duo interim ad hanc legem obseruentur. Primò, hac lege legendum: *Patriarchis vel Presbyteris se dediderint.* Secundò, *hâc leg.* dici omnes illos in Iudæorum sectâ degentes *legi ipsi præsedisse*: Quomodo & Clerici inter Christianos *legi* præsidere dicti *l.*.. Quare hunc locum sollicitare non debuit, eúmque ad iudicia referre Vir Doctus Petitus 2. *var.* 10. *pag.*149.160. Archisynagogi enim, Patriarchæ, Presbyteri, omninò Legi Iudaicæ præsidebant: *Legi*, id est, sectæ Iudæorum, quod Petitum fugit: qui adeò putauit Legi præsidere esse *iudicia reddere*. Quando verò prima nobis hæc *Synagogarum* hoc titulo mentio occurrit, non opportuniore occasione per excessum, locum *Actorum* 6. de Synagogis quæ Hierosolymis erant, illustrare & emendare mihi posse videor. Memorantur ibi scilicet Synagogæ dictæ, Λιβερτίνων, καὶ Κυρηναίων, καὶ Ἀλεξανδρέων, καὶ τῶν ἀπὸ Κιλικίας, καὶ Ἀσίας: vbi hactenus fermè etiam à Chrysostomo, nescio quid de *libertinis*, qui ex seruis liberi facti, ad illam Libertinorum Synagogam refertur. Quod nunquam mihi placere potuit: multo minus, ea quæ de Transtiberinis Iudæis libertinis Romæ adferuntur, ex Philone *legat. ad Caium.* Alij certè, hominis alicuius, & fortè conditionis, exemplo eius quæ à Centurione condita dicitur Synagogæ, *Luca* 25. ibi latere putant, quod Interpretes Syrus & Arabs credidêre. Franciscus Iunius nescio quid suspicatus est de *Labris* de quibus Epiphanius (atque adeò de Labratis) qua voce tota παροιμία indicetur: quasi scriptum ibi fuerit *Labratorum*. Quod rectè Petauius refellit. Melius illi, qui populi seu gentis nomen ibi latere crediderunt: Quod omninò suadent aliæ Synagogæ ibi nominatæ. Et hoc verò primùm argumento, multa indaganti mihi illud succurrit, reponendum ibi, loco Λιβερτίνων, vocem Λιβυρτίνων, id est, Λιβυστίνων: nam ερ (id est υρ) & υς, (id est, ςι) in MSS. eodem fermè modo exprimuntur: Λιβυστῖνοι porrò Iudæi nihil aliud sunt, quam *Libyenses*, ex Libya orti. Nam vt Stephanus docet, *in voce* Λίβυς à λίβυς, λίβυος, pleonasmo τοῦ ς dicitur Λιβύστιον, & Λιβυστικὸν & Λιβυστῖνος, & Λιβυστὶς, &c. Sic & Libystinus Apollo, à Libya apud Macrobium 1. *Saturnal.* 17 *p.*228. Sic Libystini, Auieno *in descript. ora maritima*. Eadem formâ Libystis vrsa duobus locis apud

Virgilium

Virgilium *lib.5. & 8 Æneid.* Egregiè verò id huc conuenit: Nempe cùm post reditum è Babylonia Iudæi peregrini per vicinas Prouincias dispersi, peculiares nihilominus Hierosolymis suæ cuiúsque gentis Synagogas haberent, κατὰ τὰ ἔθνη εἶχον Συναγωγάς, inquit Chrysostomus, *ad hunc locum,* & mox: ὥσπερ γὰρ ἦσαν ἐκεῖ πολλοὶ ξένοι, οὕτω καὶ Συναγωγὰς εἶχον ἔνθα ἔδει τὸν νόμον ἀναγινώσκεσθαι, καὶ εὐχὰς γίνεσθαι: Sic quidem etiam vt in vniuersum 480. Synagogæ à Rabbinis memorentur, vt testatur Sigonius *de repub. Hebræorum, lib.2. cap.8.* inter alias gentes suas ibi Synagogas habuére è proximioribus Prouinciis, Hierosolymam & Iudæam à dextra & à sinistrâ ambientibus: putà Libyenses seu *Libystini, Cyrenẽses, Alexandrini, Cilices, Asiani:* Libystini, inquam Libyæ siccæ Ægypto proximæ, quæ & ipsa vnà cum Cyrenaica posteà Ægypti diœcesi adiecta. In has sanè tres Prouincias priscis temporibus Ægyptum diuisam, docet vel Ammianus Marcellinus, & *canon 6. Nicænus.* In has etiam Prouincias Iudæi sub Alexandro Magno & Ptolomæo Lagi translati, in Ægypti, inquam Alexandriam, Cyrenen, Libyam, &c. vt discimus ex Iosepho, *lib.12. Antiq. cap.1.* & contra Apionem *lib.2. pag.1063.* vide & Cunæum *de Republ. Hebræorum, lib.2. cap.23. à pag.316.* qui addit *pag.326. 327.* Iudæos hos, etsi quotannis venirent vel mitterent, cum donariis Hierosolymam, tamen efficere non potuisse, vt communes haberent Synagogas, odiúmque auxisse patriæ linguæ neglectum, & Græcæ vsum, vnde *Hellenistæ* dicti. Non temerè verò est, quod Synagogarum istarum Iudæi, in Stephanum insurrexerunt, cúmque accusauerunt, quod verba blasphema aduersus locum hunc sanctum, Hierosolymam, inquam & legem protulisset, & quod Iesus Nazarenus destructurus esset hunc locum & mutaturus ritus quos Moses tradiderat, vt ita scilicet quamlibet peregrini Iudæis Hierosolymitanis ostenderent, quam Zelotæ essent & Vrbis Hierosolymitanæ & legis Mosaicæ, atque ita palpum ipsis iniicerent. Ex his tandem apparet, quam malè plerique hoc Actorum loco vnam tantùm Synagogam ex tot illis generibus collectam fuisse putant. Item quàm inanis labor sit eorum qui quærunt, cur primi ex istis à status conditione cognominentur, reliqui verò à Patria. Post hæc ita scripta incidi in Doctiss. Cornelium à Lapide, qui & ipse ita à nonnullis hunc Actorum locum, vt ipse feci, emendari tantùm refert.

III. * Idem A. Decurionibus Agrippiniensibus."

CVNCTIS Ordinibus" generali lege concedimus, Iudæos vocare ad Curiam. Verùm, vt aliquid ipsis, ad solatium pristinæ obseruationis, relinquatur, binos vel ternos, priuilegio perpeti," patimur nullis nominationibus occupari. Dat. III. Id. Dec. Crispo II. & Constantino II. CC. COSS. [321.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Tribonianus omisit: omisit & Baronius in annum suum referre. Iam suprà autem ostendimus, *hanc leg.* superiori prælatam oportuisse.

" *Agrippiniensibus*: ita omnes editiones, vnica Parisiensi postrema excepta.

" *Ordinibus*, id est, Curiis.

" Ita omnes editiones, vnica Parisiensi postrema excepta: neque quicquam hic immutandum, *priuilegio perpeti*, id est, quod perpes esse & stare volumus, vt stetit hactenus. Sollicitandum hunc locum, ideò nonnulli crediderunt, quia *perpeti* hic pro *pati* accepêre. Quare & interpungendus hic locus, vt feci, *& patimur nullis*, pro *non patimur vllis*.

COMMENTARIVS.

CVRIA seu Decurionatu Iudæi iam olim IMMVNES fuére; *pristinâ*, vt loquitur hæc lex, *obseruatione*: Sanè ab Vlpiano refertur in *l.3. §.vltim. ff. de Decurionib.* Seueri & Antonini constitutio, quâ, iis, qui Iudaicam superstitionem sequuntur, honores adipisci permiserunt, sed & necessitates eis imposuerunt, quæ superstitionem eorum non læderent. Imò & Lampridius scribit, Alexandrum Seuerum Iudæis priuilegia reseruasse. Fuit igitur hoc *priuilegium*, vt hæc lex loquitur, *perpes*, vt ne ad honores Curiales Iudæi adigi possent; si vellent, honores eis municipales adipisci permissum erat.

¶ Atenim priuilegium hoc *pristinum*, hac Constantini Magni constitutione Anno Domini 321. Iudæis non adimitur; proculdubio non tantùm ob Curialium infrequentiam, verùm ac potissimum quidem, Iudaicæ superstitionis odio fatigandis proinde Iudæis, & sic persuodandæ paulatim eorum superstitioni.

¶ Duos tantùm vel tres qui huc priuilegio *perpeti*, pristinóque potiri possent, excipit in vna ciuitate. Quæ verba posteà indefinita neque expressa satis visa sunt. Itaque idem Constantinus clarius & laxius de hoc constituit *l.2. supr.* & *l.4. infr.* vbi vide.

¶ Singularis autem & hæc lex eo nomine est, quod ad *Gallicanam* historiam spectat, & ad Iudæos, ac Curiam celeberrimæ ciuitatis *Agrippinensis*, quæ *Coloniensis* hodie audit. Exinde interim liquet, Iudæos, per *Gallias* hac adhuc tempestate, & quidem per Galliam *Belgicam* fuisse. Eodémque pertinere, puto *legem 2. supr. de metatis*: Cæteroquin ex eadem Vrbe Agrippinâ Anno D.312. data ab eodem Constantino M. *lex 1. supr. sine censu vel religione*: Quinimò & à Valentiniano ibidem data *lex vnica supr. de damnat. Prouincialibus.*

IV. * Idem A. Hiereis, Archisynagogis, & Patribus Synagogarum, & ceteris, qui in eodem loco" deseruiunt.

HIEREOS, & Archisynagogos, & Patres Synagogarum, & ceteros qui Synagogis deseruiunt, ab omni corporali munere liberos esse præcipimus. Dat. Kalend. Decemb. Constantinop. Basso & Ablauio COSS. [331.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Tribonianus omisit: omisit & Baronius in annum suum referre.
"id est, Synagogis, vt in ipso legis corpore est. Ita quoque *l.2. supr. à locis in quibus sunt.*

COMMENTARIVS.

DE HIEREORVM, ARCHISYNAGOGORVM & PATRVM Synagogarum, immunitate, hæc iam tertia Constantini Magni constitutio est. Nam de eadem fuit quoque eiusdem *lex 2.3. supr.* vbi & de *Archisynagogis*, iam dictum fuit. Itaque de *Hiereis*, & *Patribus Synagogarum* agendum superest.

¶ Sanè *Hiereorum* hoc Codice hac tantùm lege mentio fit, ita tamen vt eadem ostendat, potiores eosdem fuisse Archisynagogis, & Patribus Synagogarum; quandoquidem iis præmittuntur, non tantùm in corpore legis; verùm in ipsa legis inscriptione, quod vtrique prærogatiuæ certissimum est argumentum. Etsi Epiphanius Archisynagogos primos nominet, & *Hiereas* præmittat. Quare exinde adparet, labi eos qui *Hiereos* cum Presbyteris eosdem faciunt, qui sanè Presbyteri Archisynagogis cedunt, vt docuit iam *lex 2. supr.* docebit *lex 13.14. infr. hoc tit.* Alioquin *Archierei* fit mentio apud Lampridium in Alexandro, qui Syrus erat. *Lacessiuerant*, inquit, *eum conuitiis, Syrum Archisynagogum eum vocantes, & Archierea.* Et verò Epiphanius *heresi Ebionit.30.* apertissimè Hiereos & Presbyteros distinguit *num.11.* vbi de Patriarchâ Iudâ déque Iosepho Apostolo in Cilicia versante loquitur: πολλοὺς τῶν κακῶν κατασταθέντων Ἀρχισυναγώγων, καὶ ἱερέων, καὶ Πρεσβυτέρων, καὶ Ἀζανιτῶν τῶν παρ' αὐτοῖς Διακόνων ἑρμηνευομένων, ὃ ὑπηρετῶν, καθαίρων τε καὶ μετακινῶν τοῦ ἀξιώματος οὐκ ὀλίγων ἐσυνοῦτο, id est, *multos improbos Archisynagogos, & Hiereos, & Presbyteros, & Azanitas, qui Diaconos apud ipsos significant, seu ministros deponens & ab officio remouens multorum in se odia conuertit.*

¶ Porrò plenissima hæc est Constantini Magni hoc in argumento constitutio. Nam non Hiereis tantùm & Archisynagogis, Patribúsque Synagogarum immunitatem tribuit, verùm etiam *ceteris qui in eodem loco deseruiunt*, vt habet inscriptio Legis, vel vt ipsa lex *ceteris qui Synagogis deseruiunt.* Quibus verbis intelligendi proculdubio sunt Azanitæ, id est, vt interpretatur Epiphanius, *heresi 30. Ebionitarum*, διάκονοι ἢ ὑπηρέται: sic & *infr. l.13. Ceterisque qui in eius religionis Sacramento versantur*: vide quæ notantur ad *l.8. infra.*

V. * Idem A. ad Felicem PF. P." Post alia."

EVM, qui ex Iudæo Christianus factus est, inquietare Iudæos," non liceat, vel aliquâ pulsare" iniuriâ: pro qualitate commissi istiusmodi contumeliâ puniendâ, &c. Dat. XI" Kalend. Nouemb. Constantinop. PP. VIII. Id. Mai." Nepotiano & Facundo COSS. [336]

INTERPRETATIO: *Hac lex interpretatione [al. Explicatione] non eget.*

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus suis rectè inseruit Baronius *Anno D.336.n.71.* Iungenda autem huic *lex 1. infr. ne Christian. mancip. Iudæus habeat.* Ex hac vtraque lege conflata, seu interpolata est farrago, quam ex Codice Aniciensi ad me olim transmisit Cl. Puteanus noster, posteà edidit Sirmondus, in *Append.* vt vocat *Theod.n.4.*
"Italiæ scilicet; in quâ Præfectura Africa erat, vt ostendit disertè *lex 21. supr. de Decurion.* & quæ dicam ad subscriptionem: vide & quæ dixi ad *l.1. supr. de excusat. artific.* & *l.6. supr. de nauicul.*
"Quæ continuatur *d.l.1.* cui hæc subiicienda sunt.
"melius, *Iudæus*: Sed tamen & hoc rectum.
"*Pulsare iniuria*; de hac formula vide *Gloss. Theod.*
"XII. in dicta farragine.
"*VII. Id. Martias* in Cod. *Anic.* seu farrag. prædicta. In aliis *PP. Prid. Mai.*
"Supplenda hic vox *Carthag.* ex *d.l.1.* quæ huic, vt dixi, coniungenda est. Quod & in Cod. Aniciensi additum. Vnde etiam apparet, quod initio dixi, Felicem PP. cui hæc lex inscribitur, fuisse P.P. Italiæ: ac præterea *hanc leg.* ad Africam spectare, & Iudæos, qui in Africa erant.

COMMENTARIVS.

AB INIVRIA Iudæorum Christianos per *Africam* hâc constitutione, & *lege 1. infr. ne Christian. mancip.* (quæ huic coniungenda est, eodémque collineat) Constantinus Magnus Anno 336. vindicatum it. Ac nominatim, hâc prolixioris constitutionis particula, PROSELYTOS, id est, ex Iudæis Christianos factos à Iudæorum contumeliâ vindicat: pariter vt *lege 1. supr. hoc tit.* iam vindicauerat. Fallitur enim Baronius, qui conuersum seu contrarium planè sen-

sum huie legi affingebat, quasi à Proselytorum iniuriâ Constantinus Iudæos *hâc leg.* vindicaret; cuius rei factique vi nulla satis ratio fingi potest, cur videlicet conuersi ad fidem ex Iudæis, persecutionem in Iudæos excitare voluerint, ita refutat eum non tantùm, quod Epiphanius *hæresi* 30. *Ebionitar.* de Iosepho quodam sub Constantino Magno scribit, de quo ad *l.* 1. *supr.* non tantùm argumentum *d. legis* 1. *supr. hoc eod. tit.* verùm etiam arg. *d. legis* 1. *infr. ne Christian. mancip.* ex quâ, cum *hâc leg.* coniuncta, de Constantini mente satis liquere potest. Nam & ibi à Iudæorum iniuriâ Christiana mancipia vindicat. *Si quis Iudæorum Christianum mancipium, vel cuiuslibet alterius sectæ mercatus, circumciderit, minimè in seruitute retineat circumcisum: sed libertatis priuilegiis, qui hoc sustinuerit, potiatur.* Sed Baronium in errorem induxit insolens constructio, quæ tamen nihil vitij continet, si modo eum in modum, vti feci, interpungatur, & verba, *non liceat*, impersonaliter accipiantur. Quomodo Plautus *in Pseud. Act.* 1. *Scen.* 1. *vers.* 14. *licet me id scire quid sit.* Et Virg. *lib.* 5. Æneid. *Me liceat casum miserari insontis amici.* Mitto nunc alia.

§ Pœna tamùm *huius leg.* notanda venit alia, quam *lege* 1. *supr.* Illâ scilicet nominatim grauissimum ignis supplicium Constantinus minitatur: hâc tam verò arbitraria & extraordinaria, indicit, *pro qualitate commissi.* Illam priorem protulit Tribonianus quò fit, vt *hâc leg.* spreta, illam in Codicem suum intulerit.

VI. * Imp. CONSTANTIVS" A. ad Euagrium." Post alia."



QVOD ad mulieres pertinet, quas Iudæi in turpitudinis suæ duxêre consortium, in *gynecio* nostro ante versatas, placet easdem restitui in gynecio: idque in reliquum obseruari, ne Christianas mulieres suis iungant flagitiis: vel, si hoc fecerint, capitali periculo subiugentur. Dat. Id. Aug. Constantio A. II." CONS. [339.]

NOTÆ.

* Meminit & *huius legis* Baronius *Anno* 339. *num. vlt.* Iungenda autem huic est *lex* 2. *infr. ne Christian. mancip.*
"*Constantinus* in nonnullis, malè.
"*PF. P.* vide Anno 336. *legem* 22. *supr. de Decurion.*
"Quædam continent *d. l.* 2. quam huic coniungendam dixi.
"*& Constante* COSS. ita MS. nonnulli.

COMMENTARIVS.



CONSTANTII duæ tantùm constitutiones in Iudæos hoc titulo sequuntur. Qui & cæteroquin in Iudæos iniquior fuit quod testatur quoque Iuliani *cap.* 25. Eius sanè *hâc leg.* & *l.* 2. *infr. ne Christian. mancip.* (quæ huic coniungenda est, & cuius meminit Sozomenus, Cedrenus, anno Constantij III.) mens & intentio fuit, inter Christianos & Iudæus commercio interdicere, vnde iustus metus exoriretur, ne Christiani ad Iudaicam superstitionem adigerentur. Quare & mancipium Christianum Iudæo mercari seu comparare *d. l.* 2. interdicit sub pœna bonorum proscriptionis, ac multò magis emptum circumcidere propositâ pœnâ capitali. Et hac lege eadem capitali pœna proposita NVPTIAS contrahere Iudæum cum Christiana interdicit. Iudæum, inquam, cum Christiana. At non exprimit vtrum & Christiano Iudæam ducere liceat. Et verò si Constantij mentem bene capio, id haud æquè prohibuisse videtur, hâc vt puto ratione, quod hic seductionis metus cessare videatur, qui vtique iustus est, Christiana Iudæo nubente, & sic maritali vi facilè cessura, haud aliter atque seruum Christianum potestati dominteæ cessurum metus est. At non tam facilè est, vt vxoriua ambitus virilem subigat vigorem.

§ Quicquid huius sit, id ex æquo posteà prohibitum verbis disertis à Theodosio Magno Christianæ honestatis religiosissimo *l.* 1. *supr. de nuptiis*, quæ & repetita totidem verbis *l.* 1. *supr. ad L. Iul. de adulter.* vbi hanc ad rem plura notaui.

¶ Quod hypothesin *huius leg.* attinet, id est, Gynecearias mulieres Christianas à Iudæis abductas, lucem capiet ex *tit. de murilegulis & gyneciariis.*

VII. * Idem A. & Iulianus Cæs. ad Talassium PF. P."



SI quis, lege venerabili constitutâ," ex Christiano Iudæus effectus, sacrilegis cœtibus adgregetur, cùm accusatio fuerit comprobata," facultates eius" dominio fisci iussimus" vindicari. Dat. v. Non. Iul. Mediol. Constantio A. IX. &" Iuliano Cæs. II. COSS. [357.]

Hac lex Interpretatione [vel *Explicatione*] *non eget.*

NOTÆ.

† *Lex* 1. *Cod. de Apostatis.* Hanc legem in annum suum non retulit Baronius.
"*Talassij* huius Præfecti Prætorio in gestis A.D. 353. & 354. meminit Amm. Marcellinus, *lib.* 14. *p.* 3. *&* 18. vnde etiam adparet P.P. Orientis fuisse. Meminit eiusdem Talassij Epiphanius, *hæresi* 71. vide plura in *Prosopogr.*
"*Constitutis, & ex Christiano Iudæus effectus.* Ita in omnibus Cod. Iust. De huius loci restitutione mox.
"*Approbata*, Cod. Iust. "*eiusdem*, Cod. Iud. "*iubemus*, Cod. Iust.
"*at non & Iulianus C.* est ipso more tum recepto, huius quoque nomen legi inscribatur.

COMMENTARIVS.

APOSTATAM, ex Christiano Iudæum effectum, bonorum proscriptione *hâc lege* multari iubet Constantius Imp. Anno D.357. de quo alioquin Apostatarum genere fuit quoque Constantini Magni *lex 1. in fin. supr. hoc tit.* quâ pœnas meritas eis imponit. Est & tertia & postrema omnium hoc Codice Valentiniani Iun. ex parte *lex 3. supr. de Apostatis:* vbi testandi tantùm ius eis adimitur. Quare rectè etiam hæc lex collocata Cod. Iust. sub *tit. de Apostatis:* sic quidem, vt *hanc leg.* illi *l.1.* Iustinianus prælatam, velut mitiorem, voluerit, quâ capitalis videlicet pœna sancita videtur à Constantino Magno aduersus hoc ipsum Apostatarum genus.

¶ Cæterùm obseruandum, *hanc leg.* Anno Domini 357. emissam ad *Talassium PP.* de quo cùm alia & plura habeat *Prosopographia*, illud hactenus notandum, eiusdem Talassij meminisse Epiphanium, *hæresi 71.* in negotio Photini, quo tempore Synodus Sirmij habita fuit, hoc ipso Anno 357. cui interfuit vnà cum Datiano, Cereale, & Tauro. Quomodo verò vtrumque hoc etiam *hâc leg.* & in Epiphanij loco stare possit, cùm Ammianus Marcellinus *lib.14. cap.18.* hunc Talassium PP. *obiisse lege communi* Anno Domini 354. scribat, si eum locum vt nuper edidit Doctiss. Valesius, legendum putemus. Verum lectioni veteri standum omninò puto, vbi legitur: *Quem monuisse compererit, lege communi scribens ad Cæsarem blandius. Monuisse* scilicet ait, propriè, aduersus Persas, vt docent ea, quæ dicuntur pagina *prox.17.* *lege verò communi scribens*, id est, vt alioquin adsolet familiariter.

¶ Ad hanc quoque Legem pertinentia nonnulla vide: quæ notaui ad *l.3. supr. de Apostatis.* De *huius legis* lectione postremùm videamus: quæ corrupta videtur: ibi, *si quis lege venerabili constituta:* Pro quo Codex Iustin. habet: *si quis lege venerabili constitutus.* Nihilo melius; quid enim est illud *constitutus lege venerabili:* aut quæ ratio Grammatica id sustineat? Itaque putet quis his legendum *prostituta*, vel *destituta* quod omnium probabilissimum; vel *constituta*; pro destituta, sic sanè suprà *l.2. de Apostatis*, venerabili religione neglectâ: & *l.3. eod. tit.* Christianæ religionis & nominis dignitate neglectâ. Neque enim placet, quasi *constitutâ* sententia Imperator, pro apud se firmiter semel proposita, obfirmatoque animo susceptâque: quo sensu *constituta* res & definita dicitur propositàque, & sic *lege venerabili constitutâ* id est, posteaquam semel eam obfirmato animo suscepit: posteaquam sanctissimæ religionis & in perenne seruandæ Christianæ legis secretorum reuerentia suæ fidei vindicauit *l.9. de scenicis.* Quod si ita est, tum *fideles* hâc voce iudicentur, Catechumenis oppositi. Quomodo sanè hi in argumento Apostasiæ distinguuntur: *l.1.4.5. supr. de Apostatis:* vbi plenè dixi: *Fideles*, inquam, qui scilicet fidem Deo iam dicauerant *d.l.4.* qui gratiam communionis adepti *d.l.5.* qui sanctam fidem professi, qui sanctum baptisma iam acceperunt, *d.l.4.* denique *fideles* iam dicuntur *d.l.1.*

VIII. * Imppp. THEOD. Arcad. & Honor. AAA. Tatiano PF. P."



IVDÆORVM querelæ, quosdam" auctoritate Iudicum" recipi in sectam suam, reclamantibus legis" suæ Primatibus, adseuerant, quos ipsi iudicio ac voluntate proiiciunt:" Quam omninò submoueri iubemus iniuriam: Nec" eorum in eâ superstitione sedulus" cœtus aut per vim Iudicum, aut Rescripti subreptione, inuitis Primatibus suis, (quos, Virorum Clarissimorum & Inlustrium" Patriarcharum arbitrio, manifestum est habere suâ de religione sententiam") opem reconciliationis mereantur indebitæ. Dat. xv. Kalend. Mai, Constantinop. Arcadio A. II. & Rufino COSS. [392.]

NOTÆ.

Abest *hæc lex* à *Cod. Iust.* Omisit quoque *hanc legem* Baronius. Iungenda ei autem est *lex 2. supr. de Monachis.*
"Tribuenda hæc lex *Valentiniano* THEODOSIO & *Arcadio.*
"*Tatianus* PP. sub Theodosio M. Orientis scilicet: vid. *Prosopogr.*
"Ex gregalibus suis & Iudæis.
"Secularium & Christianorum.
"*Lex* Iudæorum *hic*, & *l.2. supr. de metatis*, & *l.99. supr. de Decurion.* & Theodosius *Nou.3. vers. Quamobrem.*
"id est, proiicere solent. *Proiiciendi* vox hæc propria: vid. *Gloss. Theod.*
"*sc. Ne qui eorum, in eâ superstitione seduli cœtus opem reconciliationis mereantur indebitæ*: sensu iam apertissimo.
"*Seduli cœtus* vt suprà dixi: cæterum opponitur hic *sedulus cœtus*, proiectis siue eiectis ex cœtu, qui etiam quamlibet posteà restituti, non tamen seduli in eo cœtu fuerunt.
"*Inlustres* Patriarchæ *hic leg.* & *l.13. infr.*
"id est, auctoritatem.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Magni duæ de Iudæis constitutiones sequuntur. Quibus addenda & tertia, putà *lex 18. supr. de nauicular.* & quarta, putà *lex 5. supr. de contrah. empt.* & quinta, putà *lex 99. supr. de Decurion.* Hæc in Iudæos, at tertia illa & duæ huius tituli leges pro Iudæis. Porrò obseruandum nullas hic de Iudæis Iouiani, Valentiniani, Valentis, Gratiani, Valentiniani Iun. constitutiones referri, & tamen *infr. l.13.* mentio fit constitutionum Valentiniani & Valentis. De Valente certè Cedrenus ait, eum Iudæos in honore habuisse. Nunc de huiusce legis sententia.

ΑΠΟΣΥΝΑΓΩΓΟΙ igitur, id est, Synagogâ eiecti motiue Iudæi, & (vt proprio verbo vtar, quo vtitur Ammianus Marcellinus in simili re *lib.22.*) *proiecti* (quæ vox hâc quoque lege vsurpatur)

patur) eiecti *l. 15. supr. de Pistorib.* abiecti, *l. 18. supr. de agentib. in reb. l. 15. supr. de Palatinis S. L.* Iudæi, Primatum legis suæ iudicio, voluntate & sententia, vi Iudicum, aut Principalis rescripti obreptione in sectam suam, reluctantibus Primatibus suis, recipi, & sic *opem reconciliationis mereri* hac Theodosij Magni constitutione prohibentur. Scilicet, quibus sua relinquitur religio, & sua constare debet disciplina, neque vllo potentioris interuentu interturbari non Principis rescripto, non Iudicis cuiuscunque vi vel iniuria, cui simile aliquid vide in *l. 53. supr. de appellationib.* Quod & ipsum altero capite, puta *l. 2. supr. de Monachis*, (quæ huic nostræ coniungenda est) Theodosius quoque sancit, dum videlicet Monachis, quibus ciuitatum ingressum ipsemet interdixerat, *dum iudiciariis*, inquit ea lex, *aguntur iniuriis*, in pristinum statum restitutis, liberos in oppida seu ciuitates ingressus largitur. Sed neque Ecclesiæ obtentu sua Iudæis disciplina infringi debet *l. 23. hoc tit.* & *l. 2. de his qui ad Ecclef.*

¶ Secundò, notetur *hâc lege* de *Aposynagogismo* Iudæorum, qui per primates fiebat, cuius mentio fit quoque apud Ioannem non vno loco, quam excommunicationis speciem *Niddui* ipsimet Iudæi dixerunt, eiúsque causas 24. adsignarunt: vide Eliam in *Thesbi.* Haud absimilis porrò huic in Ecclesiâ Christiana canon fuit, ne ab aliis proiecti ὑποβεβλημένοι, ἀποβληθέντες, *ἀκοινώνητοι*, ab aliis in communionem reciperentur vel defenderentur: de quo vide *canonem Nicænum 5.* & epistolam Synodicam Concilij Africani ad Cœlestinum Papam & *can. 6.* Constantinopolitanum *in fin.* & *cap. 62. Cod. Africani.* Eodem pertinet & *lex 35. supr. de Episcop.*

¶ Rursum notetur, & ex hac lege liquere, pariter vt ex superioribus nunc primum citatis, ita iam olim & inter Christianos & inter Iudæos perperam vsurpatum, vt disciplinæ Ecclesiasticæ refractarij, ac legitima cognitione proiecti, ad seculares iudices, imò Principes, irent, contra custodiam & contra quietem publicam, vt loquitur *d. l. 35.* non velunt appellantes, quod quidam scribunt, vel appellationis remedio, verùm *authoritatem, vim, opem*, (quibus tribus vocibus hæc lex vtitur,) eorum implorantes ad reconciliationem. Ex his patet quoque veram non esse sententiam Seldeni, qui *de iure naturali & gentium, lib. 2. cap. 2. pag. 150. 151. hanc leg.* nominatim accipiebat de proselytorum Iustitiæ, inter Iudæos, vt vocabant, admissione & reiectione. Nam imò est hæc lex de *ἀποσυναγωγισμῷ* Iudæorum, quos Synagogâ vetat Imperator eiectos, in Synagogam rursum iotrudi reclamantibus primatibus Iudæorum.

¶ Postremò notanda *hâc leg.* duo de Patriarchis: nempe titulus *Illustrium* qui pariter eis tribuitur *l. 13. infr.* Item Primates ab his institutos, de quo iam *supr.* Tandem manifestatus error est Petit *2. var. 10. pag. 145.* qui de minoribus Patriarchis qui singuli certæ Prouinciæ aut *ἀποδημίᾳ* præerant, vsurpatum ait.

IX. * Iidem AAA. Addeo'' Com. & Magistro vtriusque'' militiæ per Orientem.

IVDÆORVM sectam nullâ lege prohibitam, satis constat. Vnde grauiter commouemur, interdictos quibusdam locis eorum fuisse conuentus. Sublimis igitur Magnitudo Tua hâc iussione susceptâ, nimietatem eorum, qui sub Christianæ religionis nomine inlicita quæque præsumunt, & destruere Synagogas adque expoliare conantur, congruâ seueritate cobibebit. Dat. III. Kalend. Octobr.'' Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio coss. [393.]

COMMENTARIVS.

* Abest & hac lex à *Cod. Iust.* Meminit eius Baronius *Anno D. 393. n. 13.* Ad eius historiam pertinet Ambrosij *Epist. 29.* ad Theodosium M. &c. de quo mox.

'' *Addeo* huic Comiti & Magistro vtriusque militiæ inscribitur hoc ipso Anno *lex 4. Cod. Iust. de inoffic. P. P. Orientis*: quæ ipsa ad eandem historiam pertinere videatur: & Anno 395. *lex 0. supr. de domesticis.* Eundem indicat Ambrosius *allegato loco.*

' puta, pedestris & equestris Militiæ.

'' Ita omnes Editiones, vna postrema Parisiensi exceptâ, quæ habet *Decembr.*

COMMENTARIVS.

VT CONVENTVS, ita & SYNAGOGÆ Iudæorum hactenus licitæ fuerunt, nullâque lege prohibitæ, etiam sub Theodosio Magno, quod hæc eius lex ostendit. Quare conuentus eorum quorundam feruentiorum nimietate, qui sub Christianæ religionis obtentu illicita præsumebant, interdici, vel Synagogas eorum destrui, exspoliari Christiani Principes vetuêre: quod præter hanc legem docebit quoque *lex 12. 20. 21. 25. 26. 27. hoc tit.* Docet quoque Theoderici R. epistola ad Senatum Vrbis Romæ apud Cassiodorum *4. var. 43.* Et verò *hâc leg.* nominatim Theodosius Magnus, id alicubi factum per Orientem ægrè fert, & disciplinæ specie à Comite & Magistro militum per Orientem seueriter cohiberi iubet. Quem ideò *Comitem Orientis militarium partium* vocat Ambrosius, id est, Comitem & Magistrum militum per Orientem, ad discrimen alterius Comitis Orientis *ciuilium partium*, quem describit Zosimus *l. 5.* & sub cuius dispositione erant quindecim Prouinciæ quas memorat Notitia Imperij. *Distinctæ* scilicet hæ dignitates fuerunt Comitis Orientis, & alterius Comitis Orientis militarium partium: nam & *hâc leg.* dicitur Comitis & Magistri vtriusque militiæ per Orientem. Et sic Ambrosius Comitem Orientis militarium partium dixit, pro Comite & Magistro militiæ per Orientem. Erroneum proinde est quod Vir Doctus credidit *3. Obseru. 3.* hunc Addeum non tantùm fuisse Comitem, ciuilium

lium scilicet partium, sed etiam Magistrum militum per Orientem; & sic vtramque potestatem in eundem collatam. Idémque putat excidisse literam M. Magistri apud Ambrosium in illis verbis: *Relatum est à Comite Orientis M.* (militarium partium:) Nam imò Addeus nonnisi Magister militum fuit per Orientem, non verò simul Comes Orientis ciuilium partium: Comitis enim illi titulus, non quasi alterius coniunctæ dignitatis titulus additur, verùm ceu annexæ Magistro militum dignitatis: sic enim passim Comites & Magistri militum, etiam *l.8.9. supr. de re milit. l.3.vlt. de pascuis, l.8. de metatis, l.1. ne Comitibus, l.16. de desertor. l.3. de diuers. offic. l.78. 113. 128. de Decurionib. l.9. de adulter.* Imò & iidem absolutè Comites *l.17. de re milit.* vid. *l.vlt. de infirm. hoc tit. l.23. de erogat. milit.* plura vide *in Notit. dignit. Theodosian.* Ad rem. Hæc verò illa lex est, ad cuius historiam pertinet, argumentum (quod Ambrosius *Epist* 29. ad ipsummet Theodosium M. scribens tractat) cui proinde epistolæ hic Annus 393. adscribendus est: Sic vt hæc ipsa lex videri possit pars esse integræ illius legis seu epistolæ, quam *vindicta* plenam ad relationem eiusdem Comitis militaris per Orientem Theodosium Magnum promulgasse Ambrosius scribit, qui ad eum retulerat de Synagoga Iudæorum incendio destructâ spoliatáque in Castro Callinico: cuius rei historiam exsequitur etiam Paulinus, *in vita Ambrosij*, (quod quidem Castrum fuit in Osdroënâ Orientis Prouinciâ) cuius meminit Ammianus Marcellinus *lib.23.* Zosimus, *lib.3.* & Notitia Imperij *in Duce Osrhoëna*, & *lex 4. Cod. de commerc. & mercatoribus*, & subscriptio epist. Episcoporum Osrhoënæ ad Leonem Imp. parte 8. Actorum Concilij Chalcedonens. & Procopius *lib.1. & 2. de bello Persico*, & *lib.2. περὶ κτισμάτων* (quæ alioquin Osdroëna Iudæorum plena fuisse videtur.) Sanè eadem Imperij Notitia sub eodem Duce Osrhoënæ meminit cuiusdam munimenti, quod vocat *Synam Iudæorum*.

¶ Procedat nunc Ambrosij locus ille, qui ad hanc legem omninò pertinet (quod Baronium alioquin fugit) *Relatum est*, inquit, *à* COMITE ORIENTIS *militarium partium, incensam esse* SYNAGOGAM, *idque Auctore factum Episcopo. Iussisti vindicari in cæteros, Synagogam ab ipso ædificari Episcopo.* Mox: *Si ædificio incenso moueris vilissimo (quid enim in tam ignobili* CASTRO *esse potuit?) non recordaris Imperator, quantorum Romæ domus Præfectorum incensæ sint & nemo vindicauit.* Mox: *Quid igitur dignius vt* CALLINICI *Castri in parte aliqua ædificiorum incendium, an Vrbis Romæ vindicandum existimaretur, si oportet?* Mox. *Sed refertur cognitionem mandatam Iudici, scriptúmque, Eo quod non referre debuerit*, sed VINDICARE: REQVIRENDA *quoque sublata* DONARIA, *Vt omittam alia*, &c. Plura ibi Ambrosius, atque ingens de illo rescripto querela, reuocari id postulantis. Quæ cum ita sint, adparet huius rei historiam, quod fecit Baronius, ad Annum 388. malè relatam. Apparet item quid sentiendum sit de Cedreni narratione, qui rem longè aliter narrat *pag.268.* qui inquam ad Vrbem Constantinopolitanam & ad Honoratum Præfectum Vrbis hæc refert. Similem porrò Theodosij Iun. constitutionem de reddendis Antiochiæ Synagogis Iudæorum, quas Christiani occupauerant, quæ Symeonis Stilitæ admonitione mox reuocata fuerit, memorat Euagrius *lib.1. cap.13.* & ex eo Nicephorus *lib.14. cap.57.*

¶ Interim de huius Codicis conditoribus illud obseruandum, eos leges quamlibet à nonnullis Episcopis damnatas in hunc Codicem referre sustinuisse. Quanquam in hac legis parte nihil adeò atrox, neque cætera illa atrociora continentur; de quibus maximè querebatur Ambrosius, vt putet, quis, hanc legem nostram non esse partem illius Epistolæ, quam adeò configit Ambrosius, verùm posterioris, quam Theodosius Ambrosio suggerente, reuocanda priori nimis atroci dictauerit & emendauerit. Verùm priori sententiæ adhæreo.

x. * Impp. ARCAD. & Honor. AA. ad Iudæos.



NEMO exterus religionis Iudæorum Iudæis pretia statuet, cùm venalia proponentur." *Iustum est* enim *sua cuique committere.* Itaque Rectores Prouinciæ" vobis nullum discussorem, aut moderatorem esse concedent. Quòd si qui sumere sibi curam," præter vos Procerésque vestros, audeat, tum," velut aliena adpetentem, supplicio coherceri" festinent. Dat. IV. Kalend. Mart. Constantinop. Arcad. IV. & Honorio III. AA. COSS. [396.]

NOTÆ.

* *Lex 9. Cod. de Iudæis.* Hanc legem omisit Baronius in annum suum referre.
"ab his scilicet, *Proponuntur*, Cod. Iust.
"*Prouinciarum*, Cod. Iust.
"hanc scilicet.
"*Eum*, Cod. Iust.
"*Coercere*, Cod. Iust.

COMMENTARIVS.

ARCADII quinque constitutiones de Iudæis sequuntur: putà, præter hanc legem, *lex 11.12.13.15. infr.* quibus addendæ & duæ præterea Paratitli vice extra hunc titulum: puta *lex 9. supr. de Iurisdict.* & *lex 2. supr. de his qui ad Eccles. confug.* Ex iis sanè omnibus, discere licet, quam enixo studio *Arcadius* Iudæos, eorúmque priuilegia, vt & Patriarcharum procerúmque eorum tuitus sit; inde verò certum his modum dixerit, aduersus eorum vsurpationes.

¶ Huius hæc sententia est: PRETIA rerum venalium, quas Iudæi publicè proponunt, vendendas, à *Proceribus Iudæorum* statui oportere, non autem à Christianis discussoribus vel Moderatoribus,

ribus, quos Rectores Prouinciarum fuerint: Basilica ita exprimunt: μηδὲν ἄλλοθεν ἐφορ☉ τιθέσθαι Ἰουδαίοις. Et rationem addit Arcadius, *Iniustum* scilicet *esse, cuique sua committere.* Quæ ratio etsi apertum sensum habeat, eui etiam similes in Iure plures occurrunt, vbi tamen annonæ vexandæ metus subesse potest, haud æquè obtinet: qui vtique metus sicubi, sanè à *Iudæis* est, Datdanariis atque hominum generi in id nato, vt annonam flagellent: & cæteroquin publicæ Magistratuum sollicitudinis pars est, neque infima, dispicere statueréque vti iusto pretio quæque res vendantur: *l.1. §. cura 11. ff. de offic. Præfecti Vrbis*, & *l. vltim. ff. de annonâ.*

¶ Quare horum fermè mens sunt, qui hanc legem accipiunt, de rebus inter Iudæos ipsos venalibus; at non etiam, si Christiano Iudæus quid venditurus sit. Sunt alij qui verba illa, *præter vos Proceréſque veſtros*, ita exaudiunt, Christianis non licere pretia statuere Iudæis rerum ab ipsis venalium, nisi auditis prius Iudæorum allegationibus. Quod non admitto: Apertè enim hic removentur prorsus exteri religionis Iudæorum. Quid igitur? Nempe ipsa rerum experientiâ compertum fuit, Iudæos, vt cæteroquin summo odio apud Christianos flagrabant, vilibúsque fermè commerciis occupati erant, (quod docet etiam *lex 18. supr. de nauicul.* quibus vitam tolerabant,) ita à Iudaicæ sectæ osoribus, iniquissimo pretio reculas suas friuoláque vendere coactos: Igitur iniquum id visum Principibus, per quos Iudæis esse licebat: ac nominatim *hâc lege* Arcadio Imperatori. *Quibus scilicet esse licet, ea quoque licere oportet, sine quibus iam esse non licet.*

¶ Cæterum illi errant quoque, qui *diſcuſſorem*, cuius hâc lege mentio fit, cum eo *Diſcuſſorum* genere miscent, de quibus suprà *lib. 11. tit. 26.* Illi quippe ad rem tributariam pertinent, non ad forum rerum venalium.

¶ De Proceribus Iudæorum, qui & Maiores *l. 1. supr.* iam superius dictum fuit, quos Socrates *lib. 7. cap. 13.* τοὺς Ἰουδαίων πρωτεύοντας vocat, Chrysostomus ἄρχοντας *serm. 27. de natiuitate Ioannis Baptiſtæ*, vbi ait, Iudæos mensem Septembrem nouum annum nuncupasse eóque sibi Magistratus designasse, quos ἄρχοντας vocant.

¶ Illud ferri non potest, quod Petitus *2. var. 10.* vir eruditus nuper scribebat, *hanc leg.* antiquatam *l. 10 supr. de Iuriſdict.* quæ nihil eum hac commune habet. Est enim hæc de pretio rerum venalium, illa verò de re iudiciariâ.

¶ Ad *huius leg.* rationem proximè facit, quod Athalaricus Rex apud Cassiodorum *9. var. 14.* in Comite Syracusano reprehendit, quod mercium aduectarum pretia definiret: addito, pretia debere communi deliberatione constitui: quia non est delectatio commercij quæ iubetur inuitis: vide & *l. 17. supr. de luſtrali coll.*

XI. * Iidem AA. ad Claudianum" Com. Orientis.

SI quis audeat Illustrium Patriarcharum contumeliosam per publicum facere mentionem, vltionis sententia" subiugetur. Dat. VII. Kalend. Mai. Constantinop. Arcad. IV. & Honorio III. AA. COSS. [396.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* omisit Baronius, quæ ipsa & à Cod. Iust. abest.

" Ita habent omnes Edd. Parisiensi postr. unâ exceptâ, in quâ habetur *Claudium*, si quid video, proculdubio hic ipse *Claudianus* est Poëta, qui & hoc ipso anno in tertium Consulatum Honorij Panegyricum scripsit & quidem Mediolani, vnde mox ad Comitiuam Orientis profectus. Sane vt tempora congruunt, & natales Poëtæ subscribunt.

" Ita & aliis nonnullis locis pro *ſententia*: nisi hic malis *vltionis ſententiâ*.

COMMENTARIVS.

PATRIARCHAS Iudæorum, (de quibus plenissimè dixi *lege 1. supr. hoc tit.*) CONTVMELIIS publicè afficere Christiani ab Arcadio hac lege prohibentur: contumeliosa eorum forte mentione factâ. Nempe vt cæteroquin Christianorum contumeliis Iudæi exposiri hæ etiam tempestate fuerunt, quod & Arcadio *leg. prox. 12.* & Theodosio Iuniori postcà reprimere visum *l. 21. & 26. infr.* ita testaras inimicitias aduersus Patriarchas eorum nominatim plerique exerenéte; quod etiam liquet ex eo, quod memorat Hieronymus *Epiſt. 101. Dudum*, inquit, *Heſychium virum conſularem, contra quem Patriarcha Gamaliel grauiſſimas exercuit inimicitias, Theodoſius capite damnauit, quod ſollicitato Notario chartas illius inuaſiſſet.*

¶ Ad dignitatem Patriarcharum quod attinet, *Illuſtres* pariter; vt *hâc lege*, ita & *lege 8. supr.* & *l. 13. infr.* vocantur, ac nominatim *Gamalielis* mentio fit *lege 14.* honorati Codicillis honorariæ Præfecturæ: Spectabiles vocantur *l. 15. infra.*

XII. * Idem AA. Anatolio PF. P. Illyrici.

EXCELLENS Auctoritas Tua, Rectores conueniri præcipiat, vt percepta" notatione" cognoscant, oportere à Iudæis inruentum" contumelias propulsari, eorúmque Synagogas in quiete solita permanere. Dat. XV." Kalend. Iul. Constantinop. Cæsario & Attico COSS. [397.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* omisit Baronius, pariter abest à *Cod. Inst.*

'' *x. perfecta.*

'' *Adnotatione.*

''In eâdem re eâdem voce vtitur *lex 2. supr. de metatis.*

''Hac eadem die de Iudæis pariter data *lex 6. supr. de his qui ad Eccles. conf.* sed ad alium Magistratum : putà, ad Archelaum Præfectum Augustalem, id est, Ægypti.

COMMENTARIVS.

Contvmeliis & Tvrbatione Iudæi eorúmque Synagogæ eon cœtus per Præfectoram & Prætorianam Illyrici & sic per Diœcesin Macedoniæ & Daciæ hâc Arcadij constitutione vindicantur, eo quod passim in eos imperus fieret, cœtúsque eorum turbarentur, atque in eos ipsos irruerertur. Quod rem ipsam attinet, seu Iudæorum Synagogas, in quas irrui Imperarores noluêre, concordant multæ aliæ leges huius tituli, de quibus ad *legem 12. supr.* & *lex 2. suprà de metatis*, vbi dixi.

XIII. * Idem AA. Cæsario PF. P.''

IVdæi sint obstricti cærimoniis'' suis : Nos interea in conseruandis eorum priuilegiis Veteres'' imitemur, quorum sanctionibus definitum est,'' vt priuilegia his qui Inlustrium'' Patriarcharum ditioni subiecti sunt, (Archisynagogis, Patriarchísque,'' ac Presbyteris, cæterísque qui in eius religionis Sacramento'' versantur,) nutu Nostri Numinis perseuerent, ea quæ venerandæ Christianæ legis, primis Clericis sanctimoniâ deferuntur. Id enim & Diui Principes, Constantinus,'' & Constantius,'' Valentinianus'' & Valens, diuino arbitrio,'' decreuerant.'' Sint igitur etiam à Curialibus muneribus alieni, pareántque legibus suis. Dat. Kalend. Iul. Cæsario & Attico coss. [397]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* omisit Baronius, haud aliter atque ea abest à *Cod. Iustin.* Eam indicare mihi videtur Honorius *leg. 158. supr. de Decurion.*

''*Cæsarius* PP. sub Arcadio Orientis scilicet : vid. *Prosopogr.*

''*Cærimonia*, de Iudaicâ religione. Sic & de hæresibus *cærimonia* vox *l. 48. supr. de hæreticis.*

''id est, Principes anteriores Christiani : putà, vt *fine legis* exprimitur, Constantini, Constantij, Valentiniani, Valentis.

''Locum hunc ita restituo, *Quorum vt sanctionibus definitum est, ita priuilegia*, &c.

''*Inlustres* Patriarchæ *hâc leg.* & *l. 8. supr.*

''id est, *Legis* suæ Primates sunt, déque religione sua sententiam habent, vt loquitur *lex 8.* vt *22: l. 2.* qui deuotione totâ, &c. in sectâ Iudaica degentes, *Legi* ipsi præsident : plura ad *d. l. 8.*

''Putà *lege 3. & 4. supr.*

''Huius constitutio talis nulla extat.

''Neque horum constitutiones super hoc extant.

''*Arbitrium* diuinum, de Imperatoriâ iussione passim hoc Codice : sic & apud Symmachum, *arbitrium* Imperiale *lib. 10. epist. 53.*

''*al. decreuerunt*, vt in Til. edit.

COMMENTARIVS.

Priuilegia, Archisynagogis Iudæorum Patriarchis, Presbyteris, & cæteris in ea religione versantibus (de quibus dictum ad *l. 1. 2. & 4. supr.*) veterum exemplo Principum Christianorum, putà Constantini Magni (quod etiam docet *lex 2. & 4. supr.*) item Constantij & Valentiniani & Valentis, hâc Arcadij Constitutione confirmantur ; ac nominatim, immunitas à muneribus Curialibus. Rursum eodem exemplo, quo eadem priuilegia primis Clericis Christianis deferuntur : *Primi Clerici* sunt Episcopi, Presbyteri & Diaconi, quomodo etiam designantur *lege 14. supr. de Episcop.* ἱερωμένοι. Cæteri dicuntur inferioris loci *lege 41. supr. de Episcopis*, & Ministri. Verùm de hoc Clericorum priuilegio pluribus dictum *eo titulo de Episcopis.*

¶ Illud singulare hac lege est, Arcadium hac constitutione inter cæterorum Principum constitutiones, non & Patris sui constitutiones aut Valentiniani Iunioris aut Gratiani memorare, quas alioquin subinde memorare, atque his sese efferre solet: & verò effert *l. 13. infr.* Quare hæc totámque legem spectanti, certissimum Theodosium M. & Valentinianum Iun. & Gratianum hæc priuilegia immunitatis à muneribus Curialibus Iudæorum primatibus ademisse, & sic Curialibus muneribus eos obnoxios fecisse (pariter vt nauicularie functioni obnoxij fuerunt *l. 18. supr. de nauicular.*) Et sanè id expressè probat Valentiniani Iun. *lex 99. supr. de Decurionibus* : & Valentis Anno D. 383. data hæc verba sunt ad Hypatium Præfectum Prætorio. *Iussio*, inquit, *quâ sibi Iudaæ legis homines blandiuntur, per quam eis Curialium munerum datur immunitas, rescindatur : Cùm ne Clericis quidem liberum sit, priùs se diuinis ministeriis mancipare, quàm patriæ debita vniuersa persoluant. Quisquis igitur verè Deo dicatus est, alium instructum facultatibus suis, ad munera pro se complenda constituat.* Quare rursum hinc sequitur, recentiorum Principum, Gratiani, inquam, Valentiniani Iun. & Theodosij hac parte leges ab Arcadio *hâc leg.* infirmari : viceuersâ in vsum reuocari vetustiorum Principum iussiones : *In conseruandis*, inquit, *eorum priuilegiis VETERES imitemur.*

temur. Quibus verbis Imperator apertè submouet recentiorum Principum iussiones.

¶ Cæterùm hoc in argumento octo in vniuersum hoc Codice constitutiones versantur. Constantinus Magnus scilicet Hiereos, &c. tantùm à Curialibus muneribus immunes esse voluit *l.2.3. supr. hoc tit.* mox *l.4.* Valentinianus Iun. ne hos quidem *l.99. supr. de Decurionib.* Arcadius primùm Hiereos excepit *hâc leg.13.* postreà omnes Iudæos Curiæ obnoxios, Curiæ mancipari voluit *l..2.tit.de Decurion.* Honorius pariter omnes *l 24. infr. hoc tit.* & *l.157.158. supr. de Decurionibus:* His addatur Iustiniani *Nouella 45.*

¶ Singularis & eo quoque nomine est hæc lex, quòd ea distinctâ edocet duo Patriarchatum genera fuisse de quo alioquin vide quæ semel dixi ad *l.1. supr.* Neque audiendus est vir eruditus Petitus a *var.10.p.146.* qui hunc locum sollicitabat: loco istorum *Archisynagogis*, *Patriarchisque ac Presbyteris*, è literatum, vt ipse aiebat, ductu, reponebat, *Archisynagogis*, *Patri*, *Hiereis at Presbyteris*, & sic loco *Patriarchisque*, substituebat *Patri Hiereisque*. Quod si admittatur, quis locus iam ab emendatione, quæcunque in mentem venerit, immunis erit? Probabilius quis reponeret, *Archisynagogis*, *Archibiereisque*: bi enim duo ita iunguntur apud Lampridium *in vita Alex. Seueri*.

¶ Ergo, vt hanc ad legem redeamus, Arcadius Archisynagogos & cæteros à Curialibus muneribus immunes facit, vt seruire possint legibus suist *Parentique*, inquit, *legibus suis*. Quibus verbis opponitur Curialibus munerum onus, patientiæ legibus Iudaicis, id est, ministerio legis Iudaicæ. Quare grauis error est viri eruditi Petiti, a *var.10. pag.148.* qui his verbis id indicari putauit, primates Iudæis suis hoc tempore ius dixisse in his quæ ad forum & Leges ac iura pertinent, quod Anno proximo 398. his ademptum fuerit *lege 10. suprà de Iurisdictione*: de quo ad *eam legem plenius*.

XIV. * Idem AA. Messalæ PF. P."



VPERSTITIONIS indignæ est, vt Archisynagogi, siue Presbyteri Iudæorum, vel quos ipsi *Apostolos* vocant, qui ad exigendum aurum adque argentum à Patriarchâ certo tempore diriguntur, à singulis Synagogis exactam summam adque susceptam ad eundem" reportent." Quâ de" re, omne quidquid consideratâ temporis ratione confidimus esse collectum, fideliter ad nostrum dirigatur ærarium. De cetero autem nihil prædicto" decernimus esse mittendum. Nouerint igitur populi" Iudæorum remouisse nos deportationis" huiusmodi functionem. Quod si qui ab illo" depopulatore Iudæorum ad hoc officium exactionis fuerint directi, Iudicibus offerantur, ita vt tamquam in legum nostrarum violatores sententia proferatur. Dat. III. Id. April. Med. Theodoro v. c. CONS. [399.]

NOTÆ.

* Hanc legem Annalibus suis inseruit Baronius *Anno D.399. num.79.* de qua & *seq. num.80.* agit. Eam idem Honorius memorat & abrogat *l.17 infr.* vide & *l.vlt.*

"Italiæ scilicet.

"Patriarcham.

"Ita mox *deportationis functio* dicitur.

"Bene habent hæc, quod etiam ita accipere possis, pro *quamobrem*.

"Patriarchæ. "per Occidentem.

"*Deportationis*, id est, transmissionis & Apostolatus, de quo mox. Tiliana malè habebat, *depradationis*

"Patriarchâ

COMMENTARIVS.

HONORII Imper. hæc lex est de Iudæis: cuius sunt de Iudæis sex præstereà hoc titulo Constitutiones, putà *lex 16. 17. 19. 20. 23. 124.* & tres præterea per alios sparsæ titulos; putà *lex 158. supr. de Decurionib. l.8. supr. de execut. lex vltim. supr. de feriis.* Hâc lege Honorius Imp. Apostolatum, seu collationem & deportationem AVRI CORONARII (vt vocatur *l.vltim. hoc tit.*) de quo agitur duabus præcereà legibus *l.17.* & *l.vltim. hoc tit.* cuius anniuersarius canon erat, in Orientem ex Præfectura Prætoriana Italiæ quoque deferri, deportari tollitur, submouet; Anastasio tum Vrbi Romæ Episcopante. Quam Constitutionem idem postcà indicat & abrogat quinquennio pòst, sub Innocentio PP. *l.17. infr.* reuocato veteri iure.

¶ Quod vt intelligatur, quatuor sunt obseruanda. Primò, stante olim Ierosolyma à Iudæis quotannis, stato tempore, ex omnibus Prouinciis, per quas sparsi erant, ad eam Vrbem Templúmque, aurum, *Δίδραχμον* iuxta Legem, cuius etiam mentio extat in Euangelio, missum & deportatum, quod Templo inferretur seu ætario publico. Quod Cicero *pro Flacco* testatur his verbis, *Cum aurum inquit, Iudæorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus vestris Prouinciis Hierosolymam exportari soleret*, Et Iosephus *lib.16. Antiq. cap.10.* recitat literas, (& decreta) Augusti, Agrippæ, Norbani, item Flacci, Iulij Antonij ad Cyrenenses, Ephesios, Sardos, atque ad alios missas, in quibus scriptum erat; vt Iudæi qui ibi habitabant, dona pecuniásque in vsum Templi & sacrorum mittere Hierosolymam prohibenterut: de eodem idem Iosephus *lib.14. cap.18.* Eóque pertinet tractatus de *Schekalim*, seu de siclis in Talmud *parte 11.* quæ vocatur *Seder Moëd*, *l.4.* quæ octo capita in se continet: vbi dicitur primo die Februarij publicâ proclamatione moneri solitum populum, vt singuli in tempore siclum adducerent: ante principium *verò Maij*, (quo appetente certè hæc lex lata est) id exsolui oportuisse: cúmque magno numero ex remotioribus locis hoc tributum mitteretur, commutare id licuisse in *Darchonos*, qui erant numeri aurei oneris leuandi

causa. Atenim, quod Secundò obseruandum, post excidium iam templi Hierosolymitani in vicem superioris collationis aurique, *Patriarcha* Iudæorum ex omnibus Orbis Romani Prouinciis tributum quoddā à superiore diuersum, contra quam Cojacius credebat, annuum seu pensionem Coronarij aori nomine à singulis Synagogis accepit mox & exegit; & quidem etiam sub Christianis Impp. diuiso quamlibet etiam Imperio in Orientale & Occidentale. Quod præter hanc *legem* 17. *& vltim. infr.* docet quoque Epiphanius hæresi *Ebionit.* 30. & Iulianus Imp. *epist.* 25. quorum verba posteà consignabo. Meminit & Hieronymus *aduersus Vigilantium in fin. fol.* 57. *tom.* 6. *Tota*, inquit, *mente festinat* (Paulus) *vt Hierosolymam & ad sancta loca cedentibus pecunia dirigantur.* Mox, *Hac in Iudæa atque hodie perseuerante consuetudine: non solum apud nos, sed & apud Hebræos, vt qui in lege Domini meditantur die ac nocte & partem non habent in terra nisi solum Deum, Synagogarum & totius orbis foueantur ministeriis. Patriarcha* igitur vniuersali, sie vt dixi, hic canon pendebatur: error enim est Viri Docti 2. *var.* 10. *pag.* 151. asserentis anniuersarium hunc canonem singulas Synagogas Patriarchæ suo, quæ ditionis illius erant persoluisse. Idque *auri Coronarij nomine* de cuiusmodi auro Coronario fuit suprà titulus *lib.* 12. Tertiò, obseruandum ab *Archisynagogis* siue Presbyteris Iudæorum, vel ab Apostolis (de quibus mox) à singulis Synagogis hoc aurum exactum. De Archisynagogis iam anteà dixi: illud hinc de iis discimus eos singulis Synagogis præfuisse & exactum ab his hoc aurum; Quod postremum docet & scriptor vitæ Chrysostomi, qui & mutatos sæpè à Patriarchis Archisynagogos ait, si non satis conferrent. Quartò obseruandum est, Patriarcham quosdam habuisse suos, velut Adsessores, atque Agentes in rebus, quos missionibus, atque inter alia huic tributo seu auro Coronario & Apostolatui exigendo, certo tempore dirigebat, destinabat, qui *Apostoli* vocabantur: vt præter hanc legem docet quoque Epiphanius *dicto loco pag.* 24. vbi de Ioseph quodam, huius generis Apostolo, loquitur: ἦν γὰρ Ἰώσηπος τῶν παρ' αὐτοῖς ἐξιωματικῶν ἀνδρῶν ἐκεῖθεν ὢν. εἰσὶ δὲ οὗτοι μετὰ τὸν Πατριάρχην ΑΠΟΣΤΟΛΟΙ καλούμενοι, προσεδρεύουσι δὲ τῷ Πατριάρχῃ καὶ σὺν αὐτῷ πολλάκις, καὶ ἐν νυκτὶ, καὶ ἐν ἡμέρᾳ συνεχῶς διάγουσι διὰ τὸ συμβουλεύειν καὶ ἀναφέρειν αὐτῷ τὰ κατὰ τὸν νόμον, id est, *Hic Iosephus inter dignitate præstantes apud ipsos viros connumeratus erat: Sunt autem hi post Patriarcham* APOSTOLI *appellati, assidéntque Patriarchæ & cum ipso sæpè assiduè nocte ac die agunt, consulendi gratia, & vt referant ad eum ea quæ ad legem spectant.* Et Eusebius *ad Esaiæ* 18. *versic.* in Catena Patrum nondum edita, de Apostolis agens, qui à Iudæis Hierosolymæ agentibus, ad ceteros missi, vt doctrinam Domini vt nouam ac erroneam traducerent, (quem locum Eusebij memorat Hieronymus *in d.c. Esaiæ*) de quo etiam Iustinus *dialogo adu. Triphon*, inter alia: Ἀποστόλους δὲ εἰσέτι καὶ νῦν ἔθος ἐστὶ Ἰουδαίοις ὀνομάζειν τοὺς ἐγκύκλια γράμματα φέροντας παρὰ τῶν ἀρχόντων αὐτῶν διακομιζομένους. Item destinatos seu velut commissarios & censores eorum qui in officio aliquo inter Iudæos constituti erant Epiphanius quoque docet *num.* 11. ἐπειδὴ οἷα Ἀπόστολος (οὕτω γὰρ παρ' αὐτοῖς, ὡς ἔφην, τὸ ἀξίωμα καλεῖται) ἐκεῖσε διέτριβε, καὶ καθαίρων δὲ πολλοὺς τῶν ἐν ταῖς πόλεσι ἐνιστάμενους ἐν ἀξιώμασι προσβαλλόμενος, πολλοὺς τῶν ἐκεῖσε κατασταθέντων Ἀρχισυναγωγῶν, καὶ ἱερέων καὶ πρεσβυτέρων, καὶ Ἀζανιτῶν τῶν παρ' αὐτοῖς διακόνων ἑρμηνευομένων, ἢ ὑπηρετῶν, καθαιρῶν τε καὶ μετακινῶν τοῦ ἀξιώματος πολλῶν ἐπιστατῶν.

Quo loco verba illa ἦτοι ἐπιπλήξεως προσβαλλόμενος significant eam ad rem præstandam destinatum Iosephum, id est, ad censuram agendam de Presbyteris, &c. Neque enim ea sollicitate, inque alium sensum trahere debuit Vir Eruditus *lib.* 2. *var. cap.* 10. transpositis ita verbis οἱ ἐκ Παττικῶν προσβαλλόμενος. De his Apostolis est & hic Hieronymi locus, *in epist. ad Galatas c.* 1. *tomo* 9. *fol.* 79. litt. F. *vsque hodie à Patriarchis Iudæorum Apostolos mitti. Ad distinctionem itaque eorum qui mittuntur ab hominibus & suis; qui sit missus à Christo, tale sumpsit exordium Paulus Apostolus, non ab hominibus neque per hominem.* Alioquin apud Hesychium quoque πέμπεται οἱ ἀποστόλοι, μεῖναι, Ἀπόστολοι. Sic & olim iam his similes fuere Apostoli, qui decimas atque alia percipiebant & ad Leuitas deferebant, οἱ ταῖς θυσίαις ἀπάρχονται, vt eos vocat Philo, in Legatione. Augustus in edicto vocat eus ἀποδοχέας: Philo etiam προπόμπους τῶν χρημάτων ἀποστολεῖς ἐπιλελοιπότας. Et ad id exemplum, prima Christianorum ætate, qui ad perferenda vltro citróque Ecclesiarum munera ab Ecclesiis mittebantur, dicti sunt Ἀπόστολοι 2. *Corinth.* 8. 23. *Philipp.* 2. 25.

§ Cæterùm ab ipsismet Iudæis ita vocatos, & hæc lex docet illis verbis, *Quos ipsi Apostoli vocant*: & Epiphanius istis εἰσὶ δὲ οὗτοι μετὰ τὸν Πατριάρχην Ἀπόστολοι καλούμενοι. Item: Ἀπόστολος (οὕτω γὰρ παρ' αὐτοῖς ὡς ἔφην τὸ ἀξίωμα καλεῖται). Et Iulianus illis quæ de Apostolatu mox dicam. Vt miter Virum Doctum aliter sentientem. Quæ cum ita sint non debuit Vir Doctus, pro *Apostolos* hîc reponere *Apostolicos*: quomodo Zonaras in Heraclio Hierosolymitanum Patriarcham Iacobitarum Apostolicum vocat. Atenim admitto eiusdem sententiam, vt *Patriarcharum* & similia, ita & *Apostolorum* vocabula inter Iudæos nonnisi post vrbis excidium vsurpata. Ab his suscipiebatur, *deportationem*, & *deportationis* functionem *hac leg.* vocari, & Apostolatum, Ἀποστολή: quod & Iulianus Imp. *epist.* 25. *ad Iudæos* docet: & Epiphanius *d. hæresi Ebionit.* 30. *num.*... Iuliani verba: Ἰουλιανὸς τῷ κοινῷ hæc sunt: τὸν ἀδελφὸν Ἴουλον [χ. Ἰούδαν] τὸν αἰδεσιμώτατον Πατριάρχην παρῄνεσα, καὶ τὴν λεγομένην παρ' ὑμῖν Ἀποστολὴν κωλυθῆναι: καὶ μηκέτι ἐξεῖναι τινὶ τοῦ πλήθους ὑμῶν τινὰ ἀδικεῖν τοιαύταις φόρων εἰσπράξεσιν, ἵνα πανταχόθεν ὑμῖν τὸ ἀμέριμνον ὑπάρχῃ τῆς ἐμῆς βασιλείας, id est, *Fratrem Iulum* (χ. *Iudam*) *Patriarcham omni obseruantia dignum hortatus sum, vt etiam tributum quod Apostolatus apud vos vocatur, prohibeat & in posterum nemini liceat populos vestros huiuscemodi tributorū exactionibus lædere, quo vobis securitas vndique in meo regno sit.* Epiphanij sunt ista: συμβέβηκε γὰρ αὐτὸν τὸν Ἰούδαν, μετὰ τὸ εἰς ἀνδρωθῆναι τὸν Ἰούδαν τὸν Πατριάρχην ἐν προειπομένῳ (τάχα γὰρ οὕτως ἐκαλεῖτο) ἠμφιέσθη ἔπειτα γέρας τῷ Ἰωσήπῳ τῆς Ἀποστολῆς δοῦναι τὴν ἐπαρχίαν, καὶ μετ' ἐπιστολῶν αὐτὸν ἀποστέλλεται εἰς τὴν Κιλικίαν γῆν: ὃς ἀνελθὼν ἐκεῖσε ἀπὸ ἑκάστης πόλεως τῆς Κιλικίας, τὰ ἐπιδέκατα καὶ τὰς ἀπαρχὰς παρὰ τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ Ἰουδαίων εἰσέπραττεν, id est, *Per idem tempus, cum iam Patriarcha Iudas, quem diximus (ita enim fortè vocabatur) ad robustam ætatem peruenisset, Iosephum pramij loco Apostolatus (dignitatis id nomen est) honore ac commodis exornat. Inde cum literis in Ciliciam proficiscitur. Quo cum accessisset, vnoquoque ex oppido decumas ac primitias à Prouincialibus Iudæis exigebat.* Ita enim locus his explicandus, in quo interpretando Cornarius non semel lapsus: ἀποστολῆς ἐπαρχία, est Apostolatus exigendi cura seu functio. Apostolatus, id est, deportationis auri Coronarij, pensionis largitatis. Sanè & apud Græcos ἀποστολαί, ἀποστολὴ, δῶρα, ἀποστάλματα, quæ ad amicos mittebantur:

bantur: vide Aristotelem 4. *Nicomach.* Vlpianum *apud Demosthenem*, Suidam, Auctorem *lib.* 5. *c.* 1. Macchabæorum. Portò fuit hic canon anniuersarius, vt vocatur *l. vltim.* ex consuetudine præbebatur *l.* 17. *hoc tit.* pensionis nomine *l. vltim.* Coronatij auri nomine *d. l. vltim.* (de cuius nominis ratione ibidem) sic vt ad exigendum eum certo tempore Apostoli à Patriarcha dirigerentur *hac leg.* consistebat verò in auro & argento *hac leg.* & exigebatur ab omnibus Synagogis *l. vltim. hoc tit.* sic vt ab Occidentalibus quoque partibus dirigeretur in Orientem *hac leg.* & *l.* 17. & *l. vltim.* vnde *deportationis* fuoctio *hac leg.* vocatur. Quare erronea est obseruatio viri eruditi, qui singulis ditionibus & Præfecturis illustres Patriarchas tribuens, aurum istud atque argentum ex Synagogis eorum ditioni subiectis pensitari solitum scribit: quem refutat *hac lex*, & *l.* 17. & *l. vltim. infr.* Sed & erronea sententia eiusdem *l.* 2. *var.* 10. *p.* 157. 158. putantis tribus vicibus hunc canonem exactum (quod sanè alioqui verùm ast de tributis quæ fisco pensitabantur) nam & *l. vltim anniuersarius canon*, nullo præterea addito vocatur, & *hac leg.* non diuisis vicibus, verùm *certo tempore* Apostolos ad exigendum aurum atque argentum à Patriarcha directos. Neque argumentum vllum desumi potest ex subscripto huic legi die III. Id. April. non magis quam ex subscripto *legi* 17. VIII. Kalend. Aug. aut vltimæ III. Kal. Iun. quæ tres constitutiones de isto auro Coronario & Apostolatu sunt.

¶ His ita cognitis, de huius legis sententia, atque adeò de Honorij mente accuratius videndum est. Nempe cum Patriarcha, qui in Oriente præsidebat, Occidentis Imperio iam ab Oriente diuulso, hanc functionem seu hoc Apostolatus deportationisque tributum ab Occidentalibus quoque Iudæis, seu vt ipse Honorius ait *d. l.* 17. hanc legem recantans *istarum* (Occidentalium sc.) *partium* porrò exigeret, Apostolis in id missis, indignum, seu vt ipsemet Honorius loquitur, *superstitionis indignæ visum*, id fuit Honorio permittere. Nempe indignum visum, cùm Occidentis Imperium nec quicquam Orientali subesset, Patriarchæ Orientali & sic in alio seu Occidentali orbe constituto, licere ius quoddam supremæ potestatis in eo & in his constitutis exercere, & aurum Coronarium seu tributum *ab his partibus* exigere. Quod exemplum & alibi alia in re obseruatum vtiliter alio traduci potest.

¶ Sanè vt altiùs penetremus, proculdubio & hæc lex indicium est & vestigium simultatis fraternæ inter Arcadium & Honorium: cuius auctor & origo primùm Rufinus extitit, teste Claudiano *in Rufin. lib.* 2. & *lib.* 1. *in Eutropium.* Mox Eutropius, huius etiam anni consul cum Theodoro: vt testatur Claudianus *lib.* 1. *in Eutropium.*

Arma relinque viris: Geminam quid diuidis aulam?
Conarisque pios odiis committere fratres?
Te magis, ah demens, veterem si respicis artem,
Conciliare decet: Gestis pro talibus annum
Flagitat Eutropius.

Igitur ab ea simultate id quoque profectum quod *hac leg.* vetatur. Et hoc quidem, vt dixi, fine Honorius per Occidentem Apostolatum exigi vetuit. Alio enim fine Iulianus olim *d. epist.* 25. in totum exigi vetuit. Ex his interim apparet, labi eos qui in totum *hac leg.* Apostolatus functionem interdictam scribunt, mox & generaliter restitutam *l.* 17. *infr.* cùm in Occidente tantùm interdicta fuerit *hac lege* mox restituta *d. l.* 17.

¶ Et hæc quidem ita *hac leg.* Honorius, tribus etiam enixæ voluntatis suæ indiciis additis: nam 1. & *superstitionis indignæ* id vocat. 2. & Patriarcham hoc tributum exigentem depopulatorem, 3. & Apostolus ad id missos Iudicibus offerri, puniri que iubet.

¶ Atenim Honorius reconciliata iam inter se & Arcadium gratiâ post quinquennium Romæ positus sub Innocentio Episcopo Romano, sententiam recantauit *l.* 17. *infr. hoc tit.* & consuetudine secundum veterum Principum statuta reducta, Iudæis Occidentalis orbis sui, mittendi huius auri Coronarij copiam fecit. De hac ipsa re tandem erit & lex Theodosij Iun. *l.* 7. *infr. hoc tit.* (vbi dicam adhuc) quæ pariter ostendit, ab Occidentalibus partibus, Patriarchis id conferri consueuisse.

XV. * Idem" AA. Eutychiano PF. P."

CVNCTA priuilegia, quæ Viris Spectabilibus" Patriarchis, vel his quos ipsi ceteris præposuerunt," diuæ memoriæ Pater Noster, atque retrò Principes detulerunt, suum robur tenere censemus. Dat. III. Non. Febr. Constantinop. Honorio A. VI. & Aristæneto coss. [404.]

NOTÆ.

* Abest & *hac lex* à *Cod. Iust.* Eandem Baronius in annum suum non retulit.
" Tribuenda hæc lex ARCADIO, Honorio & Theodosio.
" *Eutychiano* PF. sub Arcadio Orientis scilicet: vid. *Prosopogr.*
" vide quæ dixi ad *l.* 11. *supr.*
" Qui Patriarcharum arbitrio, habent suam de religione sententiam *l.* 8. *supr.* qui Patriarcharum ditioni subiecti, & in religionis Sacramento versantur *l.* 13. *supr.*

COMMENTARIVS.

PATRIARCHIS Iudæorum, & cæteris qui ab his præpositi sunt, quæ priuilegia à Theodosio Magno patre suo, aliisque retrò Principibus tributa fuerant, *hac leg.* confirmat rursum Arcadius. De quo vide *l.* 2. 4. 13. *supr.* quæ postrema est eiusdem Arcadij. Quod autem de priuilegiis à Theodosio Magno tributis *hac leg.* dicitur, non est contrarium iis, quæ ad *d. l.* 13. dixi: Priuilegia enim ista alia fuerint necesse est, quàm de quibus agitur *d. l.* 13. vel saltem Patriarchis sommis delata, non etiam his, qui Patriarcharum ditioni subiecti: de quibus est exertè *d. l.* 13. Ex *hac* interim *leg.* colligat quis, aliquo tempore sub Arcadio ante *hanc legem* post *d. l.* 13. priuilegia illa Iudæis detracta fuisse.

¶ De quibus autem Patriarchis accipienda sit

hæc lex, quæri potest? Ego cum Petito a.*var.*10. *pag.*145. de minoribus accipio. Et quidem duobus argumentis. Primò, tituli *Spectabilium*, summis enim Patriarchis Virorum *Clarissimorum*, & *Illustrium* titulus *l.*8. *suprà & *13. conceditur. Alterum istud est; quod hæc ipsa priuilegia minorum Patriarcharum memorantur & confirmantur *d.l.*13.

XVI. * Idem" AA. Romuliano PF. P."

IVDÆOS, & Samaritanos," qui sibi Agentum in rebus priuilegio blandiuntur, omni militiâ priuandos esse censemus. Dat. x. Kalend. Mai, Rom." Honorio A. VI. & Aristæneto CONS. [404.]

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* eandémque Baronius omisit. Ei concordat *lex* 24. *infr.*

" *al.* *Idem AAA.*

" Hic idem videtur, qui Anno Domini 398. *Præfectus Vrbis* Constantinop. erat, quod docet *lex* 47. *supr. de re milit.* vid. *Prosopogr.*

" *Samaritanorum* præter *hanc leg.* & *Rubr. supr.* fit præterea mentio *l.*28. *infr. hoc tit.* & *l.*18. *supr. de nauicul.* & vbique Iudæis subiciuntur, de quibus mox plura.

" *Romæ* hoc tempore constitutus Honorius, vt præter *hanc legem* docet quoque lex proximè sequens & *l.*65. *supr. de cursu publ. lex* 2. *supr. de exaction. l.*4. *supr. de Decuriis Vrbis Romæ*: & Claudianus Panegyr. *in VI. Honory consulatum* in id expresso.

COMMENTARIVS.

MILITIA AGENTVM in rebus Iudæi & Samaritani fungi hoc adhuc æuo poterant: cùm tamen aliis militiis interdictum eis esset. *Agentum*, inquam, *in rebus*, de quibus *suo titulo* pleniùs. Atquin Honorius iam Romæ positus sub Innocentio Episcopo Romano, etiam Agentes in rebus eos esse hac constitutione prohibet. Quod & ipsum posteà rursum constituit de Iudæis *l.*24. *infr.* vbi vide quæ dicam.

¶ Cæterùm de *Samaritanis* hic aliquid dicendum. Fit eorum mentio, præter *hanc leg.* & *Rubr.* huius tituli, duabus insuper legibus: putà *l.*28. *infr. hoc tit.* & tertiâ adhuc *l.*18 *supr. de nauicul* & vbique Iudæis subiiciuntur, pariter vt Nouella Theodosij III. similiter concepta, *de Iudæis, Samaritanis*, &c. Déque vtrisque idem semper hoc Codice constituitur, cum Iustiniani æuo posteà Samaritani deteriore conditione fuerint: vide *l.*21. *Cod. de hæreticis*: vide & *Nou.*129. 144. Fit & eorum mentio in solemni illa Adriani Epistola, quæ apud Vopiscum, vbi de Ægypto: *Nemo*, inquit, *illis Archisynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter, non Mathematicus, non Aruspex, non Aliptes.* Et eodem loci ipse Vopiscus de iisdem Ægyptiis. *Sunt enim*, inquit, *Ægyptÿ viri ventosi, furibundi, iactantes, iniuriosi, atque adeò vani, liberi nouarum rerum vsque ad contilenas publicas cantilantes, versificatores, Epigrammatary, Mathematici, Aruspices, Medici. Iam & Christiani & Samaritæ, quibus præsentia semper tempora cum enormi libertate displiceant.* Ita enim locus ille constituendus est. Nempe id vult Adrianus: *Samaritas* rerum nouarum cupidos, quod vulgare crimen Christianorum olim fuisse, quasi seculi osores essent, passim obseruatio est. De Samaritanis his est quoque præter *d. Nouell.* Theodosij III. Nouella Iustiniani 129. & Iustini 144.

¶ Porrò notum, *Samaritas* inter Iudæos tales primùm fuisse, quales inter Christianos Schismatici, vt qui de loco & templo, vbi secundum legem Mosis Deus esset adorandus, cum Iudæis certarent: his in Vrbe Hierosolymitana, illis in monte Garizim contendentibus. Cuius controuersiæ statum Iosephus explicat, *lib.*13. *cap.*6. & quibus momentis lis tota à Rege Ptolomæo, qui Iudex acceptus, liberata fuerint. Imò tamen Samaritani quoque Iudæorum hæretici fuêre, Augustinus *lib.*1. *contra Cresconium, cap.*31. quorum hæresis hæc fuit, quod ipsi solùm Pentateuchum è tribus voluminibus sacri Codicis suscipiebant, & Prophetas reiiciebant. Ad hæc negabant resurrectionem postquam idololatræ esse desierũt. Sparsi autem Samaritani fuêre potissimũ per Ægyptum, quod superiora loca ostendunt: ostendit & *lex* 13. *supr. de nauicul.* Sparsi tamen fuêre & per Occidentem, quò pertinet hæc lex & *lex* 28. *hoc tit.* imò & Romæ fuêre deinceps Theodorici R. æuo: testis Cassiodorus, 3. *var.*45.

XVII. * Idem" AA. Hadriano PF. P."

DVDVM † iusseramus, vt ea, quæ Patriarchis à Iudæis istarum" partium ex consuetudine præbebantur, minimè præberentur: Verùm nunc, amotâ primâ iussione secundum Veterum Principum statuta priuilegia, cunctos scire volumus, Iudæis mittendi copiam à Nostrâ Clementiâ esse concessam. Dat. VIII. Kalend. Aug Rom. Honor. A. VI. & Aristæneto COSS. [404.]

NOTÆ.

* Et hæc lex à Baronio omissa est.

" *al.* *Idem AAA.*

" Italiæ: vide Iudicem Personarum & Chronicon vide & Claudianum.

† Ante quinquennium scilicet *lege* 14. *supr.* Anno D. 399.

" id est, Imperij Occidentalis: vid. & *legem vlt. infrà.*

COMMEN

COMMENTARIVS.

APOSTOLATVM, seu aurum Coronarium, quod ante quinquennium ab Imperij sui Occidentalis Iudæis Honorius Imp. exigi vetuerat *l. superstitionis* 14. *supr.* quo scilicet tempore ei cum Arcadio fratre non conueniebat, de quo dissidio ad *eam legem* dixi, eum nunc, redintegratâ inter se & Arcadium gratiâ & concordiâ, cuius meminit quoque Symmachus *lib.4. epist.4.* ad Stiliconem, Romæ positus, sub Innocentio Episcopo Romano", hac lege restituit, amotâ seu abrogata præcedenti iussione. Idque *secundum Veterum Principum statuta*, de quo ad eam legem pleniùs dictum est. De eodem sanè est & *lex vltim. infr.* vbi vide etiam quæ dicam. Neque dubium mihi, Innocentio Episcopo Romano saltem adlubente hanc legem ab Honorio latam. Hoc sanè ipso etiam tempore, imò hoc ipso anno & tempore æstiuo Ludi sæculares Romæ habiti; quod testatur Claudianus, *in VI. Consulatum Honorij pagina* 158. Et Innocentio alioquin Episcopo varia olim imputata scimus: veluti quod Nouatiani ab eo primùm Româ eiecti fuerint, quod narrat Socrates, *lib.7. cap.9.* Item quod Anno 409. Aruspicibus Tuscis gentilitia quædam sacra molientibus ad soluendam vrbis obsidionem conniuentiam præbuerit, quod Zosimus Christiani nominis osor narrat *lib.5.* cùm tamen nil tale memoret Sozomenus, *lib.9. cap.7.* etsi Tuscorum conatum illum describat.

Hoc sanè *huius legis*, & *d. l.14.* 17. exemplum haud absurdè afferri potest, si quando quæstio oriatur, vtrum diuiso Imperio, quod anteà iunctum fuerit, alterutrius orbis Patriarcha possit adhuc in altero orbe pristinum ius suum in altero exercere.

¶ FESTIS, *seu solemnibus & iocis suis, ne Iudæi in contemptum Christianæ religionis quid faciant: veluti ne* CRVCEM *exurant festo Amanis.*

XVIII. * Impp. Honorius & THEOD. AA. Anthemio PF. P."



VDÆOS, quodam" festiuitatis suæ sollemni," Aman, ad pœnæ quondam recordationem, incendere, & sanctæ" Crucis adsimulatam" speciem in contemptu" Christianæ fidei" sacrilegâ mente" exurere, Prouinciarum Rectores prohibeant: ne" locis" suis fidei nostræ signum inmisceant, sed ritus suos infra" contemptum Christianæ legis retineant: amissuri sine dubio permissa hactenùs, nisi ab inlicitis temperauerint. Dat. IV. Kalend. Iun." Constantinop. Basso & Philippo COSS. [408.]

NOTÆ.

* *Lex Iudæos* 11. *Cod. eod. tit.* Eam quoque memorat Baronius *Anno D.*408. *n.*29.
"*Anthemius* PP Orientis sub Theodosio Iun. vid. *Prosopogr.*
"In nonnullis Cod. Iust *quosdam* malè.
"Ita quoque meliores Codd. Iust. de quo mox.
"De *Cruce* & eius attributis dicam plena manu ad *l. vlt. infr. de Paganis.*
"*Adsimulatam* vel *Adsimilatam*, id est, effictam: vide *Glossarium.*
"*ᵹ. contemptum*, vt habet etiam Codex Iust.
"id est, animo contumelioso.
"*neve* Cod. Iust.
"Ita quoque Cod. Iust. Sed omninò reponendum IOCIS: de quo mox.
"Ita quoque manuscripti nonnulli Codices Iust. Nam vulgati exhibent *citra.*
"An potius *Ian.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. in Iudæos, vel de Iudæis, septem constitutiones sequuntur: putà hæc *lex* 18. *lex* 21.22.25.26.27.29. *seu vltim.* quibus addenda & octaua *lex* 24. *infr. de Paganis*, nona, putà Nouella eius *Tertia de Iudæis Samaritanis*, &c. Hâc lege in commune à CONTEMPTV Christianæ religionis FESTIVITATES & solemnia seu solemnitates & celebritates Iudæorum vindicat. A qua ipsa mente est quoque eiusdem Imperatoris *lex* 21. *infr. hoc tit.* Hactenus scilicet ritus suos retinere, exercere Iudæis *permittendum* permissúmque, vt infrà contemptum legis Christianæ consisterent. Quod tamen hac tempestate facere soliti, in hac, quæ sequitur, hypothesi. Notissimum est, ex libro *Estheris* & exinde ex *lib.*11. Iosephi *cap.*6. Amanis supplicium, in eo ipso patibulo, quod Mardochæo parauerat: post quod supplicium deinceps vindicati Iudæi, eorum salus in tuto locata. Quare in huiusce rei memoriam instituta festiuitas decimâ quartâ & decimaquinta mensis duodecimi Adar, qui Februario & Martio nostræ respondet: Quam *Purim*, id est, fortium dixêre: nempe à sorte, quam Aman ad temporis huic rei patrandæ prosperè, pro more Persarum & vicinarum gentium, explorationem, quo Iudæi perdendi erant, iactatî curauerat *Esther* 3. Nam Iosephi interpretis, grauis error est, qui non inspecto sacro Codice, dies istos *φρουραίους* dictos, & *conseruatoria* festa interpretatus est: Ibi quippe legendum *φουραίους*, pariter vt in additamento Græco ad historiam Esthetis legendum *φουρὶμ* non *φρουρὶμ*. Dies quoque vocantur (2. *Maccabæorum vltim. v.*37.) *Μαρδοχαϊκὴ ἡμέρα*. Quod festum institutum à Ioachimo (de quo Nehemiæ *cap.*12.)

*cap.*12.) Vicario Pontifice Summo, teſte Philone: Mardochæi & Eſtheris auctoritate; Eſtheris *c.*9. Hæc etſi veriſſima ſint: attamen verius, non de iis diebus hîc agi, verùm intelligi propriè Feſtum ſeparatum à Feſtu illo Purim *Sortium*; quod videlicet ad *liberationis* populi Iudaici memoriam inſtitutum: Nempe quod ſeparatim ad pœnæ *Amanis* recordationem inſtitutum, quod in menſem Maium *Siuan* incidit, vt liquet ex Eſtheris *c.*7.8. Et verò hanc legem appetente menſe *Iunio* latam notandum eſt. Niſi putemus Amanis recordationem in Purim ſeu Mardochiacos dies tranſlatam.

¶ Sanè Feſtum iſtud cum gaudio lætitia & iocis & conuiuiis ſeu epulis celebratum, ſic vt Bacchanalia Iudæorum eſſent vt & hodie ſunt; quin & munerum miſſitationibus, Eſther.9. & apud Ioſephum: de quo vide Anton. Margaritham baptizatum Iudæum *l. de ceremoniis Iudaorum*: Hoc Feſto noctu candelæ teſtandi gaudij causâ accenſæ, & hiſtoria Eſtheræ per æditunm legi ſolet, cui lectioni mulieres & pueri adſunt: & quoties Amanis fit mentio, pugnis & malleis ſcamna Iudæi pulſare ſolent, Amanémque maximo ſtrepitu explodunt; cui ſimilem conſuetudinem retinet hodie Eccleſia Romana ipſa Paſſionis Dominicæ nocte in Iudæ deteſtationem. Omitto alios ritus; certè feſti illi dies iocis, vt dixi, tranſacti: *Iocis*, inquam, nam ita hîc reponendum pro locis: ibi, *ne iocis ſuis fidei noſtræ ſignum immiſceant*, quod Burgius quoque iam indicauit, *Elect.*15. nempe Iudæi vt dixi Feſtô Aman ſolebant gaudio & lætitiæ operati, vt traditur libro *Eſther cap.*11. iocíſque: vnde Socrates in ſimili re *παίγνια* dixit, (cui ſimilem planè errorem ſuſtuli *lib.*1. *Tertulliani cap.*10. Ibi, diſpicite apud vos *Lentulorum & Hoſtiliorum ſacrilegas venuſtates, vtrum Mimos an Deos veſtros in ſtrophis & iocis rideatis*, (vbi MS. habebat *locis*) quod confirmat Apologetici *cap.*15.) Inter cætera verò ſolemnia iocóſque docet hæc lex, Iudæos ſolitos ad pœnæ recordationem Amanem incendere, & adſimulatam ſanctæ Crucis ſpeciem, ſeu patibulum quoddam exurere. Amanem, inquam, *incendere*; vbi malit quis *inſcendere*, id eſt, in crucem agere, ſuſpendere, ſuſtollere, leuare, erigere effigiem Amanis; in auras tollere, vt Prudentius: in cruce ſcilicet excelſa tollere, quæ vtique Mardochæo parata erat 50 cubitorum *Eſther cap.*6.7. Denique Crucifixi alti, *ὑψηλοὶ ὁ σταυρωθεὶς*, Artemidorus. Certè apud Plautum dicitur quis *aſcendere crucem*, ſic & apud Prudentium *aſcendere in patibulum*; *& inſilire in crucem*, & inde *Crucisalus in Bacchidibus*. Fortè etiam hîc *incendere*, pro celebrare accipiat quis, quo alioquin ſenſu vocem *incendere*, accipi aliquando oſtendit Ioſephus Scaliger *in Ætnam pag* 364. Verùm nihil mutandum: *Incendere* eſt incendio cremare apud Victorem Vticenſem non ſemel, & quidem *lib.*2. Ergo Iudæi ſolemni iſto Amanem in crucem agere ſoliti, mox crucem exurere; præ ſe quidem ferentes, id fieri ad recordationē pœnæ Amanis, publici quōdam hoſtis ſui, interim verò & *ſacrilegâ mente*, vt hîc dicitur occultâ malitiâ, *in contemptum Chriſtianæ fidei* & per hoc Chriſto velut alteri hoſti gentis ſuæ, illudentes, vtpote cruce exuſtâ, in qua Saluator noſter pependit: De qua duo præterea hîc dicuntur: Nempe *fidei Chriſtianæ ſignum*, de quo plura ad *l. vltim. infr. de Paganis*. Item *ſancta crux* & hic dicitur, commutatis pro more nominibus ſigni & ſignati. Sanè & ab eadem mente eſt, quod crucis ſupplicium omninò ſuſtulit Conſtantinus M. ſicut & nunc eam iocis Iudæorum miſceri Theodoſius Iun. vetat.

¶ Huc tandem omninò facit, imò fortè illud ipſum eſt, quod huic legi occaſionem dedit, quod memorat Socrates, *lib.*7. *cap.*16. Ἐν Ἰμμεστῷ (γρ. ἐν Ἔμμα) ὑπὸ χαλκιδέῳ τόπῳ, ὃς κεῖται μεταξὺ Χαλκίδος καὶ Ἀντιοχείας τῆς ἐν Συρίᾳ, Ἰουδαῖοι συνήθεις ἑαυτοῖς ΠΑΙΓΝΙΑ ἐπετέλουν τινά: καὶ πολλὰ ἐν τῷ ΠΑΙΖΕΙΝ ἄλογα ἐποιοῦντο ὑπὸ μέθης ἐξαχθέντες Χριστιανοὺς, καὶ αὐτὸν τὸν Χριστὸν ἐν τοῖς ΠΑΙΓΝΙΟΙΣ διέσυρον: γελῶντες καὶ τὸν ΣΤΑΥΡΟΝ καὶ τοὺς ἐπελπίζοντας ἐπὶ τῷ ἐσταυρωμένῳ, &c. quæ illic refert de puero Chriſtiano cruci alligato, & ab his ad necem verberibus cædi ſolito: vt & de exitu eius ſceleris: & quomodo Imp. *ad Prouinciæ Magiſtratus* ſcripſerit de facinoris huius authoribus conquirendis puniendíſque. Et certè *hâc* quoque *leg.* Rectores Prouinciarum hæc prohibere & vindicare iubentur.

Cæterùm qui videre volet, quâ licentia inuolent nonnulli in huius Codicis leges, quámque miſere eas vrant ſecéntque, is videat Franc. Hanreſerre, *in canones Creſconij p.*166. vbi hanc legem miſertimè lacunis deſœdatam ſit, & ipſe ſic emendat. Iudæos *quondam* feſtiuitatis ſuæ ſolemni Aman ad pœnæ quondam *irrogatæ* recordationem incendere, & ſanctæ crucis adſimulatam ſpeciem in contemptum Chriſtianæ fidei ſacrilegâ mente exurere *audiuimus*, *quod* Prouinciarum Rectores prohibeant: ne *ſacris* ſuis fidei noſtræ ſignum immiſceant, ſed ritus ſuos *citra* contemptum Chriſtianæ legis *obtineant, amiſſuri*, &c.

¶ Tandem vel ex *hâc leg.* diſcant Codicis huius ſpretores, quantum illi debeatur ad Iuſtinianei illuſtrationem, verámque lectionem: nam cum ibi vulgò legatur *ſolemnia*, &c. omiſſa voce Aman, (etſi iam meliores Codices eam habent:) atque adeò Gloſſa ſolemnia ibi ſeu ſolemnes nugas agat: hic vera lectio continetur *ſolemni*, *Aman*: quam & ipſam Paratitla Græca exhibent: *οἱ ἰουδαῖοι μὴ ἐν σχήματι τοῦ Ἀμὰν τὸν τύπον τοῦ σταυροῦ καιέτωσαν.* Quod mendum diu eſt cum rectè ſuſtulit Cujacius 2. *Obſeru.*3. & poſt eum Leunclauius *lib.*2. *Notat. in Græc. Paratit. pag.*20. Mirum verò quod idem Leunclauius addit, Codicem Theodoſianum *hâc leg.* præferre *ſolem Aman*, cum tamen conſtanter omnes editiones Codicis Theodoſiani Tiliana, Cujaciana, Pariſienſis habeant disertè *ſollemni Aman*, vel *ſollenni Aman*. In eo quoque grauiter peccat Hugo Grotius Adnotatis *ad Eſther cap* 3. *pag.*391. vt adnot. *ad Eſtheris addit. cap.*10. *pag.*30. cum dies Purim ab Amane Aman vocatos eſſe diſcere nos ait ex *hâc leg.* nam ſanè ipſa Amanis perſona hîc deſignatur.

XIX. * Idem AA. Iouio PF. P.''

CÆLICOLARUM nomen, inauditum quodammodo nouum crimen ſuperſtitionis vindicauit. Hij niſi infra anni terminos ad Dei cultum venerationémque Chriſtianam conuerſi fuerint, his legibus,'' quibus præcepimus hæreticos adſtringi, ſe quoque nouerint adtinendos. Certum eſt enim, quidquid'' à fide Chriſtiano

Christianorum discrepat, legi Christianæ esse contrarium. ¶ Quam" quidam adhuc, vitæ suæ etiam & iuris immemores, adtrectare ita audent, vt de Christianis quosdam fœdum cogant tetrúmque" Iudæorum nomen induere. Et quamuis qui hæc admiserint, priscorum Principum legibus" iure damnati sint, non tamen pœnitet sæpiùs" admonere, ne mysteriis Christianis inbuti, peruersitatem Iudaicam, & alienam Romano imperio, post Christianitatem, cogantur arripere: Ac si quisquam id crediderit esse temptandum, auctores facti cum consciis ad pœnam præteritis legibus cautam præcipimus constringi: Quippe cùm grauius morte sit, & inmitius cæde, si quis ex Christianâ fide incredulitate Iudaica polluatur. Et * idcircò iubemus, ne Ecclesiis quisquam nocens, vel cuiusquam abducere fideli ac deuota Deo præceptione sancimus: sub hac videlicet definitione, vt si quisquam contra hanc legem venire temptauerit, sciat se ad maiestatis" crimen esse retinendum. Dat. Kalend. April. Rau. Honorio VIII. & Theod. III. AA. COSS. [409.]

NOTÆ.

* *Lex 12. Cod. eod. tit.* hinc desumpta est. Eius quoque meminit Baronius *Anno D* 409. *num* 12.

" *Iouino* sub Honorio, PP. scilicet (cuius diœcesis interalias fuit Africa,) vide Zosimum *lib.* 5. Sozomenum *lib.* 9. *cap.* 7. vide *Prosopogr.*

" Intelligit *legem* 43 44. & 46. *supr. de hæretic.* quarum duæ priores etiam ad *Cœlicolas* pertinent.

" Vel quamlibet minimum.

" Legem scilicet seu fidem Christianam. Porrò dubium, num hæc huius legis pars de Cœlicolis accipienda sint; an verò de a iis qui Apostatas facerent ex Christianis Iudæos, de eo mox.

" Ita omnes Editiones huius Codicis, vnicâ postremâ Parisiensi excepta; in qua vox *fœdum* omissa, & pro *tetrúmque* expressum *vtrumque*.

" Intelligit inter alias *legem* 1. *infr.* & l... & *l.* 3. *supr. de Apostat.* Nisi & aliæ expressiores fuerint.

" *Reposita* legis exemplum obserua, vt & *l.* 46 *supr. hoc tit.* de quo in *Prolegom.*

* *Lex* 2. *Cod. de his qui ad Eccles. confug.* hinc interpolata est, atque in alium planè sensum traducta: ambiguitate vocis *abducere*. Sed & quia hæc sententia corruptissima est, quam sic interim restituo: *Et idcircò iubemus ne quisquam è Cœlicolis nocens, velit quenquam abducere Fidelem à deuotâ Deo præceptione; sancientes* sub hac, &c. *E Cœlicolis*, pro *Ecclesiis*: *Velit abducere*, formola legum solemni, de qua ad *l.* 2. *supr. de infirm. his quæ sub Tyrann.* vbi similem mendam sustuli. *Fidelem* pro *fideli*.

" *Maiestatis criminis*: ita Cod. Iust. *d. l.* 2.

COMMENTARIVS.

IN COELICOLAS, eos qui Christianos ad superstitionem Iudaicam adigebant est hæc Honorij constitutio data Anno D.409. De Cœlicolis istis videamus. *Cœlicolarum*, quotum noua hoc tempore superstitio fuit nouum superstitionis crimen, præter Rubricam huius tituli, duabus tantùm hoc Codice iisque eiusdem Honorij Imp. legibus expressim mentio fit, putà *Anno D.*498. *l.* 43. *de hæreticis*, & *hâc leg.* Anno D.409. Quanquam & eodem pertinet *lex* 44. *eod. tit. de hæreticis*. Quinam verò hi fuerint, anxiè hactenus inquiritur. Nos hîc veritatis vestigia gradatim premimus: ad quæ eruenda non aliud nobis subsidium suppetit, quàm ex huius tituli Rubrica & duabus illis quas dixi legibus, & tertia insuper, quæ ad eosdem pertinet, putà *lex* 44 *supr. de heret.* tandem ex Augustini *epist.* 163. Hæc scilicet quioque loca tantùm de Cœlicolis mihi hactenus occurrunt. Nam quod Cœlicolarum quoque mentio fit in *l.* 3. *Cod. Iust. de Iudæis*, id vel Triboniani vel librarij σφάλμα est: vnde tamen multa absurda & historicæ veritati repugnantia Viri alioquin Docti efficiunt: quale illud quoque Baronij, quod Maiores in *eâ leg.* Cœlicolis tribuantur, sicut Patriarchæ Iudæis, quod vt ex *eâ leg.* non efficitur, ita falsum est: Maiores enim quoque Iudæis fuêre, vt ostendit *lex* 1. & 13. *hoc tit.* & *l.* 1. *ne Christian. mancip. Iud. hab.*

Primùm igitur, Cœlicolas neque Iudæos absolutè, neque Samaritas fuisse docet vel Rubrica *huius tituli*: & vtrisque tamen proximos & adfines, cùm inter hos medij collocentur: similiter vt in Cod. Iustin. titulus conceptus est, *de Iudæis & Cœlicolis*. Et tamen Cœlicolas Iudæorum appellatione latiùs accepta, designat Imp. *d. l.* 44. *supr. de hæreticis*: nempe quia ex Iudæis orti & quadantenus Apostatæ nouis atque inusitatis dogmatis Catholicæ fidei Sacramenta turbarent: de quo mox.

Secundò, Cœlicolas *hæreticis* affines fuisse docent duæ de his leges sub *titulo de hæreticis supr.* collocatæ, putà *lex* 43. & 44. docent & Basilica, in quibus sub *titulo de hæreticis, Manichæis, Samaritis*, de iisdem agitur. Sanè *hâc leg.* quoad pœnas cum hæreticis coniunguntur.

Tertiò, Cœlicolæ cum *Donatistis* nominatim inter alios hæreticis coniunguntur *d. l.* 43. & 44. *supr. de hæreticis*, iisdémque in pœnis exæquantur *d. l.* 43. Eò quod vtrique circa baptismum errarent de quo mox. Neque frustra etiam est, quod hic titulus de Iudæis, Cœlicolis & Samaritis positus est ordine post tres titulos *de hæreticis*, *de sanctum baptisma iterantibus* & *de Apostatis*. Nam & hæc tria vel saltem adfinia his conueniunt.

¶ Et hæc de Cœlicolis in genere, vnde videlicet prodierint & cum quibus affinitatem habuerint.

¶ Nunc videndum est de *Tempore*, quando ij prodierint: Igitur sub Honorio Imp. primùm exortos hos Cœlicolas docent tres eius leges, putà hæc lex & *lex* 43. & 44. *supr. de hæretic. Cœlicolarum*, inquit hac lege Honorius, *nomen inauditum quodammodo NOVVM crimen superstitionis vindicauit.* Idem *lege* 43. Anno 408. *Cœlicolarum*, inquit, *ædificia, quæ nescio cuius dogmatis NOVI conuentus habent.* Idem Honorius lege *seq.* 44. *de hæretic. Iudæorum*, inquit, *NOVA atque inusitata detexit audacia, quod Catholicæ fidei velint Sacramenta turbare.* Nam quod Cœlicolarum mentio fit, vt iam monui in *l.* 3. *Cod. de Iudæis*, (quæ alioquin Constantinum Magnum auctorem habet & desumpta est ex *lege* 1. *hoc tit.*) id vt dixi, à mala Triboniani vel librarij manu est, vt docet *lex* 1. *hoc tit.* vnde illa desumpta est. Tertiò, *Vbi* hæc

Cœlicolarum superstitio prodierit, docent quoque eædem Honorij constitutiones: Scilicet per Africam hos Cœlicolas fuisse expressissimè docet, præter argumentum *huius legis*, & *legem* 43. *de hæretic. lex* 44. *eiusdem tit.* quæ Donato (Proconsuli Africæ) inscribitur. Docet idem & Augustinus *sub fin. epist.* 163.

¶ Iam tenemus igitur & tempus, & locum quo Cœlicolæ innotuêre vel inualuêre: tenemus eos Iudæis, Samaritis, Hæreticis, Gentilibus proximos fuisse, imò Iudæus.

¶ Supersunt igitur duo inquirenda: cuiusmodi ea secta, & vnde nomen ei inditum fuerit.

Primùm igitur generaliter inclaruisse eos *nouo* dogmate, ait *l.43. supr. de hæretic.* nouo superstitionis crimine, ait *hæc lex*: noua atque inusitata audacia *l.44. supr. de hæretic.*

Secundò, Christianos sese esse simulasse docere videtur *dicta lex* 43. *de hæretic.* *Quamuis*, inquit, *Christianos esse se simulent.*

Tertiò, Catholicorum communionem refugisse *dicta lex* 43. docet. Catholicæ sectæ contrarium, aduersumque tenuisse *d.l.44.* à fide Christianorum discrepasse *hâc leg.* generaliùs quoque ostenditur. Item peculiares à Catholicis conuentus habuisse *d.l.*43.

Quartò specialius, *Scenam* religionem vocat *d.l.*43. vt proinde atrox crimen fuerit necesse sit. Quare & pestem & contagionem vocat *d.l.*44. & atrocibus pœnis eos leges illæ omnes insectantur.

Quintò, Cœlicolarum crimen & superstitio *Dei cultui* & *venerationi Christianæ* opponitur.

Sextò, circa Catholicæ fidei Sacramenta hanc superstitionem versatam docet pariter vt Donatistarum hæreticorum *d.l.44. supr. de hæret.* ibi: *quod Catholicæ fidei velint Sacramenta turbare*: vbi tamen Sacramentorum vox pro articulis, vt loquuntur, quibuscunque fidei Christianæ accipi possunt. Et Augustinus *Epist.*163. nominatim circa *baptismum* superstitionem eorum versatam ostendit. *Iam miseramus*, inquit, *ad Maiorem Cœlicolarum, quem audieramus NOVI apud eos BAPTISMI institutorem instituisse, & multos illo sacrilegio seduxisse.* Quare & Donatistæ & Cœlicolæ eiusdem criminis & hæreseos circa baptismum videlicet rei fuere quâ causâ & coniunguntur & crimine & pœnis. Neque enim audiendus est Filesacus, *Selectorum* 1 2. qui ita Augustini verba accepit, quasi Maior Cœlicolarum ille apud Donatistas, & inter eos nouum induxisset baptismum. Quem Vossius iam *lib.*18. *de baptismo cap.*1. rectè refutauit. Iam tenemus igitur præcipuum, huius criminis & superstitionis titulum seu reatum, nempe Sacramenta, ac nominatim baptismum, ab iis turbatum. Quanquam neque hoc fine stetisse induent illa *huius legis*. *Nisi*, inquit, *ad DEI CVLTVM, venerationémque Christianam, conuersi fuerint.* Quare impegisse eos oportet in Dei Christique cultum.

¶ Tertia iam sequitur inquisitio de nomine *Cœlicolarum*. Nonnulli ita dictos arbitrantur à cultu Cœlestis Deæ. Petitus 2. *var.*11. *p.*178. suspicatur ob immutatam baptismi figuram: nempe quod contra præceptum Christi, quo baptizari iussit *in nomine Patris Filij & Spiritus sancti*, Cœlicolæ baptizauerint *in nomine Cœli*, id est, Dei qui per Cœlum intelligitur: vel etiam, quia Deum colerent, *vt* ab eo *cœlitus* præceptum fuerat per Moysem, & simul secundùm noui Fœderis & Euangelij præcepta. Et addit quædam isti coniecturæ firmandæ. Fortè ita dicti à *cœli* vel Dei *cœli* *cultu*: Quasi mediâ quadam sententiâ & dogmate

inter Iudaismum & Christianismum, statuerent, non Iouam, aut Christum, verùm *Deum cœli* inuocandum, nisi ex illâ religione conflatâ ex Christiana & Iudaica, fortè & Paganâ. Vt proinde de his iam verè dictum fuerit, quod olim de Iudaica religione ipsâ in vniuersum olim falsò à Strabone *lib.*6. Diodoro *lib.*4. *in Eclogas*, & à Iuuenale *Satyrâ* 14. *vers.*96.

Quidam sortiti metuentem Sabbatha patrem
Nil præter nubes & COELI Numen (est qui legat, *Lumen*) *adorant.*

vbi vetus Scholiastes, *nuda contemplatione colentes.* Petronius quidam in Catalectis:

Iudæus licet porcinum numen adoret,
Et cœli summas aduocet auriculas.

(Quanquam sunt, qui ibi legant non *cœli*, verùm *cilli*, κίλλος Doricè idem cum ὄνος indéque κιλλακτὴς *agaso*.) Quod quidem de Iudæis in commune olim proditum. Alij quidam arbitrantur, vt Seldenus *de iure naturali, lib.*2. *cap.*1. *pag.*136. quod solemni Hebræorum locutione numen sanctissimum quod solùm volebant adorandum שמים, id est, cœlum sit nuncupatum: vti & in fœdere nouo *Matth.*21. 25. *Luc.*15. 18. *Peccaui in cœlum*, per metonymiam scilicet continentis pro contento: vnde intellecta malè vox hîc in causa fuit, cur numen iis esse Cœlum, gentes dicerent. Scimus sanè Iudæos aliquando militiæ cœlesti aras erexisse & dedicasse, quos etiam Sophonias & passim Prophetæ ob hanc idololatriam reprehendunt, quod certo proseucbæ essent ἐν ὑπαίθρῳ ἀέρι, seu preces funderent sub dio in aperto, vide Epiphanium *in Massalianâ hæresi*, Tertullianum *de pudicitia cap.*16. *Cum omissis*, inquit, *templis per omne litus, quocumque in aperto, aliquando iam precem ad COELVM mittunt*: cuius rei ratio repetenda ex 1. *Reg.*8. vide & exemplum in *Daniele cap.*6. Ita Iacobus, quia verùm cœlorum Deum adorabat, ideò forsan ὑψουράνιος dictus est, Philoni Bibliensi apud Eusebium, *de præpar. Euang. lib.*1. *p.* 23. Sanè & Sophonias *cap.*1. *vers.*5. Iudæos olim reprehendit, quasi militiam cœli colentes. Tandem & Cœlicolas Synopsis Basil. & Paratitla Græca τὸν οὐρανὸν σεβομένους vertunt. Sed tamen cum his Cœlicolis nil commune habent illa Iuuenalis & Petronij loca, præsertim cùm Cœlicolæ exorti primùm sint sub Honorio Imp. Quanquam neque audiendi sunt qui rem hanc ita expediunt: Olim quidem Iudæos accusatos quod cœlum, eósque qui in cœlo sunt Angelos venerarentur, quod Celsus his obtrectabat, πρῶτον μὲν οὖν τῶν ἰουδαίων θαυμάζειν ἄξιον, εἰ τὸν μὲν οὐρανὸν καὶ τοὺς ἐν τούτῳ ἀγγέλους σέβουσι. At negabat Origenes, ὅτι οἱ κατὰ τὸν Μωϋσέως νόμον βιοῦντες ἰουδαῖοι τὸν οὐρανὸν οὐ φασιν θεὸν, οὐδὲ συνιστῶσι τοῦ θεοῦ τὸν οὐρανόν: Additque, hunc morem fuisse παραβατικὸν τοῦ νόμου. Igitur putant illi fuisse alios Iudæos, qui de illâ in quam maiores eorum sæpè ceciderunt superstitione: (vide *Amos* 5.25. *Ierem.*7. *v.*17.19. *v.*3. *Actor.*7. *cap* 42.) multum retinebant: fortéque illos esse, quos in Ægypti descriptione משמאין vocat Benjaminus Tudelensis: absque his ortum habuisse videri Elcesaitas & Samsæos, quorum meminit Epiphanius.

¶ Ex his tandem conficitur, Iudaica, & Christiana religione commixtam fuisse superstitionem, denique miscellam: & ipsos proculdubio Iudæos, Sacramentis Ecclesiæ Catholicæ perturbatis, sic tamen vt se Christianos simularent.

¶ Ex quibus simul, apparet, Cœlicolas non fuisse, quod Baronius credidit, eos qui ex Christiana fide ad Iudaismum transibant, & sic Apostatas non fuisse, idque 4. argumentis. Nam & de his alioquin

alloquin superiore titulo actum oportuisset; neque enim peculiari nomine, & hoc quidem quo nil tale indicatur ad eos designandos opus fuisset, neque *nouum* dogma id rectè diceretur, aut *nouum crimen superstitionis*, cum Iudaismus non esset dogma nouum, aut nouum crimen superstitionis. Tandem Cœlicolas apertè à Iudæis separat hic titulus. Neque quidquam facit, quod Baronius addit, ideò Cœlicolas potiùs dici se voluisse quam Iudæos, vt Iudaicum tantùm nomen, cunctis abominabile cuitarent. Id enim est quod negatur. Et tamen Iudæis proximos fuisse hinc liquet. Rursum liquet, neque Gnosticos hos fuisse, aut Saturnilianos qui innumeris cœlis, non sine ænigmate, fictis, supremum eorum ipsum esse Deum Opt. Max. nugabantur: vtraque quippe hæresis sub Honorio noua & inaudita non fuit, verùm eius tempora longè anteuerrit. Imò liquet, neque *Christianos* fuisse, neque hæreticos propriè. Error enim est variarum lectionum scriptoris nuperi, *lib.* 2. *cap.* 11. *p.* 176. qui *Hæretico-Iudæos* vocari scripsit *l.* 44. *supr. de hæretic.* interpunctâ malè *l.* illâ: nam illâ *l.* non Iudæi Hæretici, sed *Donatistæ hæretici* vocantur: *Donatistarum, inquit, hæreticorum, Iudæorum noua*, &c. Nempe, quod latuit Virum illum Doctum, ideò *hæreticorum* nomine Honorio visum Donatistas *eâ lege* donare, pariter vt tribus aliis legibus *l.* 39. 41. 46 *eod. tit.* quò scilicet legem in hæreticos promulgatam ad Donastitas hæreticos expressiùs extenderat. Quod egregiè ostendit Augustinus *epist.* 60. *p.* 127. & Possidonius *in vita Augustini cap.* 12. quorum verba retuli ad *d. l.* 39. & 46. Igitur tandem conijcere datur, Cœlicolas fuisse, quasi inter Iudæos & Christianos medios seu ercisceundos. Deum cœli, & vriusque legis Sacramenta adsciscebant, Circumcisionem & Baptismum, vnde & *nouus Baptismus* eis tribuitur. Tandem Mahometismo proxima superstitio fuit. Ab his quoque non multum differre videntur ὑψιςάριοι, quibus ὁ παντοκράτωρ μόνος σεβάσμιος, de quibus Gregor. Nazianzenus, *orat.* 19. *p.* 289. & in eius vitâ Gregorius Presbyter, quorum sectam absurdum ait coagmentum fuisse συγκεκραμένην ex duobus inter se contrariis, putà ex Gentili errore & legali vanitate; quarum vtriusque partes quasdam fugiens ex partibus nonnullis conflata erat. Etenim illorum idola & sacrificia reiicientes, ignem & lucernas inquit, colunt: τὸ πῦρ καὶ τὰ λύχνα τιμῶν: horum autem Sabbathum, καὶ τὴν περὶ τὰ βρώματα ἔστιν ἃ μικρολογίαν τὴν περιτομὴν ἀτιμάζων, id est, *ieiunam quandam à nonnullis cibis abstinentiam venerantes Circumcisionem aspernantur. Hypsistarij*, quasi diceret *Supremicola*. Sic & Nazaræorum hæresis miscella fuit, qui volebant esse Iudæi & Christiani. Nam & Dei filium confitebantur esse Christum & omnia veteris legis obseruabant & circumcisionem Iudæorum habebant, simul & baptismum Christianum vt testantur Augustinus & Hieronymus. Illud admonere operæ pretium Cœlicolas à Cœli *cultu* dictos, aliter atque Dij *Cœlicolæ* à cœli incolatu. Nempe Theologi Gentiles Deos suos diuidebant in ὑπερκοσμίους seu ὑπερουρανίους & ἐγκοσμίους, vt ex Sallustio liquet *cap.* 6. & Proclo *c.* 10. seu in vltramundanos, seu supracœlestes, & intramundanos; quos postremos Apuleius *Cœlicolas* vocat, nempe astra cæteráque numina quæ mundum condiderũt, qui & *Consentes* & complices ex Etruscorum disciplina Romanis: de quo plenè Salmasius *in epist. ad Menagium*: eiusdem verò sententia non placet, qui putat Iudæos omnes *Cœlicolas* appellatos, quod in *proseuchis* sine tecto ad cœlum manus tollerent: postéaque notat hoc peculiariter Samaritanis seu vni generi Iudæorum adhæsisse, qui in *solis* proseuchis sub dio patentibus semper orarent. Tandem Sampsæi de quibus Epiphanius *hæresi* 53. cum his aliquid commune habebant: Sampsæi enim ἡλιακοί, ἡλιάζοντες, *solicoli*, sic dicti, quod solerent τῷ ἡλίῳ ἀνίσχοντι ἱκετεύειν, eique vt faciliùs oriretur παρασκευὰς funderent, Epiphanius *hæresi* 30. Ioseph. *antiq. lib.* 2. *c.* 12.

¶ Nunc ad ipsam legis sententiam. Nempe Honorius Cœlicolis anni spatium indulget ad Catholicam fidem amplectendam, alioquin eadem pœna plectendis cum hæreticis. Addita ratione, quæ non adeò seria videri possit, quin potius manis εὐλογία, cuiusmodi plures collegit peculiari capite R. Fornerius 3. *Quotid.* 23. Quia enim dubitat, quicquid à Fide Christianorum discrepat, legi Christianæ esse contrarium? Verùm eius hîc vt puto sensus est: Hæreticis Cœlicolas haud malè connumerari, etsi non in præcipuis religionis capitibus à Catholica fide dissentiant. Huius rationis sensum alium prodit Leonius 1. *Emend.* 17. *num.* 10.

¶ Altero capite multis verborum ambagibus Iudæorum & Cœlicolarum audaciam Christianos ad superstitionem suam adigentes Honorius sic damnat, vt maiestatis pœnam intentet: maiestatis inquam, id est sacrilegij. Cæterùm error est Baronij, qui hanc alteram quoque *huius leg.* partem ad Cœlicolas pertinere putabat. Nam imò seiunctum hoc alterum caput est à priore. Et certè quod Vir Doctus nuper rectè monuit, non agitur hâc postremâ parte de Cœlicolis, priscorum enim Principum Leges hâc parte allegat Honorius: quæ neque in Cœlicolas conueniunt, cùm nouum dogma, nouum superstitionis crimen Cœlicolarum fuerit, quod disertè idem Honorius scribit *hâc leg.* 19. & *l.* 43. *supr. de hæret.*

XX. * Idem AA. Ioanni PF. P."



QVÆ Iudæorum frequentari conuenticulis constat, quæque *Synagogarum* vocabulis nuncupantur, nullus audeat violare, vel occupata detinere: cùm, sine intentione" religionis & cultus, omnes quieto iure sua debeant retinere.

¶ At cùm verò Iudæorum memorato populo sacratum diem *Sabbati* vetus mos & consuetudo seruauit, id quoque inhibendum esse censemus, ne sub obtentu negotij publici, vel priuati, memoratæ Obseruationis" hominem adstringat vlla conuentio: cùm reliquum omne tempus satis publicis legibus" sufficere videatur: sitque sæculi moderatione" dignissimum, ne delata priuilegia violentur: quamuis retrò Principum generalibus constitutis" satis de hac parte statutum esse videatur. Dat. VII. Kal. Aug Rau. Honor. IX." & Theod. V. AA. COSS. [412.]

NOTÆ.

* Abest *hæc lex* à *Cod. Iust.* quia in eum relata est *lex die Sabbathi* 3. *supr. de feriis*, (quæ huic quoque iungenda est.) Sed & hanc legem omisit Baronius in annum suum referre. Iungenda denique huic *d.l.die* 3. *seu vlt. supr. de feriis*, quæ repetita alio titulo, vbi est *lex* 8. *supr. de executor.*

" *Ioannes* PP. sub Honorio Italiæ post Meletium, hoc anno: vide plures ad eum constitutiones.

" Sustineri potest & debet hæc vox: Nempe hoc vult, non ideò Iudæorum religionem & cultum probari: vel pro *sine differentia*.

" *Seruauerit.*

" id est Conuentionibus, & actionibus.

" *Deseruationis* habet postrema Parisiensis editio: sed vt puto, mendo Typographico.

" Seculi sui moderationem efferunt sæpè Principes, vt hic Honorius.

" Non extant hæ veteres constitutiones: Nam & quæ *lex* 2. *Cod. de Iudæis*, hodie est, non alia est à *lege die* 3. eiusdem tituli, quicquid apud Photium in *Nomocanone tit.* 7. *c.* 4. velut secunda allegatur.

' *d.l.vltim.* & *d.l.*8. VIII. & Theod. III. Verùm illarum legum subscriptiones ex hac emendandæ. Ioannes enim cui leges hæ inscribuntur post Meletium Præfectum Prætorio fuit hoc anno, vide plures ad eum constitutiones hoc ipso anno.

COMMENTARIVS.

SYNAGOGAS Iudæis suas, suum item SABBATVM hâc constitutione Anno D. 412. Honorius Imp. relinquit: *hâc leg.* & *l. vltim. de feriis*, & *l.*8. *infr. de executoribus*, quæ huic coniungendæ sunt.

Synagogas, inquam, suas, atque ideò violari eas vel occupari vetat: pariter vt Theodosius Magnus vetuit *l.*9. 12. *supr.* & Theodosius Iun. *l.* 21. 25 26. *infr.* Et rationem addit, quod sine intentione religionis & cultus omnes quieto iure sua debeant retinere, id est, vt maximè religio & cultus aliquis publicè concessus, non tamen receptus sit, semel tamen concessam religionem suam quieto iure retinere debere. Quæ ratio obseruanda est.

¶ *Sabbathi* pariter diem, quem pro veteri more obseruant, Iudæis relinquit *hâc leg.* Honorius: sic ait, eo die conuenire Iudæi, neque publicè neque priuatim possint, quod ipsum adhuc expressius in sequentibus Honorius expresserat: *dict. l. vltim.* seu *d. l.* 8. quæ huic subiicienda est: Vbi & alij dies festi Iudæorum adiunguntur, eodemque iure haberi iubentur. *Die Sabbathi, ac reliquis*, inquit, *sub tempore quo Iudæi cultus sui reuerentiam seruant*, &c. Et duas rationes addit. Prima, quòd abundè dictum aliorum sit, quibus Iudæi conueniri possint. Secunda, à moderatione sæculi atque Imperij sui, vt ne cuiquam priuilegia semel concessa ab anterioribus Principibus detrahantur.

XXI. * Idem AA. Philippo PF. P. per Illyricum.

NVLLVS tamquam Iudæus, cùm sit innocens, obteratur, nec expositum eum ad contumeliam religio qualiscunque perficiat. Non passim eorum Synagogæ, vel habitacula concrementur, vel perperam sine vlla ratione lædantur: cùm alioquin, * *etiam, si sit aliquis sceleribus implicatus*," *idcircò tamen iudiciorum vigor, iurisque publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi ipse*" *permittere valeat vltionem.* ¶ Sed vt hoc" Iudæorum personis volumus esse prouisum, ita illud quoque monendum esse censemus, ne Iudæi forsitan insolescant, elatique, sui securitate, quicquam præceps" in Christianæ reuerentiam cultionis" admittant. Dat. VIII. Id. Aug. Constantinop. Honorio IX. & Theod. V. AA. COSS. [412.]"

NOTÆ.

* *Lex* 14. *Cod. eod. tit.* Hanc legem omisit Baronius in annum suum referre.

" *Philippus* PP. Illyrici sub Theodosio Iun. Eidem inscribitur Anno 421. *lex* 45. *de Episcop.*

" *Implicitus*, Cod. Iust.

" *Ipsi*, Cod. Iust.

" *In hoc* Cod.

" *Id.* Cod. Iust.

" *Præcipites*, Cod. Iust.

" *vltionis*, Cod. Iust. malè.

" Consulatus hic malè adsignatus est. Extat enim altera eiusdem Theodosij Iun. constitutio ad eundem Philippum PP. Illyrici data Anno 421. Quare referam hanc legem ad Annum Domini 418. Honorio XII. & Theodosio VIII. AA. Coss.

COMMENTARIVS.

HONORII Iunioris secunda hæc hoc titulo, de Iudæis constitutio est eáque per Illyricum Orientale (id est, Macedoniam & Daciam) pariter vt Arcadij *l.* 12. *supr.* partim ad eorum tutelam, partim seu retrò aduersus eorum insolentiam. Prius tum ad personarum ipsam tutelam, tum ad Synagogarum.

¶ Nempe primo loco. Nullum tanquam Iudæum, cùm sit innocens obteri vult, nullum sine vlla ratione & perperam lædi. Et rationem addit, argumento desumpto à minori ad maius: quæ etsi apertum habeat sensum, sui tamen elegantiâ sese commendat: *Cum alioquin*, inquit, *etiam si sit, aliquis sceleribus implicatus, idcirco tamen iudiciorum vigor iurisque publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi ipse permittere valeat vltionem.*

ultionem, de quo affatim alibi. Quintiliani locus *declamat.* 12. non abludit. *Non ideò Magistratus legésque à maioribus vestris accepimus, vt sui quisque doloris Iudex fit & assiduæ scelerum causæ se refellant, si vlto crimen imitabitur.* *Damnum accepistis*; *erat lex, forum, Iudex, nisi nos iure vindicari pudet.* Similis ille apud Cassiodorum 4. *var.* 10. *Hinc est quod legum reperta est sacra reuerentia, vt nihil manu,nihil proprio ageretur impulsu.* Iam olim Lucretius.

Acrius ex ira, quod enim se quisque parabat
Vlcisci,quam nunc concessum est legibus æquis:
Hanc homines ob rem pertæsum est incolere æuum.

Et hactenus quidem de ipsorum Iudæorum tutela aduersus iniurias, pariter vt Arcadij *lex* 12. *supr.* Secundò, Synagogarum quoque tutelæ *hâc leg.* consulit Theodosius Iun. veluti ne Synagogis ipsorum vel habitaculis iniuria fiat à Christianis; incendendo fortè eas, quod insaniente plebe interdum factum discimus non tantùm ex *hâc leg.* verùm etiam ex *l.* 25. *infr.* & 26. Ambrosio *lib.* 1. *Officiorum cap.* 20. & ex Cassiodoro 4. *var.* 43. de quo pleniùs ad eiusdem Theodosij Iun. *l.* 25. Vel perpetam sine vllâ ratione eas lædendo, veluti destruendo, expoliando, violando, occupando, eripiendo, Ecclesiis vindicando. Quod omne sæpè vetitum non hâc tantùm lege, sed & *l.* 9. 12. 20. *supr. l.* 25. 26. 27. *infr.* De quo semel ad *d. l.* 9. Vicenersâ AVDACIÆ Iudæorum occurritur *hâc leg.* ne videlicet insolescentes elatique sui securitate quicquam præceps in Christianæ *cultionis*, id est, religiosis reuerentiam admittant; cuiusmodi hoc ipso tempore, post Annum Domini 415. ante Annum 419. Iudæorum factum aduersus Christiani cultus reuerentiam in loco quodam interiacente inter Chalcidem & Antiochiam memorat Socrates *lib.* 7. *cap.* 16.

XXII. * Idem AA. Aureliano PF. P."

QVONIAM Gamalielus" existimauit, se posse inpunè delinquere, quod" magis est erectus fastigio" dignitatum, Inlustris Auctoritas Tua sciat, Nostram Serenitatem ad Virum Inlustrem Magistrum Officiorum direxisse præcepta, vt ab eo codicilli demantur honorariæ Præfecturæ: ita vt in eo sit honore, in quo ante Præfecturam fuerat constitutus: at deinceps nullas condi faciat Synagogas: Et si quæ sint in solitudine, si sine seditione" possint deponi, perficiat." ¶ Et vt Christianos nullam habeat copiam iudicandi: Et si * qua inter eos ac Iudæos sit contentio," à Rectoribus Prouinciæ dirimatur. ¶ Si Christianum, vel cuiuslibet sectæ hominem ingenuum seruumve, Iudaica nota" fœdare temptauerit, vel ipse, vel quisquam Iudæorum, legum seueritati subdatur. ¶ Mancipia quoque Christianæ sanctitatis, si qua aput se retinet, secundum Constantianam" legem Ecclesiæ mancipentur. Dat. XIII. Kalend. Nou. Constantinop. Honor. x." & Theod. VI. AA. COSS. [415.]

NOTÆ.

* *Hanc* quoque *leg.* Annalibus suis inseruit Baronius *Anno* 415. *n.* 50.
"id est secundum, seu secundâ vice, pariter vt *l. vlt. supr. de crim. peculat. l.* 8. *supr. de donation. l.* 4. *supr. de incest. nupt. l.* 57. & 58. *supr. de hæret.* hoc ipso anno.
"Patriarcha, vt & sequentia ostendunt, & in sequentibus ipse ostendam.
"*Al.* quò: Similem mendam sustuli *lib.* 1. ad Nationes *cap.* 7. *p.* 88.
"Præfectura, fastigium dignitatum: de quo iam alibi sæpè.
"id est Helionem, hic enim hac tempestatem Magister Officiorum fuit: quod docet *lex* 17. 18. *supr. de medicis*: & *l.* 17, 18. 19 20. *supr de Agentibus*: *l. vnic. supr de decano*: *l.* 17. *de proximis*: *lex* 14 *de metatis.*
"*Efficax* hæc *Magisteria*: & cui pleraque huiuscemodi à Principe committebantur, vtpote sub quo Agentes in rebus essent: vid. *lib.* 6. *supr.*
"vide quæ scripsi ad *l.* 46. *infr. de Paganis.*
* *Lex si qua* 15. *Cod. eod.* hinc desumpta est.
"*non à Senioribus Iudæorum, sed ab Ordinariis Iudicibus dirimatur.* Ita Cod. Iust.
"id est, Circumcisione.
"*Al. Constantiana.*
"Honorio XII. & Theod. IV. Cod. Iust. malè.

COMMENTARIVS.

PATRIARCHÆ GAMALIELIS variis delictis, ausibus, *παρανομίαις* aduersus religionem Christianam admissis, Theodosius Iunior hâc constitutione Anno D. 415. enixè occurrit, audaciámque eius reprimit: in quam sese erigere, atque adeò impunè delinquendi sibi commeatum facere is ausus fuerat, eò quod honoratus fuisset Codicillis *Præfecturæ* honorariæ, quod *fastigium dignitatum* vt fuit (quod alibi probatum) ita & hic vocatur. Quod & ipsum argumento est, maximâ dignitate Patriarchas hos in commune habitos. (De quo plenissimè dixi ad *l.* 1. *hoc tit.*) & hunc Gamalielem nominatim maximâ dignatione apud Theodosium Iun. extitisse, eáque etiam delinquendi ei occasio fuit eum vix quisquam contra hiscere auderet.

¶ De ipso primum Gamaliele isto videndum est. Hic igitur ille ipse *Gamaliel* Patriarcha Iudæorum est: cuius meminit Marcellus Empiricus coætaneus, paulò antea Magister Officiorum (quod etiam ostendit *lex* 8. *supr. de curiosis*, quæ Anno D. 395. ei inscripta est) *cap.* 23. his verbis.

Errant enim, quod & anteà ostendi ad *l.* 1. *supr.* qui Patriarcham illum Paganorum fuisse tradunt. Nam vt Paganorum Patriarchæ nulli fuêre: ita non alios ille Marcelli Gamaliel est, quam is ipse cuius *hâc lege* mentio fit: quod tempora ostendunt. Imò eiusdem meminit & Hieronymus *epist.* ad

ad Pammachium 101. *tomo* 3. *fol.* 166. *litt. D. Dudum*, inquit, *Heſychium virum Conſularem, contra quem Patriarcha Gamaliel grauiſſimas exercuit inimicitias Theodoſius Princeps capite damnauit, quod ſollicitato Notario, chartas illius inuaſiſſet.* Atenim alius ab hoc & anterior fuit *Gamaliel*, & quidem ante Conſtantinum Magnum, cuius Epiphanius meminit *hæreſi Ebionitar.* 30. ὁ δὲ Πατριάρχης κατ' ἐκεῖνον καιρὸν Ἐλλὴλ τοὔνομα ἐκ γένους δὲ Γαμαλιὴλ ἐτύγχανε τοῦ παρ' αὐτοῖς γενομένου Πατριάρχου: ὃν δὴ διαδεδεῖσθαι εἰς καὶ ἄλλοι ὑπέθεντο, τοῦτον δὲ υἱὸν ἐκείνου τοῦ πρώτου Γαμαλιὴλ συμβαλόντος ὑπηχήσεως τοῖς κατὰ τὸν Ἀπόστολον ἐπιβολαῖς. Scilicet, vt & in familiis fermè ſolet, tranſmiſſum iſtud nomen ſæpè cum Patriarchatu in poſteros: auctor enim eſt Epiphanius *d. hæreſi* in Patriarchatu filium ſucceſſiſſe: de Iudâ quippe Elelli filio: ἁδρύνεται ὁ παῖς ὁ καταλειφθεὶς ὑπὸ Ἐλλὴλ εἰς Πατριαρχίας τεθειμένος: οὐδεὶς γὰρ ἄλλος ἁρπάζει τὰς ἀρχὰς παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, ἀλλὰ υἱὸς πατέρα διαδέχεται. Sed & Hieronymus Iuuenes ſiue pueros, effœminatóſque ac deliciis affluentes Patriarchas dixit.

¶ Nunc de ipſis Patriarchæ iſtius Gamalielis auſibus, & quomodo eos Theodoſius Iun. *hâc leg.* reprimat. Ante omnia igitur, quia dignitate ſuâ Præfectoriâ abuſus fuerat, eam ei adimi iubet. Et quidem per Magiſtrum Officiorum, qui ei adimeret Codicillus Præfecturæ, quod quidem aliis Magiſtri Officiorum titulis addendum eſt: nempe vt per Magiſtrum Officiorum, ſi qui dignitate aliqua ſumma ſpoliarentur, exuerentur; fuit enim ad hæc efficax Magiſterium, (vt vocatur *l.* 2. *de Magiſt. Offic.*) quique ſacrario Principis explorata ſedulitate obediebat: *l.* 2. *d.*) ſubque eius diſpoſitione erant Palatina Officia, de quo *ad illum titulum* fusè ſemel: Hoc *primum*. Secundò, idem Patriarcha *Synagogas* nouas condi fecerat; (quod vtique Iudæis interdictum fuiſſe oſtendent prætereà *lex* 25. 27. *infr. hoc tit.*) Igitur deinceps id ab eo fieri vetat Theodoſius Iun. *hâc leg.* quin & in ſolitudine poſitas Synagogas deponere iubet, ſi ſine ſeditione poſſint deponi: cui ſimilia vide circa Paganorum templa *l.* 16. *infr. de Paganis*, veteres proinde tantùm Synagogas tueri ſeu reficere permittitur, quomodo & Theodoricus Rex Iudæis Genuenſibus permittit apud Caſſiodorum 2. *variar.* 26. *Tertiò*, Iudicare inter Chriſtianos & Iudæos Patriarcha hic præſumpſerat; fortè quando Iudæus reus erat, vt ita Chriſtianus cum Iudæo litigans rei forum ſequi neceſſe haberet. Quare id ei de cætero interdicitur, ac proinde ſi qua inter Chriſtianos & Iudæos ſit contentio, Rectoris Prouinciæ hæc cognitio ſit. Et probò, quod Salycetus ait, Iudæum etiam reum forum ſequi Chriſtiani, quod hæc lex, omninò indicat: Sed & ratio: ne alioquin Patriarchæ in ſuos gratioſi ſint, vti facturos eos omninò veriſimile eſt. Denique Chriſtianus Iudæi forum nunquam ſortitur, ſed fori Chriſtiani præſcriptionem habet.

¶ Cæterùm interpolatione ſuâ Tribonianus multum detraxit huic ſententiæ: Nam quod ille *in l. ſi qui* 15. *Cod. de Iudæis*, (quæ hinc alioquin deſumpta eſt) ait, *contentiones inter Chriſtianos & Iudæos à Senioribus Iudæorum dirimi non poſſe*: de eo nunquam dubitatum, neque id à ſenioribus attentatum reperio, verùm à Patriarcha tantùm. Quod hæc lex oſtendit: Cuius & inter Chriſtianos, haud vilis dignitas fuit: quod docuerunt iam *lex* 8. 11. 13. 15. *ſupr. hoc tit.* Quare quæ ex *l.* 15. Cod. Iuſt. quæ hinc deſumpta eſt, alia nuper colligebat vir eruditus *lib.* 2. *var. lect. c.* 10. *p.* 148. erronea omnia ſunt, ac nominatim quaſi ex illa *l.* id conſtet, vbi inter ipſos Iudæos eſt contentio, à Iudæorum primatibus, eam dirimi poſſe; atque adeò *hâc leg.* abrogata ſit *lex* 10. *ſupr. de Iuriſdictione.* Primum enim de ſolo Patriarcha hic agitur. Secundò, huic ipſi denegatur omnis iuriſdictio, omne iudicium in Chriſtianos: cum contra aliquod ſaltem inter Iudæos dari poſſit in rebus ſcilicet, quæ ad ſuperſtitionem eorum pertinent.

¶ *Quartò*, idem Gamaliel vt Chriſtiani aliíque circumciderentur curare auſus fuerat, & eius etiam, vt videtur exemplo, alij: Quod ipſum ſeueriter *hâc leg.* prohibetur, legúmque adeò ſeueritati ſubdi id facientes iubet. Quod & ipſum idem & *l.* 26. *infr.* interdicit, propoſitâ pœnâ bonorum proſcriptionis & perpetui exilij. Imò & tertiâ conſtitutione ſuâ *Nouellâ de Iudæis*, &c. 3. ſub pœna capitis & bonorum proſcriptionis.

Poſtremò, & Chriſtiana mancipia apud ſe retinuerat. Verùm hos Eccleſiæ mancipari iubet Theodoſius Iun. *Secundum Conſtantinianam legem*, inquit: Et tamen nulla huiuſmodi Conſtantini lex fuit. Sed *l.* 5. quæ huius ipſius Theodoſij Iun. eſt, & quarta quidem, proximo ab hinc anno lata. Ergo neque Patriarchæ Chriſtiana mancipia habere licuit. Quò pertinent etiam fortè illa Theodoſij Magni *l.* 5. *ſupr. de contrah. empt. Ne quis OMNINO Iudæorum Chriſtianum comparet mancipium*, &c.

¶ Ad *hanc legem* omittere non poſſum, Iudæos circa hæc tempora Alexandria pulſos, de quo vide Socratem *lib.* 7. *cap.* 13. 15. 16. Quò fortè, hæc ipſa lex pertinet.

Tandem in hoc Gamaliele Patriarchas defeciſſe autumo, de quo ad *l. vlt. infr.*

XXIII. * Idem AA. Annati" Didaſcalo & Maioribus" Iudæorum.

ET" veteribus," & noſtris ſanctionibus, conſtitutum eſt, cùm propter euitationem criminum, "& prò diuerſis neceſſitatibus, Iudaicæ religionis" homines obligatos, Eccleſiæ ſe conſortio ſociare voluiſſe didicerimus, non" id deuotione fidei, ſed obreptione ſimulandum" fieri, vnde Prouinciarum Iudices, in quibus talia commiſſa perhibentur, ita noſtris famulatum ſtatutis deferendum eſſe cognoſcant, vt hos, quos neque conſtantia religioſæ confeſſionis in hos eodem cultu inhærere perſpexerint, neque venerabilis baptiſmatis fide & myſteriis inbutos eſſe, ad legem propriam (quia magis Chriſtianitati conſulitur) liceat remeare." Dat. VIII. Kalend. Octobr. Rauennæ Theod. A. VII. & Palladio COSS. [416]

NOTÆ.

NOTÆ.

* *Hanc legem* omisit Baronius in annum suum referre. Concordat huic *lex 2. sup. de his qui ad Eccles. confug.* quæ est Arcadij Anno 397.

"Eadem inscriptio superiore anno *legis 3 infr ne Christian. mancip. Iud. hab.* si quid hic immutandum.

"*De Maioribus Iudæorum* dixi ad *l. 1. supr. hoc tit.*

"ꝛ. *Vt.*

"Sed & fratris Arcadij *d. l. 2. supr. de his qui ad Eccles.*

"ꝛ. *religioni.* "ꝛ. *Nec.*

"ꝛ. *simulantum.*

"ꝛ. *inde* vel ideò.

"Tentabam aliquando, *reminare*, veteri vocabulo: tentet quis & *reuocare* aut *retrahere*

COMMENTARIVS.

CONFVGIENTES ad Ecclesiam Iudæos, simulatâ tantùm professione religionis Christianæ & criminum euitandorum, vel aliarum necessitatum defugiendarum causa, & sic non constantiâ religiosæ confessionis: (de quo apud Honorium Imp. hoc tempore Annas Didascalus & maiores Iudæorum conquesti fuerant) Rectores Prouinciarum ad suam & Iudaicam legem rettahere, reuocare iubentur: de quo pleniùs aliquantum dixi ad *l. 2. supr. de his qui ad Eccles. confug.* quæ huic omninò concordat, adnotato etiam loco ex Socrate *lib. 7. cap. 17.*

¶ Tria tantùm *hâc leg.* obseruanda. Primum, super hac ipsa re & veteres & alias Honorij constitutiones promulgatas, quarum sibi nullum, sciam, præterea vestigium occurrit. Sanè exinde liquet, sæpiùs huic fraudi occurrendum fuisse. Secundò, *Ratio* hic addita notetur: *Quia magis Christianitati consulitur.* Non expedit scilicet hos in Ecclesia ferri, qui Ecclesiam matrem reuerà non agnoscunt. Postremum, obseruetur Iudæos ad fidem Christianam accedentes, non antea temerè, de fide sua fidem fecisse, quàm baptismate & mysteriis imbuti fuissent: quò pertinet etiam exemplum illud, quod apud Socratem extat.

¶ Notetur tandem in inscriptione *Didascali* inter Iudæos nomen, quod & Maioribus Iudæorum sociatur *hâc leg.* & *l. 3. infr. ne Christian. mancip.* Quem eum Hieteo confudit vir aliàs eruditus. Nam *Hiereus* sacra celebrabat, *Didascalus* verò docendi munere fungebatur: qui ideò ad curam suam reuocabat, ne qui reuerà confessione Iudæi erant, vllo obtentu à lege suâ abducerentur. Hæc inquam causa est, cur Didascalo & Maioribus Iudæorum hæc lex inscribatur: pariter vt inscribitur *l. 3. infr. ne Christian. mancip.* quâ Iudæis seruos Christianos habere permittitur, dummodo ne à Christiana religione abducerentur per ipsos dominos, vel Didascalos.

XXIV. * Idem AA. Palladio PF. P."

IN Iudaicâ superstitione" viuentibus adtemptandæ decreto Militiæ aditus obstruatur. ¶ Quicumque igitur, vel inter Agentes in rebus, vel inter Palatinos militiæ Sacramenta sortiti sunt, percurrendæ eius & legitimis stipendiis terminandæ remittimus" facultatem, ignoscentes facto potiùs, quàm fauentes: In posterum verò non liceat, quod in præsenti paucis volumus relaxari. ¶ Illos autem, qui, gentis huius peruersitate deuincti, armatam probantur adpetisse militiam, absolui cingulo sine ambiguitate decernimus, nullo veterum meritorum patrocinante suffragio. ¶ Sanè Iudæis, liberalibus studiis institutis, exercendæ Aduocationis non intercludimus libertatem: & vti eos Curialium munerum honore permittimus, quem prærogatiua natalium, & splendore familiæ sortiuntur. Quibus cùm debeant ista sufficere, Interdictam militiam pro notâ non debent æstimare: Dat. VI. Id. Mart. Rauennæ Honorio XII. & Theod. VIII. AA. CONS. [418.]

NOTÆ.

* Meminit & *huius leg.* Baronius *Anno D. 418. num. 71.*

"Italiæ.

"*Superstitio*, de Iudaica *hâc leg.* & *l. 18. l. 157. 158. supr. de Decurion. l. 10 supr. de Iurisdict.* & iam olim Iurisconsulti in *l. qui ad tempus supr de Decurionib.* Quintil. 3. 8.

"*Remittimus*, permittimus, relaxamus, indulgemus: vt mox relaxari.

COMMENTARIVS.

MILITIA Agentum in rebus (pariter vt *l. 16. supr.*) vt & Palatinâ & Armatâ Iudæi hâc Honorij constitutione in posterum prohibentur. *Anno D. 418.* Ita quidem, vt & eos qui in præsenti armatam militiam gerunt, cingulo absolui iubeat, quocumque tandem meritorum suffragio accedente. Augustini locus Dialogo de altercatione Ecclesiæ & Synagogæ. *Tributum*, inquit, *soluis, ad Imperium non accedis, habere non potes Præfecturam, Iudæum esse Comitem non licet, Senatum tibi introire prohibetur, Præfecturam nescis, ad militiam non admitteris*, &c.

¶ Tria tamen iisdem permittit *hâc leg.* Honorius. Primum, iis qui in præsenti Agentes in rebus vel Palatini sunt, percurrendæ eius militiæ & legitimis stipendiis terminandæ facultatem permittit:

permittit: facti potiùs gratiam faciens, quam fauens. Secundò, *Aduocationis* munere Iudæis fungi permittit Liberalibus studiis institutis. Cum tamen aduocatio Seminarium sit dignitatum. Ex quo interim apparet, Iudæos hac tempestate non artium rudes fuisse: verùm artibus & studiis imbutos, etiam Iuris disciplina: quinimò & Socrates *lib.7. cap.13.* meminit Adamantij Iudæi Alexandriæ qui medicinam docebat, *ἰατρικῶν λόγων σοφιστής*. Tertiò, Curialium saltem munere fungi iis permittit: de quo ad *l.2.3.13. supr.* & *l.157.158. de Decurion.* quæ & ipsæ Honorij Imp. sunt.

¶ Ex his interim & ex *hac leg.* totâ apparet, quantopere hac adhuc tempestate, Iudæorum ratio habita fuerit: vt qui ad omnes promiscuè militias admitterentur: vsque quo id rursum Honorius *hac leg.* prohibere necesse habuit: imò quibus & ipse non in totum muneribus publicis interdixit, verùm nonnulla reliquit: idque satis timidè. *Quibus cum debeant*, inquit, *ista sufficere, interdictam militiam pro nota non debent æstimare.* Quare & huc facit, quod Rutilius Numatianus Itinerarij *lib.1.* hoc ipso tempore scribit, cùm agit de Faleria, cuius loci curam Iudæus agebat,

Atque vtinam nunquam Iudæa subacta fuisset,
Pompeij bellis, imperióque Titi.
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victorésque suos Natio victa premit.

Quem Rutilij Numatiani locum qui de Christianis accipiunt, & per latus Iudæorum Christianos peti credunt, à vero aberrant. Quod Baronius de Iudæis Insulæ Minoricensis, & de Theodoto Iudæo summæ auctoritatis etiam inter Christianos, bellóque inter Iudæos & Christianos conflato hoc ipso anno memorat, ex Varicani Seueri Epistola, non adeò hinc abludit. De Iudæis qui olim immunitatem à militia subinde non vnâ causâ vel sub certâ lege postularunt, alius dicendi locus est: videndus Iosephus.

¶ Interim notandæ *hac leg.* duæ singulares differentiæ. Prior, inter Palatinam militiam & armatam: illam Iudæus retinere, & terminare potest: hanc non item. Posterior, inter militiam quancunque siue Palatinam siue militarem, & Aduocationis Curiæque munus: illâ Iudæus arcetur, at non istâ. Et posteà tamen Catholicæ religionis mysteriis non imbuti, at proinde Iudæi, & Samaritani ad Togatorum consortium accedere vetiti *l. vltim. Cod. de postul. l.15. Cod. de Episcopali aud.* Nouella Iustini *de Samaritanis* 144.

XXV. * Idem AA. Asclepiodoto PF. P.''

PLACET, in posterum nullas omninò Synagogas Iudæorum, vel auferri passim, vel flammis exuri. Et si quæ sunt post legem,'' recenti molimine,'' vel ereptæ Synagogæ, vel Ecclesiis vindicatæ, aut certè venerandis mysteriis consecratæ, pro his, loca eis in quibus possint extruere, ad mensuram videlicet sublatarum, præberi. ¶ Sed & Donaria,'' si qua sunt sublata, eisdem, si necdum sacris mysteriis sunt dedicata, reddantur: Sint redhibitionem'' consecratio veneranda non sinit, pro his eiusdem quantitatis pretium tribuatur. ¶ Synagogæ decæterò nullæ protinus'' extruantur: veteres in suâ formâ permaneant. Dat. xv. Kal. Mart. Constp. Asclepiodoto & Mariniano COSS. [423.]

NOTÆ.

* *Hanc legem* alieno loco Baronius retulit, putà *Anno 418. num.74.* huius idem Theodosius hoc ipso anno meminit *lege 24. infr. hoc tit.* Iungenda autem huic est *lex vlt. supr. de itinere muniendo*: & fortè etiam *lex 35. seu penult. supr. de erogat. militaris annona.*

''Quam legem intelligit? An *legem suam 71. supr.* verùm ea ad Illyricum pertinet, hæc ad Orientem: quare similis altera quærenda est: & putem intelligi Theodosianam *l.9. supr.*

''*Donaria*, *hac leg.* & *l.57. supr. de hæreticis*: vbi dixi.

''id est, restitutionem.

''*Protinùs*, id est, omninò.

COMMENTARIVS.

DE SYNAGOGIS Iudæorum & earum DONARIIS est hæc Theodosij Iun. constitutio. At in vniuersum hæc lex cum duabus sequentibus hoc Anno 423. (quæ ad eundem Asclepiodotum PP. datæ sunt) ad miserabiles preces seu querelas Iudæorum à Theodosio Iun. latæ sunt, quos passim *Christiani* hac tempestate lædebant, persequebantur, Synagogas eorum exurebant (quod etiam testatur *lex 21 supr. lex 26. infr.* de quo ad *d.l.21.*) auferebant, Ecclesiis vindicabant, in Ecclesias vertebant, donaria eorum expilabant. Quæ Christianorum nimietas multis Principibus visa: & ideò subinde repressa à Theodosio Magno *l.9.* ab Arcadio *l.12.* ab Honorio *l.20.* ab eodem Theodosio Iun. & *l.21. supr. hoc tit.* & hisce *tribus legibus*. Sic tamen, vt & ipsis vicissim Iudæis modum imponat. Huiusmodi verò Theodosij Iunioris constitutionem memorat Euagrius *hist. Eccles. lib.1. cap.13.* mox & ab eo abrogatam, consilio Symeonis Stilitæ: *τούτῳ τοσοῦτον ἡ τῆς θείας χάριτος ἐνέσκηψε δύναμις, ὡς καὶ Θεοδοσίῳ τῷ αὐτοκράτορι τεθεσπικότι τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχου Ἰουδαίοις ἀποδοθῆναι τὰς σφῶν Συναγωγὰς, ἅσπερ ἔφθησαν [ἔφθησαν] οἱ Χριστιανοὶ ἀφῃρημένοι, οὕτω παῤῥησίᾳ γέγραφεν, οὕτω σφοδρῶς ἐπιτετίμηκε, μόνον τὸν ἴδιον βασιλέα εὐλαβούμενος, ὡς καὶ τὸν βασιλέα Θεοδόσιον τὰς ἰδίας ἀνακαλέσασθαι κελεύσεις, πάντα πρὸς χάριν Χριστιανῶν διαπράξασθαι: παραλῦσαι δὲ τὸν ὕπαρχον τὸν ταῦτα διδάξαντα τῆς ἀρχῆς, δυνηθῆναί τε τῷ παναγίῳ καὶ ἀερίῳ μάρτυρι ἀπὸ ῥήματος ἱκετεῦσαι τε καὶ ἐυχέσθαι ὑπὲρ αὐτοῦ, καὶ τῆς οἰκείας εὐλογίας μεταδοῦναι*, id est, *Virtus porrò diuina gratiæ tam penitùs in istius insedit animo, vti ad Imperatorem Theodosium per legem iubentem, vt Iudæis Antiochiam incolentibus ipsorum Synagogæ, quas ante Christiani ab illis abstulissent, redderentur, adeò liberè scripsit, adeóque acriter eum propterea increpauit (solum autem suum Imperatorem Deum veritus est) vt Imperator Theodosius, quo Christianorum satisfaceret voluntati, sua mandata reuocaret, Præfectúmque qui ipsum de Iudæorum Synagogis reddendis docuerat, abdicaret Magistratu,*

Magistratu, & sanctissimum ac aërium oraret martyrem, vti nominatim pro ipso Deum obsecraret obtestaretúrque, atque suâ ipsum impertiret benedictione.

¶ Summa verò *huius legis* hæc est. Pro ereptis Synagogis loca alia his vicissim esse restituenda, in quibus ipsi possint alias extruere, non tamen, quæ limitatio additur, vltra mensuram sublatarum: item Donaria τὰ ἱερὰ κειμήλια erepta iisdem restitui iubet, vel sanè eorum pretium, si Donaria illa Iudæorum iam Christianis sacris & mysteriis fuerint dedicata. Ex his interim apparet, hoc iam æuo Synagogas & donaria Synagogarum in Ecclesias Christianas alicubi translata, denique rem & supellectilem sacrorum. Nam de ritibus exinde pariter traductis alius est dicendi locus. Quomodo & sub hoc ipso Theodosio Iun. Cyrillus Ep. Alexandrinus Ecclesias ad Nouatianos pertinentes occlusisse, donariáque τὰ ἱερὰ κειμήλια inde abstulisse memoratur à Socrate *lib.7.cap.7.* Similis verò huic est Theodorici Regis epistola apud Cassiodorum 37. *lib.5.* quâ ea quæ ad Synagogam Iudæorum Mediolan. pertinebant peruasa occupata his restitui iussit. At viceuersa, & nouas extruere Synagogas iidem prohibentur; sed & veteres in sua forma possidere iubentur: Quod iterum à Theodosio Iun. hoc ipso anno *l.27.* cauetur, quâ huius summam repetit: *Neque nouas*, inquit, *vnquam Synagogas extruere permittuntur, neque auferendas sibi veteres pertimescere debent.* Et tertium adhuc *Nouellâ, de Iudæis, 3.vers. Illud etiam.*

¶ Ex coniunctione interim *l. vltim. supr. de Itine. muner.* apparet, Theodosius Iun. Ecclesia Christianis modum quendam imposuisse: tum ne sanctitatis obtentu, in aliena iura inuolarent: tum ne immunitatis Ecclesiasticæ obtentu, vtilitas publica destitueretur.

XXVI. * Idem AA. Asclepiodoto PF. P.

NOTA sunt, adque omnibus diuulgata, nostra maiorúmque decreta, quibus abominandorúmque Paganorum, Iudæorum etiam, adque hæreticorum spiritum audaciámque compressimus: Libenter tamen repetendæ" legis occasionem amplexi, IVDÆOS scire volumus, quòd ad eorum miserabiles" preces nihil aliud sanximus, quam vt hi, qui pleraque inconsultè, "sub" prætextu venerandæ Christianitatis, admittunt, ab eorum læsione persecutionéque temperent: vtque nunc ac deinceps Synagogas eorum nullus occupet, nullus incendat. Tamen ipsi Iudæi, * & bonorum proscribtione, & perpetuo exilio damnabuntur, si nostræ fidei hominem circumcidisse eos, vel circuncidendum mandasse constiterit, &c. Dat. v." Id. April. Constantinop. Asclepiodoto & Mariniano COSS. [423.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* in annum suum Baronius non retulit. Huius etiam meminit idem Theodos. Iun. hoc ipso anno *lege 27. prox. seq.* Iungenda huic est *lex vlt. infr. ne Christian. mancip. Iud. hab. & lex 22. infr. de Paganis* & *l.59. supr. de hæretic.*

"de *Repetita*, legibus eiúsque rei causis? dico plenè in *Prolegom.* vid. & *l.19. supr.*

" *Miserabiles* preces.

"Sub Christianæ religionis nomine *l.9. supr. hoc tit.* Religionis auctoritate abusi, *l.24. infr. de Paganis.*

* *Lex, Iudæi 16. Cod. eod. tit.* hinc desumpta est.

"vitiosa Codicis Iust. subscriptio hinc emendanda est.

COMMENTARIVS.

GENARALIS Theodosij Iun. constitutionis, quam non in Iudæos tantùm, verùm & in Paganos, & hæreticos promulgandam credidit, cuiúsque præfatio hic nominatim continetur, hæc pars & prima quidem est. Scilicet hæc, pariter vt *lex vltim. infr. tit. prox. ne Christian. mancip.* quæ huic coniungenda est, de Iudæis fuit, vt *lex 22. tit.* abhinc altero, de Paganis est, *lex 59. supr. tit. 5.* est de hæreticis, quæ & ipsæ huic sunt coaptandæ.

¶ De *Iudæis* nunc, nempe vt lædi eos aut persecutionem sufferre, aut Synagogas eorum occupari aut incendi quod sæpè fiebat, vt præter *hanc legem* testatur *l.25. & 26. supr.* ita vicissim circumcidi Christianum ab his, proposita pœna bonorum proscriptionis & perpetui exilij hac lege prohibet, quod mutatum posteà ab eodem Theodosio capitis pœnâ, Nouellâ eius 3. de quo ad *l.22. supr.* vt & mancipia Christiana comparari *d. l. vltim. infr. ne Christ. mancip.* quam huic coniungendam docui.

XXVII. * Idem AA. Asclepiodoto PF. P.

VÆ nuper" de Iudæis & Synagogis eorum statuimus firma permaneant: scilicet, vt nec nouas vmquam Synagogas permittantur extruere, nec auferendas sibi veteres pertimescant. Cetera verò vetita in posterum sciant esse seruanda: quemadmodum nuper" constitutionis latæ forma declarat, &c. Dat. VI. Id. Iun. Constantinop. Asclepiodoto, & Mariniano COSS. [423.]

NOTÆ.

* *Huius legis* meminit Baronius suo *Anno* 423. *num.*6. Iungenda autem huic est *lex* 60. *supr. de hæreticis*, & *l.*23. & 24. *infr. de Paganis.*

"Intelligit *legem* 25. *supr.*

"Intelligit *leg.*26. *supr.* & *l.vltim. infr. ne Christian mancip.*

COMMENTARIVS.

Generalis alterius eiusdem Theodosij Iunioris constitutionis eodem Anno 423. latæ ad eundem Asclepiodotum P. P. in Iudæos, Hæreticos, Paganos, & hæc pars est, cui iungendæ duæ illæ, quas dixi leges. Hac nihil aliud agitur, quàm vt priore eius sententia confirmetur *lex* 25. *supr.* posteriore verò *lex* 26. *prox.* Ex his tot interim repetitis legibus, & quidem tam modico interuallo, liquet, ab vna parte, (quod etiam testatur *lex* 26. *suprà*,) quàm pertinaces Iudæorum spiritus, quanta audacia hac tempestate fuerit: parte altera, quam varia subinde Christiani in hos moliti sint.

XXVIII. * Impp. Theod. & VALENTINIANVS AA. Basso PF. P.

Si Iudæi, vel Samaritæ" filius filiave, seu vnus" aut plures, ad Christianæ religionis lucem, de tenebris propriæ superstitionis, consilio" meliore, migrauerit, non liceat eorum parentibus, patri vel matri, auo vel auiæ exheredare, vel in testamento silentio" præterire, vel minus aliquid eis relinquere, quam" poterant, si ab intestato vocarentur, adipisci. Quod si ita forsitan euenerit, iubemus, eum ab intestato, rescissâ voluntate, succedere: libertatibus, quæ in eodem testamento datæ fuerint, si intra legitimum numerum" sunt, suam obtinentibus firmitatem. Si quid" maximum" crimen in matrem patremve, auum vel auiam, tales filios vel nepotes commisisse apertè potuerit conprobari," manente in eos vltione legitimâ, si accusatio intereà iure processerit, parentes tamen, sub tali elogio," cui subpeditabunt probabilia & manifesta documenta, solam eis Falcidiam" debitæ successionis relinquant: vt hoc saltim in honorem religionis electæ meruisse videantur: manente (vt diximus) criminum, si probata fuerint, vltione, &c. Dat. VI. Id. April. Rau. Theodosio 11." Valentiniano 11. AA. coss. [416.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* omisit Baronius in annum suum referre. Iungenda autem illi *lex vlt. supr. de Apostatis.*

"De *Samaritis* dictum fuit ad *l.*16 *supr.*

"*seu nepos vnus aut.*

"Ita consilij emendatio *l* 4. *supr. ne sanctum baptism.*

"Singula singulis ita respondent: *exhæredandi* vox, ad Patrem & Auum spectat; *prætereundi*, ad Matrem & Auiam.

"id est, quam legitimam.

"Legis Canuniæ videlicet, cuius est hoc inter cætera vestigium.

"quod.

"Maximum crimen esse oportet, cuius causa filius exhæredetur.

"Nempe probatio exigitur ab hæredibus institutis, quo pertinent & illa mox, elogio suppeditabunt probabilia & manifesta documenta.

"*Elogium* vocat exhæredationem, pariter vt *l.*4. *supr. de legit. hæreditatibus*: vbi plenius adhuc elogium inueniendum dicitur.

"*Falcidia* voce hic abutitur pro legitima, vt nonnullis Iuris locis inter cætera *l.*8. *§. vnde. ff. de inoffic. testam. l.*31. *Cod. eod.* &c.

"*al.* XII. vt etiam MSS. nonnulli habent.

COMMENTARIVS.

Proselytis, id est, ex Iudæo Christianis effectis, filiis, circa parentum successiones duo priuilegia singularia à Valentiniano III. Placidiæ filio hac constitutione tribuuntur. Vt ita & huiusce legis humanitate à fide Christiana alienos ad eam prouocaret, vt vicecersa *legis vltim. supr. de Apostat.* (quæ huic coniungenda est) seueritate, Christianos in fide contineret satagit, & quidem quod notandum, vtraque lege bonorum ratione & successiones respiciente: Quorum vt amittendorum metus multos in officio sæpè continet & fide: ita eorundem spes certa ad fidem amplectendam audentiores sæpè reddit.

¶ Igitur *huius legis* sententia duo priuilegia filiis tribuuntur Proselytis in paternâ successione. Primum est, quod exhætedari à parentibus Iudæis non ideò possint, neque legitima eis minus relinqui. Hoc primum, nempe mutationem religionis paternæ vel auitæ non censeri hac parte inter legitimas exhæredationum causas, si videlicet liberi ad meliora diuerterint, quæ & ipsa est sententia Iustiniani *Nou.*115. *c.*3. *§.*14. *vers. Generalem.* De contrario casu, vide *eundem locum*, & *l.*19. *Cod. de hæretic.* Secundum priuilegium est: Vt etiam exhæredationis causa subsistente legitimam eis relinqui oporteat, vt hoc saltem inquit, in honorem religionis electæ meruisse videantur. Singularia *huiusce leg.* non exeutio cuiuis obuia.

XXIX.

XXIX. * Iidem AA. Ioanni Com. S. L."

IVDÆORVM Primates', qui in vtriusque Palæstinæ Synedriis" nominantur," vel in aliis Prouinciis degunt, quæcunque," post excessum Patriarcharum," pensionis nomine suscepêre, cogantur exsoluere." In futurum verò, periculo eorumdem," anniuersarius canon" de Synagogis omnibus, Palatinis" compellentibus," exigatur," ad eam formam," quam Patriarchæ quondam Coronarij" auri nomine postulabant: Quæ" tamen quanta sit, solerti inquisitione discutias: Et" quod de Occidentalibus partibus" Patriarchis conferri consueuerat, nostris largitionibus inferatur. Dat. III. Kalend. Iun. Constantinop. Florentio & Dionysio COSS. [429.]

NOTÆ.

† *Lex Iudæorum 17. Cod. eodem titulo.* Sed non vno loco interpolata. Eam in annum suum referre omisit Baronius. Hic verò est, cuius memoria extat in actis Orientalium post Synodum Ephesinam: Theodosij scilicet Imp. epistola ibi extat ad Synodum missa per *Ioannem Comitem sacrorum*, cui deinde subdita est epistola eiusdem *Ioannis Comitis Sacrensis* ad Imperatorem, in quâ narrat, se Nestorium custodiendum tradidisse Candidiano Comiti domesticorum, Cyrillum & Memnonem Comiti & Præposito quartæ Scholæ: De eodem sensit & Facundus *lib.7.cap.4.*

"*Comiti S. L.* cur hæc lex inscribatur, ipsa docet.

"Atqui tres *Palæstinæ* fuerunt? De eo mox.

"Ita quoque Codices veteres Iustinianei: & Tiliana edit. quanquam hodie legitur, *dominantur*. De quo mox.

"Hæc quæ sequuntur vsque ad *periculo*, recidit Tribonianus: quia in præteritum spectant.

"De his dixi ad *l.1. supr. hoc tit.*

"in Til. edit. *compotentibus*: malè.

"sacris largitionibus.

"Primatum,

"id est, Tributum ordinarium.

"*Palatinis*, id est, Officialibus Comitum S. L. de quibus peculiaris est supr. *lib.6.tit.30.*

"exigant Cod. Iust. malè: neque enim ipsi Primates exigebant.

"*Formam*, id est, quantitatem: Nam mox sequitur, *quæ tamen quanta sit*, &c.

"De *Auro Coronario* fuit *supr. ti.13. lib.12.* vbi plenè dixi.

"Hæc sententia à Tribon. recisa. Quia tempori adstricta & χρονική

"*Et hoc quod*, ita Cod. Iust.

"Et hæc vox *partibus* abest à Cod. Iust. & ideò locus hic ita hodie ibi legitur: *de Occidentalibus Patriarchis*, inepto sensu de quo mox.

COMMENTARIVS.

DE AVRO CORONARIO seu de APOSTOLATV (vt vocabatur de quo fuerunt iam supra duæ Honorij leges, putà *l.14. & 17. supr.*) est hæc tertia hoc titulo, verùm Theodosij Iun. vnica hæc, & singularis admodum ad Iudaicam huius æui historiam maximè faciens Constitutio A.D.429. vel vt *hâc lege* vocatur *de Pensione & Anniuersario canone*, quem ἐπετήσιον κανόνα vocant hic Græci.

¶ De quo hæc lex duo indicat: Primum, eum canonem quondam Patriarchas Coronarij auri nomine de Synagogis omnibus etiam Occidentalium partium (de quo vide quæ iam dicta sunt ad *l.14. & 17. supr.*) exegisse. Sed, quod secundum, post *excessum* Patriarcharum Primates Iudæorum hoc æuo hanc pensionem suscepisse, & totum quidem non verò, quædam tantùm pensionis nomine, vt volebat Petitus *2.var.1.pag.159.*

¶ Vnde ex hac lege singulari admodum, quod secundum colligo, quod & posteà quoque notasse deprehendi Petitum *5.var.10. pag.158.159.* Blondellum *de primatu: pag.532.* Patriarchas Iudæorum nullos amplius hac tempestate fuisse, electósque deinceps Primates: sicut cum successionis iure & *κατ᾽ οἰκογένειαν* Patriarchatus deferretur: (quod ex Epiphanio liquet, *hæresi Ebionit.30.*) Primates isti iam in Synedriis *nominarentur*, id est, electionis iure hanc Primatiam sortirentur: Ita enim hic rectè legitur, *nominantur*: non *dominantur*, vt quidam Cod. Iust. habent & Cunæus probabat, qui inde colligebat *lib.2. de republ. Hebræor. cap.23. pag.331.* Iudæis in ipsis auitis sedibus, Palæstina scilicet paulò plus priuilegij concessum fuisse: Quem etiam refutant illa, *vel in aliis Prouinciis degunt* Primates igitur electiui sufecti hac tempestate, Patriarcha desito. Quod quatuor *huius legis* locis probatur. *Iudæorum*, inquit, *Primates, qui in Synedriis NOMINANTVR*: Item, *quæcunque post EXCESSVM Patriarcharum Pensionis nomine suscepere*. Quæ verba recidit Tribonianus, quæ tamen hîc expressissima sunt, vbi etiam EXCESSVS est *extinctio* Patriarcharum, non vnius fortè Patriarchæ à vita excessus seu mors. Mox: *Ad eam formam, quam Patriarchæ QVONDAM Coronarij auri nomine postulabant.* Tandem: *Quod de Occidentalibus partibus Patriarchis conferri CONSVEVERAT.* Quo postremo etiam loco malè in Cod. Iust. vox *partibus* omissam, & ita expressum, *de Occidentalibus Patriarchis*, contra veritatem historicam, & huiusce legis sensum, & ineptè, cum Occidentales Patriarchæ nulli fuerint, vt ostensum est ad *l.11. supr.* Quæ tamen lectio Viro Docto fraudi fuit, vt crederet Occidentis Prouinciis Patriarchas Iudæos præfuisse. Tantùm scilicet interest, leges Codicis Iustinianei ad huius Codicis Theodosiani authenticum exigere. Verùm ad rem. Sanè Theodoretus quoque 1. *Dialogorum*, quos scripsit contra Eutychianos post Annum 451. suâ ætate nullos amplius Iudæorum Patriarchas fuisse scribit, καὶ αὐτοὶ, inquit de his agens, παντελῶς ἠφανίσθησαν καὶ χρόνῳ διελάνθανον, ἐξ οὗ καὶ ἡγεμονία τὸ πέρας ἐδέξατο. Si quid autem iudicij mei est, vt Patriarcharum desitorum plures adsignari possunt rationes, ita duæ potissimæ videntur: Prior, extinctio stirpis Patriarchalis: Dein (quod præfero) ipsorum Patriarcharum improbitas, ceruices altiùs erigentium, de quo vtroque dixi ad *dict. l.1.* & ad *l.22. supr.* quæ data est Anno D.415. Chrysostomi etiam

loco adducto, vbi eos vocat καπήλους, ἐμπόρους, καὶ ὅσους ἀργυρολογίας γέμοντας, ac nominatim Gamalielis improbitas, nec quicquam coërcita d l.22. *supr.* ante 14. annos A. 415. Et sic Patriarchæ esse desiere sub Theodosio Iuniore, medio hoc, quatuordecim annorum interuallo, inter Annum 415. & 429. non verò ab Anno 404. quod Petitus volebat, & propius quidem ad Annum D. 415. cuius improbitatem Theodosius diutius non tulerit, vel qui statim post excesserit.

¶ Atque vt ipsi Patriarchæ sublati ita & Pensionis istius annuæ, quam Patriarchæ quondam exigere solebant, *forma* immutata fuit. Nempe hac lege eandem quidem præstari Theodosius Iun. vult: atque etiam ex partibus Occidentalibus suscipi permittit: verùm 1. & periculo Primarum id fieri iubet, 2. & Palatinis, id est, Officialibus Comitum S. L. compellentibus. 3. Denique sacris largitionibus id inferri iubet, solerti Comitis inquisitione. Atque ea ratio est, cur & Palatini compellere iubeantur & Comiti S. L. hæc lex inscribatur. Ergo aurum istud Iudaicum Coronarium Theodosius Iun. fisco suo vindicauit & insequuti Imperatores, quod etiam Græci rectè notant ad *l.* 22. *Cod. de auro Coronario*: Ἐπειδὴ οἱ Ἰουδαῖοι παρεῖχον ὑπὲρ τοῦ χρυσοῦ στεφάνου τῷ οἰκείῳ ἱερεῖ καθ' ἕκαστον ἔτος ῥητὴν ποσότητα χρυσίου, σύμμετρον ἐκ τοῦ τοιούτου στεφάνου χρυσίου εἰς δημοσίαν καταβολὴν μετηνέχθη: vbi tamen quod addunt de eo auro Coronario Iudaico accipiendum *dict. leg. vnic.* erroneum est.

¶ *Coronarium* verò aurum hoc quoque dictum, similitudine alterius, quod Imperatori offerebatur; de quo peculiari titulo *libro* 12. sic tamen, vt hoc anniuersarium esset, vt hæc lex docet, & necessitate iam pariter tribueretur: vnde *canon* dicitur & *pensio hâc leg.* ex consuetudine *lege* 17. ad quod exigendum Apostoli mittebantur, de quo ad *l.* 14. *supr.*

¶ Atque ea est huiusce legis sententia, quæ in hunc vsque diem commodum nacta interpretem non est.

¶ Vbi quædã adhuc singularia notãda veniunt. Nam de Ioanne Com. S. L. cui hæc lex inscribitur vid. *supr.* Itaque notandum duas tantùm *Palæstinas hâc leg.* memorari, cùm tamen tres fuerint hoc tempore, vt docet *lex* 30. *supr. de erogat. milit.* quæ data est Anno Domini 409. quin & *lex* 3. *supr. de Protostasia*, quæ data est Anno D. 396. vbi dico plenè, & Notitia Imperij, quæ biennio fermè ante hanc legem conscripta fuit, vt & Procopius *de ædificiis Iustiniani.* Quare dicendum videatur nulla fuisse hoc tempore Iudæorum Synedria in tertia Palæstina, salutari scilicet, cum vtriusque Palæstinæ Synedria hic tantùm memorentur. Falsum est enim quod quidam censent, huius legis tempore Anno D. 429. duas tantùm fuisse Palæstinas. Tandem *Synedria* Iudæorum hîc memorari notandum est, de quibus vide Paratitlon huius tituli. De magno consessu Sanhedrin Ierosolymis, quod è duobus supra septuaginta antiquitùs erat, res nota est. Atenim constituta alia Synedria per Palæstinam, & quinque quidem à Gabinio Proconsule pari potestate, Gadaris, Amathunthe, Hierichunte, Sephoris; quinta sedes Hierosolyma fuit. De his verò Imperatorem *hâc lege* loqui censent Viri Docti nonnulli, Cunæus, *de republ. Hebræorum, cap.* 13. & alij qui Iustinianum Imper. *huius legis* auctorem perperam allegant. Nempe Synedria, consessus Iudicum fuêre, γερουσία, Senatus, Curia, siue curandæ Reip. siue iudiciorum ergo: Synagogæ verò, conuentus Ecclesiastici; cui rei firmandæ esse poterit interpretatio Syriaca *Matt.* 10. *v.* 17. illo scilicet loco, παραδώσουσι γὰρ ὑμᾶς εἰς Συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς Συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς. Et est grauis error Viri alioquin Doctissimi, qui scribit Synedria propriè esse Gentium, Synagogas Iudæorum; quæ hæc lex etiam refutat. Cum his verò Synedriis miscere non oportet Συνέδριον, cuius Scæuola meminit *l. vltim. ff. de decret. ab ordin.* ibi enim Synedrium est consessus municipalis. Synedria scilicet sunt in genere, Iudicum consessus, quod nomen Athenis & in aliis Græciæ ciuitatibus vsurpabatur; & exinde in Hebræorum vsum & sermonem migrauit.

NE CHRISTIANVM MANCIPIVM IVDÆVS HABEAT.

TITVLVS IX.

I. Cod. Iust. X. plenior Rubrica: *Ne Christianum mancipium hæreticus vel Iudæus vel Paganus habeat, vel possideat, vel circumcidat:* cuius tituli lex posterior à Contio restituta, arguit, malè à Viglio eam Rubricam sollicitari. Sanè quidquid huius tituli Rubrica præferat, quæ in futurum magis concepta est omnibus legibus huius tit. *habere* quadantenus Christianum mancipium Iudæo permittitur: Quid igitur? Iudæi ad Iudaicam superstitionem seruos Christianos cogere *l.* 3. 4. vetantur. Emptósque circumcidere *l.* 1. 2. imò & emere de nouo *l* 2. 4. *vlt.* aut largitatis titulo accipere. Deinceps consequi *d. l.* 4. Addenda verò his tituli legibus *lex* 5. *supr. de contrah. empt. l.* 22. 26. *in fin. supr. de Iudæis.*

1. * Imp.

I. * Imp. CONSTANTINVS A. ad Felicem PP. P.″

SI quis Iudæorum Chriſtianum mancipium, vel cuiuſlibet″ alterius ſectæ, mercatus, circumciderit,″ minimè in ſeruitute retineat circumciſum: ſed libertatis priuilegiis, qui hoc ſuſtinuerit, potiatur, &c. Dat. XI.″ Kalend. Nouembr. Conſtantinop. PP. VIII. Id. Maij,″ Karthag. Nepotiano, & Facundo COSS. [336]

INTERPRETATIO. † *Si quis Iudæorum ſeruum Chriſtianum, vel cuiuſlibet alterius ſectæ emerit, & circumciderit, à Iudæi ipſius poteſtate ſublatus in libertate permaneat.*

NOTÆ.

* Abeſt *hæc lex* à *Cod. Iuſt.* Inſeruit eam Baronius Annalibus ſuis *Anno D.* 336. *num.* 71. Eique iungenda eſt *lex* 5. *ſupr. de Iudæis.* Ex vtraque lege conflata eſt & interpolata conſtitutio, imò farrago Conſtitutionis quam ad me olim tranſmiſit C. Puteanus, mox edidit Sirmondus *in Append. Theod. n.* 4. præfatione etiam præmiſſâ & aliis nonnullis.

″Italiæ, vt vel ſubſcriptio huius legis docet: de quo plura ad *dict. l.* 5. & ad *l.* 1. *ſupr. de excuſat. artific.* & *l.* 6. *ſupr. de nauicular.*

″Ita quoque *l.* 22. *ſupr. de Iudæis.*

″ *Circumcidere non perhorruerit*: ita in dicta farragine.

″ *II. Kal.* in dicta farragine.

″Ita quoque *d. l.* 5. & in MS. nonnullis exertè *Maias*. At in Cod. Anic. *VIII. Idus Martias.*

† Inſerta eſt interpretatio Concilio Meldenſi *p.* 845 *cap.* 73.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI Magni hæc conſtitutio eſt, data Anno D. 336. ſeptem ante obitum eius menſibus, quâ Iudæus ſerui dominus Chriſtianum mancipium, vel cuiuſlibet alterius ſectæ, circumcidere prohibetur: alioquin ſeruo in libertatem eripiendo: Circumcidere, inquam, at non & mercari aut habere ſeu poſſidere *hâc leg.* à Cõſtantino M. prohibetur. Et Theodoſius tamen *l.* 22. *ſupr. de Iudæis*, à Conſtantino Chriſtianum mancipium à Iudæo etiam retineri prohibitum ait, *Mancipia quoque*, ait, *Chriſtianæ ſanctitatis, ſi qua apud ſe retinet, ſecundum Conſtantinianam legem Eccleſiæ mancipentur.* Sed & auctor vitæ Conſtantini *lib.* 4. *cap.* 27. Ἀλλὰ καὶ Ἰουδαίοις μηδένα Χριστιανὸν ἐνομοθέτησε δουλεύειν, μὴ γὰρ θεμιτὸν εἶναι προφητοφόνταις καὶ κυριοκτόνοις, τοὺς ὑπὸ τοῦ σωτῆρος λελυτρωμένους ζυγῷ δουλείας ὑπάγεσθαι: εἰ δ' εὑρεθείη τις τοιοῦτος, τὸν μὲν ἀνεῖσθαι ἐλεύθερον, τὸν δὲ ζημίᾳ χρημάτων κολάζεσθαι. Vbi notandum neque Theodoſio Iun. & auctori vitæ Conſtantini ſatis conuenire: ille quippe ſecundum Conſtantinianam legem ſeruum Eccleſiæ mancipari ait: hic in libertatem eripi: quâ parte ad hanc legem accedit. Sed mihi & aliis argumentis liquet, Conſtantino Magno ſæpè tribui, quæ non ipſius ſunt, de quo ſemel dixi, ſimul & iudicium de auctore vitæ Conſtantini. Et verò Conſtantini Magni inſtituto, nil amplius quam quod *hâc leg.* continetur conuenit, cui vtique ſatis viſum quod Chriſtianos ſeruos attinet, vt Chriſtianam religionem eiúſque Sacramenta à Iudaica nota & cœno Iudaicæ ſectæ vindicaret, atque ab omni prætereà iniuria, at non etiam vt commercio Iudæis interdiceret, iiſque dominium ſeruorum eriperet. Et ſanè à ſimili iniuriâ Iudæorum Chriſtianos Conſtantinus Magnus vindicat, *l.* 5. *ſupr. de Iudæis*, quæ huic legi coniungenda eſt. Ex quo adparet, hac tota conſtitutione id tantùm egiſſe Conſtantinum, Vt ne Chriſtianos Iudæi iniuria aliqua notave fœdarent. Honorio certè poſteà eadem mens fuit *l.* 3. *ſupr.* Vnde verò in errorem inducti fuerint auctor vitæ Conſtantini & Theodoſius Iun. dicam ad *l.* 2 *prox.* Hîc interim notetur libertatis adquirendæ modus, ſi Iudæus ſeruum Chriſtianum circumciderit. Adde duos in hâc re ipſa: Primus, ſi ſeruus Chriſtianus à Iudæo adquiſitus, id publicauerit: pro præmio quippe libertate donari iubetur *l.* 4. *infr. hoc tit.* Item, ſi ſeruus Iudæi non Chriſtianus, Catholicam fidem amplexus ſit, in libertatem emittitur nullo pretio dato *l.* 56. §. *vlt. Cod. de Epiſcopis.*

II. * Imp. CONSTANTINVS″ A. ad Euagrium.″

SI aliquis Iudæorum mancipium ſectæ alterius, ſeu nationis, crediderit comparandum, mancipium fiſco protinus vindicetur. Si verò emptum circumciderit, non ſolùm mancipij damno multetur, verum etiam capitali ſententia puniatur. ¶ Quòd ſi venerandæ fidei conſcia mancipia Iudæus mercari non dubitet, omnia, quæ aput eum repperiuntur, protinus auferantur: nec interponatur quicquam moræ, quin eorum hominum, qui Chriſtiani ſunt, poſſeſſione careant, &c. Dat. Id. Aug. Conſtantinop. Conſtantino″ AA. II. CONS.

NOTÆ.

* *Lex* 1. *Cod. eod. tit.* Memorat *hanc leg.* Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 16. & ex eo Cedrenus, Nicephorus. Imò de hac quoque accipio id quod dicitur *l.* 22 *ſupr. tit. prox.* Ex *hâc lex.* & *l.* 4. *infr. hoc tit.* conflata eſt. Recitat & *hanc leg.* Baronius, verùm alieno loco & velut Conſtantius Magni *Anno Domini* 336. *numero* 71. Iungenda autem huic eſt *lex* 6. *ſupr. de Iudæis.*

''ж. Constantius, & docet etiam *d. lex 6.* quæ huic coniungenda est. Sed & ea quæ mox ex Sozomeno, hic notabo. Et tamen Theodosius Iun. quoque hac parte in errorem inductus fuit *l. 22. supr. vt prox.*
''*PP.* vide Annum 336. *legem 22. supr. de Decurion.*
''Vt fieri amat, atque errores cumulari solent; ita & hic factum. Nam cum in Tiliana primùm editione, tum & Cujaciana, imò & quartaria, expressum fuisset, *Constantinop.* vel *Constp. A. CONS.* quod iam vitiosum erat, Qui posteà viderunt Consulatum abesse & illud retinuerunt Consulatu addito *Constantino A.* II. Verùm & hic reponendum *Constantio A.* II. & *Constante* COSS. quod docet *d. l. 6. de Iudæis*, quæ huic coniungenda est.

COMMENTARIVS.

Constantii Imp. hæc constitutio est: quâ Emere seu Mercari quoque, non circumcidere modo Christianum mancipium vel alterius sectæ, aut nationis vetat: capitali pœna circumcidenti imposita: Nempe Constantius, robustior hac iam parte, patre Constantino, Iudæis etiam commercio serui nisi suæ sectæ nationis interdicendum putauit: nempe quia iustus metus semper subest, ne Christiani serui ad Iudaicam superstitionem adigerentur. Quâ causâ & nuptiarum commercium Iudæo cum Christiana idem Imp. interdixit, *lege 6. supr. de Iudæis*, quæ huic nostræ coniungenda est. Nominatim autem *mercari*, id est, deinceps & de nouo adquirere Constantius prohibuit, pariter vt Theodosius Iun. *l. 4. & l. vltim. infr. hoc tit.* At non iam emptos & ea antiquo possessos, pretio eorum oblato Theodosij Magni constitutione *l. 5. supr. de contrahent. empt.* Porrò huiusce legis meminit, & eam quam dixi Constantij mentem exprimit Sozomenus *lib. 3. cap. 16.* & ex eo Nicephorus *lib. 9. cap. 20.* vide & Cedrenum anno Constantij III. οἱ Βασιλεῖς (Constantini liberi) Ἰουδαίοις ἐκώλυσαν μηδένα δοῦλον ὠνεῖσθαι, τὸν ἐξ ἑτέρας αἱρέσεως: εἰ δὲ παρὰ τοῦτο ποιῶν δημόσιον εἶναι τὸν: εἰ δὲ καὶ περιτέμοι κατὰ Ἰουδαίους θέμις, εἰς κεφαλὴν εἶναι τὸν κίνδυνον, καὶ ἀφαιρεῖσθαι τὸν ὄντα: ἐπεὶ γὰρ τὴν θρησκείαν πάντοθεν αὔξειν, ἐβούλοντο: καὶ τότε φροντίδα ἐποιήσαντο, ὅπως μὴ ἀδεῶς εἰς Ἰουδαϊσμὸν ἀποφέρωσι τοὺς μὴ τοιούτους ἐκ φύσεως ὄντας: φυλάττεσθαι δὲ τῇ Ἐκκλησίᾳ καὶ τοὺς ἐλπίδα Χριστιανισμοῦ ἔχοντας: μάλιστα γὰρ ἐκ τοῦ ἑλληνικοῦ πλήθους ὑπεδίδου θρησκεία. In eo tantùm lapsus est Sozomenus, quod distinctionem *huius legis* non obseruauit. Nam ita distinguit Constantius: Si alterius sectæ vel nationis quam Christianæ seruum Iudæus emerit, mancipium confiscari: si verò Christianum emerit, bonis præterea suis omnibus prætereà multari. Eo verò nomine singularis est Sozomeni locus, quod rationem adsignat, cur *etiam alterius sectæ* vel nationis seruum, id est Paganum, etiam quemcunque Iudæus emere prohibitus fuerit. Tandem hæc illa ipsa lex videtur, quam Constantino tribuunt Theodosius Iun. *l. 22. supr. de Iudæis:* & auctor vitæ Constant. *lib. 4. cap. 27.* fortè eo lapsi, quod hæc lex *Constantini* nomen præfert: verùm perperam, vt ostendi in *Notis*. Quanquam adhuc in eo diuersitas est, inter *hanc legem*, & id quod Theodosius Iun. ait: nempe enim ait, Constantinianâ lege seruum Ecclesiæ mancipatum. Quod *hâc leg.* non dicitur. Auctor certè vitæ Constantini *hanc leg.* expressit.

III. * Impp. Honor. & Theodosius AA. Annati'' Didascalo & Maioribus Iudæorum.

Absque calumniâ præcipimus Iudæis dominis habere, seruos Christianos: hâc dumtaxat condicione permissa,'' vt propriam religionem eos seruare permittant. Ideóque Iudices Prouinciarum, fide publicationis'' inspecta, eorum insolentiam nouerint reprimendam, qui tempestiuis'' precibus insimulandos'' esse duxerint: Omnésque subreptiones'' fraudulenter elicitas, vel eliciendas, vacuandas esse censemus. Si quis contra fecerit, velut in sacrilegum vltio proferatur. Dat. VIII. Id. Nouembr. Rauennæ Honorio X. & Theodosio VI. AA. COSS. [415.]

NOTÆ.

* Abest *hac lex* à *Cod. Iust.* De causa mox viderimus. Eam Baronius in annum suum non retulit.
''Eadem inscriptio occurrit anno proximè sequente 416. in *l. 23. supr. de Iudæis*: vbi vide quæ dixi.
''ж. *promissâ*, id est additâ.
''de hâc *publicatione* voce mox.
''ж. *intempestiuis*.
''siue *instimulandos*, eos Iudices scilicet. Nil temerè muto.
''quibus scilicet serui Christiani Iudæis dominis eripiuntur vel erepti sunt.

COMMENTARIVS.

Honorii Imp. hæc constitutio est, data Anno D. 415. quâ Iudæis Christianos seruos, & indistinctè quidem, & sic emptos quoque securè possidere, habere permittit: contra quam anterioribus Principibus visum fuerat: Honorij, inquam, hæc constitutio est, vt ea subscripto loco *Rauenna*, apparet: Quo quidem Principe nullus in Iudæos indulgentior extitit, ac nominatim post A. D. 404. Quod ostendunt superiore titulo quoque *lex 17. 20. 23. 24.* & *lex vlt. supr. de feriis: lex 8. supr. de executorib.* sub quo etiam Imperatore, imò circa *huius* ipsius *leg.* tempora, Rutilius Numatianus *Itinerary lib. 1.* querebatur de Iudæis.

Latius excisa pestis contagia serpunt,
Victoresque suos Natio victa premit.

Et certè ex *hâc leg.* discimus, quod secundo loco hîc notandum, perlatas hoc tempore à multis querelas de eo quod magno, inquam, numero Christianos Iudæi seruos haberent: eáque de causâ preces oblatæ accusatíque Iudæi. Verùm Imp. *hâc leg.* iubet eos, *absque calumniâ*, id est, securè repulsâ, *cessante* delatione & accusatione omni, seruis

Christia

Christianis potiri contráque id elicita nullo loco haberi: Quin, quod tertium, Iudices seu Rectores Prouinciarum illorum insolentiam reprimere iubet, fide publicationis inspectâ; qui intempestiuis precibus Iudæos accusandos duxerant: Vbi, *publicationis fides*, est delationis fides seu notitia breuis delatorum: pari notione, quo *prox. 4. publicandi* vox effertur. Tandem & *sacrilegij* pœnam his minitatur, qui quid contra fecerint: id est, eam pœnam quæ Legum violationibus imponi solet: de quo alibi passim. Quæ omnia enixi Honoriani in Iudæos studij argumenta sunt. Neque ambigo hâc Imperantium strage seruos Christianos in Iudæorum dominia passim migrasse, vrgente necessitate.

¶ *Conditio* tantùm *hâc leg.* additur, quæ altera *huius leg.* pars est, quâ Honorius hanc in partem religioni Christianæ consulendum putauit: nempe, ita seruos Christianos Iudæis habere licere, vt tamen propriam eos religionem seruare permittant. Quæ cautio aliis Principibus insufficiens visa, & Iustiniano seu Triboniano quoque ipsi, qui ideò *hâc leg.* repudiata, *legem 1. & 4. huius tituli* prætulit, exindéque *legem 1. Cod. eod. tit.* conflauit.

¶ De huius tandem Legis inscriptione, dixi iam ad *l. 23. supr. de Iudæis.*

IV. * Idem AA. Monaxio PF. P.



IVDÆVS seruum Christianum nec comparare debet, nec largitatis" titulo consequi. Qui non hoc obseruauerit, dominio sibi petulanter adquisito careat; ipso seruo, si quod fuerit gestum suâ sponte duxerit publicandum, pro præmio libertate donando. Verùm ceteros, quos, rectæ religionis participes constitutos, in suo censu nefanda superstitio iam videtur esse sortita, vel deinceps hereditatis seu fideicommissi nomine fuerit consecuta, sub hâc lege possideat, vt eos nec inuitos, nec volentes cæno propriæ sectæ confundat: Ita vt si hæc forma fuerit violata, sceleris tanti auctores capitali pœna, proscriptione comitante plectentur. Dat. IV. Id. April. Constantinop. Honor. A. XI. & Constantio V. C. II. CONS. [417.]

NOTÆ.

* *Lex 1. Cod. eod. tit.* ex *hâc leg.* & *lege 3. supr.* interpolata est. Et *hanc leg.* omisit Baronius in annum suum referre.
" Vel alio quocunque titulo. Hoc additum à Triboniano *d. l. 1.* contrá *huius legis* sententiam.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. è duabus hoc titulo constitutio est: quâ Iudæus EMERE vel donationis titulo consequi seruum Christianum prohibetur: quod & ipsum de emptione confirmatur ab eodem *lege prox. seq.* Seruo alioquin ei eripiendo & si ipse rem prodiderit, libertatem donando. Donationis inquam, titulo quoque consequi prohibetur eadem prorsus ratione qua & emere, tum & quia emptioni imaginarius donationis titulus obtendi facilè poterat. Vt & hæc duo à Theodosio Iun. prohibentur, ita duo vicissim permittuntur. Primum, eos, si quos iam habeant, in suo censu retinere. Secundò, hæreditatis aut fideicommissi nomine consequi. Quæ donationis inter viuos & testamentariæ differentia obseruanda est, cuius hæc ratio: quod ius aliter statui non potuerit, nisi cum euidentissimâ fideicommissarij aut hæredis iniuria: Fideicommissarij inquam, vniuersalis, eo quod exploratis nonnisi hæreditatis directæ vel fideicommissariæ viribus, quarum sæpè portio vel maxima seruit, hæreditas adiri solet, atque eius onera subiri, qui si ex hæreditate subducerentur, defunctus sine hærede fortè futurus esset, quæ infamiæ species cuiusdam. Quare etiam obseruandum, non idem dici *hâc lege* de legato, quem largitatis titulum proculdubio & hîc submotum Theodosius voluit, cuius non eadem ratio, quæ hæreditatis directæ aut fideicommissariæ. Quanquam & hac parte religioni cauisse visus est, cum hanc legem & conditionem adponit, vt ne quidem volentes huiusmodi seruos sectæ suæ cœno confundant, capitali & bonorum proscriptionis pœna impositâ.

V. * Idem AA. Asclepiodoto PF. P. Post alia.



CHRISTIANA mancipia Iudæorum nemo audeat comparare. Nefas enim æstimamus, religiosissimos famulos impiissimorum emptorum inquinari dominio. Quòd si quis hoc fecerit, statutæ pœnæ absque omni erit dilatione obnoxius, &c. Dat. V. Id. April. Constp. Asclepiodoto & Mariniano COSS. [423.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* omisit Baronius in annum suum referre. Iungenda autem huic est *lex 26. supr. de Iudæis*, *lex 22. infr. de Paganis*, *l. 59. supr. de hæreticis.*

COMMEN

COMMENTARIVS.

Mere seruos Christianos Iudæi rursum ab eodem Theodosio Iun. vetantur, ratione addita, quæ & ipsa fermè apud auctorem vitæ Constantini *lib.4. cap.27.* redditur, & confirmata pœna legis superioris. Illud hactenus hic obseruandum, *hanc legem* generalis constitutionis Theodosianæ in Paganos, Iudæos & hæreticos latæ caput esse, pariter vt tres illæ constitutiones quas initio notaui, quæque huic coniungendæ.

DE PAGANIS," SACRIFICIIS," ET TEMPLIS."

TITVLVS X.

I. Cod. Ivst. XI.

Ita titulus hic interpungendus est, *de Paganis Sacrificiis, & Templis.* Et verò ita quoque interposita coniunctione, & in Codicibus Iustinianeis omnibus: etiam editis, *de Paganis Sacrificiis & Templis.* Quin & in Synopsi Basilicorum disparati sunt tituli περὶ ἑλλήνων, καὶ περὶ θυσιῶν. Etsi aliter Græca Paratitla, quæ Leonclauius de Græcis Latina fecit: vbi monet titulum ita expressum, περὶ ἑλληνικῶν θυσιῶν καὶ ἱερῶν. Malè: Nam etsi pars melior Constitutionum huius tituli in eo potissimum laboret, vt posteaquam iam orbis ad Christianos Principes harum legum auctores peruenisset, clausis exinde vel dirutis templis Sacrificia Pagana abolerentur (quod Leonclauius pro ea lectione tuenda notauit:) Attamen & *Paganos* ipsos tantùm personaliter, sic vt dicam, nonnullæ constitutiones respiciunt; non modo *lex 20. & sequentes 21. 22. 24.* verùm & *lex 14.* vt & aliæ prætereà sparsim hoc Codice constitutiones. In ipsis Basilicis nullus talis titulus extat verùm in Paganos & Sacrificia constitutiones positæ sunt *lib.1. tit.1.* sub titulo *de summa Trin. & fide Cathol.*

NOTÆ IN TITVLVM.

"Paganorvm nomen de Gentilibus, seu de idolorum cultoribus, quando primùm auditum, quave ratione inductum fuerit, hoc titulo nunc potius quam alibi disquirere libet.

¶ Sub Christianis sanè primùm Impp. *Paganorum* appellationem hanc cœpisse constat. Verùm antiquissima, quæ quidem mihi etiamnum occurrat, eiusce nominis mentio sub Imperij Valentiniani & Valentis initia seu in Annum D.365. incidit: & quidem in *lege 18. supr. de Episcopis:* (quæ lex ad Proconsulem Africæ lata est.) Et hæc quidem à me iam ita aliquot ante annos scripta fuerunt. Nempe mentionem antiquissimam *Paganorum* pro Gentilibus hunc in annum incidere. Nam sub quo Imperatore seu quo anno præcisè cœperit, neque tum definire libuit, ac multo minus exinde mihi liquere ostendi. Neque etiam antiquior est illa Paganorum mentio, quæ ex Mario Victorino repetitur, *lib. de ὁμοουσίῳ recipiendo*, vbi ita scribit: *Græci, quos Ἕλληνας, vel Paganos vocant, multos Deos dicunt:* Ipse Victorinus enim ad sua, cùm illa scriberet, tempora, à Concilio Nicæno 40. annos, vt minimum, computat: quot sanè anni sunt ab Anno D.326. (quo Concilium illud habitum fuit) ad annum vsque D.365. De eo quippe Concilio agens, id celebratum sensit, Ante Qvadragesimvm Annvm: Quæ verba tantùm abest, deductiorem seu Minorem Qvadragesimo numerum significent, vt contra etiam vlteriorem suadeant. Neque quicquam

quam his obstat, quod idem Marius Victorinus *lib. 2. de Trinitate*, Constantinum Imp. *Imperatoris sui patrem* vocat, cum de Nicæno Concilio agens, ait: *probatum illud ab imperatore Imperatoris nostri patre*: Quia, verùm quidem est, libros ipsos de Trinitate *aduersus Arianos* sub Constantio à Victorino scriptos, (quod Baronius rectè obseruauit, *Anno 362. num. 30.*) Atenim lucubratiuncula *de recipiendo ὁμουσίῳ*, quæ nihil aliud est quàm Epitome librorum *de Trinitate*, posterius ab eo scripta fuit. Maneat igitur adhuc, antiquissimam huiusce nominis mentionem in Annum 365. incidere. Quanquam *legem* 18. *supr. de Episcopis*, non ad Annum 365. quem tamen vulgo hactenus Characterismum præfert, verùm ad Annum 368. referendam ibidem ostendam. Neque ex illo Marij Victorini loco colligi satis potest, eum tanquam vocabulo PRIDEM recepto vti: *Quos*, inquit, *Paganos vocant*. Quidni enim & de recenti satis appellatione scripsisse hæc Victorinus potuerit, non pridiana, sic vt loquar? Quis enim nescit, hæc vulgi dicteria & cognomina simul vt reperiuntur, ita & inolescere solere.

¶ Sequitur iam *Altera* quæstio, de ratione nominis istius, seu vnde enata sit eiusmodi appellatio, de quo anxiè quæritur, neque certi quicquam adhuc definitur. Aliis censentibus de numero, aliis contra de paucitate Paganos dictos: etsi à PAGO dictos omnes fatentur, vel saltem omnes fateri necesse habent. De illo saltim quoque liquere debet, fuisse hanc *vulgi*, atque à vulgo vsurpatam appellationem, quod *lex 46. supr. de hæreticis*, ostendit. *Gentiles*, inquit, *quos VVLGO Paganos appellant*. *Vsitatum quoque ideò nomen*. Augustinus 2. *Retract.* 43. vocat. *Deorum falsorum*, inquit, *multorúmque cultores quos VSITATO NOMINE Paganos vocamus*. Idémque de his ita loquitur: *de opere Monach. cap.* 11. *Quis vtique nonnisi Gentiles, quos Paganos dicimus, vult intelligi*. Et cap. 11. *si Græcos, quos etiam Paganos dicimus*.

¶ Sequentes è pluribus maxime blandiri videantur sententiæ. Prima, vulgus Christianorum Gentilibus hoc *Paganorum* nomen reposuisse: (quæ iam verba olim in vsu fuerunt,) quasi simplices Rusticos, Agrestes atque Idiotas, dicerent: Nam hoc sensu vocem *παγανὸς*, disertè explicat Helychius: *Παγανὸς*, inquit, *ἰδιώτης, ἄφρων*. Alio verò sensu & communi, vetus Glossarium Cyrilli, *ἰδιώτης, ὁ κοινὸς, Priuatus, Paganus, Plebeius*. Eo quippe loco *Paganus* eodem sensu, quo priuatus accipitur, id est, *ἀστράτευτος*, non miles. Quare mox in eodem Glossario, à Pagano, quà priuatum designat, separatur *ἰδιώτης, ὁ μὴ νοήμων*, *Rusticus rudis*. Dixi reposuisse videri hoc nomen Christianos Gentilibus: Nempe, vt olim Gentiles Christianos variis dicteriis seu appellationibus prosequi soliti, quod Tertullianus persequitur, *Apologetici cap.* 42. ita inter cætera, *rudes*, atque *idiotas* vocauêre: Quod vt è Gentilibus Lucianus *in Peregrino*, ostendit, ita è Christianis Scriptoribus produnt Iustinus, Tatianus, Origenes, Theodoretus, & alij. Apud Minutium Felicem quoque Cæcilius: *Studiorum*, inquit, *rudes*, *expertes artium*, *nisi sordidarum*. Arnobius *lib.* 3. aduersus gentes: *Hoccine est illud fastidium vestrum*; *sapientia hæc arrogans quà despuitis nos vt rudes*. Omitto alia. Ita quoque Valentiniani Hæretici quondam Catholicos haud absimili dicterij genere *simplices* vocare soliti: quod Tertullianus *cap.* 2. 3. *aduersus eos* scribens ostendit. Neque reclamat (quod quidam opinatus est) priscorum Christianorum siue mos, siue modestia, quasi hi sese huiusmodi dicteriis vlcisci noluerint. Quid enim aut adeò à modestia Christianorum hoc nomine alienum? aut quid à vulgo, non prisci etiam, verùm lasciuientis sæculi iam semotum? imò videas & à modestioribus vulgo nominatim & vsui hanc appellationem tribui & pro Gentilibus fidentius vsurpati, retineri. Et hanc quidem sententiam quam pridem indicaueram, amplexum posteà video eruditissimum Virum Carolum Hannibalem Fabrorum: quin & ex patre alium quoque Virum Doctissimum.

¶ Altera sententia hæc videri possit, Paganos à Catholicis Christianis, quorum proprium est, vel saltem esse debet, *τὸ ἓν φρονεῖν* & *ἑνωτικῶν* spirare, dictos, quasi non vbique vnum idem sentientes, *μὴ τὸ ἓν φρονοῦντες*, ΟΥΚ ΕΝΩΤΙΚΟΥΣ, verùm pro Pagorum diuersitate factis quoque inter se diuersos, & *ἑτεροδόξους*. Siculi Flacci, de conditionibus agrorum locus huc faciet. *Præterea regiones solent etiam DIVERSA SACRA facere: Ita videndum erit qualiter PAGI sacra faciant*. Et hinc *sacra Paganorum* auctori de limitibus *capite de paludibus*, & Innocentio *de casis literarum quatuor locis*, & Latino V. P. Togato. Verùm duæ hæ sententiæ mihi nunc minus placent.

¶ Vsitque Tertia, quæ multis in mentem venit. videri scilicet eodem sensum Paganum diei, quo *ἀστράτευτος* dictus Paganus, qui Christo non militaret. Non enim hæc vox per similitudinem Gentilibus tributa fuit: verùm à *Pago*, suo significatu, deriuata quod ex Prudentio & Orosio colligere licet.

¶ Multo minus quarta viri alioquin eruditi, qui ad Paganorum nominis rationem trahit id quod Constantinus *de administrando Imperio, cap. 29. & 36.* Sclauorum lingua *Paganos* dictos vult, qui baptizati non sunt. Nempe enim à Sclauis Romani hanc vocem mutuati fuerint, quorum ne nomen quidem longo post interuallo auditum est? Imò quis iam nescit, quot à Romanis voces Sclaui mutuati fuerint?

¶ Quinta est sententia nonnullorum, & in his Pancirolli 2. *variar.* 18 c. existimantium, Paganum idem planè significare quod Gentilis ἐθνικὸς: quod *Pagus* idem significet ac ἔθνος vel *Gens*: nempe amplum regionis tractum, vnde Glossis *Pagus*, τετραρχία, χώρα καὶ νομός. Quomodo Heluetiorum tota gens in quatuor olim Pagos diuisa apud Cæsarem. Nollem ego id eos existimasse, siquidem & Pagi vox eo significatu non est Latina, sed Barbara, quo tempore hæc appellatio enata, rari Pagani erant nantes in gurgite vasto. Quinimò si inde Pagani dicti, verisimilius est à Pagis, id est, à regionibus eos dictos potiùs, quasi Barbari, à *Pagis Barbaricis*: quò pertineat illud Prudentij *lib. 1. aduersus Symmachum*.

Sunt hæc Barbaricis Gentilia numina Pagis.

¶ Sextò, opinatur Vir quidam Doctissimus, *Paganos* eadem ratione dictos, quâ Gentiles & Ethnicos, quod pleræque & omnes ferè gentes superstitionem illam sectabantur: Verùm, eum liqueat sub Christianis Imperatoribus, neque statim etiam hoc nomen enatum, Christianorum horum temporum statum nesciat omninò necesse est, qui id ita prodat. Verùm eiusdem peritiæ est, cuius quod ex Augustino id probare nititur, antiquiorem esse, quàm nos facimus, huius appellationis vsum.

¶ Imò sincerior sententia foret, Christianos, quemadmodum cùm initio pauci essent, Idololatras, Nationes & Gentiles seu Gentes à multitudine seu numero potiore vocauerunt, ita viceuersa cùm pauci atque intra Pagos fermè essent, Paganos dixisse.

¶ Est & Vigilij sententia, quasi *Pagani* ideò dicti fuerint, quod à Paganis, id est ciuibus, non verò à militibus repetita sub Christianis Impp. idolorum sacra fuerint.

¶ Tandem verissima hæc mihi sententia videtur, ad quam accedit Baronius, *Paganos* dici cœpisse sub Christianis Imperatoribus, eo modo quo dicitur etiam *lex Pagana* apud Plinium *lib. 18. cap. 2.* quæ in Pagis obtinebat; & *Paganalia sacra*, quorum peculiaris etiam ratio fuit, & de quibus Dionysius Halicarnasseus, *l. 4. Paganorum sacra*, de quibus *sup.* Nempe vt prima, & antiquissima, antequam in vrbes populi contributi essent, templa Deorum Pagatim sacrata habebantur, teste Liuio *dec. 4. l. t.* duobus locis; frequentissimáque adeò per vicos & Pagos ea erant: ita vltima in his steterit Gentilium hoc æuo superstitio: sic vt pro hisce saltem templis & ritibus Gentiles hoc tempore contumaciter contenderent, sacrificiis per vrbes iam interdictis. Locus est insignis Libanij in eâ oratione, quam *pro Templis* habuit, quámque nos edidimus ὑπὲρ τῶν ἱερῶν ad Theodosium Magnum Imp. ne ea, ac nominatim ne Templa, quæ in Agris erant exscinderentur: addita etiam ab agriculturæ reique rusticæ vtilitate ratione, quod omnis Agricolarum spes agrorúmque anima in his templis Paganis sita esset: τολμᾶται μὲν οὖν κᾀν ταῖς πόλεσι, τὸ πολὺ δὲ ἐν τοῖς ἀγροῖς, καὶ πολλοὶ μὲν οἱ καθ᾽ ἕκαστον πολέμιοι. Et mox: χωροῦσι τοίνυν διὰ τῶν ἀγρῶν ὥσπερ χείμαρροι, κατασύροντες διὰ τῶν ἱερῶν τοὺς ἀγρούς: ὅτου γὰρ ἂν ἱερὸν ἐκκόψωσιν ἀγροῦ, τοῦτο τετύφλωταί τε καὶ κεῖται καὶ τέθνηκε: ψυχὴ γὰρ, ὦ βασιλεῦ, τοῖς ἀγροῖς τὰ ἱερὰ προοίμια τῆς ἐν τοῖς ἀγροῖς κτήσεως γεγενημένα, καὶ διὰ πολλῶν γενεῶν εἰς τοὺς νῦν ὄντας ἀφιγμένα καὶ τοῖς γεωργοῦσιν ἐν αὐτοῖς αἱ ἐλπίδες ὅσαι περί τε ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν καὶ τέκνων καὶ βοῶν καὶ τῆς σπειρομένης γῆς πεφυτευμένης ὁ δὲ τοῦτο πεπονθὼς ἀγρὸς ἀπολώλεκε καὶ τῶν γεωργῶν μετὰ τῶν ἐλπίδων τὸ πρόθυμον: μάτην γὰρ ἡγοῦνται πονήσειν, τῶν εἰς δέον τοὺς πόνους ἀγόντων ἐστερημένοι θεῶν, &c. quæ sequuntur. Vides qua animi contentione Libanius pro templis agrorum seu Pagorum contendat: quod scilicet Gentiles in agrorum templis positam esse crediderint spem omnem, animámque agrorum: Quare, quod pro Pagorum religione maximè contenderent Gentiles, vrbana fermè superstitione & sacrificiis profligatis, & verò his aliquandiu sua Pagorum superstitio relicta fuerit, inde *Pagani* omninò dicti fuēre. Hinc iam rectè Orosius præfat. lib. 1. *Paganos* vocatos scribit *ex locorum agrestium compitis & pagis.* Hinc Prudentius *hymno 14. deditum pago*, & idem fine *lib. 1. aduersus Symmachum: pago implicitum* pro Pagano dixit. Ergo quod extra ciuitatum muros próque pagorum superstitione maximè contenderent Gentiles in iisque diutius superstitio Gentilium tolerata fuerit, inde iam ipsis *Paganis* nomen. Quod videre est etiam è sex huius tituli legibus *l. 3.* 10. 12. 14. 16. 19. *infr.* ad quas singulas vide quæ notabo. Quomodo & haruspicinæ vsus in agrestibus quoque locis aliquandiu toleratus *l. 2. supr. de maleficis.*

¶ Tertium adhuc hic obseruare iuuat, nempe Paganorum nomen Ethnicæ supersti-

tioni

tioni tributum eo tempore eâque occasione videri, quod iam Barbaræ nationes Imperio Romano circumfluæ *Gentilium* appellatione designarentur: de quo ad *l. vnic. supr. de nupt. Gentil.* & *l. 5. supr. de Legatis*. Itaque vt superstitio Gentilitia ab his distingueretur, nomen Paganorum Idolorum cultoribus tribuitur videri.

"Prohibitis videlicet, & permissis: iisque vel domesticis *l. 1. 4. 12. hoc tit.* vel publicis *l. 1. 2. supr. de maleficis*. Rursum vel diurnis vel nocturnis *l. 5. & 7. hoc tit.* Adde & Lustrorum sacrificia *l. 5. supr. de Episcopis*. Consultoria *l. 7. 8. 9. hoc tit.* Nam de ritibus sacrificiorum aliquot quidem hoc titulo strictura, sed non huius adeo loci.

"*Templa*, Paganorum videlicet; quæ mox Gentilitiis conuenticulis designandis apud Christianos propria. Adeò quidem, vt *Templorum* appellatione vniuersus Gentilium cultus intelligatur *l. 12. supr. de Decurion.* Atque vt Ecclesiæ vocabulum de Christianis, ita propriè *templum* de Gentilitiis, vt innumeris huius Codicis Constitutionibus, ita passim apud Patres: Et Christiani templi appellationem destinato desugerint iam olim. Verùm Christianorum quoque Ecclesiæ eo nomine paulatim censeri cœpere: non modo Anastasij Imp. temporibus, quod alioquin ostendit *lex* 10. *Cod. de hæretic.* Verùm iam sub Theodosio Iun. octoginta ante annis *l. 4. supr. de his qui ad Ecclesiam confugiunt*, vbi Ecclesiæ *Summi Dei Templa* vocantur: pro quo in Græca constitutione *ναοὶ τοῦ μεγάλου θεοῦ*. Imò iam Ambrosius *lib 5. Epist. 33. Basilica*, inquit, *noua, hoc est intra murana petebatur: Respondi, Templum Dei tradi à Sacerdote non posse*. Cæterùm *Templorum* appellatione hic continentur & fana & delubta, de quibus Consule Paratitlon: quæ alioquin separari solent: At quomodo differant, non huius est loci exponere: vt nec quam *πολύωνυμος* sit *Ecclesia* nomen. Eam quippe mihi perpetuam hoc opere legem dixi, nequid alieno loco notarem.

¶ TOPOGRAPHIA *huius tituli ad Historia istius, de abolita Paganorum superstitione, cognitionem vtilis.*

Ad Vrbem ROMAM pertinent *lex* 1. 3. 5. 10.
Ad Præfecturam Prætorianam ITALIÆ, *lex* 2. 4. 10.
Ad Præfecturam Prætorianam Orientis *lex* 9. 12. 13. 14 21. 22. 23.
Ad Osdroënam *lex* 8.
Ad Ægyptum *lex* 11.
Ad Hispanias & Quinque Prouincias [GALLIARVM] *lex* 15.
Ad Phœnicen *lex* 16.
Ad Africam, *lex* 17. 18. 19. 20.
Ad Præfecturam Prætorianam Illyrici *lex vlt.*

¶ AVCTORES *Legum qui?*

CONSTANTINI Magni est *lex* 1.
CONSTANTIS *lex* 2. 3.
CONSTANTII *lex* 4. 5 6.
THEODOSII Magni *lex* 7. 8. 9. 11. 12.
VALENTINIANI Iun. *lex* 10.
ARCADII *lex* 13. 14. 16.
HONORII *lex* 15. 17. 18. 19. 20.
THEODOSII Iun. *lex* 21. 22. 23. 24. 25.

PARATITLON.

I. PAGANI, quos vulgo appellant *l. 46. supr. de hæreticis*, antiquiore (inter cætera) vocabulo *Gentiles* nominabantur *l. 43. 46. 63. supr. de hæreticis*, & *l. 21. hoc tit.* vnde Gentilitia quoque superstitio *l. 12. hoc tit.* Superstitiones Gentilium *l. 63. supr. de hæretic.* Professiones Gentilitiæ *l. 10. hoc tit.* dicuntur. At *Paganorum* (quod sub Christianis primum Imperatoribus nomen cœpit,) antiquissima mihi mentio occurrit sub Valentiniano Seniore Anno Domini CCCLXV. Si modò ad eum annum ea referenda est in *l. 18. supr. de Episcopis*. Frequens inde nominis eius hoc Codice mentio (*Rubrica*, & *l. 13. 19. 21. 22. 23. 24. 25. hoc tit.* & *l. 26. sup. de Iudæis*, & *l. 1. & 2. sup. de Apostatis*.) Indéque etiam Paganitas Pagana superstitio *l. 20. hoc tit.* Pagani vel Paganorum ritus *l. 19. 21. hoc tit.*

¶ Inter Paganos autem seu Gentiles, qui huic ritui administrare solebant *l.2. supr. de maleficis*, non pauci hoc Codice memorantur. Omnes certè, Professionum Gentilitiarum in *l.2. hoc tit.* seu Professionis damnatæ *l.14 hoc tit.* nominibus designantur. Eorum qui Romæ erant, hi tantùm hoc Codice memorantur. Pontifices *l.3. supr. de sepulchro violato*, & Virgines Vestales *l.8. supr. de Medicis*: quæ suos medicos à popularibus separatos habuere *d l 8.* At per Prouincias qui erant SACERDOTALES communi nomine vocabantur *l.77.145.176. supr. de Decurionibus: l.vltim. supr. de tyronibus: l.10. supr. hoc tit.* Attamen hi adhuc speciatim recensentur: SACERDOTES propriè dicti *l.14. hoc tit. l.vltim. supr. de tyronibus*: & *l.60. & 166. supr. de Decurionibus.* Vnde & Sacerdotium *l.1. supr. de Spectaculis*, & *l.21.46.77.166. supr. de Decurionibus*, & Sacerdotis munus *l.176. supr. de Decurionibus.* Erant autem hi Sacerdotes singulis & solidis Prouinciis præpositis. Vnde Prouinciæ Sacerdotes *l.38. supr. de Episcopis: l.46.148. supr. de Decurionib.* & *Nouella Martiani de Matrimonio Senator.* 4. Et Prouinciæ seu Prouinciarum Sacerdotium *l.75.* & *l.174 supr. de Decurionibus.* Prouinciarum, inquam, veluti per Africæ Diœcesin, vnde Africani Sacerdotales *d.l 145. supr. de Decurionib.* (ad quos propriè pertinet *lex vltim. supr. de Tyronibus*, & *d.lex 61.46.166.174.176. supr. de Decurionibus: l.2. supr. quemad. mun. ciuil. l.52.54. supr. de hæreticis*: & ad Byzacenæ nominatim in Africa Prouinciæ Sacerdotes spectat *l.60. supr. de Decurionib.*) Itémque per Galliarum Præfecturam *l.75. & 148. supr. de Decurionib.* Indéque etiam Sacerdotes ipsi à Prouinciis, nomina sortiti veluti Asiarchæ & Syriarchæ *l.2. supr. de exp. ludor.* (quomodo & Syriarchia quoque pro Syriæ Sacerdotis munere *l.103. supr. de Decurionibus*, accipitur: de quo *infr.*) Sanè, id Antiochenæ quoque vrbis in Syriâ dignitati tributum fuit, vt suum propriúmque Sacerdotem haberet: qui *Asiarcha* dicebatur, vt *lex 22. supr. de iure fisci*, & *d.l.21. supr. de exp. ludor.* docent.

ELIGEBANTVR autem promouebantur seu creabantur Sacerdotes ex *Curialium* corpore *l.21.* vbi dixi *46.75.77.103.112.145.148.166.174.176. supr. de Decurionibus*: aliquando ex solo Aduocatorum consortio *d. l.46. supr. de Decurionib.* gradatim & per ordinem *d.l.75. & 77.* publico Prouinciæ tractatu habito *d.l.148.* idonei *d.l.166.* seu dignissimi meritis & facultatibus *d. l.148.* probatis actibus consona ciuium fama, & publicè ab vniuerso ordine comprobati *d.l 75.* sicut in consequendo hoc honore potior esset is qui Patriæ plura præstitisset *d l 112.* Et erat tamen munus hoc voluntatis, non necessitatis ex *d.l.103.* Sic vt nec filij eorum ad Sacerdotium inuiti eligerentur *d. l.166.* Principis quoque iudicio confirmatos eos docere videtur *l.211 supr de Decurion.*

Ad Sacerdotum CVRAM primùm templa, templorúmque solemnia pertinebant *d l.112.* Magnis præterea expensis fatigabantur *l.vlt. supr. de Tyronibus.* Tyronum quippe etiam præstationi (excepto tantùm Africæ Prouinciæ Sacerdote) obnoxij erant *d.l vlt.* Deinde Agonothetæ erant *l.2. supr. de expens. ludor.* eorúmque nomen (vt loquitur *d l.2.*) votiua festiuitatis solemnitas dedicauerat, id est, editiones seu spectacula eorum expensis ac sumptibus procuranda erant *l.1. supr. de Spectaculis*: vbi dixi, vnde Agonothesiæ *l.109. supr. de Decurionibus*: Sacerdotiorum editiones *d.l.1.* dicuntur. Et à Prouinciæ pariter (vt Sacerdotes de quo suprà) ipsius nomine Syriarchia pro munere seu ludis à Syriarcha seu Syriæ Sacerdote exhibitis *l.1. supr. de prædiis Senator.* & *l.103. supr. de Decurionib.* dicitur. Festis porrò ac legitimis diebus editiones istæ summâque pompa peragebantur *l.176. sup. de Decurionibus.* Et in ciuitatibus aut locis quæ antiquitas delegerat *dict. l.1.* vt puta in Metropolitanis vrbibus, veluti Carthagine *l.145.* & *d.l.176. supr. de Decurionib.* & *l.20. hoc tit.*

At non modica inuicem Sacerdotibus PRIVILEGIA antiquo Iure constitutísque maiorum concessa seu delata erant (vt loquitur *l.12 supr. de Iure fisci: l.14. hoc tit.*) quæ sub Christianis etiam Principibus illis aliquandiu relicta fuere. Vnde & honor Sacerdotij *l.21. supr. de Decurionibus*: dignitas; *d l.vltim. in fin. supr. de tyronibus.* Ipsíque honoribus splendere *d. l.21.* honoribus intra Prouinciam mancipati *l.46. supr. de Decurionibus:* honore decorati *l.176. supr. de Decurionibus*, dicuntur. Et inter maioris meriti & gradus Curiales numerantur *d.l.21.* inter primos honores *d.l.77. supr. de Decurionib.* Insignes apicibus Sacerdotes Pacato Panegyr. *cap 37.* Immunésque erant, etiam post Sacerdotium (qui in *l.2. supr. quemadm. mun. ciuil.* propriè *Sacerdotales* dicuntur) otióque fruebantur *d.l.75. supr. de Decurionib.* Immunes inquam à muneribus ciuilibus omnibus, etiam ab annonæ præpositura *l.2. supr. quemadm. mun. ciuil.* & præpositura mansionum *l.21. supr. de Decurionibus*, & inferioribus muneribus *d.l.2.* Corpus insuper eorum ab iniuriis (id est, à quæstione) liberum erat *d. l.75 supr. de Decurionibus.* Honor quoque eis Excomitibus addebatur *d. l.75.* Alytarchæ vrbis Antiochenæ nominatim priuilegium istud erat, vt vnam

vnam Cupressum ex luco Daphnensi exscindere & plures inuicem plantare posset *l. 12. supr. de iure fisci*, videor etiam mihi priuilegium aliud quoddam Sacerdotum per Hispaniam aliquando eruere ex *l. 10. supr de Senator. & gleb. coll.* collatâ cum Symmachi *epist. 62. lib. 4.* Verùm Sacerdotum priuilegia Arcadij constitutione posteà Anno 399. per Orientem aboleri *l. 14 hoc tit.* iussa sunt.

Post Prouinciarum Sacerdotes erant FLAMINES, qui etiam *Sacerdotes* vocantur *l. 60. supr. de Decurionibus*: & nominatim quidem per Africam *l. 2. supr. quemadmodum mun. ciuil. l. 20. supr. de Decurionibus*, vbi dixi: per Byzacenam *d. l. 60.* vnde Flamen municipalis & Sacerdos Prouinciæ *Nouella Martiani* 4. Sacerdotales & Flamines perpetui *d. l. 2.* Flaminij honor & Sacerdotij insignia *d. l. 21.* iunguntur. Erant autem Flamines in singulis municipiis: vnde Flamen Municipalis *d. Nouella Martiani* 4. dicitur. Reuerendi municipali purpurâ Flamines Pacato *in Panegyr. cap. 37.* Horum quosdam ad tempus, alios perpetuos fuisse *d. l. 2 supr. quemadmodum munera ciuil.* & *d. l. 25* docent. Eligebantur autem sicut & Sacerdotes ex Curialium corpore, vt ex *d. l. 21.* & fortè etiam ex *l. 60. supr. de Decurionibus*, apparet. Iisdémque priuilegiis ea *l. 21.* honorantur, de quibus alioquin agit *d. l. 60.* & *d. l. 2. supr quemadm. mun. ciuil.* Quinimò pleraque quæ superiùs de Sacerdotibus notata & ad hos pertinent.

Præter Sacerdotes & Flamines erant & MINISTRI PRÆFECTI ET HIEROPHANTÆ AGRORVM (fortè *sacrorum*) per Orientem *l. 14. hoc tit.* Erant & per Africam in oppidis, qui Frediani & Dendrophori dicebantur *l. 20. hoc tit.* Erant denique & Chiliarchæ & Centonarij quique plebis distributionem sibi vsurpabant *d. l. 20.* Item Vitutiarij Nemesiaci Signiferi Cantabrasij *l. 2. supr. de collegiatis.* Societas consortiúmque Lamentum & Decuria Herculea *l. 46. supr. de cursu publ.* Præter hos omnes, tam in Prouinciis quam in vrbe erant, & HARIOLI, AVGVRES, VATES, CHALDÆI, *l. 4. 5. 6 supr de Maleficis*, MALEFICI, MATHEMATICI, & *d. tit. de Maleficis*, denique *l. 1. hoc tit.* & *l. 1. 2. 4 supr. de maleficis*: (vnde & Haruspicina *l 9. supr. de Malefic.*) à quibus scilicet quid quodque (veluti fulgura publica priuatáque) portenderet, requirebatur *d. l. 1. hoc tit.* Quibus omnibus diuinandi curiositas erat *d. l. 4.* Hi, vt consuli *d. l. 4.* ita eorum responsa ad consultationes *l. 9. hoc tit. interpretationes* seu *denunciationes* dicebantur *d. l. 1. hoc tit.* Et hæc de Professionibus Gentilitiis & Collegiis Paganis.

RITVS & religio Gentilium, seu vetus obseruantia *l. 1. hoc tit.* vetus consuetudo *l. 17. hoc tit.* vocantur in *l. 112 de Decurionibus*, Templorum solemnia: Consuetudinis Gentilitiæ solemnia *l. 2. supr. de Maleficis.* Solemnitas *l. 19. hoc tit.* Error, & error veterum, profanus ritus *d. l. 17. hoc tit.* Sacrilegus ritus *d. l. 19. hoc tit.* Nefarij ritus *Nouell. Theod.* 3. Superstitio *l. 2. 3. 16. 20.* damnabilis *d. l. 17.* damnata *l. 10.* deterrima *d. l. 20.* impia *l. 6. supr. de Apostatis*, Pagana superstitio *l. 2. hoc tit.* dementia *d. Nouell. Theodos.* 3. Pagani ritus *l. 21. hoc tit.* cultus *d. l. 2.* stolidæ Paganitatis error *l. vlt. supr. de Spectaculis*, funestæ superstitionis errores *d. Nou.* 3. Et ipsi Pagani ea re abominandi *d l. 26. supr. de Iudæis.*

II. Consistebant autem Gentilitij ritus potissimum in SACRIFICIIS *Rubric.* & *l. 1. 4 6. 8. 15. 17. 18. 20.* celebrandis *l. 2 17.* faciendis *l 9. hoc tit.* & *l. vltim. supr. de Apostatis.* Sacrificiis operam dando *l. 6.* quæ & *Sacra* dicuntur *l. 11. 17. hoc tit.* vnde Sacrificiis se mancipare *l. 5. supr. de Apostatis*, Sacrificia facere *d l. vlt* pro, Paganum fieri.

¶ Horum Sacrificiorum alia dementia erant *l. 1. & 4. hoc tit.* (quæ secretioris piaculi appellatione in *l. 12. hoc tit.* indicantur) alia verò publica *l. 1. & 2. supr. de Maleficis*, alia diurna *l. 7. hoc tit.* nocturnalia *l. 5.* & *d. l. 7. hoc tit.* Ludorum Sacrificia quædam *l. 5. supr. de Episcopis*: quæ scilicet votis publicis & cum festa conuiuia inirentur ludique exhiberentur fieri solebant, *l. 17. hoc tit.* Alia ad incertorum, id est, præsentium futurorúmque veritatem explorandam *l. 7. 9. hoc tit.* quæ dirorum carminum *d. l. 7.* Vetitorum Sacrificiorum *d. l. 7.* prohibitorum Sacrificiorum appellatione *l. 8.* speciatim designantur.

Hæc omnia execranda Dæmonum sacrificia vocantur *l. 23. hoc tit.* execrandæ hostiarum immolationes *l. vltim.* abominanda Sacrificia *l. 13.* funesta *l. 7. supr. de Maleficis.* Et Sacrificiorum inde insania *l. 2.* nefaria licentia *l. 5.* nefarij Sacrificiorum ritus *d. Nouell. Theod.* 3. Sacrificiorum porrò ritus sequentes hoc titulo narrantur: Hostias immolare victimas caedere *l. 10. 12.* spirántia exta consulere *d. l. 12.* vnde inspectio Iecoris extorúmque (quorum præsagio spem alicuius promissionis accipiebant) *l. 9.*

Consistebant Gentilitij ritus in cultu SIMVLACRORVM *l. 6. 8. 10. 12. 20 hoc tit.* quæ & mortali opere formata factave æuúmque passura Simulacra *l. 10. & 12.* sensu carentia *dict. l. 12* dicuntur. Item idola *l. 15. hoc tit.* & *l. 6. supr. de Apostatis*, vnde & impia Idolorum superstitio *dict. l. 6.* pro Paganâ, quâ Christianis opponitur Vanæque imagines *dict. l. 12.* Inde simulacra suspicere *l. 20.* venerari *l. 12.* colere *l. 6.* imagines

honorare *d.l.* 11. (quorum quædam publicis quoque operibus adhærebant non modo in templis) *l.* 15. *hoc tit.*

¶ Hic porrò imaginum seu simulacrorum atque adeò Numinum cultus varius erat: Larem quippe inter cætera, igne: mero, Genium: Penates, nidore venerabantur. In horum honorem lumina accendebant, thura imponebant: (vnde thuris vapore fumare loca dicuntur) serta suspendebant, arbores vittis redimiebant, aras effossis cespitibus erigebant, vt de his omnibus *lege* 12. *hoc tit.* fidem facit.

Erant & prætereà inter alia Paganorum consuetudinis solemnia seu solemnitates VOTORVMQVE celebritates *l.*8. *hoc tit.* seu publica vota *l.*17. in quibus & lustra *l.*5. *supr. de Episcopis*, quibus voluptates seu spectacula populo exhibebantur, id est, ludi quæ festis Christianorum diebus edi prohibentur *l. vltim. supr. de Spectaculis*. Conuiuia item exercebantur seu inibantur. Vnde festi conuentus vrbium, ciuium, communisque lætitia dicitur *d. l.*8. & 17. quibus & Sacrificia adhibita fuisse docuimus ex *l.*8.17. *hoc tit* & *leg.*5. *supr. de Episcopis*, signáque & cantabra per vrbem circumlata *l.*2. *supr. de collegiatis*.

III. Loca in quibus Gentilitia sacra celebrabantur, & aræ simulacráque erant, funesta loca *l.*19. polluta *l.*11. vocantur. Et erant hæc: TEMPLA, *Rubr.* & *l.*4.8.16.19. *hoc tit. l.*8 *supr. de iure fisci*, *l* 4.5. *supr. de locat. fund iuris emph. & reip & Templorum, l. vltim. supr. de conl. donatar.* *l.*24.32. *supr. de petitionib.* *l.*1. *supr. de fide Catholica*, *l* 112. *supr. de Decurionib. l.*3.41. *supr. de operibus public. l.*2.3. *supr. de Apostatis*, quale Romæ Pantheon, *l.*10. *supr. de pictorib. in subscript.* quæ & ædes templorum dicuntur *l.*3. *hoc tit.* ædes absolutè *l.*8. ædificia templorum *l.*16. Vnde & templorum solemnia *d. l.*112. Item *fana* vnde fana & templa coniunguntur *l.*17.12.13.19.25 *hoc tit.*) Delubra *l.*2. *supr. de Maleficis*: (vnde delubra & templa *l.*10.11. *hoc tit.* denique fana templa, delubra, *l. vltim.* coniunguntur)

¶ Templa porrò hæc fanave erant partim publica, priuata partim *l.*1.2. tam in oppidis quam in ciuitatibus *l.*10 19. Item extra muros ciuitatum veluti Vrbis Romæ posita *l.*3. & *l.*41. *supr. de operibus publicis*, vt & extra oppida *l.*9. postremo & in agris *l.*16. in itinere *l.*10. *hoc tit.* & in possessionibus tam Principis quam priuatorum *l.*19. *hoc tit.*

In his locis (præter simulachra, de quibus anteà dictum) erant ARÆ de quibus *l* 12.19. *hoc tit.* & *l.*2.3. *supr. de Apostatis*: quarum aliæ ratione loci publicæ dicuntur *l.*2. *supr. de Maleficis*: aliæ ratione materiæ, erectæ effossis cespitibus aræ, *d. l.*12. ad publicorum templorum custodiam appositi erant custodes quidam *l.*1. *supr. de fide Catholica*. Cæterùm *Templorum* appellatione quandoque vniuersus cultus Gentilitius indicatur, vt *l.*12. *supr. de Decurionib* vnde in sacrilegia templorum transire, pro Paganum fieri *l* 3. *supr. de Apostatis*, vel *templorum & ararum*. Hinc ad aras & templa transire, migrare pro Paganum fieri *d. l.*2 3. *supr. de Apostatis*. Templa porrò intacta, incorruptáque manere voluit extra muros Vrbis Romæ Constans *l.*3. *hoc tit.* Etsi templa claudi voluerit *l* 4 Theodosius Magnus adhuc patere voluit *l.*7. Ædem Ædessenam cœtui & populo quoque communem esse voluit, vercrúmque celebritati inseruire *l.*8. Idem templa posteà omnia adiri vetuit *l.*11. vt & Arcadius Filius eius *l.*13. mox templa in agris dirui sine tumultu *l.*16. Honorius publicorum operum ornamenta stare voluit *l.*15. ædes illicitis rebus vacuas euerti vetuit *l.*18. Templa ad vsum publicum vindicari voluit *l.*19.20. Theodosius Iun. destrui & conlocatione venerandæ Christianæ religionis signi expiari voluit *l. vltim.*

His porrò templis, fanis, delubris, sacrificiis, Sacerdotibus, conuiuiis publici sumptus deputati erant *l.*20. *hoc tit.* quæ & ANNONÆ Templorum *d. l.*20. & expensæ ad superstitionem pertinentes *d. l.*20. dicuntur. Erant enim & loca quædam, prædia, possessiones, fundi, ædificia, iuga seu capita in iure templorum *l.*8. *supr. de iure fisci*, *l. vltim. supr. de conlat. donatar.* quæ sacris error veterum deputauerat *d. l.*20. sacris epulis vel sumptibus deputata *d. l* 20. Hinc & Agonotheticæ possessiones *Nouell. Mart.*3. (iura templorum Ambrosio *orat. de obitu Valentin. p.*6.) Hinc templorum Iuris seu de Iure Templorum fundi possessiones *tit. de locatione fundorum Iuris Emphyteutici & Reipublicæ & Templorum*, & nominatim *l* 45. *illius tit. d. l.*8. *supr. de Iure fisci*, *l.*24. & 32. *supr. de petitionibus*, & *Nouell. Mart. de indulgent. reliquor.*2. ædificia iuris templorum *l* 41. *supr. de operibus public.* Iuga seu capita iuris templorum *l. vlt. supr. de conlat. donatar.* Verùm posteà ea à Christianis Principibus templis & sacris Gentilium detracta varios in vsus. 1. Alia rei priuatæ Principis incorporata *d. l.*4 & 5. *de locat. fund.* & *d. l.*8. *de iure fisci*. 2. Nonnulla expensis militaribus nominatim adsignata *l.*19. *hoc tit.* 3. Alia donata: idque aut

priuatis

priuatis *d.l* 4. *&* 5. & *l* 20. *hoc tit.* & *l.*24.32. *supr. de petitionib. l.*8. *supr. de iure fisci, l. vltim. de collat. donat.* Nouell. *Mart.*3. aut Ecclesiis *l.*20. *hoc tit.* 4. Denique & priuatis vendita *d. l.*8. Fuerunt & à priuatis nonnullis propria authoritate occupata *l.*24. *de petition.* quò etiam pertinet *lex* 19. illius *tit.* & *l.*20. *hoc tit*, & insignis Aggeni locus, *p.*78.

¶ *De* HARVSPICINÆ *vsu Romæ circa* FVLGVRVM *interpretationem, Constantini M. constitutio.*

1. * Imp. CONSTANTINVS A. ad Maximum."

SI quid" de Palatio Nostro," aut ceteris" operibus publicis," degustatum" fulgore" esse constiterit, retento more veteris" obseruantiæ," *Quid portendat,*" ab Haruspicibus requiratur," & diligentissimè scriptura" collecta ad Nostram Scientiam referatur. Ceteris" etiam vsurpandæ huius consuetudinis" licentiâ tribuendâ: dummodò sacrificiis domesticis abstineant, quæ specialiter" prohibita sunt. ¶ Eam autem denunciationem" adque interpretationem, quæ de tactu" Amphiteatri" scribta est, de quâ ad Heraclianum" Tribunum, & Magistrum Officiorum scripseras, ad nos scias esse perlatum." Dat. XVI. Kal. Ian." Serdicæ Acc. VIII. Id. Mart." Crispo II. & Constantino II. CC. COSS. [321.]

NOTÆ.

* Abest *hæc lex* à *Cod. Iust.* velut abolita & πρόσκαιρος etiam. Baronius eam Annalibus suis inseruit: déque eâ prolixius egit *Anno D.*321. *num.*18, 19. Concordant huius duæ similes eiusdem Constantini M. constitutiones, & quidem anteriores, putà *l.*1 *&* 2. *supr. de maleficis*, in quem titulum hæc lex melius conlecta fuisset.

"*Maximum*, Præfectum scilicet Vrbis Romæ: quod docet vetus auctor Notitiæ P. V. apud Guspinianum, Peyrescium Bochellum, vbi & integro nomine *Valerius Maximus* vocatur: vide & Consularia Theodosiana *Anno* 319. *&* 321. ac nominatim vide *legem* 11. *supr. de appellationibus*, & *l.* 1, *supr. de maleficis*, quæ pariter de *Aruspicibus* est. Et verò res hæc Romæ ad Præfecti Vrbis curam pertinuit: vide Zosimum, *lib.*5. *p.*816.

"*Palatium*: de hoc Palatio V.R. vide Commentarium.

"veluti *Senatu* seu Curiâ: *Gymnasio*, item Amphiteatro.

"vnde publicum fulgur.

"*Degustatum*: vide Commentarium.

"*Fulgore*, de quo mox.

"Alio sensu, *Aruspicum vetus amicitia cum priuato scindenda* dicitur *l.* 1. *supr. de maleficiis*: Alio sensu hîc *mos veteris obseruantiæ*, haruspicinæ ipsius respectu.

"*Obseruantiæ*: de hâc voce in Commentario.

"*portendat*; de quo mox.

"id est, requirere liceat: sunt enim hæc verba indulgentis Principis, non imperantis.

"*Scriptura collecta*: vide Commentarium.

"Priuatis.

"*Consuetudo*: de hac voce mox.

"Iam *l.*1.2. *supr. de maleficiis*.

"*Denunciatio*: de hac quoque voce: vide Commentarium.

"*Tactus*: de hoc mox.

"*Amphiteatri*: de hoc mox plura.

"Ita & supr. *l.* 1. *de distrah. pignoribus* Anno D.323. *Quoniam decessoris tui literæ missæ ad Proculianum Tribunum & Magistrum officiorum continent*, &c. vide quæ dixi.

"Ita omnes editiones constanter, neque quicquam temerè mutem.

"Anno D.321. Consulatus enim qui mox subiicitur pertinet, non ad datam, verùm ad tempus, quo lex hæc accepta fuit. Cui tamen contrarium Baronius scripsit, quando hanc legem scriptam sub finem huius Anni 321. proponit: de quo mox.

"Romæ scilicet.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. vnica hæc hoc titulo constitutio est; eáque non in Paganos, imò contra, pro Paganis, de licito videlicet adhuc HARVSPICINÆ vsu (de qua quidem in genere vago & communi principio aliquid hic notare ἀ τερατείαν puto.) Et Romæ quidem: vbi Haruspicinæ ita frequens & promiscuus vsus erat, vt simulac de coelo icti essent, Haruspicem quærerent & consulerent, vt apparet vel ex Varronis loco, *in Tribadite*, apud Nonium Marcellum, *cap.*10. *v. triste*. Igitur, Constantinus Magnus *hâc leg.* Haruspices (gnaros scilicet prodigialium rerum, vt loquitur Ammianus Marcellinus, *lib.*23. *pag.*264.) consulendi Romæ, ac nominatim de Fulguris tactu (vnde etiam *Fulguratores Haruspices* dicti, quorum scientia circa hæc tria versabatur, circa Exta, Fulgura, & Omina teste Cicerone *lib.*1. *de diuinat.*) potestatem seu licentiam tum Senatui, tum priuatis facit, Anno D.321. quo tempore Syluester Pontificatum Romæ obtinebat. Quæ & ante biennium fermè quoque mens eidem Constantino fuit, *l.*1. *&* 2. *supr. de maleficis*: quarum prior etiam eidem Maximo (Præfecto Vrbis) cui hæc lex, inscribitur. Eodem scilicet exemplo, quo & Magicas idem artes innoxias, hoc ipso anno, Romanam pariter per Præfecturam, exercere impunè permiserat *l.*3. *dict. tit. de maleficis*. Quod vtrumque iure mireris in Principe, per nouennium iam (ab Anno scilicet 312.) Christianam fidem (quâ in Galliis primùm imbutus fuerat, teste Sozomeno, *lib.* 1. *cap.*5.) amplexo, & in alios quoque propagante: imò iam inde à Christianæ fidei primordiis Haruspicum monita contemnente: quod disertè testatur incertus Panegyristes, ad eum

com ipſum ſcribens, *cap.* 2. vbi de bello aduerſus Maxentium: *Quiſnam te Deus, quæ tam præſens hortata eſt Maieſtas, vt contra conſilia hominum, contra Haruſpicum monita, ipſe per temet liberandæ Vrbis tempus veniſſe ſentires? Habes profecto aliquid cum illa mente diuina Conſtantine ſecretum*, &c. Quare de Zoſimi fide, Conſtantino Magno paſſim obtrectantis, non vtique dubitandum eſſe hoc ſaltem huiuſce legis argumento, quis putet, cùm is Conſtantinum Magnum poſt Licinium interfectum (id eſt, triennio poſt hanc legem latam) vatibus adhuc fidem habuiſſe tradit, *lib.* 2. *pag.* 685. ἐχρῆτο δὲ, inquit, καὶ ἔτι καὶ τοῖς πατρίοις ἱεροῖς, οὐ τιμῆς ἕνεκα μᾶλλον ἢ χρείας, ὃ καὶ ΜΑΝΤΕΣΙΝ ἐπείθετο πεπειραμένος, ὡς ἀληθῆ προσημήναιεν ἐπὶ πᾶσι τοῖς κατορθωθεῖσιν αὐτῷ? vide eundem *& ſeq. pag.* 686. Adeò, (quod alicubi Varro ſcripſit) *conſuetudo malè importata, inextinguibilis eſt*: καὶ τὸ μετὰ δυσαίτιον χαλεπώτατον, quod Chryſoſtomus ait. Imò, quod grauius eſt, Baronius hinc colligebat contra omnium veterum ſcriptorum fidem, qui de Apoſtaſia Conſtantini nullibi meminêre, ob hoc Reſcriptum Conſtantinum Magnum à Chriſtiana fide & religione deſciuiſſe & ad relictam auitam ſuperſtitionem rediiſſe viſum, atque adeò hâc occaſione Gentiles elatos in Chriſtianos inſolenter egiſſe, argum. *l.* 5. *ſupr. de Epiſcopis*. Verùm rem propius intuenti, aliud indicium placitutum puto: Nempe & falſa ea eſſe quæ Zoſimus tradit, & ea omnia quæ *d. l.* 1. 2. *ſupr. de maleficis*, vt & *hâc lege*, his tribus inquam legibus conſtituuntur, non eſſe haruſpicinam probantis Conſtantini, verùm in aliis hactenus permittentis, cui tum abolendæ par nondum erat. Non enim hæc apertiſſima ſunt Conſtantini verba, in *d. l.* 1. *ſupr. de maleficis*, ad eundem Maximum (Præfectum Vrbis) *SVPERSTITIONI enim SVÆ ſeruire cupientes poterunt publicè ritum proprium exercere?* Audis *ſuperſtitionem* hanc a Conſtantino Magno vocari. Non hæc *d. l.* 2. ad populum: *Qui verò id vobis* EXISTIMATIS *conducere, adite aras publicas atque delubra: &* CONSVETVDINIS VESTRÆ *celebrate* SOLEMNIA: NEC *enim* PROHIBEMVS PRÆTERITÆ VSVRPATIONIS *officia liberâ luce tractari?* Non hæc, inquam, apertè Conſtantini fidem animúmque ab omni ſuperſtitione auerſum, vel ſemotum arguunt? In quam ſententiam quoque plura poſt hæc à me ſcripta ea profeſſo. Morinus, *hiſtor. de liberata Eccl lib.* 2.

Et ſanè quæ Conſtantinus mox hoc ipſo anno Eccleſiæ bono ſanxit, *l.* 4. *ſupr. de Epiſcopis*, hanc ſuſpicionem eluunt: quæ inquam conſtituit de teſtamenti factione paſſiuâ Eccleſiis tributâ, & quidem Edicto ad Populum Romanum emiſſo, vnde opes potiſſimum in Eccleſiam confluxerunt: Quod quidem Edictum (vt ad *eam legem* probam) hoc anno datum fuit poſt hanc legem, quæ data eſt ſuperioris anni fine, accepta demum hoc anno cum hac lege. Tandem id obſeruo, Conſtantinum Magnum toto hoc quadriennio, putà Anno Domini 319. 320. 321. 322. Sarmatico bello fermè illigatum, atque in Pannoniâ, Daciâ, Myſia, vel etiam Aquileiæ conſiſtentem, frequentibus non tantùm conſtitutionibus, verùm etiam Edictis, ad populum Romanum nominatim emiſſis, Romæque propoſitis, Syluestro Romæ Epiſcopante, mores populi Romani in melius ad humanitatem omnem, pietatémque verſum iuiſſe: quod docent tot aliæ conſtitutiones per quadriennium iſtud ab eo latæ; de quo dixi ad *d. l.* 4. *ſupr. de Epiſcopis*: Et quidem etiam anno proximo *l. a ſupr de aliment. quæ inop. parent.* quam alioquin indicat Baronius, vt calumniam Zoſimi reuincat de Conſtantini M. circa rem tributariam acerbitate. Ego aduerſus eum induco, ad vindicandum eiuſdem animum verè Chriſtianum. Verùm & hæc inter alias, ni fallor, πρόφασις eſt, vt paulatim fabuloſis Sylueſtri actis fides, ſi pote, adſtruatur. Quæ vt Viri Docti omnes ita & nos alibi plenâ manu profligamus. Quid igitur ſtatuendum? Duo hæc videlicet. Primùm, Conſtantinum Magnum, vt cæteroquin Gentilibus ἐθελοθρησκείας Religionis ſuæ ritúſque ſuos per Imperij ſui initia relinquere coactus fuit, antiquandis videlicet illis ſimul & ſemel longè tum impar, ita Haruſpicinæ quoque exercendæ, ac nominatim Romæ, *hâc leg.* poteſtatem adhuc feciſſe: Romæ, inquam, quæ vt cæteroquin veteris obſeruantiæ, moris, & ſuperſtitionis retinentior, contumaciorem ſeſe præbuit, ita Haruſpicinæ plurimum tribuit: (de quo dixi *fine legis* 2. *ſupr. de maleficis*,) quod de vniuerſa alioquin Italia Herodianus *lib.* 8. *p.* 612. ſcribit: μάλιστα, inquit, τῇ αὐτῇ ταύτῃ πιστεύειν οἱ Ἰταλοί.)

¶ Alterum, quod ſecundum idémque huius legis arcanum eſt; ne hoc libertatis obtentu velóque illicitis opera daretur, in ſuam videlicet vel Reipublicæ necem, duabus rationibus, ſuæ & Reipublicæ ſaluti & ſecuritati idem conſultum iuit: pariter vt Magicis artibus permiſſis, priuatorum ſaluti proſpexit *l.* 3. *ſupr. de maleficis*. Primùm enim & *hâc leg.* & *d. l.* 1. *&* 2. *ſupr. de maleficis*: PVBLICE tantùm, apud aras publicas & delubra, liberáque luce hæc tractari, ſeu Aruſpices conſuli, eóſque reſpondere voluit, ac non etiam intra domos ſeu limina priuata; de quo, eiúſque rei ratione, pleniſſimè dixi, ad *eam l.* 1. *&* 2. *ſeu de maleficis*, etiam ex Firmico. Secundò, *ſcripturam collectam*, id eſt, reſponſa, denunciationes, interpretationes Haruſpicum de publicis fulgoribus conſultorum (de quo mox) *ad ſuam ſcientiam* ſeu ad ſe Imp. referri voluit Conſtantinus Magnus, non quaſi his quicquam delaturus fidémque habiturus (quod Zoſimus alioquin ſcribit, eáque fortè vel præcipua erroris illi cauſa fuit) neque tanquam ad Pontificem Maximum (nam Impp. Chriſtianos Pontifices maximos nunquam fuiſſe contra Zoſimum oſtendimus peculiari diatribâ) verùm vt hâc ratione ſuæ ac Reipublicæ ſaluti conſuleret, viderétque, num quid Haruſpices hiſce reſponſis ſuis in ſuum vel Reipublicæ detrimentum, conſultoribus reſponderent. Nam prætetquam quod genus hoc hominum ſperantibus fallax, potentibus infidum eſſe ſolet, peculiares, eos vel ſuſpectiſſimos habendi cauſas Conſtantinus habuiſſe videtur: Nempe Gentilibus ob profectum Religionis Chriſtianæ vbique indolentibus & ingemiſcentibus. Igitur Conſtantinus Magnus non quaſi Haruſpicinam ipſe probaret fidémve ei accommodaret, verùm probandæ ipſorum fidei ad ſuam ſcientiam Haruſpicum reſponſa referri voluit: Immediatè videlicet: quomodo ad Senatum olim de locis tactis referri ſolitum ex Cicerone diſcimus; non mediatè, quomodo hactenus fiebat: & verò factum in ſp. *huius leg.* vbi Maximus Præfectus Vrbis ad Amphiteatri Titiani fulminis tactum, reſponſum Haruſpicum ad Heraclianum Tribunum & Magiſtrum Officiorum, miſerat, per quem demum ad ſcientiam ſuam Conſtantinus id perlatum ſcribit: Reſponſum, inquam, quo interpretati fuerunt Aruſpices tactum Amphiteatri aliquid Reipublicæ portendere ſeu denunciare, triſtes iras, vt in illo Virgilij:

Prodigium canit & triſtes denunciat iras.

(De qua voce mox plura.) Notandum videlicet duo

duo fulminum genera Haruſpicea conſtituiſſe: *Priuata*, quæ priuatis: *Publica*, quæ Reipublicæ aut Principi aliquid portenderent, ſiue denunciarent, vt ex Seneca, 2. *Natural.* Plinio, *lib.*1. *cap.*52. & Iuuenali *Satyra* 6. conſtat: tum videlicet cum opera publica fuiſſent fulmine deguſtata ſeu tacta, veluti Palatia, 2. *Senatus* item, ſeu Curia, vbi victoriæ ara & ſimulacrum erat: quæ cùm fulmine tacta alas ſuas amiſiſſet, Pompeianus ſic interpretatus eſt

Roma caput rerum, nunquam tua gloria abibit:
Nam victrix Dea te haud deſeret inuolucris.

3. *Gymnaſium*, vt ſub Nerone apud Tacitum *lib.*5. Annal. 4 *Amphiteatrum*, vt in ſp. *huius leg.* Ac illud maximè Principibus & ſummæ rei ominoſum viſum, ſi globus fortè deiectus, ictus, aut literæ de nomine deguſtatæ fuiſſent. His verò caſibus ob fulgura ſcilicet publicè conſulti libri fulminales & Etruſci vatea adhibiti, teſte Liuio, *l.*1. & Claudiano 1. *in Eutropium.* Verùm hanc diſciplinam omnem continebant olim *libri fulgurales*, quorum mentio apud Ciceronem *lib.*1. *de diuinatione*, & Ammianum Marcellinum, *lib.*23. *pag.*264. quos Fulmineos libros vocat Claudianus 1. *in Eutropium*, cuiuſmodi liber Figuli de *βροντοσκοπία* ex Thagetis & Tuſcorum diſciplina, ad vſum Vrbis Romæ, cui acceſſit poſteà interpretatio Ioannis Laurentij Lydij. Sanè Seruius quoque notat, Nympham quandam Bygo in artem fulguralem ſcripſiſſe.

¶ Atque ita Conſtantinum eâ inuidia, quâ per Zoſimum & Baronium laborat, liberatum puto, huiua etiam legis occaſione. Sed enim idem Conſtantinus poſteà fidentior, iam qui Haruſpicinam aliquandiu tulerat, penitus ſuſtulit: Quod idem Zoſimus, *lib.*2. *pag.*686. teſtatur, & auctor vitæ Conſtantini *lib.*2. *cap.*44. & Sozomenus, *lib.*1. *cap.*8. *pag.*204. Quod Patris exemplum ſecutus poſteà Conſtantius *l.*4. *hoc tit.* & *l.*4. *ſupr. de Maleficis*, & vtrumque Valens Imp. *l.*8. *eod. tit.* At non etiam Valentinianus: His enim Princeps reſtitutis paulo ante à Iuliano Gentilitiis ritibus inter Religionum diuerſitatem medius (vt de eo cenſet Ammianus Marcellinus, *lib.*30. déque eo plura mox ad *l.*7. *infr.*) Haruſpicinam ne nocenter exercerent, hactenus, neque vltra vetuit.

¶ Nunc perſpectâ legis ſententiâ, ſingularia quædam quæ in eâ occurrunt, ſectemur. Ac primum quidem ex fine legis obſeruetur, *Tribunos & Magiſtros Officiorum* hâc Conſtantini Magni tempeſtate in ſumma dignitate, atque intra Palatium auctoritate fuiſſe, atque adeò eos à Magiſtratibus, Vrbanis, Prouincialibus, ſi quid ad ſcientiam Principis perferendum eſſet, ſi quid ad ſalutem Principis aut Reipublicæ ſpectaret, relatum. Quod iuxta hanc legem docet quoque *lex* 1. *ſupr. de diſtrahendis pignoribus*: *Quoniam Deceſſoris tui tui litera miſſa ad Proculianum Tribunum & Magiſtrum Officiorum continent quorundam mancipia abducta pro pignore ſub officio retineri*, &c. ad quam legem dixi plura *de Tribuno & Magiſtro Officiorum.*

¶ Secundò, obſeruetur hic agi, de *Palatio Romano*: quod Principium Romanorum fuit porróque eſſe perſtitit, & quando Romam veniſſent, ſedem eis præbuit: Conſtantino etiam noſtro: quod incertus Panegyriſtes teſtatur ad ipſummet Conſtantinum ſcribens. *Auſi*, inquit, *etiam quidam vt reſiſtentes poſcere, & quia tam cito acceſſiſſes Palatium & cum ingreſſus eſſes non ſolum oculis ſequi, ſed pane etiam ſacrum limen irrumpere, inde omnibus circumfuſis vt inde excederes oprire, proſpicere, optare, ſperare vt viderentur eum à quo obſidione liberati fuerant, obſidere.* Eodem pertinet ſubſcriptio Conſtantinianeæ *legis* 3. *ſupr. de bonis vacantibus*, quæ data eſt Anno D.326. & inſcribitur Seuero Præfecto Vrbis Romæ. *Recitata III. Non. Aug. in Palatio, Constantino VII. & Conſtantio COSS.* quo ſanè tempore Conſtantinus ipſe Romæ erat: de quo vide Chronicon *noſtrum.* Exinde idem Palatium ſecutis quoque Principibus ſedem præbuit, veluti Conſtantio: de quo Ammianus Marcellinus *lib.*1. *pag.*77. *Alloquutus Nobilitatem in Curiâ populúmque pro Tribunali in PALATIVM acceptus fauore multiplici.* Honorio item: de quo vide Claudianum *in* 6. *Honor. coſ.* Valentiniano Tertio: quod Caſſiodorus, Victor Tununenſis, Marcellinus, *Aetio & Studio COSS.* ſcribunt. Petronio Maximo, Sidonius *lib.*2. *epiſt.*12. Seuero, Caſſiodorus. *Arminerico & Baſiliſco COSS.* vt proinde inanis fabula ſit, de Palatio Syluestro Ep. Romano à Conſtantino donato, derelicto.

¶ Tertiò notetur, agi hîc de *Amphiteatro* Romano; nempe quod vrbe mediâ ampliſſimum erat de quo Suetonius, Martialis, Victor Schotti, veteres Vrbis deſcriptiones, & Xiphilinus. Quod quidem ſæpè igne caſuve alio deguſtatum, & inſtauratum ſæpè: à M. Antonino, teſtis Capitolinus: ab Heliogabalo, Lampridius: ſub Gordianis, Capitolinus. Mentio eius & apud Ammianum Marcellinum *lib.*16. in rebus Conſtantij Anno Domini 357. *pag* 77.

¶ Tandem ſub vnum conſpectum dare, atque adcò etiam illuſtrare iuuat, omnia illa Fulguralis potiſſimum Tuſcorum diſciplinæ & Haruſpicinæ ſiue veſtigia ſiue vocabula, quibos hæc lex tota ſcatet. Primò obſeruandum *Palatio* nominatim fulmine tacto, rem hanc ad Rempublicam pertinere viſam atque adeò relatione ad Principem dignam. Certè Principi ipſi fatum imminere eâ re vulgo creditum. Ita etiam Conſtantinus, ſi credere par eſt, ipſe, *orat. ad ſanctorum cœtum*, vbi mortem Diocletiani deſcribit, meminit Palatij quod fulmine tactum fuerat. Ammianus Marcellinus quoque *l.*30. *pag.*458. inter prodigia mortis Valentiniani memorat, *apud Sirmium repentino fragore nubium fulmen excuſſum, Palatij & Curiæ partem incendit & Fori.* Zoſimus pariter *lib.*4. *p.*748. memorat Valentiniano Imp. defuncto, *Sirmij fulmine τὰ βασίλεια* i. Palatium, *Forúmque, concremata fuiſſe, viſúmque harum rerum peritis, haud proſperum reip. portentum hoc eſſe: ἔδοξέ τι τοῖς τὰ τοιαῦτα κρίνειν δυνατοῖς, ἐκ αἴσιον τῆς κοινοῖς πράγμασιν εἶναι τὸ τέρας.* Secundò, *deguſtandi* vox obſeruanda: *deguſtatum* κυρίως, pro tactum, diſiectum, deraſum, exuſtum, delibatum: Haruſpicinæ vocabulo, ni fallor proprio: Quod & Lucretius (operæ priores in ſpecimine noſtro dudum edito vitioſè *Lucanum* ſuſtituerant) *lib.*2. *verſ.*192. inde tranſtuli.

Nec cum ſubſiliunt ignes ad tecta domorum,
Et celeri flama DEGVSTANT tecta trabéſque.

Pro quo idem *lib.*5. *Ambeſſe*, id eſt, ambedere, dixit.

Ignis enim ſuperauit & AMBENS, multa peruſſit.

Vt & Lucanus *lib.*6. *v.*266.

Frangentem fluctus ſcopulum ferit, aut latus alti
Montis ADEST.

Eodem ſenſu Virgilius *lib.*12. de lanceâ infixa.

——ſummum DEGVSTAT vulnere corpus.

Omitto ſimilia, vt *Lambere*, & *Ambuſtum*, ἀκροφλεγμῶν, ἀκραυτὴς: de qua voce vide Cl. Salmaſ. *in Solinum p.*840. Tertiò, *Fulguris* vox hîc notetur: vbi

vbi & *Fulgore* poſitum pro *fulgure*: & vtrumque pro fulmine ſeu *κεραυνοβολία*, ex Augurali etiam diſciplina Gloſſæ *Fulger*, *ἀστραπή*. *Fulgurat*, *κεραυνοῖ*. Sic & Suetonius Octauio *cap* 27. *Cùm lecticam eius fulgur perſtrinxiſſet*: & in Domitiano, *Tot fulgura facta auditáque ſunt*. Sæpè ita Plinius & alij. In Gloſſario *κεραυνοβόλον ἡμερινόν*, *Fulgur diurnum*. Item *κεραυνοβόλημα ἀπὸ πρωΐ*, *νυκτερινόν*, *fulgur ſubmanum*.

¶ Quartò, *Obſeruantia* vox non tranſmittenda. *Obſeruantiæ* quippe ſeu obſeruationis, quam Græci in eodem argumento *παρατήρησιν* vocant, vox hac in re propria quoque: Id quod teſtatur titulus *capitis* 52. *lib* 2. Plinij *de Obſeruationibus*, quo de fulminum generibus, portentis & Dijs fulmina emittentibus tractat & *cap* 54. Cicero quoque *lib*. 2. *de diuinat*. non vno loco: inter cætera: *Valet autem in fulguribus Obſeruatio diuturna: in oſtentis ratio, plerumque coniectura adhibetur. Quid eſt igitur quod obſeruatum ſit in fulgure?* Et paulò pòſt: *Natam verò ſtaturam aut ara legum de cœlo tacta, quid habent obſeruatum aut vetuſtum.* Simplex etiam *ſeruandi* vox eodem pertinet, ſeruandi de cœlo eum feciſſet vel tonuiſſet.

¶ Quintò, *Portendenti* vox attendenda, non in commune, id enim vulgo notum, verùm in Haruſpicinâ & fulgurali ſcientiâ Plinius *lib*. 2. *cap*. 52. *Exiſtimant non vltra decem annos portendere priuata fulmina: publica non vltra trigeſimum annum*, & cap. 54. *cum à prima cœli parte venerint & in eandem conceſſerint, ſumma felicitas portenditur.* Sextò, verba hæc expendenda *Scriptura collecta*: Reſponſa ſcilicet, iudicia, ſententias, prædictiones Haruſpicum diligentiſſimè & ſcrupuloſiſſimè olim in Scripturam redacta non coniicio, verùm comperio; quomodo & mox *huc* ipsâ *leg*. dicitur Interpretatio, de ſtatu Amphiteatri ſcripta. Cicero de Haruſpicum reſponſis: *Quod in agro Latinienſi*, &c. SCRIPTVM *eſt*, *poſtulatum eſſe Ioui*. Ita & de oraculis interpres Sophoclis *in Trachiniis*: *ἔλεγε γὰρ τὸν χρησμὸν δεχθέντος σύγγραμμα χρῆσιν ἵνα μὴ λάθοιτο*. Et Philoſtorgius *lib*. 7. *cap*. 12. *τὰς τῶν χρησμῶν ἀναγνώσεις* memorat. Porrò COLLECTA *ſcriptura* rectè dicitur, de re ſcrupuloſa, quæque ad ad numeros agitatur, & propriè quidem, quod minus notum. Ita *l*. 25. *ſupr. de ſuſceptoribus: facultates diligenti deſcriptione collecta ad officij notitiam deferantur.* Et apud Scriptores alios; apud auctorem *de coloniis p*. 92. 99. 111. 117. *collectus iugerationis modus*, *collectu territorio*, id eſt, agri menſura collecta, deſcripta in ſcripturâ redacta. Sed & *l* 47. *ſupr. de appellat. collecta geſta*, id eſt, in ſcripturam redacta. Imò Apoteleſmaticæ doctrinæ vox hæc propria, de Mathematicorum & Aruſpicum decretis. Et ſcriptura collecta nil aliud eſt quam *ἀποτελεσματογραφία*. Ita apud Spartianum *in Vero pag*. 15. *Quid ſi non rectè conſtellatio eius collecta eſt, quem credimus eſſe victurum?* Apud Ammianum Marcellinum pariter *lib*. 29. *Quamobrem conſtellationem Principis collegiſſet.* Et Firmicus 2. Matheſ. cap. 23. *Hæc omnia ſi diligenti ratione fuerint* COLLECTA, *& ſi beneuolarum maleuolarúmque ſtellarum mixturas, locorum vim & ſignorum & partium poteſtates ſociaueris.* Imò, idem Firmicus paſſim toto opere hac voce hoc ſenſu vtitur. Atenim cum inſolens hæc mihi quoque aliquando dicendi ratio videretur, *ſcriptura collecta*, vel tentabam hîc, non & aſſeuerabam reponendum, *ſcriptura collectum*, vel *ſtrictura collecta*. Nempe ex haruſpicinâ diſperſas & diſſipatas fulmine ſtricturas ſeu reliquias in aceruum diligenter collectas, ſacrificio facto condi ſolitas notum eſt, Lucani *lib*. 1. *v*. 606. de eo locus inſignis

——— *Arruns diſperſi fulminis ignes*
Colligit & terrâ tacito cum murmure condit.

Quem locum vetus etiam Scholiaſtes Iuuenalis *Satyra* 5. *verſ*. 585. enarrat. Acron quoque *ad finem libri de arte Poëtica*, reliquias fulminis vocat. *Reliquias*, inquit, *fulminis Pontifices cum ſacrificio ſepeliebant.* Sanè & *colligendi* verbo vtitur Seneca 1. *declam*. 4. *Ecquis Regum erit tutus, cuius non membra Aruſpices colligunt?* Reliquias igitur iſtas ſtricturas dixiſſe fortè coniiciebam Conſtantinum, proprio & *ἐντέχνῳ* vocabulo: Qualia pleraque hac lege occurrunt: *Deguſtandi*, *Fulgoris*, *Obſeruantia*, *Portendendi*, *Conſuetudinis*, *Denunciationis*, *Interpretationis*, *Tactus*. Certè etiam Suetonius Octauio *cap*. 29. *perſtringendi* vocabulo hac in re ceu proprio vſus. *Cum lecticam eius fulgor perſtrinxiſſet, ſeruúmque prælucentem exanimaſſet.* Seneca 2. *Natural*. 44. *Voluerunt admonere eos, quibus aduerſus peccata hominum fulminandum eſt, non eodem modo omnia eſſe percutienda: quædam frangi debere, quædam elidi &* DISTRINGI, *quædam admoneri.* Vbi etiam quidam Codex pro *frangi* habet STRINGI: vide & *cap*. 52. Et alioquin quid *ſtringere*, *ferrique ſtrictura* ſint, ex Virgilio, Plinio, Nonio, Gloſſis iam notum eſt. Item quo ſenſu Virgilius *lib*. 8. dixerit *Tiberim ſtringentem ripas & pinguia culta ſecantem*, id eſt, exedentem, imminuentem. Et hæc quidem etiam non improbabilia viſa nonnullis: cum quibus tamen quod de fulguritis addunt nihil commune habet. Verùm retinenda iſthæc omninò lectio, *ſcriptura collecta*.

¶ Septimò notetur, *conſuetudinis* vox, quæ & ipſa hic propria: vt *l*. 2. *in fin. ſupr. de maleficis*.

¶ Octauò, *Denunciationis* vox: quæ & ipſa non in genere tantùm omnibus prodigiis communis, vt in ſuperiore illo Virgilij, *Prodigium canit, & triſtes denunciat iras*, verùm & Fulguralis diſciplinæ & Haruſpicinæ propria fuit. Seneca 2. *Natural. cap*. 34. *Quicquid fulmine denunciatum eſt.* Ammianus Marcellinus *lib*. 30. *p*. 455. *Sortem* DENVNCIABAT *ei ſupremam prodigiis ingruentibus multis. Nam apud Sirmium* FVLMEN *excuſſum* PALATII *partem incendit*, &c. Nuntiare, denunciare, pronunciare dicti Haruſpices & libri fulgurales. Vide Suetonium *Octauio cap*. 29. & Ammianum Marcellinum *lib*. 3. *p*. 264. Victorem Schotti *c*. 26. *p*. 132. *c*. 28. *p*. 134. & nuntiare: vide apud auctor. *coll. legum Moſaic*. *Ἀποτέλεσμα* Græcis, vt & ipſi diuinandi artem exercentes dicuntur *ἀποτελεῖν* apud Ptolemæum & eius interpretem.

¶ Nonò, *Interpretationis* quoque vox réſque propria, ſignatáque locutio: Cicero 1. *de diuinat. aut fulgura interpretantium*, &c. *prædictione moneatur.* Tacitus *lib*. 15. *Annalium*. *Vis fulgurum non alias crebrior.* Et mox: *Secutáque haruſpicum Interpretatio*, & Plinius *lib*. 2. *c*. 53. *In fulgurum interpretatione eò profecit ſcientia, vt ventura alias finito die præcinant*: vide & Symmachum *lib*. 6. *epiſt*. 40. Vnde & ipſi interpretes, Ammianus Marcellinus *lib*... *p*. 264. Dicta & ſententia. Vetus inſcriptio Romæ *p*. 21. *num*. 4. DEO FVLGVRATORI ARAM ET LOCVM HVNC RELIG. EX HARVSPIC. SANT. Q. PVBLICIVS FRONT. POS. ET I. DO. &c. Poſtremò, & *Tactus*, vox hîc propria. Sed cuius teſtimonia paſſim obuia.

¶ CONSTANTIS Imp. *lex aduersus* Sacrificia.

II. * Imp. CONSTANTINVS A. ad Madilianum" agentem vicem PF.P."

ESSET superstitio:" Sacrificiorum aboleatur insania." Nam quicumque contra Legem ¶ Diui Principis" Parentis Nostri, & hanc Nostræ Mansuetudinis iussionem, ausus fuerit sacrificia celebrare," conpetens in eum vindicta, & præsens" sententia exeratur. Acc. Marcellino & Probino COSS. [341.]

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* Memorat eam rectè Baronius *Anno* D.341. *num.*60. *seu vlt.*

"*Constanty & Constantis* nomina reponenda hic: vide Consularia Theodosiana.

"Cujaciana editio habet *Magdalianum*: Tiliana habet *Madalianum.*

"*Superstitionis* voce Idolorum cultus fermè indicatur: Ita quoque *l.6. inf.* hæc duo iunguntur operam sacrificiis dare, vel colere simulacra. Et lege prox. *Quanquam omnis superstitio eruenda sit.*

"*Furor* Minutio Felici *p.*55. *Insania*, de iis dicitur quæ cur fiant, ratio nulla est, quæ, vt vel ex Eusebio constat, à Maiestate diuinâ absunt, imo per quæ iniuria fit Deo; legendus est *lib.*7. Arnobij. Quare hoc *insania* verbo non animales tantùm hostiæ vel humana sacrificia traducentur, sed quæcunque tandem sacrificia.

† *Lex* Constantini M. notetur qua ea sacrificia vetuit, quæ hic abest: de quâ mox.

"Constantini Magni.

"*Celebrare* sacrificia: vide & Arnobium, *lib.*7. *p.*267.269.

"*Præsens* sententia, id est, supplicium præsens sine dilatione aut veniâ.

CONSTANTIS Imp. *lex, de* TEMPLIS *extra muros Vrbis Romæ positis non exscindendis.*

III. * Idem A." ad Catullinum P.V."

QVAMQVAM omnis superstitio" penitùs eruenda" sit, tamen volumus, vt Ædes Templorum, quæ extra muros" sunt positæ, intactæ incorruptæque consistant. Nam cùm ex nonnullis, vel Ludorum," vel Circensium, vel Agonum origo fuerit exorta, non conuenit ea conuelli, ex quibus Populo Romano præbeatur priscarum sollemnitas voluptatum." Dat. Kalend. Nouemb. Constantio IV." & Constante III. AA. COSS.

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* Retulit eam Baronius quoque, verùm minus rectè ad *Annum* D.346. *n.*10.

"Et hic reponendi sunt duo *Impp. Constantius & CONSTANS AA.* Cæterùm CONSTANTI, vtpote Romam tenenti, tribuenda hæc lex est, pariter vt superior; non Constantio, vt quidam putant & inscriptio quoque perperam præfert.

"*Catullinus* hic P. V. Romæ fuit, sub Constante Imp. vide quoque veterem Notitiam Præfectorum Vrbi A.D.342.343. & *Prosopogr.* nostram.

"*Superstitio* Aræ, simulacra, idola, quibus superstitio deferebatur.

"In Tilianâ erat, *audienda*: vnde faciat, *eradenda*. Quod non admitto.

"Vrbis Romæ.

"*Ludorum*, id est, ludorum scenicorum: vide vel *legem* 2.6. *supr. de Spectaculis*, ex qua posteriore interpolata est *lex* 2. *Cod. eod. tit.* sed plenè vide GLOSSAR.

"*voluptatum* vox propria de ludis: vid. *Gloss. Theod.*

"Si benè hæc habent, tum Annus Domini 346. hic adscribendus fuerit, quod & Baronio visum: Verùm reponendum hic omninò, *Constantio III. & Constante* COSS id est, Anno Domini 342. siquidem *Catullinus*, cui hæc lex inscribitur, Præfectus Vrbi fuit Anno Domini 342. 343. 344. non autem Anno 346. vt docet vetus illa Notitia Præfectorum Vrbi.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI Magni liberorum quinque leges ordine, aduersus Gentilitiam superstitionem, sacrificia, & Templa sequuntur: putà duæ CONSTANTIS *lex* 2. & 3. tres CONSTANTII: putà *lex* 4. 5. 6. quibus omnibus superstitiones Gentilitiæ, *Sacrificiáque* (de quibus vt & de hostiis in genere hic agere ἀπροσδιόνυσον) prohibentur. *Templáque* (de quibus in genere, vt & de Templis Christianorum, agendi pariter locus non est) occludi iubentur; at non & destrui: Idque quantum ad superstitionis & sacrificiorum prohibitionem attinet (quod Constans *l.2.* profitetur) exemplo Constantini Magni Patris sui, qui sacrificia Idolorúmque cultum sustulit; quod certè præter *d. l.2. hoc tit.* Eusebium, & Theodoretum *lib.5. cap.*20. testatur quoque Cyrus Monachus, τῶν εἰδώλων καὶ ῥυπαρῶν ἐναγισμῶν ὀργίων χαλὴν κατεψηφίσατο καὶ πάσης βδελυρίας. Nam Zosimi locus *lib.2. p.*686. quem huc aliàs nonnulli referunt, ad Aruspices propriè pertinet, quod ad *l. super.* iam ostendi. Quin & Templa Gentilium Constantini Magni edictu, excisis prius Aris & Scholis occlusa fuisse, præter Orosium, *lib.7. cap.28. in fin.* Theodoretum, *lib.5. cap.*20. scribit idem Cyrus Monachus ὅτε καθεῖλε τοὺς βωμοὺς ἔκλεισε τὰ τεμένη. Imò Hieronymus *Chronico*, etiam Gentilium templa euersa ab

ab eo fuisse scribit. Quod & Cedrenus Anno eius 26. & 27. factum scribit: *τὴν κατὰ τῶν εἰδώλων καὶ τῶν ναῶν αὐτῶν κατάλυσιν ἐπέταττε.* Et verò Eunapius quoque, *in vita Ædesij* 57. celeberrima templa à Constantino euersa fuisse disertis verbis tradit: *Κωνσταντῖνος*, inquit, *τότε μὲν ἱερῶν ἐπιφανέστατα κατασκάπτων*. Et tamen Theodoretus *d. cap.* 20. Constantinum templa demolitum abscisse negat. Verùm de hoc plenè ad *l.2. de sepulchro viol.* vbi ostendi, factum id demum circa extrema Constantini, à Consulatu Dalmatij & Zenophili, id est, A.D. 333. Libanius sanè ipse tale aliquid indicat, *in orat. Apol.* 26. *pag.* 391. Spoliatos equidem à Constantino Deos, *τὰ κτήματα*, at non & sacrificia eum prohibuisse vel templa euertisse, sed Constantium. Et *orat. κατὰ τῶν ἱερῶν*, quam edidi, vbi de Constantino Magno, ait: *τοῖς ἱεροῖς ἐχρήσατο χρήμασιν, τῆς κατὰ νόμους δὲ θεραπείας ἐκίνησεν οὐδὲ ἕν, ἀλλ' ἦν μὲν ἐν τοῖς ἱεροῖς πενία, παρῆν δὲ ὁρᾶν ἅπαντα τἄλλα πληρούμενα.* Et mox rursum: *ὅταν τοίνυν καὶ τοῦ συνελκηκότος* (Constantinum Magnum intelligit) *μνημονεύωμεν, τὸ μὲν ὡς ἐπὶ τὰς θυσίας προῆλθε, παρίημι: ἀλλὰ τίς ὢν μεγάλην τὴν περὶ τὰ ἱερὰ χρήματα δέδωκε δίκην;* &c. Et hæc quidem de Constantino Magno. Quod sacrificia attinet, Libanius in eo falsus, quod ea à Constantino Magno vetita negat: apertè enim id profitetur Constans filius eius *hâc lege* 2. *hoc tit.* Id verò factum vt dixi sub extremis Imperij eius annis.

¶ Patris igitur exemplum secuti Constantius & Constans, quod Sozomenus etiam scribit, *lib.* 3. *cap.* 16. in sacrificiis abolendis, aris idolisque exscindendis & templis occludendis: *καὶ τοὺς πατρῴους νόμους ἐπιψηφιζόμενοι καὶ δεινὰς τιθέντες νόμους, κατὰ τῶν θύειν ἢ ξόανα θεραπεύειν, ἢ ἄλλως ἑλληνικῶς θρησκεύειν, ἐπιχειρούντων*, &c. De Constantio viderimus ad eius leges.

¶ Nunc de Constante. Sanè ipsemet profitetur *l.2.* sese Patris exemplum hâc in re sequi, in superstitione inquam gentilitia prohibenda. Ergo Constans vtraque lege Romæ omnem superstitionem cessare, sacrificia aboleri, imò per Præfecturam Vrbis nominatim *l.3.* superstitionem omnem erui, id est, aras & idola exscindi voluit: at non & ædes seu ædificia ipsa templorum dirui: de quo posteriore posteà: Sanè de Aris excisis, fidem facit quoque, *Ara Victoriæ*, in Senatu seu Curia Vrbis Romæ, Constantis Imperio diruta: de quo queritur multo post Symmachus, relatione ad Valentinianum, seu *epist.* 54. *lib.* 10. Nam de ea restituenda agens, & exempla in vtramque partem Principum colligens: *Meritò*, inquit, *Diui Constantis factum diu non stetit: omnia vobis exempla vitanda sunt, quæ mox remota didicistis*: Quo loco Symmachus Magnentij factum tacitè opponit, qui vt sacrificia nocturna, ita & Aram proculdubio victoriæ, restituerat. De Templis quoque à Constantini filiis occlusis fidem facit Theodoretus, *d. cap.* 20. *Κωνστάντιος τοὺς ναοὺς βεβαίως μὲν ἐφύλαξε, καὶ μόνος καὶ εἰ τοῦτο παῖδες τοῖς πατρῴοις ἠκολούθησαν ἔχειν*: & Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 10. de quo dicam ad *l.4. infr.* Sed & huc omninò referendum est, quod Iulius Firmicus Maternus, hoc ipso tempore *ad Constantium & Constantem* scribens. Post Excidia, inquit, Templorum, *in maius Dei virtute estis prouecti, vicistis hostes, propagastis Imperium, & mutato ac contempto temporum ordine, hyeme tumentes ac sæuientes vndas calcastis Oceani sub remis vestris: incogniti iam nobis prope maris vnda contremuit & insperatam Imperatoris faciem Britannus expauit.* Qui locus ad Constantem, harum legum auctorem, propriè pertinet: Hic enim (vt id obiter moneam) hoc ipso Anno 342. quo data est *lex* 3. Francos *νικήσας ὑποσπόνδους Ῥωμαίοις ἐποίησε*: & post Francos deuictos (sequentis Anni 343. principio) sæuâ hyeme Bononia, Galliarum vrbe, digressus, in Britanniam nauigauit: vt ex Libanij *βασιλικῷ*, Ammiano Marcellino, *initio lib.* 20. Socrate, *lib.* 2. *cap.* 10. Sozomeno *lib.* 3. *c.* 5. Hieronymo, *Chronico* & subscriptione *legis* 5. *supr. de extraordinar. munerib.* liquet: quod tamen Annalium quoque Ecclesiasticorum Conditorem fugit. *Excidia* autem *Templorum* vocat Iulius Firmicus, propter ea occlusa, eorúmque adisum præclusum, aras & imagines excisas.

¶ Ergo Constantis studium magnum fuit in omni superstitione penitus eruenda, quem vt Catholicum, eiúsque fidem aliàs extollit, & inter cætera Ecclesias donariis repletas ab eo commendat Athanasius *Apol. ad Constantem p.* 525. 528. At in ædibus templorum euertendis, ac nominatim Romæ, Iulio ibi Episcopatum tenente, vel ad Romam, Constantini Patris exemplum *hâc leg.* 3. Constans secutus non est: quanquam non deessent, qui per hæc ipsa tempora profanarum ædium quoque ruinas seriò suaderent, quod propositum fuit Iulio Materno, *libro de errore prophanarum Religionum, vt ad Constantium ita & ad Constantem* hunc ipsum scripto: vide nominatim *p.* 68. 96. 97. Et verò id à Constantio factum ex Libanio liquet, *oratione funebri in Iulianum*, *p.* 253. *ἱερὰ δὲ καὶ νεὼς τοὺς μὲν ἔκλεισε, τοὺς δὲ κατέσκαψε, τοὺς δὲ βεβήλοις ἀπορρήτοις ἀνθρώποις ἐνοικεῖν ἔδωκε.* Et ex altera *orat. ὑπὲρ τῶν ἱερῶν* de quo ad *l.4. infr.* At Constanti mens alia fuit *hâc leg.* 3. in Præfectura certè Vrbis Romæ, pariter vt per eandem Præfecturam Vrbis Romæ sepulchra destrui vetuit, ante biennium *l.5. supr. de sepulchro violato.* Ita quidem, vt nec eas Ædes Templorum, quæ extra muros Vrbis Romæ essent positæ, dirui velit. Extra oppida scilicet & ciuitates, in agris, in itinere, frequentia templa fuêre: de quibus quinque insuper aliis huius tituli Legibus agitur: putà *l.* 10. 12. 14. 16. 19. *infr. hoc tit.* De iisdem est & hic Libanij locus, *orat. ὑπὲρ τῶν ἱερῶν*, ad Theodosium Magnum: *πολλὰς μὲν ἐν ὑπαιθρίοις, πολλὰς δὲ ἐν πεδίοις ἱδρύσαντο: ἐν ἑκάστῃ δὲ μετὰ τὸ τεῖχος ἀρχὴ τοῦ λοιποῦ σώματος ἱερὰ καὶ νεώς: ταῦτα γὰρ διὰ τῶν πάντων κυβερνητῶν ἡγοῦντο μεγίστην αὐτοῖς καὶ τὴν ἀσφάλειαν εἶναι: κἂν ἐπέλθῃς τὴν γῆν ἅπασαν, ἣν οἱ Ῥωμαῖοι νέμονται, πανταχοῦ τοῦτο εὑρήσεις*: vbi vides etiam rationem horum templorum extramuranorum. Sed idem pluribus mox templorum excidia in agris deplorans, *τολμᾶται μὲν οὖν κἂν ταῖς πόλεσι, τὸ πολὺ δὲ ἐν τοῖς ἀγροῖς.* Et mox: *χωροῦσι τοίνυν διὰ τῶν ἀγρῶν ὥσπερ χείμαρροι, κατατρέχοντες διὰ τῶν ἱερῶν τοὺς ἀγρούς: ὅ, τι γὰρ ἂν ἱερὸν ἐκκόψωσιν ἀγροῦ, τοῦτο τετύφλωταί τε καὶ κεῖται, καὶ τέθνηκε: ψυχὴ γάρ, ὦ βασιλεῦ, τοῖς ἀγροῖς τὰ ἱερά, προοίμια τῆς ἐν τοῖς ἀγροῖς κτίσεως γεγενημένα, καὶ διὰ πολλῶν γενεῶν εἰς τοὺς νῦν ὄντας ἀφιγμένα, καὶ τοῖς γεωργοῦσιν ἐν αὐτοῖς αἱ ἐλπίδες, ὅσαι περί τε τῶν ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν καὶ τέκνων καὶ βοῶν καὶ τῆς σπειρομένης γῆς καὶ τῆς πεφυτευμένης: ὁδὲ τοῦτο ..... ἀγρὸς ἀπολώλεκε καὶ τῶν γεωργῶν μετὰ τῶν ἐλπίδων τὸ πρόθυμον: μάτην γὰρ ἡγοῦνται πονήσειν τῶν εἰς δέον τοὺς πόνους ἀγόντων .... θεῶν.* Vbi vides rationem horum templorum in agris positorum, in quibus spes omnis rusticorum fuerit.

¶ Ac vt in aliis vrbibus, ita & *extra muros* Vrbis Romæ frequentia templa fuêre: vno verbo *extramurana* (quomodo Ambrosius *epist.* 33. *extramuranam Basilicam* dixit:) In viis scilicet Romanis, seu in Itinere (vt vocatur *l.10. infr.*) Romano. Memorat Cicero, *lib.2. de legibus* Extra Portam Collinam ædem Honoris: Festus, siue Paulus, Næniæ Deæ sacellum vel ædiculam Extra Portam Viminalem. Idem Festus, in verbo *Pudicitia*,

cinia, in VIA Latina, Fortunæ Muliebris. Ouidius 6.*Fastorum*, Asconius Pedianus & Scriptores Vrbis Romæ, EXTRA portam Capenam ædem Camœnarum, Liuius, Festus, *in verbo Manalem*, extra eandem portam, Martis ædem: de qua & Ouidius

Lux eadem Marti festa est, quem prospicit EXTRA
Appositum rectæ porta Capena viæ.

Item Bonæ Deæ sacellum, Ædem Honoris, Victuris, Tempestatis, Valerius Maximus, Ouidius. In via Latina, Herculis Templum, vide Martialem *lib.9. epig.*65. 104. Suburbanæ templum nemorale Dianæ, Ouidius *de arte*. Fuêre & suæ per hæc tempora Christianis Basilicæ, EXTRAMVRANÆ. Veluti extra muros Vrbis Romæ *Basilica D. Petri in via Triumphali*, vti notatur in Itinerario Peutingeriano, cuius mentio fit, claráque memoria fuit sub hoc ipso Constante, vt docet Socrates *lib.4.cap.*18. & Athanasius, *epist ad solitariam vit. ag. pag* 645. cuius etiam meminit posteà Sidonius *lib.*1. *epist.*5. *Inter hæc patuit Roma aspectui, vbi priusquam vel pomœria contingerent* TRIVMPHALIBVS APOSTOLORVM LIMINIBVS *affusus est*, &c. & Imp. H. Lotharius 1. *lib.*3. *Longobardicarum tit.*11. *Capitula quæ Imp. Lotharius addidit ad limina B. Petri Apostoli* IVXTA *ciuitatem Romanam tempore B. Eugenij Papæ.* Nec Romæ tantùm, Ambrosius 5. *epist.*33. *Nec iam Portiana, hoc est* EXTRAMVRANA, *petebatur, sed Basilica noua.*

¶ De templis igitur Extramuranis, tantùm in spec. *huius leg.*3. quærebatur, vtrum hæc saltem demolienda essent: nam de intramuranis quæsitum non fuit: nempe quod in his decor ciuitatis consisteret. Atenim extramuranorum non eadem ratio videbatur: quin potius (quæ ratio indicatur *initio huius legis*) hac ratione superstitio penitus eruenda videbatur, quod etiam Arcadio placuit posteà *l.*16. *infr.* cùm iam etiam in vrbis motis profligata essent. Atenim Constans *hâc lege* contrà, voluptatis Populi Romani seu lætitiæ publicæ rationem obtendit, ne & hæc diruantur. Nempe quod ex nonnullis origo ludorum exorta fuerit. Quam rationem illustrat & hic Lactantij locus, *lib.*6. *cap.*20. *Ludorum*, inquit, *celebrationes Deorum festa sunt: siquidem ob natiuitates eorum, vel* TEMPLORVM NOVORVM DEDICATIONES *sunt constituti.* Item hic Dionis *lib.*60. ἐν γὰρ δὴ τῇ τοῦ Αὐγούστου γενεθλίῳ, ἐν ᾗ ἐγεγόνει, ἀγωνίζοντο μὲν ἵπποι, οὐ δι' ἐκεῖνον δέ, ἀλλ' ὅτι ὁ τοῦ Ἄρεως ναὸς ἐν ταύτῃ ἐθεδίδρυτο, καὶ διὰ τοῦτο ἐτησίοις ἀγῶσιν ἐτετίμητο. Ecce annuis Agonibus diem Natalem Martis templi transactum cultum ait Dio. Et alioquin notum, Natales templorum festos fuisse. Neque abscedit, quod Æthicus *Cosmographia* memorat: *Tiberis insulam facit inter Portum Vrbis & ostium ciuitatem, vbi* POPVLVS ROMANVS *cum* VRBIS PRÆFECTO *vel Consule* CASTORVM *celebrandorum causa egreditur* SOLEMNITATE iucunda. Suidas Maiumam hanc vocat: ibíque ait, ἐδυνάστευσαν ἐπείχοντο ἐν τοῖς θαλαττίοις ἀλλήλους ἐμβάλλοντες.

¶ Vt ad huiusce legis sententiam redeamus, Ergo Constans noluit Templa etiam extra muros Vrbis posita, dirui. Ratio dubitandi hæc videbatur, præter causam religionis, quod videlicet his dirutis publico ornatui nil detraheretur: quomodo aliàs per vrbes ipsas Templa ornatui publico conducere videbantur, atque adeò non destruenda. Rationem verò hanc decidendi reddit Constans, à voluptatibus publicis desumptam. Quod cum ex nonnullis Ludorum origo fuerit exorta, non conueniat ea conuelli, ex quibus Populo Romano priscarum solemnitas voluptatum præbeatur. Quæ quidem sententia ferri sæpè potest, atque adeò voluptatis ratio haberi, si superstitio aliàs absit.

¶ CONSTANTII Prima *hoc titulo lex de* TEMPLIS *occludendis, & SACRIFICIIS prohibendis.*

IV. * Idem A." ad Taurum PF. P."

PLACVIT, omnibus" locis adque vrbibus vniuersis claudi protinùs Templa, & accessu vetitis omnibus, licentiam delinquendi" perditis" abnegari. Volumus etiam cunctos Sacrificiis abstinere. Quòd si quis aliquid fortè huiusmodi perpetrauerit, gladio vltore sternatur. Facultates etiam perempti fisco decernimus vindicari: & similiter adfligi Rectores" Prouinciarum, si facinora vindicare neglexerint. Dat. Kalend. Decembr. Constantio IV". & Constante II. AA. CONSS.

NOTÆ.

* *Lex* 1. *Cod. eod. tit.* Sed & *hanc legem* memorat Baronius *Anno D.*346. *num.*10. 11. Abest ea à Basilicis, teste Photio, *Nomocanonis tit.*12. *cap.*4. quod nulli fermè Pagani in orbe Romano superessent: Continetur tamen Paratitlis Græcis: *lib.*1. *tit.*11. §.1.

"*Constantius* hæc lex malè tribuebatur in editis Codicibus Iust. quod in vltimâ editione emendaui.

"*Taurus* PP. Italiæ sub Constantio Imp. vt docet vel *lex* 2. *supr. de erog. mil. ann.* *lex* 8. *supr. de exactionib.* Fuit autem Præfectus Prætorio ab Anno D.353. ad Annum 361. vide Notitiam & *Consular. Theod.*

" πανταχοῦ, ἐν πόλεσιν, ἐν ἀγροῖς: Sozomenus.

"*Delinquendi*, id est, Consulendi, diuinandi vel etiam sacra celebrandi: vide Commentarium.

"*Perditos*, quos hic vocat. *Vesanos* vocat *lex* 7. *infr.* de qua voce mox.

"qui sub dispositione Præfecti Prætorio fuere.

"*Constantio V I.* id est, Anno D.353. quia ab eo demum anno cœpit Taurus Præfectus Prætorio esse.

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. tres constitutiones sequuntur. Et *hâc* quidem *leg.* TEMPLA Gentilium vbique claudi, eorúmque aditus omnibus præcludi iubentur, & SACRIFICIA omnibus interdicuntur, constitutione ad Taurum Præfectum Prætorio Italiæ Anno D.353. emissâ: cuius proinde hypothesis non ad omnia loca quæ Imperio Romano gubernabantur, pertinet.

¶ Sacrificia sanè ab eodem sæpè prohibita iam ad *l. 2. supr.* ostendi & fidem facit *lex 5.6. infr.* vbi dicâ. Sed & Libanius *orat.* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, quam edidi: vbi iussisse eum ait, μηκέτ' εἶναι θυσίας. At de Templorum occlusione nunc videamus. Templa igitur Gentilium, vt à Constantino Magno, ita & à Filiis eius occlusa fuisse præter Theodoretum, *lib. 5. cap. 20.* (cuius verba retuli ad *l. 3. supr.*) Sozomenus quoque *lib. 3. cap. 16.* testatur, ναὸς, inquit, εἰ πανταχῆ κεκλεῖσθαι ἐν πόλεσιν, ἐν ἀγροῖς κεκλεῖσθαι προστέταχε. Quibus verbis dubium nullum, quin Sozomenus ad hanc quoque legem respexerit. Quinimò & euersa ab eo templa nonnulla & Libanius ostendit *orat. funebri in Iulianum, pag. 253.* ἱερὰ δὲ καὶ νεὼ τοὺς μὲν ἔκλεισε, τοὺς δὲ κατέσκαψε, τοὺς δὲ βεβήλους ἀποφήνας πόρνοις ἐκείνων ἔδωκε. Et oratione ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, de eo agens, καθεῖλε, inquit, νεώς, vbi addit magno labore constitisse his templorum excidia propter eorum insignem structuram. Item donata ab eo templa Palatinis aulicis: ἐκεῖνος γὰρ καὶ δωρεὰς αὐτοῖς τοῖς ἀμφ' αὐτὸν ἐδίδου καθάπερ ἵππον, ἢ ἀνδράποδον, ἢ κύνα, ἢ φιάλην χρυσῆν.

¶ Causam seu finem occludendorum templorum hanc reddit Constantius: *Vt accessu vetitis omnibus, licentia delinquendi perditis denegetur.* Suspicatus iam olim sum, cùm in hunc titulum scriberem δυσφημίαν, & hic euitasse Constantium, quam euitare soliti Principes sæpè, vbi curiositaté & consulendi artes perstrinxêre. Ita Constantinus *leg. 1. supr. de maleficis. Nullus Aruspex limen alterius accedat,* NEC OB ALTERAM CAVSAM. Et Valentinianus *l. 2. supr. de quæstionib. Maiestatis tantummodo reos &* QVÆ NEFANDA DICTV *sunt conscios aut molientes.* Nisi quis mallet pro *delinquendi,* hîc *de fine quærendi* legere, vt in hâc eâdem re *l. 12. infr. finem quærere salutis alienæ* dicitur, & Horatius *1. Carm. 11.*

Tu ne quæsieris scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem DI dederint Leucothoë.

Et Tacitus *lib. 12. Scribonius in exilium agitur, quasi finem Principis scrutatus.* Pro quo alibi dicitur *super seu de salute, & de capite consulere* apud Tertullianum *Apolog. cap. 35.* Paulum *5. sentent. tit. 21.* Spartianum *Seuero & l. 12. infr.* Item Fata scrutari Tacito *lib. 16.* & de vita interrogare & respondere Firmico *Mathes. lib. 2. cap. vltim.* verùm nihil hîc mutandum, quin priori sententiæ adhærendum: Nempe *delinquendi perditis* appellatione illud ipsum indicatur, quod de fine Principis consulere. Nam quod quidam putat hoc velle Constantium, templa claudi consultius esse, ne superstitionibus nondum saluti *simulacra* Deorum venerandi rapiant occasionem, hinc alienum prorsus est.

¶ Quod *Perditorum* nomen attinet, eo nomine Christianos quondam Gentiles insectati. Tertullianus *Apolog. cap. vltim. Propterea enim desperati & perditi existimantur*: Quia salutis suæ curam nullam habent, παραβάλλοντες, ἀπονενοημένοι, desesperez. *Ingenium velox, audacia perdita*, Poëtæ. Κυρίως etiam de his qui in dominos quid moliuntur. Tertullianus *Apolog. cap. 27. vice rebellantium ergastulorum, &c. erumpunt aduersus nos, in quorum potestate sunt, certè impares se esse & hîc magis perditi, &c.* Atque hoc sensu hoc loco id accipiendum. Generalius verò apud Iulium Firmicum *de error. profan. relig. Hic sunt elementa à perditis hominibus consecrata.* Idem *perditos homines religioso sermone conuenio,* & mox *mens perdita.* Quanquam & *perditos* eo sensu dixerit, quia à Domino Deo ad Idola sese conferrent. Atenim verba ista Firmici *annuis perditorum commonitionibus*, ad diuinationes omnino pertinent. Idem *Math. 2. cap. vltim.* Mathematicum informans & instruens, quomodo castè artem suam exercere possit; *Non enim oportet,* inquit, *perditas mentes hominum diuinis initiari cerimoniis, sed nec occupato animo & perdita cupiditate polluto.*

¶ Igitur, cùm Sacrificia prohibita iam, templáque occludi iussa fuissent, attamen (quod hæc lex indicat) Iudicum conniuentia, & Templa nihilominus alicubi adhuc patebant, & sacrificia porrò quædam clam agitabantur, atque ita perditis quibusdam *delinquendi occasio*, id est, de fine Principis Magos, &c. consulendi, quærendi patebat: A quibus alioquin variis sese subinde legibus vindicare Constantius necesse habuit. Inter alias *l. 4. 6. supr. de maleficis*: vbi hæc verba notentur: *si quis Magus, &c. aut certè aliquid horum simile exercens in Comitatu meo vel Cæsaris* (Iuliani) *fuerit deprehensus*; Ammianus Marcellinus *lib. 16. p. 72.* in Anni 356. gestis. *In Castris Augusti, per simulationem tuendæ Maiestatis Imperatoriæ, multa & nefanda perpetrabantur, si quis super occentu soricis, vel occursu mustelæ vel similis signi gratia CONSVLVISSET quenquam PERITVM.* Quod & Theodosio Magno euenit, antequam sacrificia penitus prohiberet: vide *l. 7. 8. 9. infr.* Itaque hæc rursum prohibere Constantius necesse habuit *hâc leg.* sub seuerissima pœna capitis & proscriptionis bonorum, etiam Rectoribus Prouinciarum conniuentibus imposita.

¶ Porrò, si quis coniecturæ locus, atque hæc lex rectè ad Annum 353. à nobis refertur, tum eadem eius ferendæ occasio fuerit, quæ *leges prox. 5.* *Magnentij*, inquam, tyrannis seu tempora: Atenim fallitur Alciatus *1. Parergon 13.* qui occasionem huius legis, atque hanc legem ipsam putat, quam Cassiodorus: (imò antiquior eo Sozomenus, *lib. 4. c. 9.*) memorat: Pertinet enim ea lex *ad Ægyptum & Alexandriam.* Atqui hæc lex data est ad Taurum PP. Italiæ scilicet, & ad Italiæ Præfecturam pertinet: *Omnia* scilicet *loca atque vrbes hâc leg.* sunt, quæ per eam Præfecturam erant, non omnea quæ Romano Imperio gubernantur, quod nonnemo alioquin prodidit. Nempe ad inscriptiones suas coarctandæ sunt ita, & ex iis explicandæ leges, quod docuimus ad *l. cunctos populos supr. de fide Catholica.* Quanquam non nego hoc ipsum & per Ægyptum à Constantio factum.

¶ CONSTAN

¶ CONSTANTII Secunda *hoc titulo lex aduerſus* NOCTVRNA *ſacrificia Romæ*.

V. * Idem A. ad Cerealem P. V."

ABOLEANTVR ſacrificia nocturna, Magnentio auctore permiſſa, & nefaria deinceps licentia repellatur, &c. Dat. IX. Kalend. Decembr." Conſtantio A. VI. & Conſtant. Cæſ. II. COSS. [353.]

NOTÆ.

* Abeſt *hæc lex* à *Cod. Iuſt.* velut χρονικὴ. Inſeruit eam rectè Annalibus ſuis Baronius *Anno D.* 353. *n* 32.

"*Cerealis* P.V. Romæ ſub Conſtantio: vide & *legem* 2. *ſupr. de indulg. crim.* & *l.* 9. *quorum appellat.* quæ eidem inſcribuntur hoc ipſo anno, & auctorem ignotum de Præfectis apud Cuſpinianum: & *Proſopogr.* noſtram.

"*Arelate* datam hanc Conſtitutionem oportet ex iis, quæ Ammianus Marcellinus narrat *lib.* 14. *p.* 9. *Arelate hyemem agens Conſtantius ad diem ſextum Idus Octobris*, & pag 25. *Cæli reſerato tepore Conſtantius Conſulatu ſuo ſepties & Cæſaris iterum* (hic eſt annus proximè ſequens 354.) *egreſſus Arelate Valentiam petit.*

COMMENTARIVS.

NOCTVRNA SACRIFICIA Magnentio Tyranno auctore, per Præfecturam Vrbis Romæ, permiſſa, hâc Conſtantij Imp. conſtitutione abolentur Anno D.353. quo tempore *Liberius* Pontificatum ibi tenebat. Antequam ad ipſius legis ſententiam accedo, de Magnentio primum hanc ad rem pauca notanda ſunt. *Magnentius* igitur, Conſtante Galliarum Imp cæſo, Sergio & Nigriniano COSS. (id eſt, Anno D.350.) 15. Kal. Februarias tyrannidem aſſumpſerat: author Socrates, *lib.* 2. *cap.* 27. & *lex* 2. *ſupr. de indulg. crimin.* id oſtendit: Sic quidem, vt Præfectos Vrbi præfeciſſe eum author peruetuſtus Notitiæ Præfectorum, & Ammianus Marcellinus *lib.* 16. (vbi de Adelphio Præfecto Vrbis agit) prodant. Verùm Conſtantius Anno 352. (Conſtantio V. & Conſtante Cæſ. COSS.) in Pannonia agens, & Sirmij quidem, (vt præter Socratem *d. lib.* 2. *cap.* 27. & Sozomenum *lib.* 4. *cap.* 3. docet hoc ipſo Codice *l.* 8. *ſupr. de petitionib.* & *l.* 6. *ſupr. de Veteranis*, & Codice Iuſtinianeo *l.* 5. *qui teſtamenta facere*) Magnentium è Pannonia (quò ſe contulerat: de quo vide etiam Iulianum, *orat.* 1. *p.* 120.) Murſenſi prælio ſub autumni exitum in Italiam fugauit. Verùm ex Italia rurſum in Galliam recipere ſe coactus à Conſtantio Magnentius, vide *d. Iuliani orationem*, *p.* 134. Sic Vrbe Româ Italiáque Conſtantius potitus eſt. Quare à Magnentio contra ius geſta protinus infirmauit *l.* 5. *ſupr. de infirm. his quæ ſub Tyrann.* Mox autem (Conſtantio VI. & Conſtante Cæſ. II. COSS. id eſt, Anno D.353.) Magnentium in Galliam perſequutus, apud Lugdunum eum 18. Kal. Septembr. profligauit, vt Socrates *lib.* 2. *cap.* 27. memoriæ prodidit: eum tribus videlicet annis & ſex menſibus integris (Zoſimo, *lib* 2. *p.* 701. & Eutropio *lib.* 10. & Victore altero qui eum quadrageſimo ſecundo menſe Imperij ait expiraſſe, teſtibus) imperaſſet. Hinc eſt, quòd hoc ipſo Conſulatu paucis poſt eam victoriam diebus, 8. Id. Septemb. *lex* 2. *ſupr. de indulg crim.* LVGDVNO data huic Codice proponitur.

¶ Poſt hanc itaque Victoriam, cùm Conſtantius Imp. abolendis, quæ Magnentij tyrannis inuexerat, intentus eſſet, quod Ammianus Marcellinus *lib.* 14. *p.* 9. oſtendit, in hunc finem præter *legem prox.* 4. *ſupr.* duæ nominatim ad Cerealem Præfectum Vrbis Romæ ab eo promulgatæ conſtitutiones fuerunt: nempe *d. lex* 2. & *hac lex* 5. Quem quidem Neratium Cerealem à 6. Kalend. Octobris ſuperioris Conſulatus (ſeu Anni 352.) ad 6. Id. Decembris huius Anni 353. Præfectum Vrbi fuiſſe vetus Præfectorum Notitia teſtatur. De quo eodem & vetus Inſcriptio hæc occurrit, quæ & ipſa ad Magnentij tyrannidem ſpectat:

RESTITVTORI VRBIS ROMÆ ATQVE
ORBIS ET EXTINCTORI PESTIFERÆ
TYRANNIDIS DN. FL. IVL. CONSTANTIO
VICTORI AC TRIVMFATORI
SEMPER AVGVSTO
NERATIVS CEREALIS V.C. PRÆFECTVS
VRBI VICE SACRA IVDICANS
D. N. M. QVE EIVS.

De hoc Cereali P. V. in *Proſopographia* plura.

¶ Inter alia porrò, vt ad legem noſtram accedamus, quæ Magnentius etiam Romæ, firmandæ ſcilicet dominationi, inuexerat vel permiſerat, Nocturna etiam ſacrificia (diurna enim fortè palam auſus non fuerat) erant. Quod *hâc leg.* oſtenditur. Cui proximum eſt, quod Athanaſius *Apologia ad Conſtantium*, *p.* 528. ait, Magnentiũ magis & incantationibus contra Dei iuſſa attẽdiſſe. Sanè etiam reperio à Libanio Scriptore Gentili, *orat. funebri ad Iulianum*, *p.* 268. Magnentium, etſi alieni Imperij incubatorem, commendari, quod imperaret μετὰ φυλακῆς τῶν νόμων: Quod ſanè à Gentili Scriptore dictum ob ſacrificia aliquatenus ſaltem reſtituta vel permiſſa, quæ Conſtantius nunc aboleri iubet. Quo exemplo Conſtantinus Magnus quoque deuicto Maxentio Tyranno nocturna Romæ ſacrificia ſuſtuliſſe argum. *l.* 3. *ſupr. de infirm. his quæ ſub tyrannis*, videtur: Et Valentinianus poſteà, cùm diurna non prohiberet, nocturna ſaltem ſacrificia in quibuſdam Imperij ſui partibus pernicioſius innecta prohibere neceſſe habuit *l.* 7. *ſupr. de maleficis*, Zoſimus *lib.* 4. *p.* 735. Niſi quod ea per Græciam & Eleuſinia nominatim myſteria reſtituere, Prætextato Achaiæ Proconſule id agente, coactus, ſi eidem Zoſimo credimus.

¶ De Nocturnorum ſacrificiorum prohibitorum ratione, etiam cum diurna licita eſſent, monere plura nil attinet. Certè in ſpec. *huius leg.* non aliâ ratione ea prohibita quàm diurna: quare quæ de nocturnis ſacris ex Paulo & Marcellino ad *hanc leg.* notantur ἀπροσδιόνυσα ſunt. Illud maioris adhuc ἀπειρίας eſt, quod quidam hic notant, de nocturnis Chriſtianorum conuentibus: non planè autem ἀπροσδιόνυσον quod Firmicus 2. *Math. cap. vlt. in fin.* Mathematici conditionem inſtruens, inter cætera

cætera, eum monet, *Vt nunquam nocturnis sacrificiis intersit, siue illa publica, siue priuata dicantur; sed puram sub conspectu omnium istius diuinæ artis exerceat disciplinam.* Tandem obseruandum, quod Theodoretus, *in Θεραπευτικῷ* 8. *pag.* 116. ait, sacrificia pro defunctis suo adhuc æuo per *noctem* fieri solita ὅτι δὲ καὶ χοὰς τοῖς τεθνεῶσι προσέφερον, ἴσασιν καὶ ὑμεῖς οἱ νύκτωρ ταύτας ὑπὲρ τοὺς νόμους τολμῶντες.

¶ Illud vltimum notari cupio, datam hanc legem ad *Cerealem* Præfectum Vrbis, proculdubio ad eius suggestionem, quem Christianæ religioni addictissimum fuisse credere licet. Sanè id satis indicant ea, quæ de Cereali hoc memorat Hieronymus, *epistola* 16. *tomo* 1. *folio* 54. ambitiosius petente Marcellam viduam in vxorem.

¶ CONSTANTII Tertia *hoc titulo lex aduersus* SACRIFICIA *cultúmque* SIMVLACRORVM.

VI. * Idem A. & Iulianus Cæs.

POENA" capitis subiugari præcipimus eos, quos operam sacrificiis dare, vel colere simulacra," constiterit. Dat. XI. Kalend. Mart. Med. Constantio A. VIII. & Iuliano Cæs. COSS. [356.]

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* Inseruit eam rectè Baronius Annalibus suis, *Anno D.*356.*num.*1. eiusdémque rursum meminit *num.*116.

"pro *Pœna*: Pariter vt *l.*23. *infr.* Sic *sententia* subiugari, *l.*11. *supr. de Iudæis.*

"*Superstitio* hæc propriè *l.*2. *supr.*

COMMENTARIVS.

SACRIFICIA & SIMVLACRORVM cultus hac Constantij lege sub capitis pœnâ rursum inhibentur: Quare & Ammianus Marcellinus, *lib.*16. in huius ipsius Anni 356. gestis *Iulianum* OCCVLTE *Mercurio supplicasse* scribit. Quinimò victoriæ aram, per hæc tempora à Constantio Romæ sublatam Symmachus, *relatione ad Valentinianum, lib.*10.& Ambrosius quoque, *lib.*2. *contra Symmachi relationem* testantur.

¶ Et tamen vt Constantius hæc fecerit, Gentilitiæ nihilominus religionis eum loca, Sacerdotúmque priuilegia Romæ intacta reliquisse idem Symmachus *d. Relatione* refert. Idque confirmat etiam quod de solemni eius sequenti Anno 357. Romam ingressu iuxta Symmachum Ammianus Marcellinus *d. lib.*16. narrat.

¶ Cæterùm toties iterandæ huius prohibitionis, & tam grauibus quidem pœnis propositis, hoc nominatim anno, Constantio non alia occasio fuisse videtur, quam ea ipsa, quam & *l.*4. indicari ostendi & ab eodem diuinandi Vatésque consulendi curiositas ab eodem prohibita, eadem pœna proposita *l.*4. 6. *supr. de maleficis & Mathematicis.* Nempe quia, quod Ammianus Marcellinus *lib.*16. plenè exequitur, in huius ipsius Anni 356. gestis, *semper se feriri sperabat*, id est, timebat.

¶ THEODOSII M. Prima *hoc titulo lex aduersus* SACRIFICIA, *templorúmque in id ingressum.*

VII. * Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEODOSIVS AAA. Floro PF. P."

SI qui vetitis" sacrificiis, diurnis nocturnísque," velut væsanus" ac sacrilegus incertorum" consultorum," inmiserit, fanúmque sibi aut templum" ad huiuscemodi sceleris excusationem adsumendum crediderit, vel putauerit adeundum, proscribtioni se nouerit subiugandum: Cùm nos iustâ institutione moneamus, *Castis" Deum precibus excolendum, non diris carminibus" profanandum.* Dat. XIII." Kal. Ian. Constp. Eucherio & Syagrio COSS. [381.]

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* Inseruit eam rectè Annalibus suis Baronius, *Anno D.*381. *num vlt.*

"*Florus* PP. Orientis fuit sub Theodosio Magno: vide *legem* 3. *supr. de primiceriis & Notariis*, & plenè in *Prosopogr.*

"Hinc colligat quis, Non omnibus sacrificiis, verùm Consultoriis tantùm Theodosium hac lege interdixisse: vide & *legem* 8.9 *infr.* de quo tamen mox.

"de *Nocturnis* sacrificiis dixi ad *legem* 5. *supr*

"Puta de statu Reipublicæ & de salute Principis. Ita Vlpianus apud Auctorem collationis legum Mosaicarum *tit.*15. *Senatusconsultum*, inquit, *factum, quo cautum, vt Mathematicis, Chaldæis, Ariolis & cæteris qui similem incertum fecerint, aqua & igni interdicatur*: vbi pro incertum repono *incertorum artem* vel *incerti quæstum*

"*al. Consultor animum*: vel simpliciter *consultor*, voce propriâ; error natus ex terminatione vocis superioris *incertorum.*

"Templa

"*Templa* igitur cæteroquin hoc tempore adhuc patebant: de quo mox.
"*Casta* preces, diris carminibus oppositæ: contra, preces nefariæ in eadem re *l.7. supr. de malef.*
"*Suffragia* dicuntur *l.3. supr. de maleficis*: contamina *l.5. dict. tit.* pro quo in Cod. fuit, repositum, vt hic *carmina*, nefariæ preces magici apparatus *l.7. d. tit.* vide Apuleium, Arnobium & alios.
"*XII.* in Til. edit.

COMMENTARIVS.

AD THEODOSII Magni constitutiones, quæ sex numero hoc titulo occurrunt, putà *lex* 7. 8. 9. 10. 11. 12. à Constantio Imp. magno Principum & annorum (25. scilicet) hiato, nunc prouehimur: nullis Iuliani, Iouiani, Valentiniani, Valentis, Gratiani, aduersus Paganos & sacrificia, legibus hunc in titulum relatis. (Quam hoc loco obseruationem siue excursum meum aliis probatum, atque imitationi fuisse video) cui similis etiam hiatus occurrit *titulo de Iudæis suprà*. Huius verò rei causa hæc est: Quia (verba sunt Symmachi in Relatione ad Valentinianum, hanc in rem singularia) *si numerentur hi* (quos modo dixi) *Principes, vtriusque sectæ, vtriusque sententiæ, proximus eorum ceremonias patrum*, (id est, Gentilium) *coluit; recentior non remouit. Dissimulationem*, ideò & conniuentiam horum posteriorum Principum Symmachus laudat; memorat & Ambrosius *lib. 1. & 2. aduersus Symmachum.*

Enimverò IVLIANVS (quod omnes norunt) in Apostasiam prolapsus Deorum templa, cultúmque restituit, loca prædiáque templorum in iura templorum retraxit, & in Gentiles à Constantino, Constante, & Constantio facta sancitáque reuocauit; de quo vt innumera sunt veterum testimonia, ita complures constitutiones fidem faciunt. Hic itaque est ille, quem Symmachus Gentilium sectæ & sententiæ patrum ceremonias coluisse tradit.

Iulianum IOVIANVS sequutus est. Is, etsi Christianus, ἐθελοθρησκείας nihilominus, rerum necessitati cedere coactus, inuexit: quo nomine à Themistio *oratione* 12. (quæ ὑπατικὸς inscribitur habita Anno D. 364.) & cuius etiam meminit Socrates, *lib. 3. cap. 21. in fine*) multis commendatur, vt proinde Theodoreto *lib. 5. cap. 20.* qui similem excursum habet, non vsquequaque fides habenda sit, qui Iouianum, idolorum cultum inhibuisse scribit.

Valentinianus Sen. pariter inter religionum diuersitates medius (vt ex Ammiani Marcellini *lib.* 30. iam ante ad *l. 1.* diximus) leges in Imperij sui exordio dedit, quibus vnicuique, quod animo imbibisset colendi liberam facultatem tribuit: vt totidem verbis ipsemet in *l. 9. supr. de maleficis*, profitetur. Et Symmachus quoque Relatione ad filium eius in fin. *Spectat*, inquit, *senior ille Diuus parens culminis vestri ex arce syderea lacrymas Sacerdotum, & se culpatum putat more violato, quem libenter ipse seruauit.* Vnde & in Sacerdotibus creandis & in priuilegiis, quæ iisdem deferebantur, veterem morem seruari voluit *l. 60. supr. de Decurionib.* Nocturna tantùm & malefica sacrificia Valentinianum sustulisse *lex 7. & 9. supr. de maleficis*, vt Zosimus *lib. 4.* ostendunt. Quæ à Iuliano restituta disertè docet Libanius *orat. in Iuliani necem. p. 253.* vt & loca prædiáque Templorum rei priuatæ sociasse seu confiscasse eum docet *lex* 8. *supr. de iure fisci.*

Ac vt per Occidentem Valentinianus, ita per Orientem quoque VALENS malefica tantùm primò sacrificia *l. 8. supr. de maleficiis*, prohibuit. Imò & liberam similiter, quod Theodoretus ait *d. lib. 5. cap. 20.* Principatus sui initio religionis cuiúsque amplectendæ potestatem fecit; & docet id quoque Themistij *oratio*, quæ à Duditio Episcopo Latinè tantùm vulgata est. Denique & Agonem Constantinopoli, θυσίας καὶ πανηγύρεις Valentem restituisse Hieronymus *Chronico*, & Cedrenus *anno Valentis* 7. id est, Anno D. 370. testantur. Et historia Ecclesiastica docet, Valentis istius temporibus Gentilium licentiam eò processisse, vt alicubi etiam, Alexandriæ putà, Catholicos ad Deorum cultum cogere præsumpserint, tempore persecutionis Lucij Episcopi Ariani. Sed tandem & Valentinianum & Valentem τὸ θύειν vetuisse: ac non & τὸ λιβανωτὸν scribit Libanius *orat.* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν quam edidi.

Superest ex his quos initio recensui, GRATIANVS. Hunc Victoriæ quidem aram Romæ rursum diruisse, priuilegia, stipendia, prædia seu agros Vestalium, locáque quæ sacris error veterum deputauerat, ademisse *lex* 20. *hoc tit.* & Symmachus *in Relatione*, vt Ambrosius *duobus locis* testantur. Neque tamen ideò Gentilitios ritus nominatim Gratianus lege prohibuit. Quinimò sacrificiorum vsus porrò Romæ sub eo stetit ad Annum vsque 391. vt discere est ex Libanij *dictâ orat.* & *l. 10. infr.* Neque eo tamen pertinet quod Socrates scribit *lib.. cap..* Gratianum lege sanciuisse, vt vnaquæque religio licitè sacra celebraret, quod ex eo quoque habent Epiphanius, Tripart. *lib. cap.* 2. Nicephorus *lib. 12. c. 1. 2. & 26.* id enim ad Christianorum sectas pertinet.

His, quæ nunc prolixius diserui, constat quod Symmachus, *Principum recentiorem Patrum ceremonias non remouisse*, scripsit, id de Iouiano, Valentiniano & Gratiano accipiendum esse: Etsi operosissimorum Annalium conditori longè aliter visum. Quo etiam temporis interuallo nullum fermè scriptorem reperio, qui aduersus Gentiles scripserit.

§ Sequuntur proinde nunc THEODOSII M. Constitutiones. Hunc sanè Principem, in superiorum duorum Annorum 379. & 380. gestis Zosimus, *lib. 4 p. 755.* hoc adhuc tempore, Gentilibus templa adeundi, patriisque ritibus Numina placandi potestatem fecisse memoriæ prodidit: ἐπὶ τοῦ, inquit, παρ' αὐτοῖς ἄδεια τοῦ φοιτᾶν εἰς τὰ ἱερὰ καὶ τὰ θεῖα κατὰ τοὺς πατρίους θεσμοὺς ἐκμειλίσσεσθαι. Atenim, mox Anno 381. Templis bellum indictum, vt testatur Zosimus, *lib 4. p. 758.* Rectè. Sanè enim *hâc lege* 7. imò & *l. 8. & 9.* τὸ θύειν seu sacrificia per Orientem inhibentur, at non etiam templorum aditus & τὸ λιβανωτόν. Quod Libanius ad Theodosium ipsum quoque disertè scribit, *orat.* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, quam edidi, *pag. 10.* Ἐκωλύθη, inquit, παρὰ τοῖν ἀδελφοῖν [τὸ θύειν] ἀλλ' οὐ τὸ λιβανωτόν: ἀλλὰ ταὐτό γε καὶ ὁ σὸς ἐκύρωσε νόμος, ὥστε μὴ μᾶλλον ἀλγεῖν ἡμᾶς οἷς ἀφῃρέθημεν ἢ χάριν εἰδέναι τῶν συγκεχωρημένων. σὺ μὲν οὖν οὔθ' ἱερὰ κεκλεῖσθαι, οὔτε μηδένα προσιέναι, οὔτε πῦρ, οὔτε λιβανωτόν, τιμὰς ἐξήλασας τῶν νεῶν, οὐδὲ τῶν βωμῶν, &c. de quo plura ad *l. 11. 12.* iis enim demum legibus Templa quoque à Theodosio Magno occludi iussa, omnísque templorum aditus, honórque & cultus Deorum, λιβανωτὸν etiam, inhibita. Hac itaque interpretatione emolliendum venit, quod Sozomenus, *lib. 7. cap. 20.* Theodosium ἀρξάμενον βασιλεύειν τὸ θρησκευομένων παρ' Ἑλλήνων τόπων ἐπιβαίνειν prohibuisse, scribit. Item quod Chronicon Alexan-

drinum Anno 379 Θεόδοσιος, inquit, τοὺς ναοὺς ἑλλήνων κατέστρεψεν ἐπὶ ἐδάφους. Sed & statim vt ad Imperium peruenit, Agonotheticas quasdam possessiones Paganis detraxit, quod suadet Nouella Martiani tertia. Atenim templorum aditus & τὸ λιβανωτὸν seu fumigatio non vt sacrificia statim ab eo inhibita: verùm ex συναγωγῆς tantùm; quod Anno D.391. & 392. demum factum fuisse *lex* 11. & 12. *infr.* docebunt.

¶ Ac vt maximè Theodosius inter initia Imperij non in Paganos insurrexerit: attamen ne Christiani ad horum ritus deflecterent, sategit: latis constitutionibus in Apostatas: putà *l.* 1. & 2. *supr. de Apostatis.*

¶ THEODOSII M. Secunda *hoc titulo lex*, *de* TEMPLO *quodam simulacris insigni in Osdroëna: quod populo patere iubet, dummodo sacrificiis abstineatur.*

VIII. * Idem" AAA. Palladio Duci Osdroënæ."

ÆDEM" olim frequentiæ" dedicatam, cœtui" etiam, populo quoque communem, in qua Simulacra feruntur posita, artis pretio" quam" diuinitate metienda, iugiter patere, publici consilij auctoritate" decernimus: Neque huic rei obreptiuum officere sinimus oraculum," vt conuentu" Vrbis, & frequenti cœtu videatur." * Experientia Tua, omni Votorum celebritate seruatâ, auctoritate nostri" ira patere Templum" permittat oraculis," ne illic prohibitorum vsus sacrificiorum, huius occasionis" aditus, permissus esse credatur. Dat. Prid. Kalend. Decembr. Constantinop. Antonio & Syagrio COSS. [382.]

NOTÆ.

* Inseruit *hanc legem* rectè Annalibus suis Baronius *Anno* D.382. *num.*67.

"pro *Iidem*: putà, *Gratianus*, *Valentinianus* & THEODOSIVS.

"De *Osdroëna* Prouinciâ, vide & Valentis *l.*79. *supr. de Decurionibus*, & alteram Theodosij Magni *l.*105. *d. tit. de Decur.* & Theodosij Iun. *l.*2. *supr. de prad. & mancip. Curialium*: & Veterem orbis descripr. sub Constantio & Constante *cap.*16. Ammianum Marcellinum *non vno loco*: Indicem Prouinciarum *Sconhouianum*, Sextum Rufum Festum, & Notitiam Imperij, Procopium 1. *Persicorum*, Suidam. Nouellam *Iustin* 8.

"Tentabam aliquando *Ædessa, adem*: suadebat mox *Vrbis* mentio. Porrò *Ædem* hic accipe pro *Templo*, vt mox sub *finem leg.* vocatur. (Eodémque sensu ædes *l.*18. *infr.* ædes templorum *l.*3. *supr. hoc tit.* ædificia templorum *l.*16. *infr.*) Non verò Basilicam, in quam negotiorum causâ coibatur, vt voluit Baronius.

"si de frequentia hominum id intelligendum, tum eodem sensu id accipiendum, quo apud Rufinum *lib.*10. *cap.*17. *Asclepius Lector ob culpam correptionem veritus, frequentia sese subtraxerat.* Si verò quid hic mutandum, tum reponam *Frequentia Deûm dicatam*: de quo mox. Certè *Templum* disertè vocatur *infr.*

" Reponat *frequentia dedicatam cœtus, & iam populo.* Ego malo. *Cœtui iam, & populo quoque communem.*

"artis concinnitate. Minutius *Octauio p.*53.

"[illegible] : Quare error est reponentis hic *non*, pro *quàm*. Exempla similium in ἀντὶ τοῦ : v. in *Gloss.* Huc alioquin facit locus Ouidij 6. Fastorum, vbi de ara Iouis Pistoris.

Nomine quàm pretio celebratior ———

Tentabat hic Vir Doctus, *quandam diuinitatem mentientia.* Quod non admitto.

"*Oraculum* hic & mox *infr.* rursum, pro Rescripto: vid. *Gloss.* & *Parat. de diuers. rescr.*

"*Conuentus* hic propriè, vt *l.*17. *infr.* v. *Gloss.*

"Rectè *videatur*. *Videri* passim pro adiri, vt *l. vnic. supr. de offic. Iud. ciuil.* etiam apud Historiæ Augustæ scriptores: v. *Gloss.* Quare istud non muto in *adeatur*, etsi mox vox *aditus* vsurpetur.

"Mutilus hic locus videri possit: & supplenda vox *Igitur*, vel tale quid. Verùm & hoc sustineri potest.

"rectè *nostri*, oraculi scilicet, quare non probo reponentes hic *nostra*.

"*sc. oraculi*: & sociandæ hæc vox superiori *nostri*.

"*sc. occasione*.

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc hoc titulo Theodosij M. constitutio est: & hæc quidem in argumento de *Templis Paganorum* versans: ac nominatim de Templo quodam, in Osdroënæ Prouinciæ vrbe quadam, celeberrimo, quam ego Ædessensem ciuitatem puto, quæ Osdroënæ metropolis erat, vt docet Ammianus Marcellinus, & vetus orbis descriptio: de quâ agitur & *l.*79. 86. 105. *supr. de Decurionibus*. Templum igitur istud, quamlibet sacrificia prohibita essent, quod ad profanos vsus iam traductum fuerat, putà ad cœtus, ineundis videlicet publicis tractatibus (quod etiam suadet *lex* 12. 13. *supr. de legatis*) quinimò & populo quoque commune factum fuerat, peragendis festiuitatibus popularibus, & *votorum* celebritati, *iugiter*, id est, porrò & deinceps quoque *patere* iubet conuentui vrbis, & frequenti cœtui *hac leg.* Theodosius M. De quo tamen in consilio eius dubitatum fuerat: nonnullis contendentibus, occludi oportere, duobus argumentis. Primò, quidem, præiudicio Rescripti cuiusdam, quo *id occludi* iussum fuerat: deinde hoc argumento, quod simulacris id templum refertum esset, quæ proinde peccandi illecebram adhuc præberent. Quæ quidem argumenta Eulogij Episcopi Ædesseni (nam is hoc tempore ibi Episcopus erat) fuisse videntur. Verùm contrà contendentibus aliis, ac nominatim Gentilibus, quorum magnus tum in Palatio seu Comitatu Theodosij Magni numerus erat, réque in consilio agitatâ, déque *consilij publici auctoritate*, vt hic loquitur Theodosius Magnus, id templum porrò quoque patere voluit: abolito hinc, quod contra impetratum fuerat, rescripto: inde verò submotóque argumento, atque adeò periculo quod à simulacris metuebatur: Nempe nullum à simulacris illis periculum subesse, si modò à sacrificiis abstineatur:

treatur: contrà publici ornatus interesse, vti ea publicè starent: siquidem simulacra magnorum artificum ibi posita, artis pretio non diuinitate metienda essent.

Fuit hæc scilicet Theodosij Magni hanc in partem nunc sententia: satis scilicet esse, si sacrificiorum vsus ibi prohiberetur, & sic ne aditus in hunc finem occasio rursum inualesceret: Quare sublato sacrificiorum metu, ornatui & voluptatibus publicis consuli posse, si templum istud simulacráque ibi posita publicis aspectibus paterent. Quæ & ipsa sententia stetit Honorio *l.15.18.19. hoc tit.* at non & Arcadio circa templa agrorum *l.16. infr.* nempe quod deiectis his & sublatis, omnis superstitionis materia consumeretur. Vnde quoque paret, non statim vt sacrificia prohibita fuerunt, & templa ideò occlusa dirutave. Quicquid tamen hanc in partem nunc senserit Theodosius Magnus: certè posteà & alia templa & istud ipsum sub eodem Theodosio, diruta queritur peculiari in id oratione Libanius ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, quam ipse edidi: Nam etsi *Ædessæ* nominatim ibi non meminerit, neque templum Ædessenum nominet, non magis quàm hic; attamen indubiè id indicat, cùm magnificentiam eius pluribus commendat, & finibus Persarum vicinum fuisse ait, refertúmque innumeris simulacris; id tandem euersum pluribus deflet: τί γὰρ δεῖ διαφθείρειν, ὃ τὴν χρείαν ὅτι μεμνημένοι; πῶς δ' οὐκ αἰσχρὸν στρατόπεδον πολεμίων λίθους εἰσιόντας, καὶ στρατηγὸν ἐφεστηκότα ἐπαγγελλόντων κατὰ τῶν πάλαι αὐτοῖς πολλὰ περὶ ὕψος ἀναβαινόντων, ὧν τὸ πέρας ἑορτὴν τοῖς τότε βασιλεῦσιν ἔθηκε; καὶ μηδεὶς διέλθῃ σὴν ταύτην τὴν κατηγορίαν, ὦ βασιλεῦ: καὶ γὰρ μὲν γὰρ περὶ τοῖς ὁρίοις Περσῶν νεώς, ᾧ παραπλήσιον οὐδὲν, ὡς ἔστιν ἀκούειν τῶν τεθεαμένων ἀκοῦσαι. οὕτω μέγιστος ἐγένετο τοῖς λίθοις τοσοῦτον ἀπέχων τῆς γῆς ὑπόσον καὶ ἡ πόλις: ὥρμει γοῦν ἐν τοῖς ἐκ τῶν πολεμίων φόβοις, τοῖς οἰκοῦσι τὴν πόλιν οὐκ ἔχουσι κἀκεῖνον προσεξελεῖν, τῆς ἰσχύος τοῦ περιβόλου πᾶν ἐληλυθότος μηχάνημα: ἣν δὲ δὴ καὶ ἐπὶ τὸ τέλος ἀναβᾶσι πλεῖον ὅσον τῆς πολεμίας ὁρᾶν ὁ μακρὸν πολεμουμένοις πλεονέκτημα ἀνθρώποις: ἤκουσας δὲ καὶ ἐριζόντων τινῶν ἐν ἀπορρήτῳ τὸ θαῦμα μεῖζον, ἱερῷ τῷ μικρὸν ὄντι τούτῳ, ἢ ὃ μή ποτε πάθοι τοιοῦτο ὅπερ ὁ Σαράπις: ἀλλὰ τοῦτο μὲν τὸ τοιοῦτο καὶ τοσοῦτον ἱερὸν, ἐφ' ὑπερβολῇ τὰ τῆς ὀροφῆς ἀπέρριπται, καὶ ὅσα ἀγάλματα σιδήρῳ πεποιημένα κέκρυπται πρὸ αὐτοῦ διαφεύγοντα τὸν ἥλιον, οἴχεται καὶ ἀπόλωλε. θρῆνος μὲν τοῖς ἰδοῦσι, ἡδονὴ δὲ τοῖς οὐχ ἑωρακόσιν: οὐ γὰρ ἴσον μὲν τοῖς τοιούτοις ὀφθαλμοί τε καὶ ὦτα: μᾶλλον δὲ τοῖς οὐκ ἰδοῦσι, καὶ λύπη καὶ ἡδονή: τὸ μὲν ἐκ τοῦ πτώματος, τὸ δ' ἐπὶ σοὶ ὁ τεθεῖσθαι: ἀλλ' ὅμως εἴ τις ἀκριβῶς σκοπήσειεν, οὐ σὸν τοῦτο, τοῦ δὲ ἐπιτετηκότος ἀνθρώπου, μιαροῦ καὶ θεοῖς ἐχθροῦ καὶ δειλοῦ καὶ φιλοχρημάτου, καὶ τῇ πεῖθεσθαι αὐτὸν δεξαμένου γῇ δυσμενεστάτῃ, ἀλογίας μὲν ἀπολελαυκότος, κακῶς δὲ χρωμένου τῇ τύχῃ, δουλεύοντος τῇ γυναικὶ, πάντα ἐκείνῃ χαριζομένου, πάντα ἐκείνην ἡγουμένου, τῇ δ' ἀνάγκῃ πάνθ' ὑπηρετοῦντος τοῖς ταῦτα ἐπιτάττουσιν, ὧν τοῖς ἀρετῆς ἀπόδειξις τὸ ζῆν ἐν ἱματίοις πενθοῦντων, &c. Quibus postremis verbis aliísque pluribus Libanius indicat id factum per Monachos non vllo Theodosij Magni præcepto, verùm alterius, quem pluribus sugillat, quémque ipse *Proculum Comitem* Orientis fuisse puto: vel certè *Cynegium*, quem Theodosius occludendis per Orientem & Ægyptum templis præfecerat: vt ad *proximam legem* ostendemus. Quo etiam argumento apparet, eam orationem habitam Anno Domini 388.

¶ Illud sanè quod nominatim ait, de innumeris ibi simulacris, explicare videtur, quod hâc lege *Ædes frequentia Deûm* (quomodo hic legendum videri possit) *dicata* dicitur; *frequentia* inquam *Deûm*, τῷ πλήθει τῶν θεῶν πανθείων: & ideò frequentia simulacra in honorem Deorum, quæ ulim multiplici diuinitate censebantur: Theodosius verò ædem iam non *Frequentia Deorum*, sed *hominum frequentie* patere vult cætuique, populóque communem esse, Conciliis fortè Prouinciarum celebrandis: de quo vide quæ dico ad *l.12.13. supr. de Legatis*, vel conuentibus curiarum, quo sensu cœtus vox accipitur sæpè: vt *l.42.66. de Decurion.* Quomodo & aliàs sæpè templa in publicos alios vsus conuersa: de quo conuersionis genere omnibúsque aliis dico ad *l.19. infr.* simulacra item, non diuinitate, verùm arte metienda esse definit. Quam sententiam in consilio Theodosij proculdubio Gentiles obtinuêre: quò pertinent illa, *patere, publici consilij auctoritate decernimus.* Quibus etiam verbis opponit Theodosius, hanc constitutionem, de publici consilij sententia seu maturâ deliberatione latam (vt loquitur *lex... supr. de constit. Principum*) contrario oraculo seu rescripto obreptitio, per obreptionem à se impetrato. Vnde interim apparet, hanc rem in consilio Theodosij Magni diu multúmque agitatam. Fuit verò hæc Theodosij Magni cogitatio, posse & religioni consuli, sacrificiis videlicet prohibitis, neque interea voluptatibus, atque ornatui publico quicquam detrahendum. Quo etiam ornatus publici tuendi argumento Gentiles & in his Libanius hoc ipso tempore Imperatorem Theodosium dehortatus est à templorum strage. Verùm vbi rerum experimentia contra euenit, eidem necessarium visum ad eradicandam superstitionem, Templa occludere, vel etiam exscindere. Quod quidem etiam non semper Principum auctoritate iussuve factum, verùm Ecclesiasticorum Monachorúmque zelo: vti factum queritur Libanius *d. orat.* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν. Ergo Theodosius Magnus *hâc leg.* templum istud nunc patere voluit, cœtui populóque: & vt mox ait *votorum celebritati.* *Votorum* celebritas, seu vota publica *l.13. infr.* (quorum causa Templum istud patere populo vult Theodosius) sunt: Primò, *Ludi* (quorum etiam originem ex Templis nonnullis exortam iam ex *l.3. supr.* didicimus.) Et in his quidem Maiumæ Spectaculum de quo *suo tit.* dicetur. Secundò, *Conuiuia* seu *festa conuiuia* (vt in *d.l.17. & 19.* appellantur.) Tertiò, Kalendarum Ianuariarum, per hæc adhuc tempora, solemnitas, quæ & festis conuiuiis peragebatur, vt horum temporum Scriptores Ambrosius *Sermone 17.* Asterius Amaseæ *Homilia 4. de festo Kalendarum*, Prudentius *lib. 1. contra Symmachum* testantur. Quartò, vota publica dicebantur (& quidem Votorvm appellatione *ευχῶν* in Synodo Trullensi, at non & in *l. vnic. supr. de oblatione votorum*, designata) quæ tertio die Ianuarij pro salute Principis in templis suscipiebantur, festísque pariter conuiuiis & *εὐωχίαις* peragebantur. Quod (ne vetustiora huc arcessam) sub hoc eodem Imp. Theodosio (cuius hæc lex est) factitatum in Asia nominatim σύγχρονος scriptor Eunapius, *in v. Maximi sub finem* testatur. Erant hoc præterea votorum publicorum numero ea, quæ *canon 62. Synodi in Trullo βρουμάλια*, id est, *Bromalia* in honorem Bacchi (vt Balsamon & Tzetzes ad *lib. 2. ἔργων Hesiodi* testantur) celebrabantur.

¶ Adeò autem publica, quæ recensui, vota Gentilibus, aliquandiu & diutius relicta fuêre, vt Christianos ad ea quoque celebranda cogerent, vt *lex 5. supr. de Episcopis*, & *canon 60. & 61. Codicis Africani* testantur: Partim verò sponte contagione quadam à Christianis quoque recepta fuerint: de quo sunt Augusti *epist. 64. ad Aurelianum*, & Ambrosij *d. serm. 17.* vt & Petri Chrysologi *serm. 155.* querelæ: Sicut Synodi quoque ea prohibere

bere necesse habuerint, & in his nominatim Synodus, quam dixi, in Trullo, Καλάνδας, καὶ Βοτὰ (ait *d. canone 62.*) καὶ Βρουμάλια, καὶ ἡ τῇ πρώτῃ τοῦ Μαίου πανήγυρις τῆς τῶν πιστῶν πολιτείας ἀποπεμπέσθωσαν: vbi Balsamo ioculariter lapsus est, qui τὰ Βοτὰ ἀπὸ τῶν βοτῶν, id est, ἀπὸ τῶν προβάτων deduxit, & festum id in Panis honorem agitari solitum prodidit.

¶ Ex hac interim quoque lege & *l. 17. infr. in fin.* apparet, votorum publicorum celebritatibus, veluti lustris, sacrificia adhibita fuisse. Quæ quidem sacrificia *dict. l. 5. supr. de Episcopis*, vocantur. Neque mirum, votorum quippe celebritates hæ seu ludi in Deorum fermè honorem instituti fuerant: vt Tertullianus *lib. de Spectaculis*, pluribus exequitur & nos alibi dicemus. Itémque conuiuia: de quibus *l. 17. 19. infr.* Porrò huc omnind facere videtur Libanij locus ex *orat.* eius 13. ὑπὲρ τῶν διαλλαγῶν ad Theodosium Magnum Imper. *pag. 413. 414.* vbi de EDESSA & Edessenis Festiuitatibus publicis seu votorum solemnitate, & in his iocorum & factorum licentia, sed & de statutis Imperatorum egit: Etsi corruptè ibi habeat textus Ἐμέσαν pro Ἔδεσαν: Quod tum alter eiusdem Libanij locus disertè ostendit, de eadem re agentis *orat. 12. ad Theodosium*, *pag. 400.* tum quod Libanius hoc ipso loco ait hanc Vrbem ἐν τοῖς ὁμόροις τῆς Συρίας fuisse, non verò in Syriâ ipsâ: porrò in Syria quidem (Phœnice scilicet) fuit Emesa: at in Osdroëna, Syriæ finitima seu ὁμόρῳ Edessa: vt docet præter Ammianum Marcellinum aliósque, *lex 79. supr. de Decurionib.* Libanius igitur Theodosij Magni clementiam prædicans erga Antiochenos qui statuas euerterant, eámque efferens supra Constantij clementiam, cuius statua quoque tracta & contumeliis affecta fuerat Edessæ, hæc scribit: περὶ τίνα δὴ σὲ λοιπὸν ἐξετασέον, ἢ περὶ τὸν ἐν τοῖς ὁμόροις τῇ Συρίᾳ δι' εἰκόνος καὶ αὐτὸν ὑβρισμένον. Ἀλλ' εἴ τις τὴν Ἔμεσαν [γρ. Ἔδεσαν] καὶ τὰς ἐκείνης ἑορτὰς, καὶ τοὺς περὶ τὰς ἑορτὰς ἐνθυμηθείη νόμους, ὡς παλαιόν τι τοῦτο διὰ πάντων βασιλέων ἧκον, καὶ δι' ἀρχαιότητα μᾶλλον ἰσχὺν φέρων, ἢ λύπην, πολὺ τὸ ἐκ ὄντων τῶν περὶ τὰς εἰκόνας ἀμφοτέρως εὑρήσει, καὶ τοσοῦτον ὅσον ὕβρεως καὶ παιδιᾶς τὸ μέσον. λέγεται δὲ καὶ σοφῶν ἀνδρῶν ὑπομένειν, τὸ καταδεδεῖχθαι χαριζομένην ποι τὰ τοιαῦτα δαίμοσι ταῖς μετὰ σπουδῆς λοιδορίαις ἐπιόντων ἐκείνους, ὅπως ταύτῃ κακοριζομένους μηδὲν πλέον περὶ τῶν ἀνθρώπων ζηλῶσι: καὶ ἅπαν γε ἐκ ἄξιον ὁρῶντα καὶ σφᾶς αὐτοὺς κωμῳδοῦντας ἐκείνους, καὶ τοὺς γε ἐν δόξῃ παρ' αὐτοῖς ὄντας ἀφορμὴν θρυλλεῖσθαι τοῖς μετὰ δρόμου σκώμμασι: καθ' ἕκαστον τοίνυν ἔτος τοιαῦτα θέοντες ἔχουσι τὴν ἀπὸ τοῦ καιροῦ τοῦ πλήθους αὐτῶν ἀσφάλειαν, ὁ τὴν ἐπὶ ῥήμασιν μόνον, ἀλλ' ὅμως ἐφ' ἅπασιν ἃ ποιεῖν ἔξεστι δύναται τὴν ἑορτὴν: κἂν ἄρχων ἐκ ὀρθῶς ἀνιαθεὶς ἐπὶ τὴν τιμωρίαν ἴῃ μικρόψυχός τε εὐθὺς καὶ σκαιὸς ἐνομίσθη καὶ νόμων ἱερῶν ἀλλότριος: οὐχ ἡμῖν [Ἀντιοχεῦσι] γε ἦν ἀποστροφή τις εἰδομένη, οὐδ' αὖ τὸ ὑπολειπόμενον, ἀλλ' ἐν τῇ ὀργῇ τῶν διδεγμένων ἡ κατηγορία τῶν πεπραγμένων ἦν: ὥστε σὺ μὲν ἐκείνη πάντως ἂν συνέγνως τῇ πόλει: τῇ δὲ οὐ πάντως ἂν ἐκεῖνος: ὅπως καὶ τὸν ἥμερον ἐπιδόξαντα τῇ χαλεπῇ παρελήλυθας. Ex hoc loco liquet, festiuitates has Ædessæ annuatim agitatas cum magnâ verborum factorúmque licentiâ, quam Imperatores hoc quoque æuo tulerint. Ergo statuis quoque abundabat & vrbs: Sanè & Ammianus Marcellinus quoque *lib. 19 pag. 154.* refert à Constantio Gallis quibusdam campi ductoribus, vt fortium factorum antesignanis armatas ibi statuas in regione celebri locari iussas, quæ suo (Ammiani Marcellini) seculo adhuc intactæ seruarentur. Alter, vt dixi, Libanij de eadem re locus est *oratione 12. ad Theodosium*, vbi *Edessam* expresse vocat. In Constantij sanè rebus multa Edessæ mentio apud Ammianum Marcellinum. Sed & Iuliani Zosimus *lib. 3. p. 714.* & Iouiani vt docet subscriptio *legis 9. supr. de erogat. mil. annon.*

THEODOSII M. Tertia *lex: quâ* SACRIFICIA *& quidem diuinatoria vetantur.*

IX. * Idem AAA. Cynegio PF. P."

NE quis mortalium ita" faciendi sacrificij sumat audaciam, vt, inspectione iecoris, extorúmque præsagio, vanæ spem" promissionis accipiat, vel (quod est deterius) futura" sub execrabili consultatione" cognoscat. Acerbioris etenim INminebit supplicij cruciatus eis, qui, contra vetitum, præsentium vel futurorum" explorare temptauerint veritatem. Dat. VIII. Kalend. Iun. Constp. Arcadio A. I. & Bautone V. C. COSS. [385.]

NOTÆ.

* *Lex 1. Cod. Iud. eod. tit.* Baronius quoque hanc legem rectè inseruit Annalibus suis *Anno D. 385. n. 37.*

' Malè. Iam enim Gratianus superiore Anno 384. 8. Kal. Septemb. cæsus, & Arcadius Augustus creatus fuerat. Itaque tribuenda hæc lex Valentiniano, THEODOSIO & Arcadio.

" *Cynegius* hic Præfectus Prætorio Orientis fuit, ab Anno Domini 384. ad Annum 389. de quo alibi sæpè & mox vid. & *Prosopogr.*

" Nota ITA. Non omnia itaque sacra inhibentur *hâc leg.* de quo mox.

" Paulus 5. *sentent.* 23. ne publici mores ad SPEM alicuius rei corrumperentur: vide & Tertullianum *Apol. c. 35.*

" incerta *lege 7. supr.*

' Haruspicum, Augurum, Vatum, Chaldæorum, Magorum, &c. vide *legem 1. supr.* & *legem 7. supr. de maleficiis.* Eadem porrò vox apud Vlpianum referente auctore collationis legum Mosaic. *tit. 15.*

' *Futurarum rerum*, in Til. ed.

COMMENTARIVS.

SACRIFICIA rursum animalium per Orientem à Theodosio Magno, sub capitis pœna, hâc Constitutione prohibentur Anno D. 385. curâ eius rei CYNEGIO Præfecto Prætorio Orientis data. Quam quidem constitutionem indicare mihi videtur Libanius, *orat. de Templis*, cùm ait, Theodosium Lege sua sacrificiorum quidem vsu τὸ θύειν interdixisse, thurificationem

nem verò τὸ λιβανωτὸν conceſſiſſe. Quæ & ipſa poſteà ab eo vetita Anno 392. *l.12.infr.* Atque eò pertinet vox ITA *hâc leg.* quâ animalium ſcilicet ſacrificia vetantur. At non & thurificatio ſeu λιβανωτὸν, vt diſertè ſcribit Libanius.

¶ Imò & (Zoſimo teſte *lib.4.pag.762.*) prohibendis ſacrificiis & occludendis templis Cynegius hic ipſe à Theodoſio Magno miſſus in Ægyptum & Orientem fuit: ΚΥΝΗΓΙΩ, inquit, τῷ τῆς αὐλῆς ὑπάρχῳ πεμπομένῳ κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἐπιτεταγμένῳ τε πᾶσι τὴν εἰς τὰ θεῖα θρησκείαν ἀπαγορεῦσαι καὶ κλεῖθρα τοῖς τεμένεσιν ἐπιθεῖναι. Et mox: ΚΥΝΗΓΙΟΣ δὲ κατὰ τὴν ἑῴαν καὶ τὴν Αἴγυπτον ἅπασαν ἱερῶν καὶ αὐτὴν δὲ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἀπέκλεισε τὰς εἰσόδους, θυσίας δ' εἶρξε, τὰς ἐξ αἰῶνος νενομισμένας καὶ πᾶσαν πατρίαν ἁγιστείαν. Idacius: locum hunc vide ampliorem apud Petauium in Chronico Anno 388. A.Theodoſij 10. id eſt, Anno D.388. adhuc confuſius. *Cynegius Præfectus Theodoſij habetur inluſtris, qui factis inſignibus præditus & vſque ad Ægyptum penetrans gentium ſimulacra ſubuertit.*

Hunc eundem puto, à quo templum Ædeſſenum in Oſdroëna (de quo *l.8. ſupr.*) deſtructum ait Libanius *orat.* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν à me edita. Verùm hæc poſt hanc legem accidêre. Cynegium quippe hunc Anno demum Domini 387. Alexandriæ motatum indicat indubiè *lex 19. ſupr. de petitionibus*, & inde reuertentem diem in itinere obiiſſe, ait Zoſimus *lib.4. pag.769.* Anno Domini 388. cui ſuffectus Tatianus. Quicquid tandem hic Cynegius hanc in partem in Ægypto præſtiterit, ſanè mox alia conſtitutione per eandem Ægyptum opus fuit. Itaque Anno Domini 391. *l.11. infr.* emiſſa conſtitutio ad Euagrium Præfectum Auguſtalem & Romanum Comitem Ægypti, quâ ſacrificia templorùmque aditus in Ægypto inhibita fuêre, ad quam plura dicam.

¶ Quod pœnam *hâc leg.* propoſitam attinet, imponit ea acerbioris ſupplicij cruciatum: Quod Balſamon Scholio ad Nomoc. Phot. *t.9.c.25.p.*88. malè de crucis ſupplicio accepit: quod à Conſtantino iam diu ſublatum fuerat.

¶ Theodosio-Valentinianea *lex aduerſus* Sacrificia.

·x. * Idem" AAA. ad Albinum PF. P."

Nemo ſe hoſtiis polluat, nemo inſontem" victimam cædat, nemo delubra" adeat," templa perluſtret," & mortali" opere formata ſimulacra ſuſpiciat." ne diuinis adque humanis ſanctionibus reus fiat. Iudices quoque hanc" formam contineant, vt ſi quis profano ritu" deditus templum vſpiam, vel in itinere," vel in Vrbe" adoraturus intrauerit, quindecim pondo auri ipſe protinùs inferre cogatur: necnon Officium" eius parem ſummam ſimili maturitate diſſoluat, ſi non & obſtiterit" Iudici, & confeſtim publicâ adteſtatione retulerit: Conſulares," ſenas," Officia eorum ſimili modo: Correctores," & Præſides, quaternas: Apparitiones illorum ſimilem normam æquali ſorte diſſoluant. Dat.III." Kal. Mart. Med. Tatiano & Symmacho coss. [391.]

NOTÆ.

* Abeſt & *hæc lex* à *Cod.Iuſt.* Eam Annalibus ſuis inſeruit Baronius *Anno 391. num.2.*

"Qui ſup. *lege 9 prox.*

"An potius *P.V.* quod octo conſtitutiones Anni 389. ſuadent & duæ inſuper Anni 390. vid. *legem 27. ſupr. de operibus public.* Item ea verba huiuſce legis *vel in vrbe.* Verùm nil muto. *Albinus* hic ſcilicet ex P.V. factus fuit P.P. eique in Præfectura ſucceſſit Alybius: vid. *legem 2. ſupr. de priuil. corporatorum V.R.*

"vid. *legem 12. infr.* Huc pertinet illud. *Cùm ſis ipſe nocens, moritur cur victima pro te:* vide hanc ad rem omninò Arnobium *lib.7. Heraldianæ* editionis p 271.272.273.&c. vbi ſimiliter *innoxia* animantia vocat.

"*Delubra* quorum mentio fit *hâc leg.* & *l.11. vltim infr.* & *l.2. ſupr. de maleficis.* ſunt cellæ Deorum de quibus & illud Varronis de vita Populi Romani *hæc ædis quæ nunc eſt multis annis poſt facta fuit in qua omnia* [alia legunt *inibi tria*] *Regis temporibus delubra facta.* Publius Victor *Templum Iouis Opt. Max. cum tribus delubris.* Græci ναοὺς dixere. *Delubrum* etiam locus conſecratus in villâ. Apuleius *Apol. p.275.*

"vide *legem 2. ſupr. de maleficis.*

"*Perualet* Apuleio *lib.8.* Græci [illegible] dixerunt, Polybius *lib 9.*

"Rectè: non vt quidam tentant, *Metalli.* Lactantius *lib.2.cap.2. Nam iſta Mortalium digitorum ludrica & fragilia figmenta.* Mortali autem opere formata ſiue fictorem inſpicias, ſiue materiam & ſubſtantiam: vide ſaltem Arnobium *lib.6. p.250 251.252.* &c.

"Ita *lege 11.prox.*inf. *Delubra ſuſpiciat,* ita enim ibi reſtitui, *ſuſpiciat,* id eſt, adoret. Lactantius *d.c.2. Cùm hæc tantopere ſuſpiciant, fabros qui illa fecere contemnunt.*

"*Iudices quoque hac forma contineat*: Iudices, id eſt, Proconſulem, Vicarium quod ſanè inſolens, vt hi ſoli *Iudicum* appellatione veniant. Quare legam hic: *Iudicem S.* id eſt, Iudicem ſpectabilem. Nam poſteà ſine legis de *clariſſimis* agitur, id eſt, de Conſularibus, Correctoribus, Præſidibus.

"ritui.

"vide Apuleium initio primi Floridorum: *in Itinere,* id eſt, in agris extra vrbem quamcunque, extra muros vrbis *l.3.ſupr.* vbi plenè dixi. Ouidius 4. *Faſtor.*

Hac mihi Nomente Romam cùm luce redirem,
Obſtitit in media candida turba via.

"Quæcunque. "id eſt, Officiales.

"Officiales Iudici aduerſus legem quid admittenti obſtare debent.

"velut Æmiliæ & Liguriæ.

"libras ſcilicet.

"Veluti Lucaniæ & Brutiorum. Interim nota *dignitatum ordinem*: Iudices, Spectabiles, Conſulares, Correctores, Præſides (qui tres poſtremi clariſſimi erant) Idémque ordo in Notitia Imperij, ac nominatim in Notitia Occidentis, vbi ita quoque *Conſularis* Campaniæ, *Corrector* Apuliæ & Calabriæ, *Præſides* Dalmatiæ, ordine ponuntur, & Præſides vltimo loco pariter vt *l.8. ſupr. de cohortalib.*

 "id eſt,

"id est, Apparitores.
" id est, summam vt sup. & l. 11. infr. parem summam.
"VI. in Til. ed.
"Mediolani hoc tempore constitit Valentinianus Iun. vide Consulare Chronicon Theodosianum.

COMMENTARIVS.

Sacrificia hostiarum seu Victimarum, Templorvmqve ingressus, Simvlacrorvm denique cultus, hac constitutione Anno D. 391. prorsus inhibentur.

¶ Cuinam autem Imperatori ea accepto ferenda sit, & ad quamnam orbis Romani partem ea spectet, ex Albini Præfecti Prætorio nomine, cui hæc lex inscribitur, satis liquet. Quare ea mens mihi, eam Theodosij equidem consilio (qui vnà cum Valentiniano Iun. Mediolani, vnde hæc lex data est, hoc tempore constitit, vt testatur Chronologia legum, cuius nutu pleraque gerebantur) verùm à *Valentiniano Iun.* Occidentis Imp. latam. Nam quæ Prudentius Anno D. 405. de Theodosij Magni constitutione narrat, quâ sacrificia Romæ prohibita fuerunt, seu, vt ait, Vrbem vetuit Taurorum sanguine tingi, déque Senatus adsensu (quanquam in hoc vltimo reclamet Zosimus *lib. 4. p. 779.* & *lib. 5. p. 814.*) id à Theodosio Magno posteriùs factum, mortuo iam Valentiniano Iuniore, & post Eugenium iam cæsum, sub quo sacrificia rursum reuecta fuerant post hanc legem.

Sanè ab eodem Valentiniano Iun. paucos ante annos Anno D. 384. pars Senatus Romani Aram victoriæ à Gratiano dirutam, priuilegia item prædiáque Vestalium Virginum restitui (petitionem eius prosequente Symmacho Præfecto Vrbis) impetrare non potuerat. Ergo hîc primùm post Constantinum, Constantem & Constantium Valentiniani Iun. constitutione, sacrificia Romæ (atque in Italia) prohibita. Quæ paulò ante hanc legem Romæ stetisse Libanius disertè testatur oratione, quam edidi ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, quæ scripta est Anno D. 387.

¶ Sedenim hæc lex paucis annis labentibus ab Eugenio Tyranno, vti iam dixi, delusa fuit. Quin & totet cætera quoque Ara Victoriæ impensæque templorum Romæ restitutæ fuerunt, vt Ambrosij *epistol. ad Eugenium*, & Paulinus *in vitâ Ambrosij* testantur. Tandem, vt dixi, Theodosius cæso Eugenio eo Romæ retulit, seu sacrificia rursum Romæ prohibuit Anno D. 394. Quod & Zosimus & Prudentius memorant.

¶ Hac interim lege obseruanda multa. Primò causæ, quibus à Pagano cultu abstinendum Valentinianus indicat: Nam & *hostiis pollui* sacrificantem ait, & *insontem victimam cædi* (quod iam in Notis illustraui) item *simulacra mortali opere formata*, quæ omnia & Theodosius Magnus *l. 12. infr.* indicat, vbi dicam, vnde liquet ex eodem ludo vtramque legem profectam. Secundò, obseruandus ordo Iudicum, cui similis in Notitia occurrit. Tertiò, pœnarum proportio notanda: Spectabili Iudici, quindecim pondo auri pœna imponitur: Consulari, senæ. Correctori & Præsidi, quaternæ. Quartò, Officiales Iudicibus quid contra leges admittentibus obstare & resistere posse definitur; de quo complurimæ aliæ sunt leges.

¶ Theodosii M. Quinta *hoc titulo lex per Ægyptum: qua* Sacrificia, *aditúsque* Templorvm *interdicuntur.*

xi. * Idem "AAA. Euagrio PF. Aug." & Romano Com. Ægypt.

Nulli sacrificandi tribuatur potestas; nemo Templa circumeat," nemo delubra suscipiat," interclusos sibi nostræ legis obstaculo profanos aditus recognoscant: adeò, vt si qui vel de Diis aliquid, contra vetitum, sacrifique molietur, nullis exuendum se indulgentiis recognoscat. Iudex" quoque, si quis tempore administrationis suæ, fretus priuilegio potestatis, polluta" loca sacrilegus temerator intrauerit, quindecim auri pondo, Officium verò eius nisi conlatis viribus obuiarit, parem summam ærario nostro inferre cogatur. Dat. xv. Kalend. Iul. Aquil. Tatiano & Symmacho coss. [391.]

NOTÆ.

* Abest & hoc lex à *Cod. Iust.* Et *hanc legem* rectè Annalibus suis inseruit Baronius *Anno D. 391. num. 4.*
"*Augustali*, id est, Ægypti.
"Tertullianus *de cultu fœminarum cap.* .. è Gentilibus Christianas factas alloquens: *Nec templa circuitis, nec templa postulatis, nec festos dies gentilium nostis.*
"Perlustret *l. 10 supr.* peruolet: quæ vox hac in re propria. Limina ipsa osculis conterendo.
"✠ *Suspiciat*, vt *l. 10. supr. Simulacra suspiciat*, id est, veneratione prosequatur. Nam & in delubris simulacra fuêre. Quanquam *suscipere* hoc eodem sensu non vno loco apud Ammianum Marcellinum ex MSS. tuetur Doctissimus Valesius *pag. 19.*
" vt *polluta Paganorum mentes.*
"Intelligit Consulares, Præsides, quorum multi Pagani adhuc hâc tempestate erant, vt ex *lege prox.* quoque patet. Nam de Theodosio Magno *huius legis* auctore id nominatim proditum, eum Gentiles ad dignitates euexisse, Libanius, ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, & Prudentius *aduersus Symmachum.*
"*Aquileia* hoc tempore Theodosius constitit, rediturus mox aduersos Maximum bello defunctus ex Italia Constantinopolim, vt docet præter hanc legem *lex vnic. supr. de possession. ab eo, &c.*

COMMENTARIVS.

SACRIFICIA, TEMPLORVMQVE aditus, omnisque DEORVM per sacrificia CVLTVS per Ægyptum à Theodosio Magno Anno D.391. sub pœna capitis hac constitutione in totum prohibentur: dato eiusce rei exequendæ negotio Evagrio Præfecto Augustali & Romano Comiti Ægypti. Quod ipsum penè negotium paulò ante Cynegio Præfecto Prætorio datum fuerat, vt ex Zosimo, *lib.4. p.762.* & Idacio, ad *l.9. supr.* probatum est.

¶ Et hæc quidem ita *hâc leg.* Theodosius M. Atenim, quod *huic legi* illustrandæ plurimum facit, quodque amplius est, Theophilo Alexandrino Episcopo satagente (cuius etiam Episcopi mentio fit *l.6. supr. de his qui super religione*) templa ab hoc ipso Evagrio, & Romano, quibus hæc lex inscribitur (& in his quidem famosissimum Serapium, seu Serapidis templum) Imperatoris iussu destructa fuisse testantur Socrates, *lib.5. cap.16.* Sozomenus *lib.7.cap.15.* Theodoretus, *lib.7.cap.20. & 22.* Rufinus *lib.2. cap.23.* &c. Prosper Aquitanicus in hoc Imperatoris Theodosij, post Gratiani cædem, anno octauo, id est, Anno Domini 391. Hieronymus *comm. in Esaiam lib.7.* Tripartitæ historiæ author, *lib.9. cap.20.* Nicephorus, *lib.17. cap.25.* Denique qui tempore hos omnes scriptores antecertit Eunapius Sophista Gentilis, *in vitâ Ædesij, p.73.& 77.* Θεοδοσίου, inquit, τότε βασιλεύοντος, Θεοφίλου δὲ προεστῶτος, Ευετίου δὲ [legendum ΕΥΑΓΡΙΟΥ] τὴν πολιτικὴν ἀρχὴν ἄρχοντος, ΡΩΜΑΝΟΥ δὲ τοὺς κατ' Αἴγυπτον στρατιώτας πεπιστευμένου, οἵτινες τό τε Σεραπεῖον κατέλυσαν, &c. Quo loco lapsus est humaniter interpres, qui quem (Evagrium scilicet) Præfectum Augustalem vertere debuerat, Præfectum Vrbis reddidit: vt præter inscriptionem huius legis, Sozomenus quoque *dict. l.7.cap.15* arguit: Εὐάγριος, inquit, ὕπαρχος τῆς Ἀλεξανδρείας ἡγεῖτο: & Socrates quoque, eum (*d.lib.5. cap.16.*) Ἀλεξανδρείας ὕπαρχον nominat, hunc ipsum Evagrium intelligit, vide *cap.2. de Suburbicariis Ecclesiis.*

¶ Sed neque felicior idem interpres fuit, cum eodem Eunapij loco hæc verba, Θεοφίλου προεστῶτος sic vertit, *Theophilo Pratorij Prafecto*: cum debuerit, *Theophilo Episcopante*, vel *Antistite*, vel *Prasidente*: Episcopi namque Græcis προεστῶτες quoque & προεστῶτες, vt Latinis *Prasidere, Prasides, Prasidentes, Prasules, Prastites, Antistites*, dicti, quod notum. Zosimus sanè, & ipse Gentilis hanc quoque Theophilo Episcopo instante Templorum per Ægyptum stragem *lib.5. pag.779.* perstringit ὁ τῆς Ἀλεξανδρείας, inquit, τῆς ἐν Αἰγύπτῳ Θεόφιλος, ὃ πρῶτος ἀρξάμενος τῆς κατὰ τῶν ἱερῶν καὶ τῶν ἐξ αἰῶνος πατρίων ἐπιβουλῆς. In commune verò de hac Serapij strage vide & Marcellinum, *Chronico Anno Domini* 389. Tandem hæc lex quoque de earum numero est, quibus Sozomenus *lib.7. cap.20.* pœnam capitis statutam sacrificantibus ait.

¶ Tandem ex his discimus hoc demum tempore Serapidis templum sacráque excisa Alexandriæ fuisse; cùm & sub Constantio adhuc ea stetissent, quod testatur veteris orbis descriptio sub eo scripta quam ipse edidi: imò & sub Theodosio Magno adhuc huius legis authore Anno D.388. vel 389. vt testatur Libanius *Oratione* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, quam & ipse extuli; quo ipso tempore & Romæ quoque sacrificia stetisse docet. Quo ipso docentur etiam orationem habitam ante hanc legem, vt & superiorem, qua sacrificia Romæ prohibentur, & sic ante Ann.D.391. Quin & cum Ammianus Marcellinus scriberet, id stetisse adhuc ex eo clarè apparet. Ioannes Chrysostomus quoque Presbyter Antiochiæ ab Anno Domini 386. quo tempore *homil. 8.in Matth.* habuit, testatur Gentilitiæ superstitionis reliquias in Ægypto stetisse.

¶ Quo anno verò hæc Serapæa strages euenerit videndum est. Sanè Marcellinus in Chronico, biennio ante hanc legem id assignat, Timasio videlicet & Promoto Coss. id est, Anno D.389. quam sententiam secutus quoque Baronius. Atquin ex hac lege eiúsque circumstantiis & superscriptione, quam modo illustrauimus certissimè colligitur hoc Anno demum 391. id factum. Certè eo quoque adhuc tempore, quo Chrysostomus scribebat, περὶ τὴν Ἰουδαΐζουσαν stetisse id templum discimus ex iis quæ scribit *pag.373.*

¶ THEODOSII Magni Sexta *constitutio hoc titulo quâ* CVLTVS *omnis* GENTILITIVS *inhibetur.*

XII. * Imppp. THEODOSIVS, Arcadius & Honorius AAA. ad Rufinum PF. P."

I. NVLLVS omninò, ex quolibet genere, ordine" hominum, dignitatum," vel in potestate positus, vel honore perfunctus, siue potens sorte nascendi, seu humilis genere, condicione, fortunâ: in nullo penitus loco, in nullâ Vrbe, sensu" carentibus simulacris, vel insontem victimam cædat: vel, secretiore piaculo, Larem igne m" ero Genium, Penates nidore veneratus, accendat lumina, imponat tura, serta suspendat. ¶ II. Quòd si quispiam immolare hostiam sacrificaturus audebit, aut spirantia exta consulere, ad exemplum Maiestatis," reus, licitâ cunctis accusatione, delatus, excipiat sententiam competentem, etiamsi nihil contra salutem Principum, aut de salute quæsierit: Sufficit enim ad criminis molem," naturæ" ipsius leges velle rescindere, inlicita perscrutari, occulta recludere, interdicta temptare, finem, quærere salutis alienæ, spem alieni interitus polliceri. ¶ III. Si quis verò mortali opere facta, & æuum passura simulacra imposito" ture venerabitur,

ad

ac (ridiculo exemplo metuens subitóque" ipse simulauerit") vel redimita vittis arbore," vel erectâ effossis arâ cespitibus" vanas" imagines, humiliore licet muneris præmio, tamen plenâ religionis iniuriâ, honorare" temptauerit, is, vtpote violatæ religionis reus, eâ domo seu possessione multabitur, in quâ eum Gentilicia constiterit superstitione famulatum." Namque omnia loca, quæ turis constiterit vapore fumasse (si tamen ea in iure fuisse thurificantium" probabuntur) fisco nostro adsocianda censemus. ¶ IV. Sin verò in Templis fanísve publicis, aut in ædibus agrisve" alienis," tale quispiam sacrificandi genus exercere temptauerit, si ignorante domino vsurpata constiterit, XXV. librarum auri multæ nomine cogetur inferre: conniuentem verò huic sceleri par ac sacrificantem pœna retinebit. Quod quidem ita per Iudices, ac Defensores," & Curiales singularum vrbium, volumus custodiri, vt ilicò per hos" comperta in Iudicium" deferantur: per illos" delata plectantur. Si quid autem ij" tegendum gratiâ, aut incuriâ prætermittendum esse crediderint, commotioni Iudiciariæ subiacebunt: Illi" verò moniti" si vindictam dissimulatione distulerint, XXX. librarum auri dispendio multabuntur: Officiis quoque eorum damno parili subiugandis. Dat. VI. Id. Nou. CP. Arcadio A. II. & Rufino COSS. [392.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* rectè memorat Baronius *Anno 392. num. 25. & 26.*

"*Rufinus* hic PP. fuit sub Theodosio, Oriensis: Qui Tatiano his COSS. suffectus fuit: vide Zosimum, *lib. 4. p. 774.* & Ambrosium *Epist. 53.* quem etiam Zosimus insectandum non alia de causa putauit, quam quod Gentilitiæ superstitioni infestus esset: vt viceuersa Tatianum laudatum iuit *p. 769.* quia Gentiles eum indulgentiorem haberent.

"Plebeio, Senatorio, Equestri, Perfectissimatus.

"Illustres, Spectabiles, clarissimi.

"*al. larem igne, mero genium*: de quo mox.

"Criminis scilicet & reorum. Porrò de hac publica inquam accusatione Maiestatis reorum: vide suos titulos supra: dixi *supr. tit. de Malefisis & Mathematicis.*

"vide *Glossar.* & interea *legem vnicam supr. in fine.* Ius & Nouellam Theodosij tertiam.

"ita sup. *l. 5. de Maleficis.* Magi naturæ peregrini vocantur.

"vide notata ad *legem 4. supr.*

"id est, senium occasum & interitum.

"Sic supra, *imponat tura.*

"*al. Subito qua.* Tentabat Marcilius ad *Vesp. c. 5.* omissa voce *simulauerat*, quod ea in vltima Parisiensi deerat, *subidoque*, id est exemplo, quale sus aut suillus aliquis inmetur: & quòd Latini *subidum* dixerint hominem, qui non plus saperes, quàm occisa olim sus: Eodémque sensu *insubidum* dici: valdè subidum & suillum. Quæ omnia ne memorari quidem digna sunt. Nam cur vox hic *subito* addita fuerit mox dicam.

"Hæc vox in vltima editione Parisiensi intercidit. Inde *simulacra*: vide & Lactantium *lib. 2. c. 3. & c. 39. Simulare & effigiare* idem: quomodo Minutius Felix & Apoleius & Sidonius *lib. 6.*

"malè hic Marcilius reponit, *redimitam vittis arborem.* Nam non arborum hic cultus designatur, sed honoris modus qui imaginibus tribuebatur.

"Et hæc vox propria: vide *Glossar.*

"vide Tertullianum *de idololatria, cap. 5.*

"de Templis *in agris* plenè dixi ad *l. 3. & 10. supr. l. 14. 16. & 19. infr.*

"Priuatis vel Principis vel Publicis.

"id est, tenebit obnoxium: vide *Glossar.*

"vide Paratitlon, *de defensoribus ciuitatum lib. 1. supr.*

"Puta Defensores & Curiales, quorum muneris erat in iudicium, seu ad Iudices deferre comperta crimina: vide *d. Paratitlon*, & quæ dixi ad *l. vlt. supr. de superexactionib.* & leges nonnullas *tit. de haret.*

"id est, *ad Iudices.*

"Iudices scilicet.

"Defensores scilicet & Curiales: & fortè hic legendum *hij*, id est, *hi.*

"Iudices scilicet.

"à Defensoribus & Curialibus.

COMMENTARIVS.

SACRIFICIA omnia, omnisque alius DEORVM CVLTVS personis omnibus & locis per Orientem vniuersum hâc Theodosij Magni constitutione, ad Rufinum Præfectum Prætorio emissâ Anno D. 392. pariter vt *l. 11. supr.* interdicuntur. Et sic λιβανωτὸν quoque iam non minus quam τὸ θύειν inhibetur. Denique omnis idolorum cultus, omnes cærimoniæ Gentilitiæ. Quò pertinet quod Ambrosius Oratione, *de exitu Theodosij Magni, pag. 53.* (quæ triennio post *hanc legem* habita omninò Anno Domini 395.) de Theodosio scribit. '*Qui abscondit SIMVLACRA Gentium: Omnes enim CVLTVS idolorum fides eius abscondit: omnes enim CERIMONIAS obliterauit.* Item *pag. 59. qui sacrilegos remouit errores, clusit templa, simulacra destruxit.*

Et hæc quidem ita nunc Theodosius M. *hâc leg.* & *superiore*, cùm anteà, neque templorum aditu, neque alio Deorum cultu interdixisset, ac nominatim non igne, non nidore seu thure, λιβανωτῷ, non τιμαῖς ἀπὸ τῶν ἄλλων θυμιαμάτων (quod ipsum sanè hac lege nominatim prohibetur.) Quod ante '*hanc legem* Libanius testatur, ad ipsummet Theodosium Magnum scribens, *Oratione*, quam ipse edidi, ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, verbis quæ iam retuli ad *l. 7. supr.* Qui quidem gradus ad abolendam Gentilitiam superstitionem sub Theodosio Magno notandus est: Primùm enim sacrificia prohibita fuerunt, insigniora que Templa diruta vel donata confiscatave: At cæteri Deorum cultus λιβανωτὸν, Templorúmque aditus, non ideò inhibiti, neque ornamenta his detracta: quod secundo tertióque pedato factum. Postremùm tandem, Templa quoque in pagis seu agris passim diruta, vbi ouluis diotius hæsit.

¶ Cæterùm, si quid coniecturâ assequor, *huic legi* ferédæ Tatianum causam præbuisse existimo, qui ante Rufinum PP. Orientis fuerat, Zosimus

certè

certè Gentilis ſcriptor, non aliâ de causâ Tatianum hunc laudibus efferre, Rufinum verò conuiciis proſcindere videtur, quàm quod ille Gentilibus æquior fuerit, hic verò eorum ſuperſtitioni aduerſus maximè.

¶ His ita præcognitis de huius legis ſententiâ nunc plenius videamus. Huius igitur legis quinque capita facio.

Primo capite ipſa *Interdictio* continetur: eáque vniuerſalis ſeu generalis, tum ratione perſonarum, tum ratione locorum, denique quo ad omnem cultus ſiue ſuperſtitionis Gentilitiæ ſpeciem, de quo poſtremò ſigillatim poſteà: Quod *perſonas* igitur attinet, omnibus cultu Gentilitio interdicit *hâc leg.* Theodoſius Magnus. *Nullus omninò ex quolibet genere, ordine hominum, dignitatum, vel in poteſtate poſitus, vel honore perfunctus, ſiue potens ſorte naſcendi, ſeu humilis genere, conditione, fortunâ.* Qui interim perſonarum recenſus obſeruandus venit, quo omnia hominum genera continentur. Quod *loca* attinet: *In nullo*, inquit, *penitus loco, in nullâ vrbe.* Eſt igitur hæc lex & interdictio generalis & ratione perſonarum, & ratione locorum, & ratione ritus omnis Gentilitij, de quo poſteà.

Secundum caput eſt propriè in *ſacrificantes extáque hoſtiarum conſulentes.* Eos verò velut Maieſtatis reos puniri iubet: Maieſtatis, inquam, etiam humanæ: Quod de hæreticis quandoque cautum: vide *ſupr. tit. de hæreticis*: Et quidem ſub duplici ampliatione; primò quidem accuſatione omnibus indultâ, ſíque etiam exemplo Maieſtatis reorum: de quo *lib 9.* quod & ipſum de hæreticis quoque cautum *l. 40. ſupr. de hæreticis*: deinde diſtinctione ſublatâ, vtrum videlicet aliquid contra ſalutem Principis vel de ſalute eius quæſitum fuerit vel non: cùm alioquin Conſultoria de Principis ſalute ſacrificia nominatim tantùm aliquando prohibita fuiſſent: de quo ad *leges ſuperiores*, & ad *tit. de maleficis & mathematicis*. Et rationem addit, egregio verborum ambitu: quod ſcilicet ſufficiat *ad criminis molem*, ſeu ad exaggerandum crimen hoc *naturæ ipſius Leges velle reſcindere, inlicita perſcrutari, occulta recludere, interdicta temptare, finem quærere ſalutis alienæ, ſpem alieni interitus polliceri.* Quæ quidem vt ſatis illuſtrantur ex his quæ ad *l. 4. ſupr. notaui*, ita ex communi quoque Gentilium Philoſophorum ſententiâ depromſit Theodoſius: qui inlicita vel occulta perſcrutari, déque fine alienæ ſalutis quæri, denique ſpem alieni interitus promitti noluerunt.

Tertium caput eſt, de his qui *Cultum quemcunque alium Diis detulerint*, cuius ſpecies mox perſequamur: nempe hos velut violatæ religionis reos, eâ domo ſiue poſſeſſione, vbi cultus ille exhibitus fuerit, multari iubet Theodoſius. Quæ tralatitia alioquin pœna eſt publicéque improbatum cultum exercentium: cuius exempla paſſim obuia *ſupr. tit. de hæreticis.*

Quartum caput eſt, de Cultu Gentilitio exhibito, exercito in *Templis fanisve publicis aut in ædibus agriſve alienis*: Nempe hoc caſu ſacrificantem 25. libris auri multandum; conniuentem verò huic ſceleri pari cum ſacrificante pœna plectendum.

Poſtremo capite id agit Theodoſius Magnus multiplici ratione, vt Cultus ille inhibeatur, atque adeò lex hæc executioni tradatur: excitato videlicet in id trium generum perſonarum officio. Primò, ſcilicet *Defenſoribus & Curialibus ſingularum vrbium* hanc curam iniungit, vt ilicò comperta in Iudicium deferant, id eſt, ſi quid tale admiſſum ſciuerint, Iudicibus notum faciant: Alioquin *ſi quid illi tegendum gratiâ, vel prætermittendum incuriâ eſſe crediderint*, id eſt, celauerint vel deferre neglexerint & diſſimulauerint, commotioni Iudiciariæ ſubiaceant, id eſt, pro motu Iudicis ſeu Rectoris Prouinciæ puniantur. Nempe Defenſoribus & Curialibus Principalibus id quoque iniunctum: pariter vt ne hæreticos ritus exerceri paterentur: vt fidem facit *lex 40. & 45. infr. de hæreticis*: & *lex 4. ne ſanctum baptiſma.* Secundò, *Iudices*, id eſt, Rectores Prouinciarum, eorúmque Officiales ſi moniti vindictam diſſimulatione diſtulerint, 30. libris auri multari iubet. Quod & aliàs factum: vide *ſupr. tit. de hæretic.*

Nunc duo potiſſimum quibus hæc lex ſolemnis eſt, perſequamur. Primò, quidem *Ritus Gentilitios*, quibus pleniſſima hæc inter omnes lex eſt, de quibus ſingulis tamen intra modum dicam. Hi verò præter publicam Victimarum & hoſtiarum immolationem, & ſimulacrorum cultum, hic *decem* memorantur. Et quidem plerique *ſecretiore* quidem *piaculo*, ſeu intra familiæ domúſque domeſtico cultu & familiari.

Primò igitur ait; *Larem, igne* venerari ſolitos Gentiles: *mero Genium*: *Penates nidore*, &c. Ita enim hic locus reſtituendus totidem literis retentis, quod Viri Docti multi iam indicarunt, notúmque vel iis qui hunc Codicem vel à limine ſalutarunt: *Larem igne, mero Genium*, &c. compulſa videlicet litera M. vltima in voce *ignem*, in vocem ſequentem: ne quis ſibi hic *ignem erogenium* fingat, quod ſibi finxit Indicis Theod. auctor. De his tribus primùm: *de Lare, de Genio & de Penatibus. Lares* de quibus alibi paſſim, domuum Genij habebantur, & ideò Auſonius eos ſic quoque vocat, Θεὸς κατοικίδιος Philoxenus & Priſcianus vertunt. *Domeſticos*, inquit Tertullianus, *Apolog. c. 13. Deos quos Lares dicitis*: Tectorum domuúmque cuſtodes Arnobius *lib. 3.* Præſtites, Ouidius: familiares Lares, Plautus aliíque. At *Genij* ſingulorum hominum cuſtodes habiti, & verò ita ab Apuleio *libro de Deo Socratis* nominantur. *Penates* tandem quoque domeſtici Dij ſeu priuati fuêre: quare & Tertullianus pro illis quæ modo ex Apologetico retuli, *libro ad Nationes, cap. 10. Priuatos enim Deos*, inquit, *quos Lares & Penates domeſticâ conſecratione perhibetis*: πατρῴους verò θεοὺς proprie Penates Græci vocauerunt: vide *Gloſſ.* Philoxeni & Cyrilli: & Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib. 1. pag. 54. & 55.* Lares paterni Iuuenali. His ita diſtinctis, Nunc de cultus diuerſitate: Igitur *Larem ignè, Genium mero, Penates nidore cultos*, ait Theodoſius.

Primò, *Lar*, inquam, *igne* cultus, cui cura foci & familiæ, id eſt ſeruorum, qui etiam in foco tanquam præſentiâ Dei ſui cibum ſumebant. Plautus Aululariâ. *Hæc imponentur in foco noſtro Lari.* Cato de re ruſt. *cap. 143. Villica focum purum circumuerſum quotidie priuſquam cubitum eat, habeat. Kalendis, Idibus, Nonis, feſtus dies cum erit,* CORONAM IN FOCVM INDAT, *pérque eos dies Lari familiari pro copia ſupplicet.* Ouid. Amor. 3. eleg. 3.

Et quiſquam pia thura focis imponere curet.

Iuuenalis *Satyr 9.*

O parui noſtrique Lares quos TVRE *minuto,*
Aut farre & tenui ſoleo exornare coronâ.

Capitolinus *Pertinace. Et cùm apud Lares ſacrificaret carbones viuaciſſimi extincti ſunt.*

Secundò, mero verò Genius cultus. Vel illud Perſiei proritum, *Funde merum Genio.* Cur autem id factum, vt *merum fundendum Genio, non hoſtiâ*

faciendum putauerint, ex Vatrone disquirit Censosorinus *de die Natali, cap.* 2.

Tertiò, quod *nidorem* attinet, nidor hic est *κνίσσα* turis & similium, κνισωτῶ. Lar familiaris prologo Aulul. *Aut* TVRE *aut* VINO *aut aliqui semper supplicat.* Iuuenalis Satyra 12. *LARIBVS PATERNIS Tura dato.* Pabula nidoris vocat Tertullianus: nidor altarium Minucio *Felici p.* 65. Arnobius *lib.* 6. *Nidorem consectantur & fumos.* Quare non mutanda hæc vox *in Odore*, quomodo tamen etiam Tiliana ed. habet. De nidore hoc seu *κνίσσης* multa habet Ricardus ad Procli *orat.* 13. *pag.* 416. 417.

Quartò, sequitur *accensio Luminarium.* Lumina scilicet Diis accendebantur, Lactantius, *lib.* 6. *c.* 2. *Accendunt*, inquit, *lumina, velut in tenebris agenti*, quod etiam Seneca irridet *epist.* 96.

Quintò, post hæc *Turis impositio*; cuius tribus locis fit mentio *hâc leg.* vbi & propria vox imponendi *turificantium*, *turis vapore fumare.* Ouidius *Amorum* 3. *eleg.* 3.

Et quisquam pia tura focis imponere curet.

Lactantius, *lib.* 5. *cap.* 21. *Et animas suas cum ture ipso cremandas aris detestabilibus imponunt.* Aristophanes in Vespis, ὥσπερ λιβανωτὸν ἐπιτιθεὶς τοὐλαίῳ.

Sextò, inde *serta suspendi* solita ait. Sertis scilicet Deos ornatos passim obseruatio est: videndus Arnobius, *lib.* 7. *pag.* 298. *Etiam Dij SERTIS, coronis afficiuntur & floribus.*

Iuuenalis, *Satyr* 12.

Sertáque delubris & farra imponite cultris.

Vbi Scholiastes, *Frondibus*, inquit, *ornabant templa.* Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 1.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris:
Seu vetus in triuio florida serta lapis.

Atque hoc nomine damnatæ olim à Christianis coronæ: vide Tertull. Nominatim verò templorum postes sertis ornati, *l.* 7. *Cod. de Paganis. Absit vt saeculo nostro redimiri sertis templorum impios postes.* Aræ item & simulacra. Sed & Lari nominatim in focis imposita: de quo *supr.* Et capiti collóque simulacris serta imposita, Tibullus 1. eleg. 7.

Illius è nitido stilleat vnguenta capillo,
Et capite & collo mollia SERTA gerant.

Ipsis Laribus Iuuenalis *Satyra* 9.

O parui nostrique Lares, quos ture minuto,
Aut farre aut tenui soleo exornare CORONA.

Plautus Trinummo Actu 1. sc. 2. *in princ.*

Larem CORONA nostrum decorari volo

Lar familiaris ipse Aulularia. Dat mihi CORONAS Sed, cui non dictus Hylas?

Septimò, sequuntur illa: *spirantia exta consulere*: propriè. Virgilius ea imitatione 4 *Æneid.*

——————pecudúmque reclusis
Pectoribus inhians spirantia [*trepidantia*] *consulit exta.*

Notissima verò hæc Extispicina σπλαγχνοσκοπία.

Octauò, *Redimita* quoque *vittis arbore imagines honoratas*, ait Theodosius. Statius 2. *Thebaid. at arbore casta Nectunt purpureas niueo discrimine vittas.* Prudentius 2. *contra Symmachum vers.* 1010. *Et quae fumificas arbor vittata lucernas Seruabat*, Arnobius *lib.* 1. aduersus gentes: *Venerabar*, inquit, *nuper veteranosis in arboribus tenias.* Idem *lib.* 10. *Quid lanarum*, inquit, *vellera, quibus arbores colligatis & circumuoluitis stipitem.* Et mox: *Quid compti violaceis coronis & REDIMITI ARBORIS RAMVLI?* Prudentius hymno 24. *Ignosco fatuis hæc tantum vulgaribus, quos lana terret discolor in stipite*, Apuleius 6. Metamorph. *Videt Dona speciosa & LACINIAS auro litteratas ramis arborum postibúsque suffixas*, Apuleius Apolog. *Negant vidisse se qui fuerunt vnum saltem in finibus eius lapidem vnctum aut Ramum coronatum.* Adde & Ouidium 8. Metamorph. Plinium *lib.* 12. *cap.* 1. Senecam *epist* 47. Scholiastes Aristophanis Pluti, ἐπὶ τῶν δένδρων πανταχῆ ἐν τοῖς ἱεροῖς προσπατταλεύουσι τὰ ἀναθήματα. Certè mos hic posteà diu mansit, ad arbores adorandi; & quidem in Italia, vt Gregorius Papa *lib.* 7. *epist.* 20. in Africa, vt Concilium Carthaginense (habitum Anno 401.) seu *Canon.* 84. *Codicis Africani*, & D. Augustinus *sermone de tempore* 241. testantur, Et per Galliam Sulpicius Seuerus *in V. S. Martini* docet; vt & Concilium Arelatense 7. Altisiodorense, Nannetense, Agathense & Capitularium *lib.* 1. *tit.* 64. & *lib.* 7 *tit.* 236. Dictæ hæ arbores *Sacrina*, vt ex *cap.* 3. Concilij Altisiodorensis: & Legibus Longobardicis *lib.* 2. *tit.* 38 *d* 1. apparet.

¶ Nonò, *Erectâ* item *arâ effossis cespitibus* imagines honoratas *hâc leg.* dicitur. *Aræ* cespititiæ quoque Gentilibus & Subitaneæ ex cespitibus erectæ, quas Iamblichus *lib.* 1. *de vita Pythagora, cap.* 3. *pag.* 35. βωμοὺς αὐτοσχεδίους vocat. Virgilius 12. Æneid. *Aras gramineas*, vbi vide Seruium, Tibullus.

——————factas extruis alsè
Cespitibus mensas——————

Ouidius Fastorum 1.

Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis.

Et *lib.* 4. *Metamorph.*

Dîs tribus ille focos totidem de cespite ponit.

Tacitus 4. *hist.* Apuleius ideò *lib.* 1. *Floridor. in pr. Cespitem libamine humigatum*, dixit; & *lib.* 7. *Metamorph. Aram*, inquit, *cespite virenti Marti Deo faciunt.* Tertullianus Apol. *Frugi religio, temeraria de cespite altaria*, & de corona c. 7. Capitolinus in descriptione Hecatombes: *Centum aræ*, inquit, *vno in loco cespititiæ extruuntur.* Pollio in Claudio, Et centum aræ cespititiæ extruuntur: meminit & Hieronymus *in cap.* 65. *Esaiæ.* Quem cespitem virentem Apuleius vocat, Horatius viuum Cespitem dixit 1. *Odar.* 14. & 3. *Odar.* 8. *Festum cespitem*; Iuuenalis *Satyra* 12.

Quâ festus promissa deis animalia cespes
Expectat, niueam reginæ cedimus agnam.

Silius Italicus *l.* 16.

Et simul extructis CESPES surrexerat aris,
Victimáque admotâ stabat subiecta securi.

Calpurnius Ecloga 2.

Sæpè vaporato mihi cespite palpitat agnus.

Prudentius in hymno Romani.

———quas ad aras præcipis.
Veruece cæso fumet, vt cespes meus.

Et in hymno S. Laurentij.

Stat ara thure & cespite;
Precanda iam nunc est tibi.

Ausonius in Ephemer.

Foculósque viui cespitis
Vanis relinquo altaribus.

Lactantius l. 6. cap. 24. *Ad quod sacrificium neque verbena opus est, neque fibris, neque cespitibus, quæ vtique sunt vanissima.* De his aris & similibus etiam accipiendum quod Augustinus *sermone* 41. scribit: *Quicunque in agro suo aut villa aut iuxta villam aliquam ARBORES aut ARAS vel qualibet fana habuerit, vbi miseri homines solent aliqua vota reddere*, &c. Ex his appatet interim retentam diutius in agris & priuatis possessionibus, publicis quamlibet locis exterminatam superstitionem: Idem Augustinus *sermone* 6. *de verbis Domini*, de idolis loquens: *Multi*, inquit, *Pagani habent istas abominationes in fundis suis, nunquid accedimus & confringimus?* His adde Porphyrium *de Nympharum*

rum antro. Euripidis Scholiasten in Phœnissis: de cespite sepulcrorum, vid. *legem 5. supr. de sepulc.* Sed quid moror plura, cùm exstet Berthaldi liber singularis *de arâ*, qui tamen hunc Codicis Theodosiani locum non obseruauit.

Decimò, *turis* tandem (de quo etiam suprà) *vapore fumasse loca*, ait. Quomodo Virgilius 11. Æn.

——— & templum ture V A P O R A T.

Prudentius *lib. 1. contra Symmachum v. 363.*

Aut ornat redimita rosis aut ture V A P O R A T.

Calpurnius Ecloga 2.

Sæpè vaporato mihi cespite palpitat agnus.

¶ H A C T E N V S de ritibus Gentilitiis qui *hâc leg.* memorantur; nunc secundo loco sequuntur, quod obseruatione magis dignum, quoque, solemnis & notabilis maximè hæc lex est, & Theologiam merè spirans, *Argumenta* scilicet ex Theologia petita, & sacra Scripturâ, quibus Theodosius Magnus Christianique Scriptores (qui aduersus Gentes siue Nationes scripsère) Gentilitium cultum traducere & simulacra ludibrio exponere soliti, & sic [illegible] sequuntur. Quæ quidem vnicâ sæpè voce perstringuntur, pariter vt Valentiniani *l. 10. supr.* Oraitto quæ de futurorum perscrutatione iam supra dicta: sequuntur autem quinque de *simulacris* siue *Imaginibus*.

Primò, *sensu carentia simulacra* dicuntur: Sic Origeni contra Celsum 8. *pag. 403.* [illegible]: quomodo & alia simulacra statuásque Ammianus Marcellinus *l. 14. p. 12.* *figmenta ærea sensu carentia* vocat, Romanis statuarum cupiditatem exprobrans: Sic Tertullianus *lib. 2.* ad Nationes extremo; *sed quia nihil sentiunt, impunè læduntur*: vel vt est in Apolog. cap. 25. *Tam impunè læduntur, quam frustra coluntur.* Imò Varro apud Arnobium, qui & ipse ait, *Carent enim sensu*, initio l. 7. *Quis est pectoris tam obtusi, qui aut rebus carentibus sensu hostias cædat aut Victimas?* Idem ipse Arnobius l. 6. *inertia signa*, dixit, *nullius sensus*. Item, *non ignorasse antiquos nihil habere Numinis signa, neque vllum omninò inesse his sensum*, Augustinus Epist. ad Deogratias: *Et idola quidem omni sensu carere quis dubitat?* Zeno Veronensis, serm. de Iona, *Stupida* appellat, Lactantius *lib. 6. c. 13.* *Insensibilia adorant ergo; &, quæ quia mortuorum sunt imagines, similia mortuis sunt, omni enim sensu carent.*

Secundò, *mortali opere facta simulacra*, ait: pariter vt *d. l. 10. supr. mortali opere formata* Lactantius *lib. 2. cap. 2.* *Nam ista mortalium digitorum ludicra & fragilia figmenta*, &c.

Tertiò, *annum passura simulacra*, id est, senium & occasum, sic Arnobius *lib. 6. pag. 253.* *Ita enim non videtis quemadmodum secli longioris incuria perdans situs.*

Quartò, *ridiculo exemplo à Gentilibus honorari subito quæ ipsi simulauerint* (inde *simulacra* dicta) id est, effinxerint. Quod argumentum exequuntur qui aduersus Gentes scripsère ferè omnes, Minutius, Arnobius, Lactantius. Prudentius *lib. 1. contra Symmachum.*

Deponas iam festa velim puerilia, ritus
R I D I C V L O S.

Et in Apotheosi.

Et quis in idolio recubans inter sacra mille,
R I D I C V L O S Q V E Deos venerans sale,
cespite, ture.

Lucanus: *Quæ finxère timent* Sedulius *lib. 1. p. 39.*

————— Et quæ fecère verentur.

Et alioquin metus Deos ipsos finxit: *Primus in orbe Deos fecit timor* Petronius: vide & Lucretium *lib. 5.* Minutius Octauio: *Quod si animum quis inducas, tormentis quibus & quibus machinis simulacrum omne formetur, erubescet timere se materiem ab artifice, vt Deum faceret, illusam.* Quod autem addit *subito honorari ea quæ simulauerint*, ad deridiculum magis pertinet: nempe, quod honorarent ea quæ ipsi M O D O meram materiam viderant; tam *subito* scilicet & momento ruibinis è ligno erat Deus. Quò pertinet etiam quod Horatius, ait *lib. 1. Sat. 8* *Olim truncus eram*, &c. Item *Vanas Imagines* vocat: Quomodo & ritus circa eas *vani*. Inde & Arnobius *lib. 6.* agere vos nihil & circa res cassas officiorum impendere vanitates. Tandem Theologicè enunciat Theodosius Magnus, quamlibet vili aliquo munere Imagines seu simulacra honorentur, attamen plenè in religionis iniuriam id cedere: vel, vt eleganter ait: *Humiliore licet muneris præmio, tamen plenâ religionis iniuriâ honorari.* Vbi & *muneris* vox propria est de his quæ Diis & simulacris offeruntur: mox *plenam religionis iniuriam* opponit *humiliori muneri seu præmio.* Nempe, nil tam minimum cultui Deorum vanorum deferre possis, quin P L E N A seu ad plenum hæc veræ religionis Deique veri iniuria fit. Propria etiam hic voce *honorandi*; pariter vt *honoris* vox, pro sacrificio passim apud Scriptores effertur, quorum testimonia collegit Iuretus, *in lib. 8. Symm. epist. 26.*

¶ A R C A D I I *è tribus* Prima *lex in Paganos, Templa, & sacrificia.*

XIII. * Impp. A R C A D I V S & Honorius AA. Rufino PF. P."

S T A T V I M V S, nullum ad fanum, vel quodlibet Templum, habere quempiam" licentiam accedendi, vel abominanda Sacrificia celebrandi, quolibet loco" vel tempore. Igitur, vniuersi, qui à Catholicæ religionis dogmate deuiare contendunt, ea quæ nuper" decreui properent custodire, & quæ olim constituta sunt, de Hæreticis, vel de Paganis, non audeant præterire: Sciturí, quidquid Diui Genitoris" nostri legibus † est in ipsos vel supplicij" vel dispendij" constitutum, nunc acrius exsequendum. ¶ Sciant autem Moderatores Prouinciarum & his Apparitio" obsecundans, Primates" etiam ciuitatum, Defensores" necnon & Curiales, Procuratores" possessionum nostrarum (in quibus sine timore dispendij cœtus illicitos hæreticos inire comperimus, eò quod fisco sociari" non possunt, quippe ad eius dominium" pertinentes) si quid, aduersus scita nostra tentatum, non fuerit vindicatum, atque in vestigio ipso punitum, omnibus se detrimentis & suppliciis subiugandos, quæ scitis sunt veteribus" constituta. ¶ Speciatim verò hâc in Modera-

tores austeriora sancimus & decernimus: namque" his non custoditis omni industriâ atque cautelâ, non solùm hanc multam, quæ in ipsos constituta est, exerceri," verùm etiam" quæ in eos præfinita est qui commissi videntur" auctores." Nec his tamen remissâ quibus ob contumaciam suam iustè est inrogata, Insuper capitali supplicio iudicamus Officia" coërcenda quæ statuta neglexerint. Dat. VII. Id. Aug. CP. Olybrio & Probino COSS. [395.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus suis rectè inseruit Baronius, *Anno D.395. n.12.*
"*Rufinus* PP. Orientis scilicet vt *l.12. supr.* sub Arcadio & *Prosopogr.*
"malu *quampiam*, quanquam & illud sustineri possit.
"ita & *l.42. supr. de hæreticis.*
"siue superioris anni *l.24. supr. de hæreticis*: & hoc ipso anno *l.25.26.* (& hæc specialius) *supr. de hæreticis*: Quâ tres leges etiam eidem Rufino PP. inscribuntur.
"Theodosij Magni.
"vide *l.11. 13. supr.*
"Confiscationis puta loci in quo ritum suum exercuerint *d.l.13. supr.* & *hâc* ipsa *leg.* mox. Fortè etiam intelligit mulctam aurariam decem librarum de qua *l.21. supr. de hæreticis.*
" id est, Apparitores Iudicum.
" id est, Principales Curialium.
"vide sup. Paratitlon *de Defensoribus.*
"*Et* *Procuratores*, &c. de quibus *suo tit. lib.10. tit.4. supr.*
"Ex possessiones scilicet.
"Iam pertinentes.
"vid. *sup. tit. de hæreticis.* & nominatim *legem 21.* quæ est de *multa auraria.*
"fortè *exercebis*, vel ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repete *decernimus*, nisi pro *namque* legat quis *nempe.*
"eam scilicet pœnam.
" id est, sunt.
"id est, qui ipsi sacrificia fecerunt aut conuentus hæreticos habuerunt.
"id est, Officiales.

COMMENTARIVS.

ARCADII tres constitutiones in Paganos, sacrificia & Templa sequuntur, puta *lex 13.14. & 16.* Hæ sanè SACRIFICIA, Templorúmque aditum per Orientem prohibet: Patrisque Theodosij, suásque aduersus Paganos simul & hæreticos leges confirmat. Et maximè quidem aduersus hæreticos: vt potissimam proinde legis huiusce partem rectius in titulum *de hæreticis* coniectam oportuerit; Nam & bis quoque verbis *ea qua nuper decreui*, *legem 24. 25. 26. eius tit. de hæreticis*, hoc ipso anno (ad eundem Rufinum P.P. cui & hæc lex inscribitur datas) accipi oportet. Ex *hâc* quoque *leg.* pariter vt ex *dict. l.24.25.26.* colligimus Rufini in hæreticos odium: de quo dixi semel ad *d. l.25.* déque Eunomianorum ideò in eum odio & in his Philostorgij.

¶ Quod *Paganos* attinet. Neque etiam hinc abludit Sozomeni locus *lib.8. cap.1.* vbi ait, Theodosio mortuo filios eius Arcadium & Honorium patris exemplo prioribus Imperatoribus super Ecclesiis visa sancita propensius confirmasse. Quanquam ad Ecclesiarum priuilegia potius respicere videatur.

¶ Sed nec omittendum qood idem subiicit tum factum, vt Pagani etiam & Hæretici Imperatorum exemplo certatim ad Ecclesiam Catholicam accederent. Quanquam viceuersa Apostatas nonnullos extitisse docet seq. Anno 396. *lex 6. supr. de Apostatis*: in quos ideò Arcadius censuram suam erexit & exeruit.

¶ ARCADII Secunda *lex hoc titulo quâ* PRIVILEGIA *Sacerdotum*, &c. *Paganorum abolentur.*

XIV. * Idem AA. Cæsario PF. P."

PRIVILEGIA, si qua" concessa sunt antiquo" iure Sacerdotibus," Ministris, Præfectis, Hierofantis agrorum," siue quolibet alio nomine nuncupantur, penitùs aboleantur: Nec gratulentur se priuilegio esse munitos, quorum professio per Legem cognoscitur esse damnata. Dat. VI." Id. Dec. CP. Arcadio IV. & Honorio III. COSS. [396.]

NOTÆ.

* Meminit *huius legis* Baronius *Anno 396. num.10.*
"*Cæsarius*, sub Arcadio, PP. Orientis scilicet: vide *legem 14. supr. de bonis proscriptorum, legem 31. supr. de Muneribus*, *l.9. supr. de indulgentiis criminum*, hoc ipso Anno 396.
"id est, quæcunque.
"inde παλαιαὶ τιμαὶ Sozomenus, *lib.1. & 3.*
"Quomodo hi inter se differant mox dicam.
"siue *Sacrorum*: vide comment. Nil muto.
" al. *VII.*

COMMEN

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA SACERDOTVM Paganorum per Orientem ab Arcadio *hâc leg.* Anno 396. penitùs aboleri iubentur: Quæ per Occidentem iam antè à diuersis retro Principibus & à Gratiano Romæ nominatim, sublata fuerant; vt Symmachi *ad Valentinianum relatio*, & Ambrosius *lib.1.* Symmacho respondens, & *Oratione funebri de obitu Valentiniani Imp.* testatur. Imò & à Theodosio Magno, vt indicat *lex 145. supr. de Decurion.*

¶ De duobus tantùm *hâc leg.* videndum est. Primum, de *Sacerdotibus* illis quorum *hâc lege* mentio fit qui vt non omnes hic nominantur, ita quatuor sanè recensentur: *Sacerdotes*, *Ministri*, *Præfecti*, *Hierophantæ agrorum*. Huc pertinet sanè Sozomeni locus *lib.4. cap.3.* vbi de Iuliano Apostata agens μύσταις δὲ καὶ ἱερεῦσι, ἱεροφάνταις τε καὶ τοῖς τῶν ξοάνων θεραπευταῖς τὰς παλαιὰς τιμὰς ἀπέδωκε, καὶ τὰ περὶ τῶν πρόσθεν βασιλέων νενομοθετημένα ἐπ' αὐτοῖς ἐκύρωσε: κατεργιῶν τε καὶ τῶν ἄλλων ὧν πρὶν εἶχον τὴν ἀτέλειαν ἐψηφίσατο, καὶ τὰ ἀφαιρεθέντα τῶν νεωκόρων σιτηρέσια ἀπέδωκε, &c. id est, *Sacerdotibus & Hierophantis, & idolorum ministris vetera priuilegia reddidit, à superioribus retro Principibus super his statuta confirmauit, immunitatem munerum aliorúmque quam prius habebant sanciuit & ablatas ministris annonas reddidit.* Alioquin tres fermè gradus seu tria nomina constituere: quorum tertij, *Ministri* Manlius Theodosius lib.5. *Quos potius finges artus, quam templa colentes. Atque auctoratos in tertia iura ministros.* Ministrorum mentio & in Aureliano Vopisci: *Decreuit etiam*, inquit, *emolumenta sartis tectis, & ministris. Hierophantæ* apud Atticos inter μυστηρίων τελεστὰς Polluci *lib.1. cap.11.* recensentur. Erant itaque qui sacra docebant & aperiebant: præter Laërtium in *Aristippo p.84.* Hesychius & Suidas: ἱεροφάντης, μυσταγωγός, ἱερεύς, ὁ τὰ μυστήρια δεικνύων; & Plutarchus *in vita Alcibiadis* ἱεροφάντης δεικνύει τὰ ἱερά. Hierophantæ apud Atticos meminit & Arnobius *5. adu. gentes*, & Eunapius *in Maximo*, vt Hieronymus *ad Gerontiam*, & *lib.1. contra Iouinianum*, & Hierophantæ Archiæ nominatim Demosthenes *in Neæram pag. 513. 534.* Quem Hierophantam Plutarchus *in vita Numæ*, idem, quod Pontificem Maximum Romæ, munus obiisse putat, ὁ Μέγιστος τῶν ποντιφίκων ἱεροφάντου τάξιν ἐπέχει. Tertullianus quoque *1. aduers. Marcionem cap.13.* Ægyptiis Hierophantas sic tribuit, vt Magos Persis & Indis Gymnosophistas. *Persarum*, inquit, *Magi & Ægyptiorum Hierophantæ & Indorum Gymnosophistæ.* Iamblichus *1. de vita Pythagoræ c.3. p.33.* Phœnicum Hierophantæ meminit. Eunapius *in Proæresio p.161.* apertè ostendit Hierophantas præfuisse τῶν μελλόντων τελεῖσθαι. Vide & Zosimum *lib.4. p.745.* & Harpocrationem *in voce Hierophantis.* Theodoretus *Græcarum affectionum 1. Pag.18.* munus eorum ita quoque rectè describit, οἱ δὲ μυσταγωγοῦντες ἱερεῖς, τὸν τῶν ὀργίων ἐπιτελοῦντα θεσμόν: ὁ δὲ ἱεροφάντης μόνος αὐτὸς τῶν μυουμένων τὸν λόγον, καὶ εἰς αἰ δοκιμάζων καταμηνύει. Clemens quoque *in protreptico p.55.* ostendit Hierophantas mystas suos obsignasse & illuminasse ἱεροφάντης καὶ τὸν μύστην σφραγίζει. De Hierophantis & Hierophantriis Hecates videndæ veteres inscriptiones. Ex his iterum omnibus haud immeritò censeat quis maiorem Hierophantæ dignitatem fuisse, quàm vt *in agros* relegandus videatur: ideóque sic existimet quod & ipse aliquando existimaui in *hâc leg.* pro *Hierofantis agrorum* & templorum, quæ in agris (de quibus dixi plenè ad inscriptionem & ad *c.3. supr.*) legendum *Hierofantis sacrorum*: vt ita vox ea *sacrorum*, Præfectis etiam & ministris paulo prius nominatis conueniat: Nam *Præfectos & Ministros sacrorum* fuisse dictos iam notum est. Sanè & Theodoretus Μυστηρίων Hierophantas pariter dixit. Verùm nil temerè muto: nempe Hierophantæ agrorum fuisse videntur, quomodo & Clerici potissimum Vicani: item & *Haruspices Vicani* fuerunt: de quibus vid. *Turnebum.* Sic & *Præfecti pagorum* seu *agrorum* fuerunt: de quibus ad *legem 1. supr. de pigneribus.* Denique ita sentio Sacerdotes & ministros, ad ciuitates pertinere: Præfectos & Hierophantas, ad agros.

¶ De ipsis nunc Priuilegiis Sacerdotum, quæ ab Arcadio *hâc leg.* abolentur videndum est: Quænam sanè ea fuerint ex huius tituli Paratitlo disci potest: de quibus videnda nominatim *l.21. 60. & 75. supr. de Decurionib.* item *l.2. supr. quemadm. mun. ciuil.* puta inter cætera, immunitas à muneribus publicis de quibus illis quas dixi *legibus* agitur. Et est prætereà Sozomeni locus ille, quem initio protuli *lib.5. c.5.* Eorundem priuilegiorum meminit & Symmachus *lib.4. epist.61.* qui & à Glebali præstatione Sacerdotes immunes habendos putabat. *Adiice*, inquit, *si places, securitati eius Sacerdotij priuilegium & vnius hominis munimenta multiplicia: Sed velim noueris quæstores gleba Senatoria proximus affuturos*, &c. In quo tamen Symmachus falsus fuit, vt docet *l.10. supr lib.6. tit.2.* ad eam ipsam speciem, quam Symmachus tractat, & ad eundem quoque Felicem PP. Galliarum (cuius ea videlicet Symmachi epistola quoque mentio fit) emissa. Meminit & Sacerdotij priuilegiorum vetus hæc apud Cujacium inscriptio CVM PRIVILEGIO SACERDOTII CÆNINENSIS MVNITVS POTVISSET AB HONORIBVS ET MVNERIBVS FACILE EXCVSARI. Et de Virginum Vestalium priuilegiis nominatim (præter innumeros alios) Symmachus *in relatione ad Valentinianum*, & Ambrosius agit. Ab his priuilegiis diuersa sunt purpuræ aliáque vestis insignia Sacerdotum: vt ea Ambrosius rectè distinguit *2. contra Symmachum*: diuersa & Sacerdotum nobilitas: diuersa militiæ vacatio, præterquam tumultu Gallico, quæ neque horum temporum, neque loci huius est; diuersa iura templorum ipsorum, de quibus & *Paratitlo*, & *l.19. infr.* Quæ & Ambrosius *orat. funebri de obitu Valentin. Imp.* rectè distinguit: *Miserat*, inquit, *propter recuperanda templorum iura, Sacerdotiorum profana priuilegia, cultus sacrorum sacrum, Roma legatos.* Hâc porrò lege, etsi Sacerdotum priuilegia per Orientem penitùs aboleri iubeantur, nonnulla tamen deinceps adhuc remansere, putà quæ propter ludorum festiuitatē data: pariter vt sacris quamlibet prohibitis, ipsi Sacerdotes mansêre, sic, vt eorum nomen votiua festiuitatis solemnitas dedicaret, vt loquitur *lex 2. supr. de expensis ludor.* Itaque Alytarchæ Vrbis Antiochenæ priuilegium, Cupressi videlicet vnius ex luco Daphnensi exscindendæ, de quo *l.12. supr. de iure fisci.* Id enim à Theodosio Iun. demum abolitum fuit *l.2. Cod. Iustin. de Cupress. ex luco Daphnea. excid.* A Theodosio inquam Iun. non vt prior editio per operarum iniuriam habebat *Iustiniano*, non vt posterior Fabroti à *Valentiniano.* Nam quod illi legi *Valentiniani* quoque nomen inscribitur, non ideò Valentiniano tribuenda est: Verùm inscriptum

eios nomen, pro more tum recepto de quo alibi plenè dixi.

¶ Illud adhuc addo: ſicut *hâc leg.* ad Cæſarium PP. data priuilegia Sacerdotibus Gentilium detrahontur: ita & fundos templorum detractos: de quo *eſt lex 4. C. de diu. præd.* ad eundem Cæſarium PP.

¶ Honorii Prima *hoc titulo lex*, *de* Sacrificiis *prohibitis*, *contra de* Ornamentis *publicorum operum non euertendis.*

xv. * Iidem AA." Macrobio PP." Hiſpaniarum, & Procliano Vic. quinque" Prouinciarum.

Sicut ſacrificia" prohibemus, ita volumus publicorum operum" Ornamenta" ſeruari. Ac ne ſibi aliqua auctoritate" blandiantur, qui ea conantur euertere, ſi quod Reſcriptum, ſi qua Lex † forte prætenditur, erutæ" huiuſmodi chartæ" ex eorum manibus ad Noſtram Scientiam * ſi * inlicitis euectiones aut ſuo aut alieno nomine potuerint demonſtrare, quas oblatas ad nos mitti decernimus: Qui verò talibus curſum præbuerint, binas auri libras inferre cogantur. Dat. IV. Kalend. Febr. Rau. Theodoro v. c. CONS. [399.]

NOTÆ.

* *Lex 3. Cod. Iuſt. eod. tit.* Et *hâc lege* rectè auxit Annales ſuos Baronius *Anno D. 399. n. 55.*
"*Honorio* Imp. tribuenda hæc lex.
"id eſt, *Præpoſito Hiſpaniarum*: vide Commentarium.
"*Quinque Prouinciæ* hæ quænam ſint, mox dicam.
"Sacrificia templorum: ita *d. l. 3. Cod. Iuſt.*
"Velut lauacrorum *l. 20. infr. porticuum*, Palatiorum, &c.
"id eſt ſimulacra, ſigna vide *Gloſſar.* Commentarium. Errant enim qui iſtud de templis referunt.
"Reſcripti alicuius aut legis: quibus omnis ſuperſtitio penitus erui iuſſa.
† vide *legem 18 & l 19 infr.* ibi cum hoc &c.
"*obrepta*, Cod. Iuſt.
"*charta*, de Imperialibus: vide & Optatum *lib. 1.*
"Vox *perferantur* hîc ſupplenda: vel vt Codex Iuſt. habet *referantur.*
"Abſunt ſequentia à Cod. Iuſt. Non tam quia huiuſce legis pars *tit. de curſu publico* conuenire magis videri poſſit, quam quia contaminatiſſima ea eſt & corruptiſſima. Ego ita reſtituam, quomodo mox dicam.

COMMENTARIVS.

Honorii Imp. quinque conſtitutiones de Paganis, ſacrificiis & templis ſequuntur, puta hæc lex, & *lex* 17. 18 19. 20. Quarum hæc ad Hiſpaniam & ad Gallias pertinet, cæteræ verò ad Africam. Hâc lege data quæ eſt A. D. 399. vt ab vnâ parte Sacrificia prohibet, ita contrà Ornamenta publicorum operum per Hiſpanias & quinque Prouincias dirui ſeu euelli vetantur: non obſtante contrario Reſcripto aut lege aliqua: non obſtante item euectione: vt maximè ſcilicet ſacrificia, ſeu ritus Gentilitios abolitos ibi voluerit Honorius, ab ornamentis tamen publicis abſtineri ibidem voluit. Nempe quod in his ornatus publicus conſiſteret. Eadem verò ſententia méuſque ſtetit Theodoſio Magno *l. 8. ſupr.* Eâdémque ratione Valentinianum Iuniorem cultum ſpoliatorum mœnium Romæ inueſtigari à Præfecto Vrbis iuſſiſſe ſcribit Symmachus, *lib. 10. epiſt. 34.* Eóque pertinet & illud apud Prudentium 1. *contra Symmachum à verſ.* 505. ſub eodem Honorio, qui huius legis auctor eſt, ſcribentem: *O Proceres liceat ſtatuas conſiſtere puras Artificum magnorum opera: Hæc pulcherrima noſtra* ORNAMENTA *cluant patria: nec decolor vſus In vitium verſa monimenta coinquinet artis.* Hæc Prudentius ſub eodem vt dixi Honorio. At Chriſtiani fermè ad idololatriam pеſſundandam, vt in templa paſſim iuère (de quo dictum iam ad *d. l. 8. ſupr.*) ita & in alia quoque ornamenta (quibus ſuperſtitio aliqua olim tributa) & quidem publica iam lege & reſcripto; quod hæc lex indicat, ſimul & inhibet. Et alia tamen mox eidem Honorio *l. 18. 19. 20.* per Africam mens fuit, puta vt ſimulacra non à templis aut fanis tantùm euellerentur, verùm etiam alibi, puta à lauacris & publicis aſpectibus: *Ne* (vt nominatim dicitur *d. l. 20.*) *illecebram errantibus præſtarent.*

¶ *Ornamenta* operum publicorum, quæ *hâc leg.* & apud Prudentium dicuntur, ſunt ſimulacra operibus publicis affixa; verbi gratiâ lauacrorum ſeu balneorum ſimulacra *d. l. 20. infr.* vbi dicam: ſimulacra item, quæ in Foro erant: Ἀγάλματα (inquit Xenophon *lib. 4.*) τὰ ἐν ἀγορᾷ Θεῶν. Vnde Θεοὶ ἀγορᾶς ἐπίσκοποι Æſchylo *in Thebaide.* Inde ἀγοραῖος. Ammianus ἀγοραῖος προσθεῖσα ... ... ΑΓΟΡΑ ...: vide & Plautum *Bacchidibus* & Prudentium *in Agone Romani.* In plateis & compitis quoque ſimulacra fuiſſe docet Lucianus, *in Prometheo*, μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί, πᾶσαι δὲ ἀνθρώπων ἀγοραί. De omnibus his, & aliis, Tertulliani locus hic, *de ſpectaculis cap. 8.* notandus maximè. *Cæterùm & plateæ & forum & balneæ & ſtabula ſine idolo non ſunt.* Ambroſius *aduerſus Symmachum lib. 2.* *Non illis ſatis ſunt lauacra, non porticus, non plateæ occupatæ ſimulacris?* Huc pertinent & ſequentia loca Athenagoræ πρεσβείας *pag. 30.* οἱ μὲν ἄλλοι ἀνδριάντες τοῦ Νηρυλλίνου, ... (... πόλις) ... Theodoretus, *lib. 7. de Græcor. affectionib. curand. pag. 103.* Καὶ ... οὐ μόνον τὰ τέμενη ... ἀλλὰ καὶ τὰς ἀγορὰς καὶ τὰς ἀγυιὰς, καὶ ... τὰς οἰκίας. Quin

&c

& statuarum in foro mentio apud Lucianum *in Anacharsi*: & Sidonij Apollinaris *lib.1. Ep ad Montium*. Imò & si Cujacio credimus, in *lege Fulcinius, hinc illud sciendum d. ex quibus causis in possess. eat.* Imò & de stabulorum simulacris est quoque Apulei locus. Tandem totæ vrbes idolis refertæ erant. Vnde Lucas *Act.17.16.* Athenas vocat κατείδωλον οὖσαν: quomodo κατάδενδρα loci atboribus & vineis consiti & id genus alia: Eaque etiam causa, cur Pauli per Athenas incedentis animus commoueretur, vbi tot locis simulacra occurrerent.

¶ Nunc de inscriptione *huius leg.* videndum est, quæ duo obscura habet: primum in eo quòd peculiarem Hispaniarum Præfectum Prætorio memorare videatur, cùm tamen Hispania vna cum tribus diœcesibus dispositioni Præfecti Prætorio Galliarum supposita fuerit. Et certè notæ hæ *P.P. Hispaniarum*, non interpretandæ sunt *Præfecto Prætorio Hispaniarum*, verùm sic explicandæ sunt, *Proprafecto Hispaniarum*, id est, Vicario Hispaniarum: Vicarij nempe *Pro præfectis* diœceses sibi creditas temperare dicuntur *l.4. hoc eod. Cod. supr. de proxim. com. disp.* Propræfecto regere Aurelius Victor *in Cõstantino*: Propræfectis diœceses regere, curare apud Ammianum Marcellinum *lib.23.* vbi de Alypio & *lib.27.* vbi de Ciuili agit. Propræfecto Prouincias regere apud eundem *lib.14. p.11.* vbi de Martino Vicario Britanniarum. In veteri denique inscriptione: SYMMACHVS PROPRÆFECTIS PRÆTORIU IN VRBS ROMA FINITIMISQVS PROVINCIIS. Ideóque & apud Symmachum *lib.10. epist.36.* Vicarij secunda tudicia vocantur: & Vicarij dignitas apud Ausonium *in Mosella* loco vexato, Præfecturarum titulus secundus dicitur. Ergo hæ notæ *PP.* ita vt dixi interpretandæ sunt: pariter vt in inscriptione *l.1. supr. de gladiatorib.* vbi v. quæ dixi.

¶ Cur autem Notæ hæ *PP.* in huiusce legis inscriptione *Præfectum Prætorio* denotare non possint, causa non vna est. Primò, quidem Hispaniæ Vicarium, non PP. habuerunt, qui Vicarius, vna cum Hispania sub dispositione PF. P. Galliarum erat: vt ex veteri inscriptione *p.28. num.2.* Zosimo, Sulpitio Seuero *lib.2. sacra Historia* (qui anno fermè post *hanc leg.* circa Annum 400. Historiam suam conscripsit) & ex Imperij Notitia, & *l.1. supr. de burgariis*, & *l.10. supr. tit.7. lib.6.* certissimum est. Sed & Claudianus quod notandum maximè, hoc ipso Consulatu seu Anno 399. testis locupletissimus, de Manlio Theodoro PP. Galliarum agens: *HISPANA*, inquit, *tibi Germanáque Thetis Paruit, & nostrò diducta Britannia mundo, Dimersóque tuas coluerunt gurgite voces, Lentus Arar, Rhodanúsque celer & diues IBERVS: O quoties doluit Rhenus, quà Barbarus ibat, Quod te non geminis frueretur Iudice ripis.* Et à successore eius in Præfectura Prætoriana Galliarum Vincentio Symmachus *lib.9. epist.23.* perit, *vt literis & Apparitore decreto iuuare dignetur curam suorum, quibus emendas ex HISPANIA curules iniunxit.* Secundò, argumento à coniuncto colligi possit, Macrobium istum non Præfectum Prætorio, verùm Vicarium tantùm fuisse. Nam in inscriptione ei iungitur *Vicarius quinque Prouinciarum*. Cæterùm ad æqualis fermè dignitatis viros, ad *ἰσοτίμους* simul constitutiones *ἰσοτύπους* quoque Imperatores emisère, vt *l.11. supr.* Verùm hoc argumentum eludi posse video, argumento aliarum legum, quarum subscriptiones diuersæ dignitatis viros continent; veluti..... Sed quid, quod tertium, verbis opus, aut peremptorium argumentum vltrà moramur, cùm hoc eodem Codice altera constitutio extet, quæ Macrobium hunc hoc tempore *Proprafecto* seu *Vicarium P.P.* [per Gallias scilicet] fuisse disertis verbis ostendit? Ea est *lex 61. supr. de cursu publico*, quæ Vincentio Præfecto Prætorio [Galliarum] sequente Anno proximo 400. inscribitur. *MACROBIVM*, inquit, *inlicita præsumptione euectiones fecisse constitit, cum necessitas publica non flagitaret, quique multam temeritatis excepit. Ne autem idem in futurum contingat, Sublimitas Tua Vicarios admonebit, vt ab huiusmodi vsurpatione nouerint abstinendum.* Quæ lex etiam ad illustrandam postremam huius legis partem omninò facit. Quare errant qui censent, Hispanias suum peculiarem aliquando Præfectum Prætorio & hoc quidem tempore habuisse argumento inscriptionis huius legis, cuius rei inanem rationem reddit Pancirolus, quam Blondellus rectè refutat, *p.706.* Item eo argumento, quod iam Doctiss. Blondello in eodem errore versaui placuit *p.707.* quod & ita quoque peculiaris Præfectus Prætorio Illyrici & Africæ aliquando fuerit: Par error est Lazij, qui *lib.2. Comment.* 2. ita quoque has notas PP. HISP. CIT. in inscript. *p.277. num.7.* interpretatur, pro Præfecto Prætorio Hispaniarum: quem refutat altera mox *p.278. num.7.* vbi idem Valentinianus sub Caro Imp. expansis literis vocatur PRO PR. PROVINCIÆ HISPANIÆ CITERIORIS, quod à Gutherio rectè notatum 2 *de offic. dom. Aug.* 7. Viceuersa errat Doctissimus Bertertius *l. Pithanon 5. p.61.* & post eum Geographiæ sacræ auctor *p.172.* triplici errore. Primò, cùm vocem *Hispaniarum* hîc in textum irrepsisse censet. Secundò, cùm *Macrobium P.P. Galliarum* hîc indicari putat. Tertiò, cùm hac lege, Hispanias, quarum quinque Prouinciæ fuerunt, quinque Prouinciarum appellatione comprehendi censuit (de quo mox.) Tandem ex his liquet, vel in inscriptione has notas PP. significare Propræfecto Prætorio, vel rescribendum vnico p. addito *PPP.* id est, Propræfecto Prætorio. Est igitur & alius Gutherij error, qui *Proprætorem* hîc interpretatur. Cuiusmodi sanè nullus hâc ætate fuit Hispaniæ Proprætor, qui sub Caro Imp. equidem fuit, vt testantur inscriptiones illæ. Et hæc de *P. P. Hispaniarum* & de *Hispaniis*. Quanquam & illud non abs re fuerit monere, hoc ipso anno Toleti Synodum aduersus Priscillianistas habitam, testis Idacius *Chronico*.

Nunc de *Vicario quinque Prouinciarum*, qui Macrobio itidem Vicario in inscriptione iungitur, quisnam sit; ac primùm quidem quænam illæ quinque Prouinciæ fuerint, nunc porrò videndum est. Fuit tempus, cùm ipse crederem, *Britannias* designari: tum ex adiuncta Vicarij Hispaniarum appellatione, tum quia Britanniam in quatuor aliquãdiu Prouincias (Sexto Rufo teste *in Breuiario*) diuisam, quintâ, Valentiâ scilicet, (circa Ann. Domini 374.) auctam fuisse Ammianus Marcellinus *lib.18.* docet. Denique quia Imperij Notitia sub Vicario Britanniarum disertim quinque Prouincias (& has quidem, Maximam Cæsariensem, Valentiam, Britanniam primam, Britanniam secundam, Flauiam Cæsariensem) fuisse testatur. Verùm hæc interpretatio, quam alioquin & v. CL. Camdenus, datis aliquando ad me literis, probauerat, deinceps displicere mihi cœpit. Nouum enim id & inauditum, nulloque satis authore defendi potest. Secunda eorum est sententia, qui *Hispanias*, quinque Prouinciarum nomine comprehendunt: quos refutant ea quæ superius dicta fuerunt. De Macrobio Vicario Hispaniarum, qui vtique à Vicario quinque Prouinciarum hîc distinctè separatur,

ratur. Quare & tertia eorum sententia concidit Pancicoli & Massonij, qui Hispaniarum partem ulteriorem trans Iberum, quæ Romanis post Vandalos & Alanos reliqua fuit, hic intelligunt: quos & hæc præterea ratio refutat, quod Vandali & Alani nonnisi vndecennio fermè post *huius legis* æram Hispanias inuaserint, teste Idacio quod Blondellus quoque obseruauit *pag.* 707. qui aliis adhuc rationibus id rectè refutat. Quare superest, per Gallias has quinque Prouincias, (ad quas etiam refero *legem* 23 *supr. de Episcopis*) earumque hunc Vicarium, fuisse, & nominatim quidem intelligendas, non Narbonenses duas, Viennensem & Alpes maritimas, (quæ aliàs Doctiss. Betterij sententia est) verùm *duas Aquitanicas & tres Lugdunenses*.

¶ Id vt probem, sternenda sunt prius hoc loco omnia huius quinque Prouinciarum appellationis testimonia. Primò, mentio occurrit in præfatione Concilij Valentini, vbi Synodus coacta dicitur, *ex Galliis & quinque Prouinciis*, Anno D. 374. Secundò, in Maximi Tyranni Epistola ad Syricium Episcopum Anno 385. *Quorum conuentum ex opportunitate omnium vel qui intra Gallias, vel qui intra quinque Prouincias cōmorantur, in id elegerint vrbē constitutam.* Tertiò, Symmachus quoque harum quinque Prouinciarum meminit: vbi *Treuiras & quinque Prouincias* coniungit *lib* 4. *ep.* 30. ad Protadium. *Tu*, inquit, *non iisdem sedibus immoraris, dum aut Treuiros ciuica religione, aut quinque Prouincias otij voluptate commutas: mihi est Roma iugis statio.* Quæ quidem epistola per hæc ipsa tempora data est, & fortè hoc ipso anno. Quartò, harum quinque Prouinciarum mentio occurrit, in Concilio Taurinensi eodem Anno D. 399. quo hæc lex data est, vbi decreta eius mittuntur *Fratribus per Gallias & quinque Prouincias constitutis Episcopis.* Item *Fratribus dilectissimis per Gallias & quinque Prouincias constitutis.* Quintò, Philastrius (qui Anno 400. sequente scribebat) earum meminit: qui, vt hic Hispaniæ & quinque Prouinciæ coniunguntur, simul & duo Vicarij earum Prouinciarum, ita quoque eas coniungit *in heresi Manichaeorum* 61. de Priscillianistis agens. *Vt latrones*, inquit, *iam sub figura confessionis Christianæ multorum animas mendacio ac pecudali turpitudine non desinunt captiuare, qui & in Hispania & quinque Prouinciis latere dicuntur, multósque hac quotidie fallacia captiuare.* Sextò, in Notitia Imperij (quæ conscripta fuit 28. Annis post hanc legem) sub dispositione Comitis rerum priuatarum *quinque Prouincia*, ita designantur. *Rationalis rei priuata per Hispanias: Rationalis rei priuatā per Gallias: Rationalis rei priuata per quinque Prouincias: Rationalis rei priuata per Britannias.* Et rursum, Septimò, sub dispositione Comitis S. L. *Rationalis summarum Hispāniæ: Rationalis summarum quinque Prouinciarum: Rationalis summarum Galliarum: Rationalis summarum Britanniarum.*

¶ Testimoniis omnibus (vno excepto ex eadem Notitia Imperij desumpto, quo hanc inquisitionem fine huius sermonis claudemus) quibus quinque Prouinciarum, de quibus nunc quæritur, mentio fit, consignatis. Primùm apparet, quinque Prouincias quas Iustinianus coniunxit *Nouell.* 50. quasque Bono Quæstori subiicit, huc nulla ratione spectare, quas & ibi nominat, Scythiam, Mysiam, Cariam, Cyclades, Cyprum. Secundò, ex Notitia Imperij liquet non quinque Prouincias Hispaniarum: non quinque Prouincias Hispaniarum accipi posse, verùm quinque Prouincias per Gallias. Tertiò apparet, non vniuersas Gallias hîc eâ appellatione intelligendas, verùm partem Galliarum tantùm, eámque adhuc à Generali Galliarum appellatione distinctam: Nempe, *Galliarum* appellatio aliter atque aliter hoc tempore accepta fuit, ac nominatim ab Aquitania distincta, vt ex Sexto Rufo, Ausonio *in Arel.* Ammiano Marcellino, Seuero Sulpitio *lib.* 2. Olympiodoro, Renato Frigerido, Antonini Itinerario discere liquet. Quartò apparet, ex Symmachi loco, neque Belgicam in quâ Treuiri sunt, quinque Prouinciarum appellatione comprehensam fuisse. Quintò, ex Synodo Valentina apparet, Viennensem (saltem primam & secundam) in qua Valentia, Narbona, Massilia, Vienna, harum quinque Prouinciarum numero non fuisse, vtpote cum non alibi quærendas quam in Galliis appareat ex scopo ipso Maximi Tyranni, Concilij Valentini & Taurinensis. Maximus agit de Concilio quod agi debebat in iudicio Agroetij Presbyteri Gallicani: Concilium Valentinum mittens decreta sua in Gallias eas diuidit *in Gallias & quinque Prouincias*. Concilium Taurinense quod à Conciliis Gallicanis ignotum erat, rationem reddit indicij sui. Sextò, igitur apparet *Aquitanicas* primum *Prouincias* hâc quinque Prouinciarum appellatione contineri, quod Seueri Sulpitij locus cum Philastrij testimonio collatus ostendit. Nam quod Philastrius ait, Priscillianistas (nam de his sentit) in Hispania & quinque Prouinciis latuisse, Seuerus Sulpitius eodem tempore de Aquitania id refert, His inter alia verbis de Instantio Saluiano & Priscilliano Synodo Cæsaraugustanâ in Hispania condemnatis, & Romam atque Italiam proficiscentibus. *Sed iter eis prater interiorem Aquitaniam fuit, vbi tum ab imperitis magnificè suscepti sparsēre perfidia semina maximéque Elusanam plebem sanè tum bonam & Religioni studentem prauis prædicationibus peruertere, à Burdigala per Delfinum repulsi: tamen in agro Euchrocia aliquantisper morati infecēre nonnullos suis erroribus. Inde iter cœptum ingressi sanè turpi pudibundóque comitatu, cum vxoribus atque alienis etiam fœminis, in quibus erat Euchrocia ac filia eius Procula, de qua fuit in sermone hominum Priscilliani stupro granidam, partum sibi graminibus abegisse.*

¶ Quare tandem, cùm neque Belgica neque Viennensis harum quinque Prouinciarum numero fuerint, fuerit Aquitanica, superest, præter duas Aquitanicas harum quinque Prouinciarum numero fuisse tres præterea Lugdunenses Prouincias. Quare tandem, quinque Prouinciæ sunt, *Aquitania prima & secunda Lugdunensis, Senonia* (in qua PARISII) *secunda Lugdunensis & tertia.* Et verò hoc iam est, quod Notitia Imperij exertè docet, cùm de Duce tractus Armoricani & Neruicani limitis agit. *Extenditur*, inquit, *tractus Armoricani & Neruicani limitis per Prouincias quinque; per Aquitaniam primam & secundam, Senoniam, secundam Lugdunensem & tertiam.* Quo testimonio nil clarius, vt miter, Viros Doctos in hâc inquisitione ad hunc locum non attendisse, atque ideò grauiter lapsos: in quibus sanè sunt & qui quinque Prouincias Galliæ Narbonensis hîc accipiebant.

¶ Ex his etiam varùm illud iam & immotum deinceps erit, non vnum per hæc tempora *Vicarium per Gallias* fuisse, quicquid contra Scaligerum nonnulli asserant, quos huius legis inscriptio refutat. Etsi fateor posteà vniuersas, quæ Romanis tum supererant, Gallias in vnam rursum Vicariam coaluisse: quod sanè Notitia Imperij docet. De septem Prouinciis

uineiis Galliarum, alius erit dicendi locus.

¶ Quanam autem ratione vel occasione quinque hæ, quas dixi, Prouinciæ Galliarum peculiarem Vicarium habere cœperint difficile dictu. Sanè, cùm antiquissima harum quinque Prouinciarum mentio occurrat in Synodo Valentinâ Anno Domini 374. inque Maximi Tyranni tempora incidat, ab illis temporibus hoc repetendum puto. Et quidem ab Anno Domini 383. quo Maximus Tyrannus in Gallias, ac nominatim Armoricam, vt volunt, transgressus est. Cuius Armoricani alioquin transitus Historia fabulis contaminatissima est.

¶ Hæc cum ita sint, iam intelligimus hanc legem, vt ad Hispanias ita & ad Galliarum partem pertinere, simulque intelligimus, quantum incubuerint hoc tempore etiam Galliarum & Hispaniarum Episcopi ad eradicandam Gentilitiam superstitionem. Quod speciatim alioquin de *B. Martino* Toronensi in Lugdunensi *tertia*, quæ de quinque Prouinciarum numero quinta fuit, Episcopo, per hæc ipsa tempora memoriæ proditum: vide Seuerum *in vita S. Martini*, *cap.* 10.

¶ Vt ad huiusce legis sententiam, eámque postremam redeam. Vetat *hâc lege* Honorius templorum ornamenta detrahi & transferri, rescriptis in id euacuatis, & euectionibus cursus publici prohibitis. Hæc enim est vltima huiusce sententiæ mens, quam & ita totam restituo: *Erutas huiusmodi chartas ex eorum manibus ad nostram scientiam, vt & si quas inlicitas euectiones aut suo aut alieno nomine potuerint demonstrare, eas oblatas ad nos mitti decernimus.* Nempe, quamlibet euectione munitos, ad huiusmodi ornamenta transferenda admitti vetat: vt exteroquin euectiones vsurpatæ ad marmora transferenda *l.* 15. *supr. de cursu publico.*

¶ Arcadii Tertia *hoc titulo lex*; *de* Templis *per agros diruendis.*

XVI. * Iidem AA. Eutychiano PF. P."

Si qua in agris" templa sunt, sine turba ac tumultu diruantur: His enim deiectis atque sublatis omnis superstitionis materia consumetur. Dat." III. Id. Iul. Damasco; Theodoro v. c. CONS. [399.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus suis rectè inseruit Baronius, *Anno D.* 399. *n.* 57. Meminit eius Theodoretus, *lib.* 5. *cap.* 29. & Georgius, *in vita Ioannis Chrysostomi*, *n.* 23.

" *Eutychianus* sub Arcadio PP. Orientis scilicet: vide sup. *l.* 33. *de hæreticis*, *l.* 3. *de censitorib.* *l.* 25. *de erog. mil. ann.* *l.* 57. *de appellat.* *l.* 1. *de nauibus non excus.* v. *Prosopogr.* & quæ dixi ad *l. univ. supr. ad l. Com. de sicar.*

" vide & *l.* 18. 19. *infr.*

" pro *proposita* vel *publicata*. Erat enim Arcadius Imperator hoc tempore Constantinopoli, vt probat *l.* 36. *supr. de hæret.* Et sanè hanc legem ad Phœnicem pertinere mox ostendam.

COMMENTARIVS.

Arcadii tertia hæc seu vltima hoc titulo constitutio est. Et hæc quidem, de templorum euersione. Templa scilicet (cuiusmodi per Orientem quædam ante biennium iam Arcadii constitutione destructa fuisse docet *lex* 36. *supr. publ. oper.*) hac lege (per Phœnicem nominatim Libani mox vt ostendam) & quidem in agris posita ab eodem Arcadio Imp. sine tumultu dirui nunc iubentur. Quæ quidem lex pertinet procul dubio ad id, quod Theodoretus, *lib.* 5. *c.* 29. & Georgius *in vitâ Chrysostomi*, *num.* 23. & Anonymus, *in eiusdem vitâ num. μα.* & Simeon Metaphrastes *num.* 18. de Ioanne Chrysostomo agens (qui superiore Anno 398. Episcopus ordinatus fuerat, vt Socrates *lib.* 5. *c.* 2. & Georgius *in eius vitâ* testantur) scribit: μαθὼν δὲ τὴν ΦΟΙΝΙΚΗΝ ἔτι περὶ τὰς τῶν δαιμόνων τελετὰς μεμηνυῖαν, ἀσκητὰς μὲν ζήλῳ θείῳ πεπυρπολημένους συνέλεξε, ΝΟΜΟΙΣ δὲ αὐτοὺς ὁπλίσας ΒΑΣΙΛΙΚΟΙΣ κατὰ τῶν εἰδωλείων ἐξέπεμψε τεμενῶν. Et mox: τοὺς μὲν οὖν ὑπολειφθέντας τῶν δαιμόνων ΣΗΚΟΥΣ ἐκ βάθρων ΑΝΕΣΠΑΣΕΝ. Ideóque lex hæc dicitur data (id est, proposita seu publicata) Damasci; quæ Vrbs Metropolis erat Phœnices Libani, ἀξιόλογος καὶ ἐπιφανεστάτη, vt eam Strabo vocat, *lib.* 16. vt etiam auctor libelli (qui Hieronymo falsè tribuitur) *de locis Hebraicis* in Actis Apostol. ostendit: Eadem ratione qua *lex* 33. *supr. de Decurionib.* & *l.* 9. *supr. de filiis milit. apparitor.* Petro Consulari Phœnicis Damasco scriptæ dicuntur. Sic enim solitæ leges in Metropolibus proponi, vt facilius innotescerent, & Magistratus quoque Prouinciarum in Metropolibus sedem constituere, vt proprio inuid loco fusius à nobis dicetur. Damascenos sanè Deorum cultui in primis addictos fuisse liquet. Vnde & Pia Damascus Statio *lib.* 1. *Siluarum Calend. Decembr. Quod ramis pia germinat Damascus.* Quod autem Scriptores superiores in sp. huius legis templa in agris diruta διὰ ἀσκητῶν per Monachos Episcopi authoritate scribant: id ipsum etiam sub Theodosio Magno factum queritur Libanius *oratione* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, quam ipse edidi, vbi Monachos μελανειμονοῦντας vocat & Episcopos μιαρούς, multa in eos scribens.

¶ Cæterùm Arcadius hac lege Templa in agris Phœnices sine tumulto dirui iubet: vt posteà quoque Theodosius Iun. Iudæorum Synagogas in solitudine, si sine seditione fieri posset, deponi iussit, *l.* 22. *supr. de Iudæis.* Verùm euentus huic rei minus respondit: Vtpote tumultu maximo per Phœnicem ob id exorto, plurimis Monachorum vulneratis, nonnullis etiam cæsis, vt ipsemet Chrysostomus *epist.* 123. & 126. testatur. Agricolæ scilicet sua sibi Templa seruari enixius contendebant, iis rationibus, de quibus Libanius *dict. orat.* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν. De Templis alioquin in agris in genere dixi semel ad *Rubricam*, & ad *l.* 3. *supr.* De templis verò in agris per Africam & Præfectu-

tam Prætorianam Italiæ dicui ab Honorio iuſſis: vide *l.18.19. infr.*

¶ Cæterùm, ex his, quæ de hiſtorico huius legis argumento diximus, tum inſcriptionis præſidio, quæ hanc legem *ad Eutychianum Præfectum Prætorio* (Orientis ſcilicet) datam præfert, tum ſubſcriptionis, vbi hæc lex *Damaſco* data, id eſt recepta, publicata dicitur, apparet hanc legem pertinere ad Orientem, & nominatim ad Phœnicem: Proinde liquet, quàm malè Baronius hanc legem putauerit datam ad Patrum Africanorum legationem: aliique pariter Viri Docti hanc legem ſpectare cenſuerint ad eum canonem Africanum: de quo antea; cum Africa non Arcadio Imperatori, (cuius hæc lex eſt,) verùm Honorio pareret.

¶ Honorii Secunda *hoc titulo lex*; *quâ* Festi *conuentus Ludique & Conuiuia permittuntur, idque per Africam.*

XVII. * Iidem AA. Apollodoro Proc. Afric.

Vt profanos'' ritus iam ſalubri Lege † ſubmouimus, ita feſtos Conuentus'' ciuium, & communem omnium lætitiam,'' non patimur ſubmoueri: Vnde abſque vllo ſacrificio, atque vlla ſuperſtitione damnabili, exhibere'' populo'' voluptates,'' ſecundum veterem conſuetudinem: inire'' etiam feſta Conuiuia,'' ſi'' quando exigunt publica Vota,'' decernimus. Dat. XIII. Kalend. Sept. Patauio, Theodoro v. c. cons. [399.]

NOTÆ.

* *Lex 4. Cod. Iuſt. eod. tit.* Inſeruit & hanc ipſam Annalibus ſuis Baronius *Anno D.399. num 56.* Iungenda autem illi *lex 1. infr. de religione*: imò & *lex prox.18.* quæ eidem Apollodoro Proconſuli Africæ inſcribitur, & Patauii pariter data eſt. Dies tantùm diſcrepat. *III. Kalend. Sept.* cum hæc, & *d.l.1. de relig.* habeant *XIII. Kal. Sept.* Verùm illa ex his duobus emendanda venit.

'' *Apollodorum* hunc Proconſulem fuiſſe docet quoque Symmachus, *epiſt.13. lib.8.* & quidem Africæ, *epiſtola 14. & 48. lib.9.*

'' *Profanos ritus*, id eſt Sacrificia, aliámque *damnabilem ſuperſtitionem* (idolorúmque cultus) vt hac ipſa lege mox dicitur.

† Hæc Honorij lex, quâ ſacrificia ab eo prohibita, non extat.

'' Conuentus Vrbis *l.8. ſupr.* vide *Gloſſar.*

'' *Lætitiam*, id eſt, ludos & conuiuia: *κοινὴν πάντων εὐφροσύνην.* Aſterius *Homilia in Feſtum Kal.* quam habuit Ann. 400. *κοινὴν καὶ πάνδημον πανήγυριν*, in Euphemiam Martyrem. Publicum gaudium, Tertullianus *Apolog. c.35.*

'' *Exhibere* Cod. Iuſt. quanquam & hoc ſuſtineri poteſt.

'' *Populorum*, habet. Ita Cod. Iuſt. malè.

'' *voluptates*, id eſt ludos: vide *Gloſſar.*

'' *Miniſtrari, in Cod. Iuſt.* Quâ mutatione nil opus erat.

'' vide *l.19. & 20. infr.*

'' Abeſt hæc vox *ſi* à *Cod. Iuſt.*

'' vide *legem 8. ſupr.* & *l.5. ſupr. de Epiſcopis.*

COMMENTARIVS.

Festos Conventus Ludosque, & Convivia per *Vota* publica (de quibus ad *l.8. ſupr.* plenius actum fuit) id eſt, in feſtiuitatibus publicis, agitari, per Africam nominatim, *Honorius* hâc conſtitutione A.D.399. permittit. Citra vllum tamen ſacrificium, & citra aliam ſuperſtitionem damnabilem, quam ſeſe iam anteà lege ſuâ ſubmouiſſe ait, cuius tamen legis nulla alibi memoria mihi nunc occurrit. Quæ alioquin ſacrificia feſtiuitatibus iſtis publicis fieri ſolita à Gentilibus, vt præter hanc legem docuit quoque *lex 8. ſupr. hoc tit.* & *l.5. ſupr. de Epiſcopis.* Et verò hac de cauſa poſteà idem Honorius conuiuia hæc exerceri & ſolemnitates has agitari prorſus vetuit Anno 408. *l.19. infr.* vbi dicam.

¶ De *ludis* per vota publica iam ſuperius dictum fuit ad *d.l.8.* De feſtis *Conuiuiis* & epulis per vota publica, obſeruandum, ea inita quandoque in ipſis templis, quod indicare videtur *lex 19. infr.* quâ vetantur *Pagani in honorem ſacrilegi ritus FVNESTIORIBVS LOCIS exercere conuiuia vel quidquam ſolemnitatis agitare.* Eóque pertinet dictum Apoſtoli *1. ad Corinth. 8. verſ. 10.* Nempe ſolemne apud Gentiles in templis conuiuari: id quod docet Vopiſcus in Tacito, aliique plures, Ammianus Marcellinus *lib.22. p.241.* Tertullianus *de conuiuiis: Et excubabit pro Templis quibus renunciauit, & cœnabit illic vbi Apoſtolis non placet.* Item conuiuia hæc in publico & vicatim inita. Vnde publica conuiuia Minutio Felici *p.28.* Iuuenalis quoque de his *Satyr.15.*

——Nec magna gaudia cœna
Sentiret poſitis ad templa & compita menſis.

Tertullianus de votis his publicis agens *c.35. Apolog. Grande videlicet*, inquit, *officium, focos & toros in publicum educere, vicatim EPVLARI, ciuitatem tabernæ habitu oboleſfacere, vinum luto cogere.* Et mox: *Cur enim vota & gaudia Cæſarum caſti & ſobrij & probi expungimus.* Idem cap.42. *Non in publico liberalibus diſcumbo, quod beſtiariis ſuprema cœnantibus mos eſt.* Tacitus lib.15. Annalium. *Ipſe quò fidem acquireret, nihil vſquam perinde lætum ſibi ac publicis locis ſtruere conuiuia, totáque vrbe quaſi domo vti.* Inſignis quoque Ioſephi locus, *lib.7. de bello Iudaico, cap.10.* vbi aduentum Veſpaſiani deſcribit: *πᾶν δὲ τὸ πλῆθος κατ' εὐωχίας καὶ φυλὰς καὶ γειτονίας ποιούμενοι τὰς ἑστιάσεις ηὔχοντο τῷ Θεῷ σπένδοντες, αὐτόν τε ἐπὶ πλεῖστον χρόνον Οὐεσπασιανὸν ἐπιμεῖναι τῇ Ῥωμαίων ἡγεμονίᾳ.* Nempe vit, per familias & vicinias publicè conuiuatum, ibique Diis libatum. Inde factum ſcilicet, vt ab einſmodi Epvlis Chriſtiani iam olim abſtinuerint. Græci *θοίνας, εὐωχίας, πανθοινίας, πανθοίνια, δημοθοινίας* dixerunt: vide Ariſtotelem & Athenæum.

In

In Glossis Philoxeni *diuulgatio* ἐξαγωγὴ, δημοθοινία. Theodoretus quoque θεραπευτικῇ 7. *pag.* 108. τύπεις καὶ ἑορτὰς καὶ πανηγύρεις, καὶ δημοθοινίας ἐπιτελῶν. De iisdem epulis & sumptibus ad eas deputatis, vide *l.*20. *infr.* vbi dicam. De his ipsis conuiuiis, & quidem sub Theodosio Magno permissis, insignis occurrit Libanij locus ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, vbi Christianorum obiectioni huic, Ἀλλ' οὐκ ἀφείλετο τοῦτο τὸ βασιλεῦ: ἵνα θύσωσι, ἐρεῖ ταῦτά τις, πάννυχα: ἀλλ' ἐπὶ θοίνῃ καὶ ἀρίστῳ καὶ εὐωχίᾳ: ita respondet, τῶν βωμῶν ἀλλαχοῦ σφαττομένων: βωμοῦ δὲ οὐδενὸς τὸ αἷμα δεχομένου, οὐδὲ μέρους οὐδενὸς καιομένου οὐδὲ ὀλαῖς ἠγμένων, οὐδὲ σπονδαῖς ἀκολουθούσης: οἱ δέ τινες συνελθόντες εἴς τι φαιδρὸν χωρίον μόσχον ἢ πρόβατον, ἢ ἄμφω θύσαντες, τὰ μὲν ἑψήσαντες, τὰ δὲ ὀπτήσαντες κατακλιθέντες ἐπὶ τῆς γῆς ἔφαγον, οὐκ οἶδ' εἴ τινας ἔπει παραβαίνοντο τῶν νόμων, οὐδὲ γὰρ κεκώλυκας ταῦτα, ὦ βασιλεῦ, νόμῳ: ἀλλ' ὃν οἶς τῶν δεῖν μὴ ποιεῖν, τἄλλα πάντα ἀφῆκας, ὥστ' εἰ καὶ μετ' παντοίων θυμιαμάτων συνέπινον, οὐ παρέβαινον νόμον, οὐδὲ γε εἰ πάντες ἐν ταῖς φιλοτησίαις ᾖδόν τι καὶ ἐκάλουν θεοὺς, εἰ μὴ καὶ τὴν οἰκοδίαιταν γινομένην ἐκεῖ συκοφαντήσεις, ἣν ἔθος πολλοῖς ἀρχῆθεν εἰς τοὺς γνωριμωτέρους συνιόντας ἐν ταῖς ἑορταῖς θύσαντας εἶτα εὐωχεῖσθαι: τοῦθ' ὅτι καὶ ἐξῆν παρ' ἐποίουν, μετ' ταῦτα πλὴν τοῦ θύειν ἃ περὶ τἄλλα ἦμεν ἐν ἐξουσίᾳ: κελεύεις τοίνυν τῆς εἰωθυίας ἡμέρας ὑπόκειν, καὶ εἰς ἀπέδωκεν ὑπέμειν αὐτὴν τε καὶ τὸ ἔθος. Ex hoc Libanij loco discimus, hæc conuiuia in festiuitatibus quibusdam agitata, & in his aliquando sumigatum, Diisque carmina dicta: denique ex multis agris in vnum celebriorem, conuentum; (idque est quod *vicatim epulatos* ex aliis scriptoribus iam ostendi.) Ergo vbi ad Christianos Principes deuentum est, hæc quidem conuiuia Gentilibus aliquamdiu relicta fuère, etiam sub Theodosio Magno, de quo est superior Libanij locus ὑπὲρ τῶν ἱερῶν. Imò & ad hæc Christianos compellere Gentiles soliti: quod prohiberi Patres Africani petière, vt docet *canon* 60. *Cod. African.* de quo mox. Cùm iam anteà ad lustrorum sacrificia Christiani celebranda compelli vetiti fuissent: *l.*5. *supr. de Episcopis*, & ad archierosynam *l.*112. *supr. de Decurionib.* & ad custodiam templorum admoueri; *l.*1. *supr. de fide Cathol.* Ergo vt maximè Gentilibus sacrificia interdicta forent, ritúsque alij profani, conuiuia tamen agitare permissi, & quidem hac Honorij lege. Pariter vt sub Theodosio Magno. Tandem verò decennio post Anno D.408. idem Honorius & hæc ipsa conuiuia illis ademptum iuit, *l.*19. *infr.*

¶ Ex his interim liquet, quibusnam gradibus Gentilitia superstitio pessundata fuerit. Primò, quidem sacrificia tantùm prohibita: mox & alij ritus Gentilitij veluti τὸ καπνίζειν: tandem etiam & conuiuia solemnitatésque aliæ vetitæ. Et prohibita tamen, nihilominus mansère, sic quidem etiam vt in Christianos quoque ritus hi Gentilitij transierint, & quidem in Africa: hi, ipsi, inquam, vt liquet ex Augustino *epist.*64. Theodoreto, *extremo lib.*8. *contra gentes*; & multo post, ex Gregorio Magno *lib.*9. *epist.*71.

¶ Vt ad historicam nunc huius legis occasionem descendam, ita omninò censeo latam hanc ab Honorio per Africam constitutionem, occasione decreti illius & petitionis Patrum Africanorum, qui ab Honorio petendum decreuerant, vt Paganorum conuiuia & ludos festis Christianorum diebus prohiberet, vt habetur dicto *canone* 60. *&* 61. Codicis Africani, seu *canone* 5. *&* 6. Concilij Carthaginensis, quod Quintum dicunt. Canonis quinti seu sexagesimi verba sic habent, de Paganorum conuiuiis, *Illud etiam petendum, vt quoniam contra præcepta diuina CONVIVIA multis in locis exercentur, quæ ab errore Gentili attracta sunt, ita vt nunc a Paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur, ex quâ re temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri occultè videatur, vetari talia iubeant, & de ciuitatibus & de possessionibus imposita pœna prohibere: maximè cum etiam in Natalibus beatissimorum Martyrum per nonnullas ciuitates, & in ipsis locis sacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam, quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exerceant: vt matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor deuotè venientium ad sacratissimum diem iniuriis lasciuientibus appetatur: vt etiam ipsius sanctæ religionis penè aufugiatur accessus.* Canonis 6. seu 61. verba sic habent, de spectaculis. *Nec non & illud petendum, vt spectacula theatrorum cæterorúmque PVDORVM die Dominica vel cæteris religionis Christianæ diebus celeberrimis amoueantur: maximè: quia sancti Pascha Octauarum die populi ad Circum magis, quàm ad Ecclesiam conueniunt, debere transferri deuotionis eorum dies, si quando occurrerint. Nec oportere etiam quenquam Christianorum cogi ad hæc spectacula: maximè, quia in his exercendis quæ contra Præcepta Dei sunt, nulla persecutionis necessitas à quoquam adhibenda est: sed vti oportet, homo in liberâ voluntate subsistat sibi diuinitus concessa. Corporatorum enim maximè periculum considerandum est, qui contra præcepta Dei magno terrore coguntur ad spectacula conuenire.* Hæc quidem fuit Patrum Africanorum postulatio in illo Concilio Carthaginensi quinto, quod habitum non Anno 401. vt præfert, verùm 399. Verùm quam Honorius hoc tempore elusit: hac lege; *non patimur*, inquit, quomodo & *lege prox.* pariter eam elusit: *nostrarum beneficia sanctionum ne quis conetur euertere.* Sed grauius error est eorum qui scribunt, cùm permissa adhuc essent *hâc leg.*17. huiusmodi conuiuia & conuentus, religiosissimos Principes, quique illis fuère à consiliis, censuisse, posse Christianos bonâ conscientiâ iis interesse: Quibus refutandis vel hæc lex sufficiat. Eorundémque similis est error, cùm credunt, Christianos veteres non abstinuisse à collegiis superstitiosis Centenariorum & Dendrophorum, quos refuto ad *l.*1. *supr. de Centenariis & Dendrophoris.* Est & eorundem grauissimus error, cùm Asiarchas, de quibus *Actorum c.*19. *v.*35. pios & *Christianos* fuisse censent: Quasi verò non ibi eóque tempore Gentiles Paulo Apostolo salutare consilium dedisse potuerint, pacis vtpote studiosi. Tandem hanc ad rem pro magno esse debet integer Tertullianus *liber de Idololatriâ*, ac nominatim *c.*14. vbi de Paulo agens: *Nimirum*, inquit, *Saturnalia & Kal. Ianuar. celebrans hominibus placebat? an modestia, & patientia, an grauitate & humanitate, an integritate? Proinde cùm dicis, omnia omnibus factus sum, vt omnes lucrifaciam, nunquid Idololatris Idololatres, nunquid Ethnicis Ethnicus, nunquid sæcularibus sæcularis?* Ibid. *Quibus nobis sub barba extranea sunt & neomenia & feriæ aliquando à Deo dilecta; Saturnalia & Ianuaria & bruma & matronales frequentantur, munera commeant, strenæ consonant, lusus, conuiuia perstrepunt. O melior fides nationum in sectam suam, quæ nullam solemnitatem Christianorum sibi vendicat, non Dominicum diem, non Pentecosten! etiam si nouissent, nobiscum non COMMVNICASSENT, timerent enim ne Christiani viderentur. Nos ne Ethnici pronunciemur, non veremur?* Vt & Augustini illud sermone 6. de verbis Domini. *Si quæritis vnde vincantur Pagani, vnde illuminemur, vnde ad salutem*

adducantur? Deſerere omnes ſolemnitates ipſorum: deſerere nugas eorum: Et ſi non conſentiant veritati ſaltem pudeat paucitatis ſuæ.

¶ Illud nunc probandum ſupereſt, huius legis ætam cum Concilij illius æra congruere. Sanè de Synodi iſtius quintæ tempore ſeu æra graues ſunt admodum controuerſiæ variæque ſententiæ. Acta quidem ipſa Synodalia in collectione Iſidori Mercatoris & Codex Africanus & Theodorus Balſamo adnotatum habent annum. *Poſt Conſulatum Fl.Stilichonis XVI. Kalend. Iul.* id eſt, Anno D.401. Quod etiam tuetur Doctiſſimus Iuſtellus *præfat. in Cod. African.* & Card. Perronius *lib. poſthumo aduerſus R. S. B.* Et tamen Baronius *Anno D.398. num 33.* ex ſcripto Codice annum *Poſt Conſulatum Ceſarij & Attici VI. Kalen. Iun.* notat.id eſt, Anno D.398. Et verò, niſi id omninò ad hunc ipſum Annum 399. referendum eſt, iſtud longè verius: Argumenta hæc ipſe habeo. 1. Quod Anno Domini 399. hoc Codice non vna modo Honorij Conſtitutio, puta *lex* 18.*prox.* (quod argumentum Baronius rectè adnotauit) verùm TRES omninò conſtitutiones occurrant, quæ quatuor iſtius Concilij canonibus, ſeu petitionibus apud Imperatorem Honorium emerendis è ſex in vniuerſum ordine reſpondent: Nempe Primò, *lex* 18. *hoc tit.* ſequens reſpondet *canoni* 3.*ſeu* 58. Secundò, *lex* 1. *de religione*, canoni 4.ſeu 59. Tertiò, hæc *lex* 17. canonibus duobus 5. & 6. ſeu 60. & 61. Mox & Anno proximo 400. *lex* 35.*ſupr. de Epiſcopis*, canoni 62.*&* 65. Ex quibus tres, puta hæc *lex & prox.* & *lex* 1. *de religione*, ad Apollodorum Proconſulem Africæ datæ ſunt, atque adeò inter ſe committendæ veniunt ceu votius conſtitutionis partes. Ita quidem, vt Honorius Imp. tribus illis capitibus quatuor quæ Patres Africani petierant, denegct.

¶ Vt proinde ineunctanter hæ tres conſtitutiones ad illud Concilium reſpectum habeant & referendæ deinceps ſint; & viceverſâ ex harum Conſtitutionum ſubſcriptionibus, æra illius Concilij reſtituenda veniat, anterior aliqua his legibus. Vt autem ſuperiùs dicta eo maiorem fidem mereantur, hic ſubiicere viſum ἐξαλλακτικῶς canones quos dixi quatuor, totidémque conſtitutiones Honorij quæ iis reſpondeant.

CONCILII CARTHAGINENSIS. Quinti Canones.

3. INſtant etiam aliæ neceſſitates à religioſis Imperatoribus poſtulandæ: Vt reliquias *Idolorum* per omnem Africam iubeant penitus amputari: nam plerique in locis maritimis, atque poſſeſſionibus diuerſis, adhuc erroris iſtius iniquitas viget: vt præcipiantur & ipſa deleri. Et *Templa* eorum, quæ in agris vel in locis abditis conſtituta nullo ornamento ſunt, iubeantur omnimodo deſtrui.

4. Petendum etiam, vt ſtatuere dignentur, vt ſi fortè in Eccleſiâ quamlibet *cauſam* iure Apoſtolico Eccleſiis impoſitam, agere voluerint, & fortaſsè deciſum Clericorum vni parti diſplicuerit, non liceat Clericum in iudicium ad teſtimonium deuocari eum, quia cognitor vel præſens fuerit, vt nulla ad teſtimonium dicendum Eccleſiaſtici cuiuſlibet perſona pulſetur.

5. Illud etiam petendum, vt quoniam contra præcepta diuina *Conuiuia* multis locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta ſunt, ita vt nunc à Paganis Chriſtiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re temporibus Chriſtianorum Imperatorum perſecutio altera fieri occultè videatur, vetari talia iubeant, & de ciuitatibus & de poſſeſſionibus impoſita pœna prohibere: maximè cùm etiam in natalibus beatiſſimorum Martyrum per nonnullas ciuitates, & in ipſis locis ſacris talia committere non reformidant: Quibus diebus etiam, quod pudoris eſt dicere, ſaltationes ſceleratiſſimas per vicos atque plateas exerceant, vt matronalis honor & innumerabilium fœminarum pudor deuotè venientium ad ſacratiſſimum diem iniuriis laſciuientibus appetatur, vt etiam ipſius ſanctæ religionis penè fugiatur acceſſus.

6. Nec non & illud petendum, vt *Spectacula* Theatrorũ cæterorúmque ludorum, die Dominica vel cæteris religionis Chriſtianæ diebus celeberrimis amoueantur: maximè quia ſancti Paſchæ octauarum die populi ad Circum magis quam ad Eccleſiam conueniunt, debere transferri deuotionis etiam dies ſi quando occurrerint. Nec oportere etiam quenquam Chriſtianorum cogi ad hæc ſpectacula: maximè quia in his exercendis quæ contra præcepta Dei ſunt, nulla perſecutionis neceſſitas à quoquam adhibenda eſt; ſed oportet, vt homo in libera voluntate ſubſiſtat ſibi diuinitus conceſsâ. Corporatorum enim maximè periculum conſiderandum eſt, qui contra præcepta Dei magno terrore coguntur ad ſpectacula conuenire.

7. & 10. De Clericis damnatis, & de Equitio damnato Epiſcopo.

HONORII Imp. conſtitutionis ad Apollodorum PC. Africæ capita.

Ædes inlicitis rebus vacuas, noſtrarum beneficio ſanctionum ne quis conetur euertere: Decernimus enim vt ædificiorum quidem ſit integer ſtatus: ſi quis verò ſacrificio fuerit deprehenſus, in eum legibus vindicetur: depoſitis ſub officio *Idolis*, diſceptatione habita quibus etiam nunc patuerit cultum vanæ ſuperſtitionis impendi, *l. 18. C. Th. de Paganis.*

Quotiens de religione agitur, Epiſcopos conuenit iudicare: Cæteras verò cauſas, quæ ad Ordinarios Cognitores, vel ad vſum publici iuris pertinent, Legibus oportet audiri, *l. 1. C.Th.de relig.*

Vt profanos ritus iam ſalubri Lege ſubmouimus, ita *feſtos conuentus* ciuium & communem omnium *lætitiam* non patimur ſubmoueri: vnde abſque vllo ſacrificio, atque vlla ſuperſtitione damnabili, exhibere populo *voluptates* ſecundum veterem conſuetudinem: inire etiam feſta *Conuiuia*, ſi quando exigunt publica vota decernimus, *l.17. C.Th. de Paganis.*

Reſpondere videtur *lex* 35. *C.Th. de Epiſcopis*, data Anno 40.

Ex hoc iam ἐξαλλακτικῶς liquidò apparet, Concilium illud Carthaginenſe, quod *Quintum* dicitur, retrahendum vel ad Annum D.398. vel ad initium Anni D.399. Neque quidquam contra mouet, quod Cardinalis Perronius contra Baronium contendit, rectè huic Concilio adnotari Annum D.401. cuius tria argumenta vno impetu ruunt, vtpote quæ perperam deſumpta ſunt è ſexto Concilio Carthaginenſi, quod habitum Anno D.461. quodque is improuidè ſatis cum Quinto confudit. Primum ex eo quod dixerat Baronius, *legem* 18. huius tituli latam Ann. D.399. atque inde colligi Conciliũ illud Carthaginenſe præceſſiſſe, quo decretum fuerat, non tantùm ab Imp. poſtulandum,

Vt reliquias Idolorum per omnem Africam iuberet penitus amputari, qui sanè tertius canon est quinti Concilij: (Quodque argumentum ipsi modo comprobauimus) verùm etiam, *vt reliquie Idololatria non solùm in simulacris, sed & in quibuscunque locis vel lucis vel arboribus omnimodè delerentur.* Atqui Perronius hinc colligit, canonem patrum Africanorum *eâ leg.* posteriorem esse, quandoquidem Imperatores, *d.l.* 18. tantùm cauissent, *vt sacrificia è templis tollerentur, & idola sub officio deponerentur*, (quæ & ipsa verba minus intellexit) posteà patres Africani illud posterius insuper petierint. Verùm hic Baronij & Perronij error est, Concilium Carthaginense *sextum* cum *quinto* confundentium, quod reuerà habitum fuit Anno D.401. Atque ita Perronij hic grauis error est & *ἀβλεψία*. Eodémque errore duo similia argumenta ex Augustini epistolis duabus vna *ad Quintianum* 235. altera *ad Xantippum* 236. desumitur; qui cùm duorum canonum ex eo Concilio meminerit, Annóque 402. eas epistolas scripserit, apertè testatur canones istos recenti Concilio sancitos fuisse, ac proinde omninò Concilium istud Carthaginense habitum Anno Domini 401. verùm enim est, duos illos canones, purà *de Clericis qui intra annum causam suam agere non procurarint*; & alterum, *vt de alieno Monasterio susceptos, nec prepositos Monastery, nec Clericos ordinare liceat*, contineri sexto Concilio Carthaginensi, vbi 14. & 15. locum occupant. Et sic concidit omnis Perronij labor, Quintum Concilium Carthaginense cum Sexto confundentis, quæ sanè duo distincta Concilia fuêre: non etiam, quod Doctiss. Iustellus quoque credidit, Quintum collectum ex his duobus.

¶ HONORII Tertia *hoc titulo lex: de* TEMPLIS *non euertendis, de* SACRIFICIIS *prohibendis, & de* IDOLIS *deponendis, per Africam.*

XVIII. * Iidem AA. Apollodoro Proc. Afric.


EDES," inlicitis" rebus vacuas, nostrarum beneficio" sanctionum, ne quis conetur euertere: Decernimus enim, vt ædificiorum quidem sit integer" status, si quis verò sacrificio" fuerit deprehensus, in eum legibus † vindicetur: Depositis sub Officio" idolis, disceptatione habita, quibus etiamnunc patuerit cultum" vanæ superstitionis impendi. Dat. III. Kalend. Septemb. Pataui. Theodoro v.c. CONS. [399.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus suis rectè inseruit Baronius *Anno D.399.n.55.* Iungenda autem illi vt iam monui lex super. *prox.l.17.* & *l.1. infr. de religione.*

"Publicas, Priuatas, item templorum.

"Puta Aris & simulacris.

"id est, Prætextu seu obtentu legum quibus simulacra vbique euerti seu deponi iussa fuerant.

"Eadem mens Majoriano *Nouell.6.*

"in sacrificio.

"Iam anteà latis, ac proinde capitali pœna: de quo mox & ad *l.13. Infr.*

"id est Officialium, diligentia: vide *leg. prox. infr.* & quæ mox dicam.

"Ritum *l.19. infr.*

"Fortè *XIII.* vt ita hæc lex superiori coniungatur. Et verò ita nonnulli habent.

COMMENTARIVS.

TEMPLA destrui hâc Honorij constitutione Anno Domini 399. per Africam *vetantur*: Atenim & SACRIFICIA rursum inhibentur & IDOLA seu simulacra deponi iubentur. SACRIFICIA scilicet ab Honorio per Præfecturam Prætorianam Galliarum prohibita penitus fuisse ex *l.15. supr.* iam vidimus: Per Præfecturam Prætorianam Italiæ & Africam nominatim sicut ex proxima *supr. l.17.* sic & ex *hâc lege* rursum discere licet: & quidem sub pœna capitis quod etiam Augustinus *epist.48.* docet. *Quis nostrum*, inquit, *quis vestrum non laudat leges ab Imperatoribus datas aduersus sacrificia Paganorum? Et certè longè ibi pœna seuerior constituta est; illius quippe impietatis capitale supplicium est.* Idem rursus *lib.1. aduers. Petilianum Parmenian. c.7. Iussa sunt recentibus legibus inhiberi etiam sacrificia sub terrore capitali.* Simulacra item seu idola quibus cultus à Paganis impenderetur deponi Honorium iam ante iussisse, hæc & sequens *lex* 19. ostendunt, & de Africa nominatim iuxta hanc legem Augustini *dict. lib.1. aduersus Ep. Parmenian. lib.1. c.7.* (hoc ipso anno scribens, vt quidem existimo) confirmat. *Paganorum*, inquit, *simulacra euerti atque confringi iussa sunt recentibus legibus, inhiberi etiam sacrificia sub terrore capitali.* Et mox: *Dæmones istam patiuntur persecutionem per Imperatores Christianos, vt penè toto orbe terrarum euertantur, idola comminuantur, sacrificia subtrahantur, qui eos honorant, si deprehensi fuerint puniantur.* Et rursum *epist.120. Leges*, inquit, *que de Idolis confringendis viuo Stilichone in Africam missæ sunt ex voluntate Imperatoris constitutæ*, &c. Ait verò hac lege Honorius, *depositis sub Officio idolis; depositis*, id est euersis, *sub Officio*, id est, Officialium Magistratuum diligentia. Quod etiam discimus ex *l.prox.* non quod Cardinalis Perronius putauit, *posthumo aduersus S. R. B. pag.404.* duplici errore: depositis inter manus Officialium Imperatoris.

¶ At ædificia ipsa nihilominus hoc prætextu dirui Honorius *hâc leg.* vt & *l.19.* & *l.20. infr.* vetat. Et Diuus Augustinus tamen non superiore tantùm loco, verùm etiam *lib.18. de ciuitate Dei, cap. vltim.* & quidem hoc ipso Consulatu 399. paucis

paucis ante hanc legem latam menſibus, Templa Carthagine euerſa fuiſſe teſtatur. *Conſule Manlio Theodoro*, inquit, *in ciuitate notiſſima & eminentiſſima Carthagine Africa, Gaudentius & Iouius Comites Imp. Honorij XIV. Kalend. April. falſorum Deorum templa euerterunt, & ſimulacra fregerunt.* Quem alioquin locum Proſper *lib. de promiſſionib. Dei parte* 3. enarrans, templa tantùm expoliata (at non etiam euerſa) fuiſſe ſcripſit. Deinde etiam in eo lapſus eſt Proſper, quod Theodoſij Imperio factum id tradidit, vide & Conſularia Idacio ſubdita.

¶ Et verò tandem dubium mihi nullum, non tantùm id quod Auguſtinus narrat, à Gaudentio & Iouio Honorij Imp. Comitibus, templa his Coss. ante quinque menſes, & quod excutit, euerſa, huic conſtitutioni ferendæ occaſionem præbuiſſe: Verùm & hac lege Honorium diſertè Patrum Africanorum legationem ad ſe decretam quo ad idola quidem attinet probaſſe, quoad Templa repuliſſe: quâ ſcilicet decreuerant ab Imp. poſtulandum, vt habetur *canone* 58. Cod. Africani ſeu tertio Concilij Carthaginenſis Quinti. *Vt reliquias* IDOLORVM *per omnem Africam iubeant penitus amputari: Nam plerisque in locis maritimis atque poſſeſſionibus diuerſis adhuc erroris iſtius iniquitas viget: vt præcipiantur & ipſa deleri & TEMPLA eorum quæ in agris vel in locis abditis conſtituta nullo ornamento ſunt; iubeantur omnimodo deſtrui.* Id enim Concilium Carthaginenſe ad hunc Annum referri oportere ad *legem ſuper.* 27. pluribus oſtendi, quæ huic coaſſanda eſt vna cum *lege* 1. *infr. de religione*.

¶ Sanè ad templa in agris deſtruenda tria blandiebantur maximè. Primùm, quod ſuperſtitio aliter aboleri non poſſet, vt *lex* 16. quoque docet, quæ & in agris, ſeu pagis, vnde Paganorum nomen, diutius hæſit. Deinde, quod ornatui publico, diruta iis vix quicquam detraheretur *d. d. can.* 58. Denique quod non tantus tumultus alicuius metus eſſet, quantus in vrbibus, ſi ibi deſtruerentur *d. l.* 18. *ſupr.* vide & *l.* 22. *ſupr. de Iudæis*. Et verò id lege ſequenti poſteà ab Honorio iuſſum, ibi, *omniáque templa domini deſtruere cogantur.* Sanè hoc ipſo Anno ab Arcadio templa in agris dirui iuſſa *d. l.* 16. *ſupr.* oſtendit.

¶ Quicquid verò de Idolis *hâc leg.* & aliis pluribus quod ipſe teſtatur, ſtatuerit Honorius, attamen non ideò ſedibus ſuis omninò euulſa: quod ideò repetita *lege* 19. iubere neceſſe habuit.

¶ HONORII Quarta *hoc titulo lex*, 1 *de* ANNONIS *templorum, ad annonam militarem transferendis*: 2 *de* SIMVLACRIS 3 & ARIS *euellendis*: *deſtruendis*: 4 *de* TEMPLIS *ad vſum publicum vindicandis*: 5 *de* CONVIVIIS & SOLEMNITATIBVS *prohibendis*.

XIX. * Imppp. Arcadius," HONORIVS & Theodoſ. AAA. Curtio PF. P." Poſt alia."

TEMPLORVM 'detrahantur Annonæ," & rem annonariam iubent," expenſis deuotiſſimorum" militum" profuturæ. Simulacra, ſi qua etiamnunc" in Templis faniſque conſiſtunt, & quæ alicubi" ritu" vel acceperint vel accipiunt Paganorum, ſuis ſedibus" euellantur," cùm hoc repetita ſciamus ſæpius ſanctione decretum. *Ædificia* ipſa Templorum," quæ in ciuitatibus, vel oppidis, vel extra oppida" ſunt, ad vſum publicum vindicentur, aræ locis omnibus" deſtruantur; Omniáque Templa poſſeſſionibus noſtris, ad vſus adcommodos transferantur; domini" deſtruere cogantur. ¶ Non liceat omninò in honorem ſacrilegi ritus funeſtioribus locis" exercere" conuiuia, vel quidquam ſollemnitatis" agitare. ¶ Epiſcopis quoque locorum hæc ipſa prohibendi Eccleſiaſticæ manus tribuimus facultatem; Iudices autem XX. librarum auri pœna conſtringimus, & pari forma Officia eorum, ſi hæc eorum fuerint diſſimulatione neglecta. Dat. XVII." Kalend. Dec. Romæ" Baſſo & Philippo CONS. [408.]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus ſuis rectè inſeruit Baronius *Anno* D. 408. *num.* 24. Iungenda huic eſt *lex* 43. 44. *ſupr. de hæretic.* Inſerta & hæc farragini conſtitutionis (pariter vt *d. l.* 43.) ad Curtium Præfectum Prætorio quam ex Cod. Lugd. & Anic. edidit Sirmondus *in Append. Cod. Theod. n.* 12.

" *Arcadij* nomen hic inducendum eſt: Iam enim 1. Kalend. Maij huius anni 408. obierat: de quo vide Conſularia ſeu Chronologiam Theod.

" *Curtius* ſub Honorio PP. Italiæ ſcilicet: vide *l.* 5. *ſupr. de Decurio V. R.* & *Proſopogr.*

" Verba hæc indicant hanc legem deſumptam ex lege, quæ plura capita, & quidem anteriora, continebat: Et verò ſubiungenda hæc lex *d. l.* 43. *ſupr. de hæretic.*

" *Iura* etiam Ambroſio dicuntur *Oratione funebri de obitu Valentiniani.*

" ɤ. *Iubens*, id eſt, *iuuent.* Ita *lege* 6. *ſupr. de luſtrali collatione*: *Aurum mercatoribus atque argentum, qui erogatio publica iubetur*, pro *iuuetur*. Eodem ſenſu eſt, qui huic reponat *ſublenentur* ex *lege ſeq.* Sed illud veriſſimum.

" *Deuoti* milites proprio vocabulo, vide *Gloſſar.* Valens in *l.* 17. *ſupr. de erogat. milit. ann. fortiſſimi ac deuotiſſimi milites*, &c.

" Hæc verba ſuadere videntur hanc legem pertinere ad id quod Zoſimus narrat, *lib* 5. *p.* 87. de quo mox

" poſt anteriores leges, in quibuſcunque locis vel lucis, vel arboribus: vt habetur *canone* 84. *Concilij Africani.*

" Vbicunque, etiam in publicis & priuatis ædibus; vide *l.* 18. *ſupr.*

" ɤ. *ritum.* vt *l.* 18. *ſupr. cultum.*

" De hac *ſedium* voce mox.

'Euelli

Euelli ſedibus ſuis ſimulacra.
vide *legem* 15. *ſupr.*
Extra oppidana templa: de quibus dixi plenè ſemel ad *Rubr.* & *l.3. ſupr.*
Publicorum, vt docet *verſ. Omniūque.*
Eccleſiæ verò hæreticorum Catholicis Eccleſiis vindicari iubentur *dict. l.43. ſupr. de hæreticis*, quæ huic coniungenda eſt.
Publicis Priuatia.
Poſſeſſionum, in quibus templa ſunt,& ſic templa ſua; vide *legem* 8. & 17 *ſupr.*
an *locis* non: v. quæ dixi ad *l.17.*
exigere in Append. Cod. Theod.
Solemnitas nuptias pro ludis: vide *Gloſſar.* & quæ dixi ad *l.prox* 10. *infr.*
Ita quoque *d.l.43. de hæret.* At *VIII.* in Cod.Anic. & *d.l.44. de hæret.*
Propoſita Carthagine in foro ſub Programmate Porfiri Proconſulis Non.Iunii: ita Codex Aniciēſis, quomodo & edidit Sirmondus. Sane vt vitioſum id videtur, ita *data* Romæ hic pro reddita,& propoſita accipi debet. Nam hoc tempore Honorius Rauennæ conſiſtebat, vt pœter Chronologiam Theodoſianam docet quoque Zoſimus.

COMMENTARIVS.

QVICVNQVE ad eradicandam ſuperſtitionem gentilitiam *hāc leg.* conſtituuntur ab Honorio Imp. Anno D.408. per Præfecturam Prætorianam Italiæ, ac nominatim per Africam, vt ſequentia docebunt. Primò, ANNONÆ templorum his detractæ annonis militaribus deputantur. Secundò, *Simulacra*, quibus cultus adhuc impendebatur, non tantùm in templis, verùm vbicunque ea eſſent (veluti in lucis, vel in arboribus, quod Patres Africani ab Honorio huius legis authore peti contra *hanc leg.* decreuerant *canon* 84. Cod. Afric.) euelli. Tertiò, *Ara* vbique deſtrui. Quartò, *Templa publica*, vſibus publicis vindicari: In poſſeſſionibus Principis conſtituta, ad *alios* vſos transferri: In priuatorum fundis ſeu agris extantia, à dominis deſtrui iubentur. Quintò, *Conuiuia denique & ludi* Gentilitij prohibentur: In his videlicet quinque, & per hæc ſtabat hoc adhuc æuo Pagana ſuperſtitio; quæ omnia ideò adimi, detrahi, inhiberi voluit Honorius. Quorum omnium nonnulla anteà ab Honorio quoque iuſſa fuerant, alia & pleraque de nouo nunc conſtituuntur: Coniungenda autem huic legi eſt *lex* 43. *ſupr. de hæreticis*: cen eiuſdem conſtitutionis pars quæ hac occaſione. Stilichone hoc ipſo A.408. 10.Kalend. Septemb. (vt Zoſimus *lib.5. pag.*811. teſtatur) cæſo, illicò Pagani & Hæretici iactare cœperant, leges contra ſe ritúſque ſuos, ante hos annos ab Honorio promulgatas, vt putà *leges* 17. & 18 *ſupr.* & *l.*35.37.38.39.40.41. *ſupr. de hæretic.* ſimiléſque alias, non ab Imperatore ipſo, verùm à Stilichone magis profectas, eóque vna cum cæteris Stilichonis actibus, eas quoque leges reſcindendas. Ideò & Patres Africani quoque hoc anno 3. *Id. Octobr.* (quod Africanus Codex docet) Legationem ad Honorium contra Paganos & Hæreticos decreuêre: & D. Auguſtinus nominatim *epiſt.*129. *ad Olympium Magiſtrum Officiorum*, (cuius etiam Olympiodorus apud Photium meminit) ſcribendum ſibi putauit, quo videlicet leges illæ, quas dixi, confirmarentur. Itaque, ipſo Olympio inſtante, huius anni fine, & principio ſequentis leges aduerſus Paganos & Hæreticos latæ, confirmatæ ab Honorio fuêrunt *hâc leg.* & *l.*43.44.45.46. *ſupr. de hæreticis*, è quibus *l.*19. huic coniungenda eſt. Quinimò & ſeuerius cum his agendum credidit. Nam & ab eo (conſtitutione ad prædictum Olympium Magiſtrum Officiorum data) Catholicæ ſectæ inimici (id eſt, Pagani & Hæretici) intra Palatium militare prohibiti fuêre: *l.42. ſupr. de hæreticis.* Cuius legis Zoſimus quoque *lib.5. pag.*820. meminit, de qua & ad *eam leg.* & ad *l.21. infr.* dicetur. Sed & alia nonnulla, quæ Patres Africani antea viuo Stilichone petierant aduerſus Paganos, denegata, putà Conuiuiorum, ludorum Paganorum prohibitionem, & templorum demolitionem, vt docet *canon* 58.60.61. *Codicis Africani*, ea nunc omninò indulget & ſancit *hâc leg.* Quare & annonas templis detrahit, conuiuia ludóſque prohibet, templa etiam alicubi deſtrui iubet, & ſimulacra quod & anteà iuſſerat, diſtrictius euerti iubet. De ſingulis aliquid.

¶ *Annona* igitur templorum, ſeu (vt à Tertulliano *in Apologetico, cap.*2. & *de Idololatria, c.*7. vocantur) *Templorum vectigalia* erant ea, quæ epulis & ſumptibus conuiuiorum, ludorum Gentilitiorum, hoc æuo adhuc deputabantur *l.20. infr.* Templorum iura ab Ambroſio *Orat. funeb. de obitu Valentiniani, cap.*1. & *lib.2. aduerſus Symmachum*, dixi ſup. ad *l.*14. In eum certè finem loca quædam ſeu ædificia & poſſeſſiones deſtinatæ erant, vt iam in Paratitlo diximus, & de his dixi ad *l.8. ſupr. de iure fiſci*, & dicam ad *l.20. infr.* Vectigalium ideò agrorum Virginibus Veſtalibus & Sacerdotibus adſignatorum Hyginus & incertus alius auctor *de limitibus* & Siculus Flaccus *de condit. agror.* & Frontinus *de Coloniis* meminêre: & inſignis quoque extat apud Strabonem *lib.*12. locus de Sacerdotalibus & téplorum per Cappadociam redditibus: quibus poſteà fiſco vindicatis adminiſtrandis præpoſitus (vt exiſtimo) *Comes domorum per Cappadociam*, vt ad *l.2. ſupr. de Palat. S. L.* dictum. Neque tantùm ex fiſco, ſed ex priuatorum quoque liberalitate, reditus hi proficiſcebantur, vt ex Symmachi relatione conſtat. Hæ igitur Templorum annonæ ſeu reditus hac Honorij lege, Theodoſij patris, Gratianíque, & Valentiniani, vide *l.8 ſupr. de iure fiſci*, exemplo tolluntur. Nam & à Gratiano publicos ſumptus annonáſque Templorum prædiáque ſacris deputata variis locis (Romæ etiam) detracta fuiſſe, & Symmachus *relatione ad Valentinianum*, & Ambroſius Symmacho reſpondens, & *Oratione funobri de obit. Valentiniani, p.*6. & *l.20. infr. hoc tit.* vbi dicam fuſius, teſtantur. Et Theodoſius poſteà Eugenio cæſo (qui annonas Templorum Flauiano PP. & Arbogaſte petentibus conceſſerat, vt Paulinus *in v. Ambroſij*, & Ambroſius *ipſe in Ep. ad Eugenium* tradunt) ea rurſum detraxit, vt ex Zoſimo *lib.5.* conſtat: militaribus videlicet annonis profutura, vt idem Zoſimus *fine lib.4.* prodit. Ergo eradicandæ ſuperſtitioni Gentilitiæ optima inter alias ratio viſa Honorio, ſi *annonæ*, id eſt, reditus Gentilitij detraherentur: quas & in annonas militares conuerſas hîc notandum eſt, quod conuerſionis genus vt notabile, ita & laudabile.

Secundò, *ſimulacra* ſedibus ſuis euelli, quod & anteà iuſſum fuerat, iubentur. Id verò hoc ipſo anno factum teſtatur Zoſimus, *lib 5. p.*817.

¶ *Templa* publica tertio loco in vſus publicos conuerti iubentur. Quod ſanè etiam Gentiles hâc tempeſtate vrgebant ſeu malebant, quàm ea deſtrui, quod Monachi volebant: vt diſcimus ex Libanij oratione quam nos edidimus περὶ τῶν ἱερῶν.

Alioquin

Alioquin etiam templa nonnulla in Eccleſias conuerſa, de quo *l. vltim. hoc tit.* Neque Templa tantum in ciuitatibus vel oppidis, vel extra oppida poſita publicis vſibus vindicari iubentur, ſed & in poſſeſſionibus Principis poſita in alios vſus conuerti, in priuatorum verò fundis locata à dominis deſtrui iubentur. Tandem prohibentur & Paganorum feſta *Conuiuia* ſolemnitatéſque in honorem ritus Gentilitij hac Honorij lege, contra quam anterioribus adhuc legibus, putà *l. 8. & 17. ſupr.* viſum fuerat, & quidem eidem Honorio *dict. l. 17.* quod petierant tamen patres Africani, vt ex *canon. 60. 61. Cod. Afric.* conſtat, de quo ad *eam l. 17.* Quò pertinet quod D. Auguſtinus *epiſt.* 202. ad Neſtorium, ſcribens: *Contra recentiſſimas*, inquit, *leges Kalendis Iuniis, die feſto Paganorum ſacrilega ſolemnitas agitata eſt*, &c. Quo loco idem leges has, *leges notiſſimas* vocat.

¶ Quinque interim obiter hîc notanda. Primò, obſeruandus hîc mos triplex conuerſionis ſeu mutationis rerum Gentilitiæ ſuperſtitioni ſeruientium. Primò, in vſus militares. Secundò, in alios publicos vſus. Tertiò, in vſus Principis priuatos: Annonæ ſcilicet Templorum, in Annonas militares conuerſæ: Templa publica in alios vſus publicos, cuius exemplum extat in *l. eadem 8. ſupr. hoc tit.* Templa verò in Principis poſſeſſionibus in alios Principis vſus: his adde & quarto loco, in Eccleſiæ vſus, de quo ad *l. vltim. hoc tit.* quomodo & Eccleſiæ hæreticorum Catholicis Eccleſiis vindicari iubeantur, vide *l. 43. de hæreticis*, quæ huic coniungenda eſt. Secundò, notanda tria Templorum genera, ſeu loca in quibus ea poſita erant: Publica, in ciuitatibus vel oppidis vel extra oppida: In Principis poſſeſſionibus: In priuatorum fundis. Tertiò notandum eſt, Templa in priuatorum fundis poſita, à dominis *deſtrui* iuſſa: Nempe in aliis ſiue publicis ſiue in Principis poſſeſſionibus publicus decor aliquis adhuc conſtabat: non verò adeò in iis quæ in priuatorum poſſeſſionibus poſita erant, quæ & ideò dirui iuſſa: vt ita Gentilitia ſuperſtitio aboleretur, quæ ibi adhuc faciliùs ſeruari poterat.

¶ Quartò notandum, Honorium Imper. hos Gentilitios ritus prohibendi curam cum maximè Eccleſiaſticis iniungere & verò ad id aſſequendum *Eccleſiaſticæ manus* facultatem tribuere. Haud abſimiliter Concilio Sueſſionenſi ſub Pipino R. Francorum. *Vnuſquiſque Epiſcopus in ſuâ Parochia ſollicitudinem habeat, vt populus Chriſtianus Paganiſmum non faciat.* Synodo item Francica, ſub Carlomanno, 5. *capitul. 2. Vt ſecundum Canones vnuſquiſque Epiſcopus in ſuâ Parochia ſolicitudinem habeat, adiuuante Graphione, qui defenſor Eccleſiæ eſt, vt populus Dei Paganias non faciat* &c. vide & capitul. *lib. 7. cap. 236.* Quid autem per *Eccleſiaſticam manum* hîc intelligendum? An manus militaris, quam Iudices Epiſcopis & Eccleſiaſticis præbere oportebat. Certè *lege 2. ſupr. de Lenonibus*, quoque cauetur, *vt ſi lenones, patres & domini filiabus ſuis vel ancillis iniungant peccandi neceſſitatem, liceat eis Epiſcoporum, Iudicum etiam Defenſorum implorato ſuffragio, omni miſeriarum neceſſitate abſolui.* Ad quam *leg.* plura dixi de Epiſcoporum interuentu & intercesſione in actibus extra Eccleſiam. An potius manus & drungi Eccleſiaſticorum, quomodo in templis exſcindendis drungos Monachorum incubuiſſe nos docet Libanius *Oratione ὑπὲρ τῶν ἱερῶν*, ſic & Auguſtinus *epiſt. 259. ad Cæcilianum Virum illuſtrem*, de quibuſdam criminum reis agens: *Nos interea quoniam memor eras, quod Eccleſiaſtica manus poſſit eos eripere*, &c. de quâ alioquin Eccleſiaſticâ manu ad *tit. de pœnis ſup.* Quintò, de *ſedibus* ſimulacrorum, quæ hic memorantur, obiter notanda. Nos eas *niches* vocamus. Alio ſenſu Tertullianus *de Spectaculis, cap. 7. De ſimulacrorum*, inquit, *ſerie, de ſedibus, de coronis, de exuuiis.* Nam ibi *ſedes* ſunt ſolia & throni, quibus ſimulacra circumlata in pompa. At hîc *ſedes* ſunt loca in quibus fixa erant. Lucretius *lib. 6.*

Poſtremo cur ſancta Deûm delubra, ſuáſque
Diſcutit infeſto præclaras fulmine S E D E S,
Et benefacta Deûm frangit ſimulacra.

Tibullus:

Num feror inceſtus ſedes adiiſſe Deorum,
Sertáque de ſanctis deripuiſſe focis?

Arnobius *lib. 6. Et cuſtodia pertinaci ſuas ſedes ſimulacráque tutari.* Græci ἕδη θεῶν. In Gloſſis veteribus Vulcanij ἀνάθημα Dei ſolium. Vitruuius præfat. *lib. 7.* vocare videtur *ſeſſimonium.*

¶ HONORII Quinta *hoc titulo lex.*

XX. * Impp. HONORIVS, & Theodoſius AA......"



ACERDOTALES * Paganæ ſuperſtitionis competenti coërcitioni ſubiacere præcipimus, niſi intra diem Kalend. Nouembrium" de Karthagine" decedentes ad ciuitates redierint genitales. Ita vt ſimili quoque cenſurâ per totam Africam" Sacerdotales obnoxij teneantur, niſi de Metropolitanis" vrbibus diſceſſerint & remearint ad proprias ciuitates. ¶ Omnia * etiam *loca*, quæ ſacris" error veterum deputauit, ſecundum Diui Gratiani † conſtituta, noſtræ rei" iubemus ſociari; ita vt ex eo tempore, quo inhibitus eſt" publicus ſumptus ſuperſtitioni deterrimæ" exhiberi, fructus ab incubatoribus" exigantur: Cum coiure," vbicunque" ad ſingulas quaſque perſonas" vel præcedentium Principum largitas, vel noſtra maieſtas, voluit peruenire, id in eorum patrimoniis æterna firmitate perduret. Quod non tam per Africam, quàm per omnes Regiones in noſtro" orbe poſitas, cuſtodiri decernimus. Ea autem, quæ multiplicibus conſtitutis ad venerabilem Eccleſiam voluimus pertinere, Chriſtiana ſibi meritò religio vindicauit:" Ita vt omnis expenſa illius" temporis ad ſuperſtitionem pertinens quæ iure damnata eſt, omniáque loca quæ Frediani," quæ Dendrophori, quæ ſingula quoque" nomina & profeſſiones gentilitiæ tenuerunt, epholis" vel ſumptibus" deputata; fas

eſt,

est," hoc errore submoto, compendia nostræ domus subleuare. ¶ Sanè * quæ quondam sacratæ" sacrificiis deceptionem hominum præstiterunt," ab vsibus" lauacrorum" vel publicis affectibus" separentur, ne inlecebram errantibus præstent. ¶ *Chiliarchas* * insuper, & *Centenarios*, vel qui sibi plebis distributionem vsurpare dicuntur, censuimus remouendos: ita vt capitalem sententiam non euadat, si qui aut volens ad huiusmodi nomen accesserit, aut passus fuerit vel inuitum se huiusmodi præsumptioni atque inuidiæ deputari. Dat. III. Kalend. Septembr. Rauennæ Honor. x. & Theod. vi." AA. coss. [415.]

NOTÆ.

* *Lex* 5. *Cod. eod. tit.* hinc de'sumpta. Meminit huius legis Baronius *Anno D.*415.*n.*62.
"Popolo Karthaginensi hoc additum Cod. Iust. quod improbum & malim (arg. vers. quod non, &c.) hanc legem inscriptam putare Præfecto Prætorio Italiæ.
* *Prima* sententia, de *Sacerdotibus.*
"de hoc mox dicam.
"Karthagine Sacerdotales Prouinciæ Proconsulatis editiones, seu ludi exhibiti, vide *legem* 176. *supr. de Decurion.*
"Non modo Proconsularem, verùm per totam Africæ Diœcesin.
"De Metropolitanis Vrbibus: vide Notitiam nostram.
* *Secunda* sententia de *locis & annonis* templorum.
"id est sacrificiis, festis conuiuiis seu epulis & ludis.
† *Gratiani* Constitutio, quâ loca sacris deputata rei priuatæ sociari iusserat.
"id est, priuatæ rei Principis.
"à Gratiano.
"Putabam aliquando *veterrimè* scribendum, quomodo Victor loquitur; verùm nil muto.
"De hac *excubatoris* voce: vide *Glossas.*
"id est, ea conditione.
"※ vt quodcunque.
"vide *l.*24.32. *supr. de petitionib. legem* 8. *supr. de iure fisci, legem vlt. supr. de collat. donatar. legem* 41. *supr. de operib. publicis, legem* 5. *supr. de collat. fundor.*
"Occidentalis scilicet. Est enim hæc lex Honorij Imp. non in orbe Romano toto.
"id est, vindicabit.
"id est, medij temporis à Gratiani Constitutione ad hoc tempus.
"De his mox dicam, vt & de *dirispectoribus.*
"※ *quaque.*
"※. *Epolis* pro *Epulis* de quo mox plura; vetus habet, *ebsbolis.*
"Sacrorum ludorum, vnde Agonothesiæ possessiones: Nouell. Majoriani 3.
"※. fas sit.
* *Tertia* sententia de *simulacris.*
"Sacrata simulacra scilicet, vel sacratæ imagines scilicet.
"Homines in errorem induxerunt, Arnobius *lib.* 6. *p.*249. Atque ita perducta est res eò, vt pro Diis immortalibus sacra meretricibus fierent & infelix religio signorum fabricationibus falleretur.
"Sustineri hæc vox potest, quanquam malim *abusibus*, vel quod omnium maximè malim auisibus, id est, quomodo mox sequitur aspectibus.
"id est, Balneorum.
"※. aspectibus: vide *Glossas.*
* *Quarta* seu postrema sententia *de Chiliarchis & Centenariis.*

COMMENTARIVS.

Honorii postrema hæc hoc titulo constitutio est data Anno 415. quâ vt Lvdos Gentilitios Sacerdotales per Africam nominatim permittit, ita Erroribvs, atque omni errandi illecebræ enixè occurrit. Cuius quidem constitutionis quatuor sunt capita. Primo capite, Sacerdotales Africæ, emenso certo tempore, post Sacerdotales in Metropolitanis Vrbibus Ludorum editiones, ad quas de more conuenerant: ad proprias seu originarias ciuitates redire iubentur. Quæ & ipsa *legis* 176. *supr. de Decurionib.* ante biennium latæ sententia est. Ratio verò non vna huius rei tentari potest. Primùm, ne Curiarum, è quibus Sacerdotes eligebantur, (vt docent *lex* 21.46.75.77.103.112.143.148.166.174.176. *supr. de Decurionib.*) decus hâc ratione, absentia inquam Sacerdotalium suorum imminuerunt. Fortè an etiam ad obseruandos seditionum aditus, quomodo *l.* 37. *supr. de Episcopis*, Episcopi Clerici peregrini Vrbe pelli iubentur. Tandem, quæ vel potissima mihi ratio videtur, ne Sacerdotalibus huiusmodi cum purpura & infulis suis in Vrbibus Christianis diu consistentibus, non tantùm illicitum quid moliendi ansa præberetur, verùm & sola ipsorum præsentia diutina ante ora Ecclesiarum & fidelium Vrbium Christianarum & Metropolitanarum veluti Principis Karthaginensis aspectus defœdaretur, & quasi religio contaminaretur, cui rei præstat aliquod argumentum *can.*60. Codicis Africani. Tria certè hinc notanda sunt: Primò, Sacerdotũ cura ludos exhibitos de quo plenè docuit *Paratitlon.* Secundò, ludos illos in Metropolitanis Vrbibus veluti Carthagine editos, quod præter hanc legem docet *l.*145. & *d.l.*176. *supr. de Decurionib.* Tertiò, ex hac lege coniuncta *d.l.*176. colligi posse videtur & tempus huiusmodi editionum. Nam cum *d.l.*176. iubentur Sacerdotes, qui *propter Pompam illius diei* Carthaginem conuenerunt, intra quinque dies redire ad propria, hac verò lege iubeantur *intra diem Calend. Nouembr.* recedere, vtique mense Octobr. & quidem extremo VII. Kal. Nouemb. ludos hos exhibitos colligitur. *Secundo* capite *huius leg.* Loca sacris Gentilium deputata & reditus seu annonæ eainde priuatæ rei sociari *hâc leg.* iubentur, pariter vt *l.*19. *supr.* Exceptis tantùm iis, quæ aut priuatis aut Ecclesiis à Principibus vel etiam à se ex his donata fuerant. Qua parte plurima obseruanda sunt. Primùm certa *loca*, *Templorum* solemnibus sumptibus dedicata fuisse, de quo docuit plenè *Paratitlon.* Secundò, memoratur hic Gratiani constitutio, qua loca ista templorum priuatæ rei sociari iussa fuerant. Et verò Symmachus *relatione ad Valentinian.* & Ambrosius Symmacho respondens & *Orat. funebr. de obitu Valentiniani, pag.*6. id ipsum de Gratiano testantur.

Tertiò, loca seu fana templorum nonnulla priuatis, nonnulla Ecclesiis à Principibus concessa obseruandum est, de quo monuit quoque *Paratitlon plenissimè*. Quartò, inquirendum est, qui sint *Frediani* qui *Dendrophori*, qui loca quædam eiuscemodi tenuisse dicuntur. De his id primum tenendum est, & ex hac quidem ipsa lege, fuisse hæc nomina Professionum quarundam Gentilitiarum, id est, Corpora seu collegia Paganæ superstitionis quædam. Secundò, ex hac lege discere licet, eos quædam loca tenuisse, *Epholis* vel sumptibus deputata. *Epholis*, inquam: pro quo iam olim reponendum monui *Ephelis*, seu *epulis*, quod etiam Marcilius coniecit in Sueton. *cap.5. Vespas.* quod exinde amplexati nonnulli: *Epolis* inquam, quomodo & apud Plinium *lib.14. epist.1. dedicationis templi dies* dicitur *epulo celebrari*, quæ *l.17. & 19. supr.* conuiuia & festa conuiuia dicuntur; de quibus vt ad *d.l.17.* supra iam dixi, ita & Prudentius *lib.1. contra Symmachum.*

——*Iano etiam*, inquit, *celebri de mense litatur*
Auspiciis EPVLISQVE SACRIS, quas inueterato
Heu miseri, sub honore agitant, & gaudia ducunt.
Festa Kalendarum.

Minutius Felix *pag.72. Conuiuia colimus sobria, nec enim indulgemus epulis aut conuiuium mero ducimus.* Epulas, sacrificia, ludos, ferias festis diebus insetit Macrobius *Satyr.16.* Sanè sumptuosas collegiatorum epulas fuisse Varro refert. *Collegiorum*, inquit, *cœnæ immutabiles imendunt annonam.* Et Tertullianus alioquin de cœnis Pontificum Saliorum & eiusmodi sic scribit. *Saliis cœnaturis crediter erit necessarius, Herculanarum decimarum & pollucerum sumptus tabellarij supputabunt, Apaturiis, Dionysiis, mysteriis Atticis cognorum delectus indicentur: ad fumum cœnæ Serapicæ Spartcoli excitabuntur.* Rectè igitur *epula & sumptus* hic coniuncta fuerint. In veteribus quoque inscriptionibus frequens memoria Epularum etiam ex testamento, ob dedicationem datarum ciuibus vel aliis. An potius admittendum quod non nemo tentauit *ephodiis*, id est, viaticis? Non, Sed *ephodis*, ὑπὲρ τῆ ἱερῶν, &c. Neque quod alius *Epholaij* sumptibus deputata: quasi hoc sit quod Symmachus queritur in relatione, prædia Vestalibus deputata & fanis, profanata transisse *in mercedem vilium BAIVLORVM.* Igitur Epulis & sumptibus, id est, conuiuiis & ludis. Hæc enim duo tantùm de ritibus Gentilitiis & Paganis aliquandiu relicta fuêre, vt docuit *lex 17. supr.* & cum ea quoque *superiore leg.* prohibita fuissent ab Honorio *lege 19. supr* annonæ templorum ad hæc destinatæ, simul & trahi iussæ. Denique vt *hac lege* epulæ & sumptus iunguntur, ita *superiore leg.* conuiuia & solemnitates, id est ludi. Posset & hæc vox alio traduci, vt scilicet indicentur sumptus, qui fiebant in ipsam Dendrophoriam: & fortè *Ephemiis* leget quis, quasi dicas in Humeriferos Baiulos Deorum & arborum.

¶ Sed tamen tueri possumus & vulgatam hactenus, *Epholis*, quâ voce indicari videantur sumptus annui, seu totius anni: ἐφ᾽ ὅλον ἐνιαυτὸν, vt Ἐφόλια generaliter ea omnia sint, quæ in annum fermè solidum, integrum vsum præstant & conducunt, ἐφ᾽ ὅλον ἐνιαυτὸν διαρκέσματα. Nempe vt ἐφήμερα seu ἐφημέρια sunt prodiga, πρόσφαγα, quæ statim & in dies prodiguntur & absumuntur, & ἀνακύκλια fiunt; vt ἐπιμήνια, epimenia, quæ in singulos menses parantur, (quæ apud Cassianum lib.4. Instit. cap.22. *menomenia*) ita ἐφόλια dicta videntur, quæ non momentaneum vnius diei, seu diarij, verùm omnium anni dierum vsum præstent; Græcis nempe ὅλον dicitur solidum omne seu vniuersitas alicuius rei, tum in re nummaria & quantitate, (vbi notum est ὁλοκόττινον & ὁλόκληρα substantiuè, & ὁλοκλήρως pro vniuersitate alicuius rei) tum & in ratione temporum & prouentuum. Et verò hæc vox ipsa hic tenenda, tuendáque videtur; in hac inquam Honorij constitutione ad Africam pertinente: Vult igitur hac constitutione Honorius per Africam rei priuatæ Principis sociari loca sacris Gentilium deputata (quæ alioquin *loca templorum*, vocantur, tum *l.19.§4. supr. de petition.* tum & alibi passim: & *tit. eiusdem C. de conlat. fundor.* & apud Aggenum Vrbicum, *Comment.1. in Frontinum, pag.78.*) Loca, inquam, quæ professiones circa sacra gentilium occupatæ suis sumptibus & epholiis deputata possidebant; *Sumptibus & Epholiis*, id est, sumptibus ad victum in annum destinatis, & anniuersariis solutionibus, quo pertinet omninò Theodosij Magni *lex 4. Cod. de fund. rei priuat.* Quomodo etiam ἄρτος fructus annotinus & reditus annuus dictus, quasi ἀπὸ ἔτους, seu ἐνιαυτοῦ. Eandémque vocem testitui haud ita pridem *l.12.§.1.ff.de vsu & habit. Animadu. cap.8.* scilicet *Epholia*, cùm in commune dici possint ea omnia quæ annuos vsus præstant, speciatim *Epholias*, eas vuas dictas ea *l.12.§1.* censeo, quæ vini (quod annuum vsum præstat) causâ habebantur. Nempe duûm generum vuas, etiam Iurisconsulti nostri notant in *l.205.ff.de V.S.* alias, quas noo vini causâ habebant, verùm ad cibum, quas τρώξιμοι seu τρωκτὰς (vnde & Leuntius Geoponicorum *lib.14. cap.17.* dixit σταφυλὰς τρωκτάς) Græci appellabant, cibarias, escarias, cuiusmodi erant vuæ duracinæ & purpureæ, quæ *pomorum* etiam appellatiune veniebant, vt docet *d. lex 205.* ac prolude & harum vsum vsuario Nerua concedebat (de quâ alioquin vua duracinâ quæ non vini causâ habebatur, seu vino inutilis erat, est & illud Martialis:

Non habilis cyathis & inutilis vua Lyæo,
Sed non potanti me tibi nectar ero.)

Aliæ verò vuæ habebantur *Vini causa* (quod in annum conditur) ac proinde ad fructum magis, quàm vsum pertinentes.

Ad alia transeamus. *Dendrophori* in honorem alicuius Dei, veluti *Bachi*, aut Siluani Arbores stirpitus excisas per vrbem humeris ferebant. Artemidorus *lib.2. cap.42. de Baccho*: χρηστὸν δὲ τῷ δοῦλῳ ἢ θυρσοφορεῖν ἢ δενδροφορεῖν ἢ ἄλλον τί μυστηριῶδες τῷ θεῷ φέρειν παρὰ τοῖς τελεταῖς. Hanc *dendrophoriam*, sic expressit Commodianus

Egregios proceres, currum servare Cybellæ
Quem traheret conducta manus Megalensibus actis,
Arboris excisa truncum portare per vrbem.

Sanè & Siluanus ipse *Dendrophorus* dicitur in veteri saxo; atque inde Dendrophori.

SILVANO DENDROPHORO SACRVM
M. BOBLICIVS HILARVS MARGAR. Q.Q.
PP. CVM LIBERIS MAGNO ET
HERMONIANO DENDROPHORIS.

Virgilius.

Et teneram ab radice ferens Syluane Cupressum.

Et hæc de Dendrophoris, cum quibus perperam commisceantur Dendrophori, de quibus *supr. tit. de Centonar. & Dendrophoris*, vt ad eam dicam.

¶ De *Fredianis* nulla alibi mentio occurrit. Tamen cum Professionibus Gentilitiis connumerari video, cùm Dendrophoris iungi, haud alij mihi videntur, quam & ipsi *gestatores* qui inquam Oscilla & versatiles quasdam machinas ferebant solemni

solemni Pompa in honorem Deorum,, quasi ἐν τῷ φέρειν ἢ διαδύνοντι. Proinde qui Deos portabant & induebant. Et per quos (vt loquitur Apuleius *lib.*10.) Dei dignati pedibus humanis incedere, prodibant. Nempe ita erant qui Deos induebant, de quo vide Tertullianum. *Primo ad Nation. c.*10. *circa finem*, & *Apolog. cap.*15. Sanè & Commodianus de quo *supra*, tis quæ supra laudauimus de *Dendrophoris*, statim nullo intericcto & hæc ad Fredianos pertinentia subiicit.

Attin castratum subito prædicere solem

Quo pertinent Tertulliani illa. *Vidimus sæpè seu aliquando castratum Attin Deum à Pessinunte & qui viuus cremabatur Herculem induerat*: de Anubim portantibus, vide Lampridium *in Commodo* Spartianum *in Caracalla*. Eodem pertinet locus *Esaiæ cap.*17. vbi Græca sic habent: : ἐνείσαι χειροποίητα ἢ γλύψαντες προσκυνοῦσιν αὐτοῖς: αἴρουσιν αὐτὰ ἐπὶ τῶν ὤμων ἢ πορεύονται). Quem eximium locum de sacris Ægyptiorum interpretatur Hieronymus. At Procopius in eum locum magis generaliter: φασὶν ἐν ταῖς τῶν δαιμονίων πομπαῖς ἐκκωμάζοντες ἱερεῖς τὰ ἀγάλματα φέροντες ἐπ' ὤμων ταῖς πλατείαις ἀχθοφοροῦντες διήρχοντο. Tandem eodem pertinent, qui *l.*2. *supr. de collegiatis*, Vtriciarij, Nemesiaci, Signiferi, Cantabrarij memorantur, de quibus Nemesiacis vanis, est hic Commodiani locus, vbi hæc inter cætera.

Succollat quando libet eum & quando deponit
Vertitur à se rotans cum ligno bifurci
Ac si putes illum afflatum numine ligni.

Verùm de hoc plenius ad eam *legem secundam*. Frediani igitur tandem quasi Ferediani, quasi ἐν τῷ φέρειν διαδύνοντες, διαδύνειν enim est φέρειν, κυλίειν, quod Commodianus dixit, *verti & rotare*, & quidem διά τινὸς μηχανῆς, vel διὰ τινῶν ὀργάνων.

¶ Tertiâ *huius legis* sententiâ simulacra à lauacris & publicis *aspectibus* (ita enim repono) separari, deponi seu dirui iubentur. Simulacra inquam quondam sacrata sacrificiis, id est, sacrificiis coli solita. Sanè in publicis locis passim simulacra fuisse iam supra ad *l.*15. notatum est. At de Lauacris nominatim, seu balneis (iuxta hanc legem) Tertullianus quoque *cap.*8. *de Spectaculis* testis. *Et Platea*, inquit, *& forum & BALNEA & stabula sine idolo omninò non sunt*. Ambrosius quoque *lib.*2. *aduersus Symmachum*. *Sacrificia*, inquit, *vbique concelebrant: Non illis satis sunt LAVACRA, non porticus non plateæ occupatæ simulacris*. Et Prudentius pariter *aduersus Symmachum lib.*2. *Cùm portis, Domibus, THERMIS, stabulis soleatis, Vrbis pérque locos Geniorum millia multa Fingere*. Simulacra itaque seu idola, inter ornamenta operum publicorum Honorius superstitioni penitus eruendæ, censeri prohibet: quod etiam *l.*18. 19. *supr.* iam sanxerat: contra id quod *l.*15. quondam censuerat. Quare & in eo Constantinus Magnus errauerit, qui detracta templis simulacra, ad nouæ Vrbis Constantinopolitanæ ornatum & ad opera publica transtulit: quod ab eo factum Zosimus *lib.*2. *pag.*687. testatur, & Sozomenus *lib.*2. *cap.*4. de quo superius *d.l.*15.

¶ Quartâ & postrema sententiâ *huius l. Chiliarcha & Centenarij*, vel plebis distributionem sibi vsurpantes, remouentur: & quidem propositâ pœnâ capitali etiam inuitis, ad hoc deputatis. Quod atrox vtique. Videndum quinam hi esse potuerint, quorum mentio tam multo post fit quoque in Synodo Trullensi *cap.*61. vbi ἑκατοντάρχαι dicuntur. Sanè ex illis *huius l.* verbis quæ proxima cohærent, *vel qui sibi plebis distributionem vsurpare dicuntur*, colligere licet, Chiliarchas & Centenarios millenis & centenis plebis ita distributis præfuisse, ad instruendam scilicet Pompam Gentilitiam: Cuius pars erant Dendrophori & Frediani: de quibus *suprà*. Quâ causa sub tam atroci pœna hos Honorius prohibitos voluit, vt sine quibus nulla Pompa Gentilitia celebrari posset, ceu qui Pompæ præsides essent. Quare iam errant, qui cum his Centenariis, *Centonarios* miscent de quibus *supr. tit. de Centonariis*, vt ad eum titulum ostendi. Quid verò istud est; quod *fine leg.* in hâc re dicitur præsumptioni atque inuidiæ deputari? Nempe *præsumptio* est quod aduersus leges præsumitur, vsurpatur: *Inuidia*, omnis actus in legum inuidiam & contemptum: vide *Glossarium Theodosianum*.

¶ THEODOSII Iun. Prima *hoc titulo lex*; *de Paganis à* MILITIA *&* HONORIBVS *arcendis*.

XXI. * Iidem AA. Aureliano PF. P." Post alia.

QVi profano Pagani ritus errore seu crimine polluuntur, hoc est Gentiles, nec ad Militiam admittantur, nec Administratoris vel Iudicis honore decorentur. Dat. VII. Id. Dec. DN. Theod. VII. & Palladio COSS. [416.]

NOTÆ.

* Inseruit & *hanc legem* Baronius Annalibus suis *Anno D.*416. *num.*37.

" *Aurelianus* sub Theodosio Iun. PP. Orientis & secundùm quidem: vide Anno superiore 415. *l.*58. *supr. de hæreticis* (cuius *leg. fine*, idem de Eunomianis quod *hâc leg.* de Paganis constituitur) vide & Fastos Siculos seu Chronicon Alexand. *d. an.*415.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris: quinque in Paganos constitutiones sequuntur: quibus addenda & sexta eiusdem in eosdem Nouella *de Iudæis, Samaritanis, hæreticis & Paganis* 3. Ex quibus apparet, ac maximè ex *d. Nouell.* vbi summâ verborum atrocitate eos configit *vers. Hinc perspicit*, quonam odio Princeps hic Paganos insectatus sit. Hâc verò constitutione, MILITIA & administratione Iudicisque potestate omni Gentiles arcet Anno 416. GENTILES scilicet à Constantini Magni temporibus ad hæc vsque, & ad militiam, & ad summas Imperij, Palatiíque dignitates à Principibus admissi fuêre. Prudentij inter alios *aduersus Symmachum lib.*1. scribentis locus, hanc

in rem de Theodoſio Magno inſignis hactenus notus. *Sacricolis*, inquit, *ſummos impertat honores Dux bonus, Et certare ſinit cum laude ſuorum: Nec pago implicitos per debita culmina Ire viros prohibet: quoniam cæleſtia nunquam Terrenis ſolitum per iter gradientibus obſtant*, &c. Accedat rurſum nouus Libanij locus de eo, *Oratione* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν: vide & *l.11. ſupr. hoc tit.* ibi Iudex quoque. Primus Honorius Theodoſij quem dixi, filius per Occidentem Catholicæ ſectæ inimicos, non hæreticos tantùm; ſed & Paganos intra Palatium & inter Scholas Palatinas & Domeſticos militare Anno 408. prohibuit, vt docet *lex 42. ſupr. de hæretic.* vbi vide quæ dixi. Cuius vtique legis Zoſimus quaſi in Paganos latæ *lib.5. pag.870.* meminit: Νόμος, inquit, ἐτέχθη τοῖς ὑπὲρ τὸν χριστιανῶν ζῶντι ἐν τοῖς βασιλείοις ἔχειν ἀπαγορεύων. Verùm addit idem ſcriptor, eam legem mox abrogatam. Alio autem pertinet quod in Actis Africani Concilij eo Ann.410. habiti verbis his continetur. *Eo tempore lex data eſt vt libera voluntate quis cultum Chriſtianum exciperet.* Ergo ſuſtulerat eam legem Honorius, ſumma quoque Paganorum (eo Anno 408.) iniquitate coactus: vtpote qui Eucherium Stilichonis filium Paganum & Chriſtianorum perſecutionem meditantem, ſe (Honorio) Imperij ſede deiecto Cæſarem ordinare moliti fuerant: vt ex Oroſio *lib.7. cap.38.* & Marcellini *Chronico* conſtat. Neque abſimili proculdubio ratione Theodoſius Iunior permotus ad hanc legem promulgandam deſcendit. Recentiſſimum certè hoc ipſo Anno 416. Paganorum & Attali aduerſus Honorium patruum ſuum facinus: (de quo inter alios Sozomenus *lib.9. cap.9.*) cautiorem eum hac parte reddere debuit. De hæreticis à militia pariter prohibitis dictum ſuo loco ad *legem 25.29. & dict. l.42.48.58.61. ſupr. de hæret.*

¶ Illud omittere non poſſum, perperam Cedrenum inter alias Conſtantini leges & hanc memorare, χριστιανοὺς μόνους στρατεύεσθαι ἔθνεσί τε καὶ στρατοπέδων ἄρχειν. Nulla enim talis lex Conſtantini à veteribus memoratur: illud tantùm memorant auctores, inſigniores Prouinciarum Præfecturas Chriſtianis creditas, auctor inquam vitæ Conſtantini *lib.2. cap.63.* & Sozomenus *lib.1. cap.8.* Verùm hæc poſterioris & ſequioris ſeculi ſiue barbaries ſiue adulatio fuit, vt ab aliis Chriſtianis Principibus conſtituta, Conſtantino Magno accepta paſſim ferrent. De Chriſtianis alioquin & Orthodoxis tantùm honoribus præficiendis eſt *Obſeruatio* 8. *lib.6. quotidianarum*, Fornerij.

¶ Secvnda Theodoſij Iun. *lex in Paganos.*

XXII. * Iidem AA. Aſclepiodoto PF. P." Poſt alia.

Paganos qui" ſuperſunt, quanquam iam nullos eſſe credamus, promulgatarum legum iamdudum præſcripta compeſcant," &c. Dat.v. Id. April. CP. Aſclepiodoto & Mariniano coss. [423.]

NOTÆ.

* Inſeruit & *hanc legem* Baronius Annalibus ſuis *Anno 423. n.6.* Iungenda autem huic eſt *l.59. ſupr. de hæretic. l.26. ſupr. de Iudæis*: & *l.5. ſupr ne Chriſtianum Mancipium Iudæus.*

" *Aſclepiodotus* ſub Theodoſio Iun. PP. Orientis vide *l.2. ſupr. de prædiis & Mancipiis Curial.*

" ſimiliter *l.23. infr.*

" Atque adeo à ſacrificiis ritúque ſuo arceant.

COMMENTARIVS.

In Paganos, Hæreticos & Iudæos promulgatæ antea leges hac ſecunda Theodoſij Iun. *l.* & *l.26. ſupr. de Iudæis*, & *l. vltim. ſupr. ne Chriſtianum mancip. Iudæus*, & *l.59. ſupr. de hæretic.* confirmantur: Quæ quidem leges omnes ſunt vnius Theodoſianæ conſtitutionis portiones: ac proinde inter ſe coniungendæ. Hanc ſanè *legem 22.* Theodoretus *lib.5. & 36. pag.174.* intellexiſſe mihi videtur, cùm à Theodoſio Iuniore Paganorum ſuperſtitionem adeò profligatam ſcripſit, ὥστε τοὺς μεθ' ἡμᾶς ἐσομένους, μηδὲν ἴχνος τῆς προτέρας ἐξαπάτης θεάσασθαι. Et addit, τὴν δὲ διάνοιαν, τοῦ περὶ τούτων ἐντεθέντος NOMΩ. Eadémque ex Theodoreto leges apud Nicephorum *lib.14. cap.3.* Sanè his omninò reſpondent illa, *hac leg. Paganos qui ſuperſunt, quanquam iam nullos eſſe credamus*, & *l. prox.* ſimilia, *Paganos qui ſuperſunt*, & l. dominico vltim. ſupr. de Spectaculis: *Si qui etiamnunc ſtolidæ Paganitatis errore atque inſania detinentur.* Vnde apparet, quonam hoc tempore conciderit ſtatus Paganorum ſub Theodoſio Iuniore, imò ad quam paucos illi redacti fuerint, Templis, quæ reliqua erant, coercitis (de quo vide *l. vlt. infr.*)

¶ Tertia Theodoſij Iun. *in Paganos ſacrificantes lex.*

XXIII. * Iidem AA. Aſclepiodoto PF. P. Poſt alia.

Paganos qui" ſuperſunt, ſi aliquando in exſecrandis dæmonum ſacrificiis fuerint comprehenſi, quamuis capitali pœna" ſubdi debuerint, bonorum proſcriptione & exilio coërceri." Dat. VI. Id. Iun. CP. Aſclepiodoto & Mariniano coss. [423.]

NOTÆ.

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus suis inseruit Baronius, *Anno* 423. *num.*7. Quænam verò leges aliæ huic iungendæ sint mox dicam.
"similiter *l.*22. *supr.*
"Pro pœnæ pariter vt *l.*6. *supr.* pœna capitis subiugari præcipimus.'
'Præcipimus scilicet repetita hac voce ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, & quidem ex *d.l.*60 *supr. de hæretic.* cui hæc subiicienda est.

COMMENTARIVS.

TERTIA hæc Theodosij Iun. hoc titulo in Paganos sacrificantes lex est: quæ pars est prolixioris constitutionis Theodosianæ, partim in Paganos, Iudæos, hæreticósque: partim pro Paganis & Iudæis promulgatæ: vnde tres præterea leges supersunt, *lex* 24. proximè sequens, *lex* 26. *supr. de Iudæis*, imò *l.*60. *supr. de hæretic.* emendata eius subscriptione; quæ proinde omnes huic coassandæ sunt, velut vnius & eiusdem constitutionis partes. Ergo hæc lex est de Paganorum sacrificantium pœnâ, bonorum scilicet proscriptionis & exilij, cuius ipsemet meminit *Nouellâ suâ de Iudæis* 3. SACRIFICANTIVM pœna Constantij constitutione capitalis seu gladij capitísque fuit *l.*2. 4. 6. *supr.* Valentiniani Iuniotis pariter constitutione, sacrificantes diuinis atque humanis sanctionibus rei pronunciantur: *l.*10. *supr.* Theodosij Magni legibus quoque nullis exuendi indulgentiis dicuntur *l.*11. & maiestatis rei constituuntur *l.*13. Honorius iisdem leges paternas in eos exerceri voluit, & sic tertiotem capitalem iniecit *l.*18. At Theodosius Iunior capitali pœna abrogata bonorum proscriptionis & exilij pœnam iis *hâc lege* imponit: Et in hac tamen mitiore sententia non perdurauit: vtpote mortis pœna posteà reducta *l. vltim. infr.* & *d. Nouellâ de Iudæis* 3. *cap. Hinc perspicit*: vbi elegantissimis verbis Paganorum audaciam configit: quámque operæ est totam videre.

¶ Cæterùm & hæc lex generalis Constitutionis pars est in Iudæos Hæreticos Paganos Manichæos latæ, vt ex iis quæ dixi l. gibus cum hac coniunctis liquet. Quæ quidem à Theodosio Iun. duobus mensibus post superiorem genetalem pariter ad eundem Asclepiodotum lata. Etsi eadem sententia: Specialior tamen & enixior & expressior, quod proximè sequens lex manifestius adhuc ostendit.

¶ TERTIA Theodosij Iun. *hoc titulo lex* 1. *in Manichæos, & Pepyzitas, Nouatianos* 2. *& in Christianos, Iudæis & Paganis quietis manus intentantes, bonave eorum diripientes.*

XXIV. * Iidem AA. Asclepiodoto PF. P. Post alia"

MANICHÆOS," illósque quos Pepitas" vocant, necnon & eos" qui omnibus hæreticis hâc vnâ sunt persuasione peiores," quòd in venerabili die Paschæ ab omnibus dissentiunt, si in eadem amentia perseuerant, eadem" pœna multamus, * bonorum proscriptione atque exilio. * ¶ Sed * hoc Christianis, qui vel verè sunt, vel esse dicuntur, specialiter demandamus, vt Iudæis ac Paganis in quiete" degentibus, nihilque tentantibus turbulentum legibúsque contrarium, non audeant manus inferre, religionis" auctoritate abusi: nam si contra securos fuerint violenti, vel eorum bona diripuerint, non ea sola quæ abstulerint, sed conuenti, in triplum" & quadruplum, quæ rapuerint restituere compellantur. Rectores etiam Prouinciarum, Officia & Prouinciales" cognoscant, se si fieri permiserint &" eos qui fecerint puniendos. Dat. VI. Id. Iun. CP. Asclepiodoto & Mariniano COSS. [423.]

NOTÆ.

* Meminit huius legis Baronius *Anno* 423. *n.*5. Iungenda autem huic, vt iam monui, *lex superior*, & *l.*60. *supr. de hæret.* & *l.*27. *supr. de Iudæis*.
"Ac nominatim post *l.* 23. *supr.* cui hæc cohæsit.
"Fugitiua hæc huius legis pars prior est.
"*℟. Pepuzitas*, vt *l.*59. *supr. de hæretic.* hoc ipso anno ante duos menses.
"Nouatianos Protopaschitas seu Sabbatianos intelligit de quo mox.
'Hæreticorum vesaniam superant *l.*6. *supr. ne sanctum bapt.*
"Qua Paganos' scilicet: Relatiua quippe hæc vocula, ad superiorem proximè *legem* 23. quam huic coniungendam dixi.
* * quæ Asteriscis inclusa sunt ea strepititia puto.
* *Lex* 6. *Cod. Iust. eod tit.* hinc desumpta est.
"*Quiete*, Cod. Iust.
"Sub Christianæ religionis nomine *l.*9. *supr. de Iudæis*: sub prætextu venerandæ Christianitatis *l.*26. *d. tit. de Iudæis*.
"in duplum Cod. Iust. de quo mox.
"*℟. Principales* vt habet quoque C Iust. & Græci agnoscunt, cùm πολιτοδούλους reddunt: πολιτοδοῦλοι enim sunt Municipes & Curiales; quorum Primi sunt Principales, de quibus *tit. de Decurion* Et sane iniuncta his Curialibus cura hæc ab Honorio vis amoliendæ à Iudæis & Gentilibus in quiete degentibus: sicut & contrà, vim & cœtus eorum cohibere iussa *l.*40 45. *supr. de hæret.* & *l.*4. *inf. ne sanctum bapt.* Quare errant qui in Cod. Iust. legunt, *Officia Prouincialium* Leunclauius etiam malè *p.*209. *Municipales*, pro Principales reponebat.
"*℟. Vt*, quomodo etiam habetur Cod. Iust.

COMMENTARIVS.

QVARTA hæc iam Theodoſij Iun. hoc titulo lex eſt; eáque pars prolixioris Conſtitutionis latæ partim in Paganos, Iudæos, hæreticos; partim pro Iudæis & Paganis. Prior pars ab *hoc tit.* fugitiua eſt: poſteriore vetat Paganos, vt & Iudæos, in quiete degentes à Chriſtianis inquietari, pariter vt *l.9. hoc tit.* & *l.26. ſupr. de Iudæis*: quæ poſtrema hoc ipſo anno ad eundem Aſclepiodorum data eſt. Inquietate, inquam, ſiue manus eis inferendo, ſiue bona eorum diripiendo, pœnámque his, vt & Rectoribus, Officialibus, Principalibus, id permittentibus, comminatur; nempe, Rapta ab his in triplum & quadruplum reſtitui iubet: quæ ordinaria vi raptorum bonorum pœna eſt. Et Tribonianus tamen, quaſi Iudæo facta vel Pagano minore iniuriâ, id *dupli* pœna immutauit *l.6. Cod. Iuſtin. de Paganis*, quam ex hac noſtra alioquin deſumpſit. *Dupli* inquam: nam ita ibi rectè legi oſtendunt quoque Baſilica *ἐκ ἐν ἁπλῷ ἐλεγχθέντες ταῦτα ἀποδώσουσιν: ἀλλ' ἐν διπλασίονι*: & Paratitla Græca, *τὸ ἁρπαγὲν ἀποδίδοσθαι διπλοῦν*. Principes ſcilicet Romani hanc Chriſtianorum nimietatem, qui ſub Chriſtianæ religionis nomine ſeu obtentu, in homines alienæ ſectæ quos Principes in Imperio ſuo ferrent, inſurgerent, eóſque afflictarent, bonave eorum diriperent, ſemper auerſati ſunt, eóſque ſæpè conſtitutionibus ſuis repreſsêre, vt præter *hanc legem* oſtendunt *lex 9.11.12.20 21.25.26.27. ſupr. de Iudæis*: vide & *l.57. in fine ſupr. de hæreticis*. E quibus dicta *lex 26.* ad eundem Aſclepiodorum data eſt ante bimeſtre fermè eodem fine. Neque ipſos tantùm qui tale quid perpetrarent pœnis inſecuti ſunt; verùm & Rectores Prouinciarum, Officiales & Principales qui id fieri permiſiſſent, eâdem pœna puniri voluere, vt Theodoſius Iun. *hâc leg. Principales*, inquam, nam ita hîc reponendum, loco *Prouinciales*: quomodo etiam Codex Iuſtinianeus rectè habet: & Baſilica rectè *πρωτεύοντες τῶν πόλεων* interpretantur, & Græci *πολιτοδοῦλοι, πολιτευόμενοι* ſunt non modo municipes, ſed & Curiales, quorum primi ſunt Principales: de quibus plenè *ſuo tit. de Decurionib.* Et certè vt Rectoribus Prouinciarum, eorúmque Officialibus, ita & his Principalibus iniuncta hæc inter alias cura. Et quidem etiam ab Honorio Imp. vis inquam amoliendæ à Iudæis & Gentilibus in quiete degentibus: vti rectò hæreticorum vim & cœtus iidem cohibere iuſſi *l.40. 45. ſupr. de hæreticis*: *l.4. ſupr. ne ſanctum baptiſma*. Denique ita paſſim videas hos tres coniungi Rectores, inquam Prouinciarum, Officiales & Principales. Quare errant, qui in Cod. Iuſt. legunt *Officia Prouincialia*. Vt & malè Leonclauius, qui *pag.209.* vocem *Municipales* pro *Prouinciales* reponebat. Et hæc quidem de poſteriore *huius legis* parte ſeu capite, quod ad hunc titulum propriè pertinet, ideóque etiam priùs illuſtrauimus.

Prior *huius legis* pars, non minùs quàm potiſſima pars *legis 13. ſupr.* vt & poſtrema pars *legis 15. ſupr.* ad hunc titulum non pertinet, verùm ad *tit. de hæreticis*. Cuius generis errores ab huius Codicis conditoribus plures admiſſi: de quo ſemel dixi in *Prolegomenis*. Eſt ſcilicet hæc pars prior *de hæreticis*, ac nominatim de tribus hæreticorum generibus, Manichæis ſcilicet Pepyzitis, & tertiis de quibus mox: quibus Theodoſius Iun. initio *huius legis* bonorum proſcriptionis, & exilij pœnam minitatur in hæreſi perſeuerantibus. Quæ eadem pœna propoſita ab eodem Paganis ſacrificantibus *dict. l.23 ſupr.* cui hæc noſtra cohæſit: quoque ſe hæc refert his verbis: *Eadem pœna multarum*, quæ & ipſa altera iam ἀκαιρία eſt huius Codicis conditorum, de quo ipſo *in Prolegomenis*. Hac porrò parte multa notanda veniunt. Peculiaris primùm ratio ſeu peculiare odium Imperatorum, & in his Theodoſij Iun. in hæc tria hæreticorum genera: Manichæos, inquam, Pepyzitas & Nouatianos: de quis vide *tit. de hæreticis*. Dixi *Pepyzitas*, quod ſecundò notandum vel *Pepuzitas*: nam ita reponendum loco *Pepitas*: de quibus agitur & nos egimus *l.59. ſupr. de hæreticis*, (quæ ante trimeſtre hoc ipſo anno data eſt) *l.5. Cod. Iuſtin. de hæretic.* Epiphanius *in Panario*, Sozomenus *lib.7. cap.18.* Sequitur, quod tertiò notandum, tertium hæreticorum genus, quos ita deſignat hæc lex, *qui in venerabili die Paſcha ab omnibus diſſentiunt*. Sunt autem hi, Nouatiani Sabbatiani, vt apparet ex *l.6. ſupr. ne ſanctum baptiſma*: *l.59. ſupr. de hæreticis*, ex Socrate, *lib.5. cap.20. lib 6 cap 17. lib.7. cap.5.12.18.25.* Sozomeno, *dict. cap.18.* Cur autem eos omnibus hæreticis hac vnâ perſuaſione peiores eſſe dicat, id iam explicauimus ad *d.l.59.*

¶ POSTREMA Theodoſij Iun. *hoc titulo, in Paganos conſtitutio.*

XXV. * Impp. THEOD. & Valentin. AA. Iſidoro PF. P."



MNIBVS ſceleratæ mentis Paganæ," exſecrandis hoſtiarum immolationibus, damnandíſque ſacrificiis, ceteríſque antiquarum Sanctionum † auctoritate prohibitis, interdicimus: Cunctáque eorum fana, templa, delubra, ſi qua etiam nunc reſtant integra, præcepto Magiſtratuum deſtrui," conlocationéque venerandæ Chriſtianæ religionis ſigni" expiari præcipimus: Scientibus vniuerſis, ſi quem huic legi apud competentem Iudicem idoneis probationibus inluſiſſe" conſtiterit, eum morte eſſe multandum. Dat. XIX. Kal. Decemb. CP. Theod. XII. Valent. IV." AA. COSS. [426]

NOTÆ.

* *Iſidorus* ſub Theodoſio Iun. PP. Et *hanc legem* rectè inſeruit Baronius Annalibus ſuis *Anno 426. num 5.*
"Illyrici ſcilicet; vide *l.4. ſupr. de Spectaculis*, *l.33. ſupr. de annona & tributis*.
"*al.* Paganis.

† *Sanctiones*

† *Sanctiones* veteres nota.
"id est, Crucis.
"Sacrificiis operam dedisse.
"χ. 1 1.

COMMENTARIVS.

Sacrificia hac lege à Theodosio Iuniore Anno D.426. per Illyricum Orientale, & quidem sub pœna mortis interdicuntur: Templa item, quæ superessent destrui iubentur: quod & Theodoretus memorat *lib.5. histor. Eccles. cap.36. pag.174.* & conlocatione Crucis, *σταυροπηγίῳ* expiari.

¶ Vbi tria tractanda veniunt, notandaque: Primò de *Cruce*, & initio quidem de eius appellationibus & adiunctis. Nempe Theodosius Iun. *hac leg.* eam signum venerandæ religionis Christianæ vocat: vt & in *l.18. supr. de Iudæis*, signum fidei nostræ: & in *l. vnic. Cod. Iustin. nemini licere signum,&c.* signum Saluatoris dicitur. Chrysostomo dicitur, *σημαντήριον τῶν τοῦ θεοῦ ...*: signum salutis nostræ Nouellâ *Iustin. 5. cap. 1.* Quid amplius? Firmicus, *de errore profess. relig. pag.76.* vocat, venerandum signum crucis: sanctam vocat idem Theodosius Iun. *d. l.18. supr. de Iudæis*: & post eum Leo, *l.26. Cod. de Episcop.* venerabilem, vt & *l.vltim. § fin autem dubius, Cod. de iure deliberandi*: sacrosanctam, honorandam Iustinianus *Nouella 5. cap.1. 125. cap.32.* Imò & adorandam *Nouella 15.cap.1.* Quæ omnia quando & quo sensu dicantur vidimos ad *d. l.18. supr. de Iudæis.* Hæc de Cruce ipsâ. Secundo loco hîc notandum, collocatione Crucis profana loca expiari, Deóque consecrari hoc æuo iam solita: quod iuxta *hanc legem* docet quoque *d. l. decernimus 26. Cod de Episcopis.* Nouell. *Iustin.5. cap.1. & 67.cap.1.& 131. cap.7.* quomodo & in instrumentis pro fide & subscriptione eadem essit: *l. vltim. Cod. de iure deliber.* & *Nouella 73. cap.8.* Litaniáque prælata *Nouella 123.* De expiatione sanè templorum Gentilitiorum est quoque locus Theodoreti, *sermone de martyribus.* Quem autem in finem vsúmque expiari *hac leg.* Paganorum templa voluit Theodosius Iun? An, vt in Ecclesias Christianorum ipsa conuerterentur? Quomodo sanè stauropegio dedicatæ Ecclesiæ iam olim, quod notissimum vel ex Iustin. *Nouell. 5.* Certè, hoc æuo ipso iam Paganorum templa quamplurima in Ecclesias Christianorum conuersa liquet. Sic Theodosius Magnus templum Heliopolitanum, quod Balanij dicebatur, ingens & celeberrimum, in Christianorum Ecclesiam conuertit, *ἱερὸν αὐτὸ ἐκκλησίαν χριστιανῶν*: patique modo & templum Damasci: teste vel auctore Chronici Alexandrini Anno 379. sic & Theodoretus sub Theodosio Iun. *sermone de martyribus 8. in fin.* templa idolorū vel diruta vel ea ipsa columnæ materias in Ecclesias mutata testatur: idque, vt hic cauetur, expiatione præcedenti: *οἱ τε ναοὶ ... μαρτύρων σηκοῖς.* Theodosius certè Iun, *hac lege* templa Paganorum destrui & expiari iubet. Verùm *destruendi* vox accipi commodè possit, pro superstitione sua spoliati, vt videlicet mox expiata in Ecclesias conuertantur: sub Theodosio Magno sanè Pagani ipsi templa sua dirui ægrè ferentes, ea alios & publicos in vsus saltem mutari volebant, quod fermè argumentum est orationis Libanij *pro templis, pag 26.* vide & Augustinum *epist. ad Maximum Madaurensem*: Et verò mutata ea in eos vsus ostendit *lex 19. supr.* Tandem hic notandum, *fana, templa, delubra* hic coniungi & distingui. Quid verò inter ea sit si quæras breuiter accipe. *Fana* erant quæcunque tandem consecrata, effata Diis loca: quorum mentio quoque *l.12.13.17.19 supr. Delubra*, quorum mentio & *l.2. supr. de malescis*, & *l.30.* (vbi aliquid dixi) & *l.11. supr.* quid sint vide Varronem 8. *diuinarum* apud Macrobium 3. *Saturnal.4.* Seruium *in 2. Æneid.* denique erant cellæ Deorum ad templa additæ, vt ex Varrone *de vitâ Pop. Rom.* liquet, & ex P. Victore: Capellæ his similes. Postremò notandum Templa iuberi destrui *præcepto Magistratuum*: vt ita scilicet sine turba ac tumultu diruantur, vt *l.16. supr.* non priuatorum impetu, de cuiusmodi Monachorum impetu queritur Libanius.

DE RELIGIONE.

TITVLVS XI.

PARATITLON.



Tres, sic vt dicam, formulæ formæque iudiciales in negotio religionis hoc titulo continentur. Primò, IVDICIVM causarum de Religione ad Episcopos pertinere: cæteras causas Iudices ordinarios habere *l.1. hoc tit.* & *l.1.* & *l.vltim. infr. tit. subdititio de Episcop. iud.* & Valentiniani *Nou.12.* vide & *l.12.23.41. supr. de Episcopis.* Secundò, Edictum de VNITATE aliquando ab Impp. pacis Ecclesiæ studiosis promulgatum & propositum, quo ad vnam & veram omnes inuitabant, vt ab Honorio factum per Africam aduersus Donatistarum & Manichæorum dissidia *l.2. hoc tit.* vide & *l.38. supr de hæreticis*: *l.3. supr. ne sanctum baptisma.* Tertio, in COGNITIONE de Religione & super fide Catholica id custodiendum Cognitori, quod olim ordinauit antiquitas, quodque Principum auctoritas religiosa constituit, *l.vltim. hoc tit.* nouellâ subreptione submota, *d.l.vltim.* His adde ex aliis titulis. Quartò, de Religione déque fide Catholica eius norma & formula

l.2.

l.2. & 3. ſupr. de fide Catholica. Quintò, in ſummam de religione tenenda hæc ſententia. Quod in religione diuinam committitur in omnium ferri iniuriam, *l.40. de hæreticis.* Sextò, de libertate Religionis, vide *l.9. ſupr. de maleficiis.* Septimò, Chriſtianæ religionis fauore & veneratione multa ſancita: vide *l.628. ſupr. de Iudæis: l.1.8.9. de ſcenicis: l.2. de nuptiis: l.5. de adulteriis: l.112. de Decurionib. l.1. de fide Catholica: l.1. de Lenonibus.* Viceuerſa, ne Religionis obtentu Reſpublica læderetur, ſubinde cautum: veluti *l.12. de Veteranis: l.1.2. de his qui ad Eccleſ. l.33. de annona.* Et è contra nemo religionis obtentu inquietandus, *l.9.11.12.10.21.25.26. de Iudæis: l.24. de Paganis.*

¶ *De* FORO *Eccleſiaſtico, & vbi cauſas agitari oporteat.*

1. * Impp. Arcad. & HONOR. AA. Apollodoro" Proc. Afric."

QVOTIENS de religione agitur, Epiſcopos conuenit iudicare: ceteras verò cauſas, quæ ad Ordinarios" Cognitores, vel ad vſum publici" iuris pertinent, Legibus oportet audiri. Dat. XIII." Kalend. Septembr. Patauj, Theodoro v. c. CONS. [399]

NOTÆ.

* Omiſit Baronius *hanc legem* in annum ſuum referre: Iungenda autem ei *l.17. ſupr. de Paganis*: imò & *l.18. eod. tit.* vt iam ad *d.l.17.* notaui. Laudatur hæc ipſa lex, Nouellâ *Valentiniani de Epiſcopali iudicio 17.*

" *Apollodorum*, hunc Proconſulem fuiſſe docet quoque Symmachus *epiſt.15. lib.I.* & quidem Africæ *epiſt.14. & 48.*

" Obſeruandum omnes *huius tit.* conſtitutiones *ad Africam* propriè pertinere.

" Ordinarij, Iudices, vide *Gloſſar. Theod.*

" Ita d. Valentiniani *Nouella 12.* quâ huius ſententia expreſſa: *agant publicis legibus, & iure communi.*

" Ita quoque *d.l.17. ſupr. de Paganis.* At *d.l.18. eod. tit.* III. Kal. Septembris.

COMMENTARIVS.

DE FORO Eccleſiaſtico eſt hæc Honotij lex, quæ pars eſt maioris conſtitutionis Honorianæ: ea quâ deflotatæ ſunt quoque duæ aliæ potâ *lex 17. & 18. ſupr. de Paganis*: quæ proinde huic coaſſandæ veniunt. De foro itaque Eccleſiaſtico eſt hæc lex, de quo ſunt in vniuerſum quinque hoc Codice conſtitutiones: potâ, præter haoc legem, *lex 17.23.41. vltim. ſupr. de Epiſcopis*, quibus addenda ſeata, puta Nouella Valentiniani 3. *de Epiſcop. iud.* 12. Quas ſingulas ſuo quaſque loco prolixiùs expendi & explicaui.

¶ Huius ſanè apertiſſima & abſciſſa definitio & diſtinctio hæc eſt: Cauſas ſiue quæſtiones de Religione coram Epiſcopis agitandas: ceteras cauſas, coram Iudicibus ordioariis. Ita verò huius conſtitutionis ſententiam expreſſit Valentinianus Tertius d. Nouellâ de Epiſcop. iudicio 12. *Conſtat Epiſcopos & Presbyteros forum legibus non habere: NEC DE ALIIS CAVSIS, ſecundum Arcadij & Honorij diualia conſtituta, quæ Theodoſianum corpus oſtendit, PRÆTER RELIGIONEM poſſe cognoſcere: Si ambo eiuſdem officij litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus & iure communi. Sin verò petitor laicus ſeu in ciuili ſeu in criminali cauſa cuiuſlibet loci Clericum aduerſarium ſuum, ſi id magis eligat per auctoritatem legitimam in publico iudicio reſpondere compellit.* Gratiani ſimilis diſtinctio *d.l.23. Qui mos eſt*, inquit, *cauſarum ciuilium, idem in negotiis Eccleſiaſticis obtinendus, vt ſi qua ſunt ex quibuſdam diſſenſionibus leuibúſque delictis ad RELIGIONIS obſeruantiam pertinentia, locis ſuis & à ſua Diœceſeos Synodo audiantur: Exceptis, quæ actio Criminalis ab Ordinariis, Extraordinariiſque iudicibus aut Inluſtribus poteſtatibus audienda conſtituit.* Eadem mens & diſtinctio *l. vltim infr. de Epiſcopali iudicio*, quæ Theodoſio Iuniori ſubiicitur, vbi de Eccleſiaſticis. *Nec quicquam his publicis commune ſit cum legibus. Quantum ad cauſas tamen Eccleſiaſticas pertinet, quas decet Epiſcopali auctoritate decidi. Quibuſcunque igitur mota fuerit quæſtio, quæ ad Chriſtianam pertinet ſanctitatem, eos decebit ſub eo Iudicio litigare qui Præſul eſt in ſuis partibus omnium Sacerdotum.* Imò & mens eadem Valentiniano Seniori: vt teſtatur Ambroſius *epiſt. 32.* ad Valentinianum Iun. *Auguſtæ memoriæ Pater tuus non ſolum ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit, in cauſâ fidei vel Eccleſiaſtici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar ſit, nec iure diſſimilis: Hæc enim verba reſcripti ſunt: hoc eſt Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam ſi aliàs quoque argueretur Epiſcopus & morum eſſet examinanda cauſa, etiam hanc voluit ad Epiſcopale iudicium pertinere.* Ergo Honorius *hâc lege* nonniſi de religione coram Epiſcopis agi vult: de cæteris cauſis iure publico apud ordinarios Iudices Cognitores: Cùm tamen liberalius aliquantum nonnolli Principes etiam nonnullas alias cauſas præter religionem, coram Epiſcopis ſingulari priuilegio agitari permiſerint, alioquin ad ſæculares Iudices ſpectaotes: veluti pecuniarias & priuatam iniuriam continentes, ſi videlicet litigatores conſentirent, quod Conſtantino Magno placuit, vt teſtatur Sozomenus *lib.1.c.9.* & Arcadio *lib.4. Cod. de Epiſc. aud.* imò Honorio ipſi, vt Valentinianus ſuadet *d. Nouellâ 12.* & fidem facit *l.8. Cod. de Epiſcopali audient.* Anno 408. (quæ lex non abludit à *canone 96.* Codicis Africani.) 2. Item, Leuia Eccleſiaſticorum delicta ex quibuſdam diſſenſionibus ad religionis obſeruantiam pertinentia & in cauſas de religione incidentia, coram Epiſcopis agitari Gratiano placuit *l.23. ſupr. de Epiſcopis.* 3. Denique morum Eccleſiaſticorum cauſas: quod Valentiniano Seniori placuiſſe Ambroſius teſtatur. *Morum* inquam, id eſt, Leuium delictorum; hinc vt *d.l.23.* leuia delicta actioni criminali opponuntur: ita in rei vxoriæ actione, crimina & mores *l.2. ſupr. de repudiis*, vbi & mediocres

dioeces culpæ vocantur. Atenim nullus Principum *indiscretim* sæcularibus Iudicibus Ecclesiasticos & Ecclesiasticas causas exemit: non Constantius *l.17. supr. de Episcopis*: non Honorius (*huius legis* auctor, & *l.8. Cod. de Episcopali aud.*) *l.41.d.tit.de Episcopis*: non Valentinianus Tertius (auctor *Nouellæ 12.*) *l.vltim. supr.de Episcop.* vt ad eas leges prolixè ostensum est.

¶ In tantùm verò aliarum cognitionem causarum præter religionem alienam ab Episcopis *hâc leg.* definit Honorius, vt quamlibet partes laicæ in eos consenserint, ab his tamen appellari adhuc possit: eisdémque Episcopis postea, si visus tulerit, testimonium eam in rem denunciari queat; imò in totum causarum extra religionem cognitionem eis interdicere videatur. Eò quippe *hanc legem* spectare censeo: repulsa hac parte pariter vt repulit duobus aliis capitibus, puta *l.17.18. supr. de Paganis*: (quæ huic coassandæ sunt) postulatione Patrum Africanorum in Concilio Carthaginensi 5. quâ decreuerant (vt habetur *canone 59.* Codicis Africani) petendum ab Imp. *Vt si qui fortè in Ecclesiâ quamlibet causam, iure Apostolico Ecclesiis imposito, agere voluerint, & fortassè decisum Clericorum vni parti displicuerit, non liceat Clericum in iudicium ad testimonium deuocari eum, quia cognitor vel præsens fuerit, vt nulla ad testimonium dicendum Ecclesiastici cuiuslibet persona pulsetur.* Vbi quod aiunt Patres *iure Apostolico Ecclesiis impositio*, Balsamo ita rectè interpretatur de dicto Apostoli, τολμᾷ τις ὑμῶν πρᾶγμα ἔχων πρὸς τὸν ἕτερον κρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων καὶ οὐχὶ ἐπὶ τῶν ἁγίων: vide & Augustinum *ad Psalm.118. concione 24.* & Chrysostomum pluribus περὶ ἱερωσύνης: Scilicet vt in vniuersum Concilium illud Anno Domini 399. habitum ostendi ad *d.l.7. supr.de Paganis*: ita sanè tres huius Codicis constitutiones quatuor illius Concilij Canonibus respondere *ibidem* docui. De cæteris igitur negotiis præter religionem Ecclesiasticis iudicium saltem absolutum, etiam ex compromisso inter laicos tribui Honorius *hâc leg.* noluit: absolutum inquam, vt citra appellationis, ita & testimonij denunciandi ius. Quod tamen Arcadius iam antea concesserat, si fides *legi 7. Cod. de Episcopali audientia*. Quin etiam vt pleraque quæ Patribus Africanis Concilij illius Carthaginensis Honorius denegauerat, Anno Domini 399. postea Anno Domini 408. concessit: vt apparet ex collatione *l.17. 18.* cum *l.19. supr. de Paganis*: ita & istud quod *hâc lege* denegauit, eodem Anno 408. postea *l.8. Cod. de Episcopal. audientia*, constituit: nempe vt Episcopale iudicium tantum esset omnibus qui se audiri à Sacerdoribus elegissent, sic vt ab his non liceret prouocare, quin per Iudicum officia Episcopalis cognitio definitióque executioni tribueretur.

¶ *De* EDICTO *Vnitatis per Africam proponendo Honorij lex.*

II. * Imppp. Arcadius HONORIVS, & Theodosius AAA. Diotimio" Proc. Africæ.

EDICTVM," quod *de Vnitate* per Africanas regiones Clementia Nostra direxit, per diuersa proponi volumus, vt omnibus innotescat, Dei Omnipotentis vnam & veram fidem Catholicam, quam recta credulitas" confitetur, esse retinendam. Dat. III. Non. Mart. Rau. Stilichone II. & Anthemio COSS. [405]

NOTÆ.

* Et *hanc legem* Annalibus suis rectè inseruit Baronius *Anno D.405. n.17.*

"Variè huius nomen hoc Codice expressum duabus aliis legibus, quæ hoc ipso anno posteriùs ad eundem datæ sunt: nempe *l.62. supr.de appellationibus*, *Diotimus*, dicitur *l.39. supr.de hæret.* quæ & ipsa aduersus Donatistas est, *Diodimus*. Hic *Diotimius*.

"Cuius pars est *lex 38. supr. de hæreticis*: & *l.3. supr. ne sanctum baptisma*. Eodémque pertinet *lex 4. 5. supr. ne sanctum baptisma*.

"*Credulitas*, bono sensu: vide *Glossar.*

COMMENTARIVS.

EDICTVM DE VNITATE, seu ἑνωτικὸν, missum ab Honorio Imp. in Africam aduersus Manichæos, & Donatistas fuerat hoc ipso Anno 405. mense superiore Februario. Quod Idacij quoque Consularia testantur *Stilichone 2. & Anthemio. His COSS. inter Catholicos & Donatistas Vnitas facta.* Cuius quidem Edicti Henotici pars est *lex 38. supr. de hæreticis*, & *lex 4. supr. ne sanctum baptisma*. Eiusdémque mentio fit triennio post in Concilio Carthaginensi decimo Anno 407. *canone 99. Codicis Africani.*

¶ Huic igitur Edicto exequendo vt eodem die simul specialia ab Honorio mandata ad Hadrianum P.P. Italiæ (sub quo Africa erat) missa fuêre, (quæ continentur *l.4. & 5. ne sanctum baptisma iter.*) ita vno mense post Martio inquam, peculiari hâc ad Proconsulem Africæ lege, edictum istud per Africam Honorius proponi iubet: quò omnibus innotesceret. De quo proponendorum Edictorum more & ratione alibi dictum plenè.

¶ Cæterùm de Henotico hoc, aliisque Henoticis, vide quæ dixi plenius ad *d. l.38. supr. de hæreticis.*

¶ MANDATORVM *pars de Officio* COGNITORIS, *sæcularis à Principe dati*, *in* COLLATIONE *de religione; inter Catholicos & Schismaticos.*

III. ✱ Impp. HONORIVS, & Theodosius AA. Marcellino" suo Sal.

EA, quæ circa Catholicam fidem" vel olim ordinauit Antiquitas," vel Parentum" nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel Nostra Serenitas roborauit, nouellâ" superstitione" summotâ integra & inuiolata custodire præcipimus." Dat. IV." Id. Octobr. Rauennæ Varane" V. C. CONS. [410.]

Ista lex interpretatione non indiget.

NOTÆ.

† Et *hanc legem* Annalibus suis rectè inseruit Baronius *Anno* 410 *num* 50. integra Mandata, quorum hæc lex, pars est, extant in Collatione Carthaginensi, quæ mox integra exhibeo. Extat ea, quoque in Capitolaribus *lib.* 6. *cap.* 282.

"*Fl. Marcellino, Tribuno & Notario*, qui cum Mandatis his Cognitor ad Collationem Carthaginensem, inter Catholicos & Donatistas, (quæ sequente Anno 411. habita est) profectus: de quo vide plura *l.* 55. *supr. de hæreticis*: vbi eius pariter mentio fit.

"*Legem*: ita vtrobique in actis Collationis Carthaginensis.

" *Donatistarum*, *l.* 55. *de hæreticis*.

"Patrum & Synodorum, siue Romæ, siue Mediolani, siue Arelate.

"In his Constantini Magni.

"*Subreptione*. ita vtrobique in actis Collationis Carthaginensis: de quô mox.

"custodire te f. *Custodiri*. At *custodias* vtrobique in actis Collat.

"*Pridie Idus*: ita vtrobique in actis Collat.

"Ita rectè: In Tilianâ, Cujaciana, Quattariâ editione malè *Bautone*: scribendum fuit *Barano*.

¶ MANDATA *integra: pròut habentur in Collatione Carthaginensi, bis:* Cognitione 1. & 3.

Imperatores Cæsares Flauius HONORIVS & Theodosius Pij, Felices, Victores, ac Triumphatores, Augusti, Flauio Marcellino suo S.

I*NTER Imperij nostri maximas curas*, Catholicæ legis *reuerentia*, *aut prima semper, aut sola est. Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi vt verum Dei cultum orbis nostri plebs deuota custodiat: vt etiam Donatistas vel terrore vel monitu olim* a *implere conuenerat, qui Africam, hoc est Regni nostri maximam partem, & secularibus officiis fideliter seruientem, vano errore & dissensione superflua decolorant. Nos tamen eadem frequentius non piget replicare, quæ omnium* retrò PRINCIPVM *deuota in Deum definiuit* AVCTORITAS, *ne temporibus nostris, si quid fortè in iniuriam* legis Catholicæ *fuerit generatum, iusto iudicio hoc nobis possit imputare posteritas. Nec sanè latet conscientiam nostram sermo cœlestis* Oraculi, *quem errori suo posse proficere scæua Donatistarum interpretatio profitetur, qui quamuis deprauatos animos ad correctionem mitius inuitaret, aboleri eum tamen etiam* b *ante iussimus, ne qua* SVPERSTITIONIBVS *præstaretur occasio. Nunc quoque excludendam* subreptionem *simili auctoritate censemus. Illúdque meritò profitemur, libenter nos ea quæ statuta fuerant submouere, ne in diuinum cultum nobis se quisquam auctoribus æstimet posse peccare. Et quamuis vna sit omnium & manifesta sententia*, Catholicæ legis *plenam veritatem recto hominum cultu & cœlesti sententia comprobatum, studio* c *pacis & gratiæ, Venerabilium Virorum Episcoporum Legationem libenter admisimus, quæ congregari Donatistas Episcopos ad cœtum celeberrimæ desiderat Ciuitatis, vt electis* d *etiam Sacerdotibus, quos pars vtraque delegerit, habitis disputationibus*, superstitionem *ratio manifesta confutet. Quam rem intra quatuor menses præcipimus explicari, vt conuersos animos populorum etiam Clementia Nostra, sicut desiderat, celerius possit cognoscere.* d *Quod si intra præstitutum tempus studiosè Donatistarum Episcopi declinauerint conuenire, trini edicti* e *vocatione contumacium tempora concluduntur. Quibus emensis atque transactis, si prouocati adesse contempserint, cedat cum Ecclesiis populus, qui Doctores suos silentio cognouerint superatos, & victam se aliquando grate-letur,*

letur, sciátque si non praeceptis nostris, vel Catholicæ legis *veris imperiis seruiendum. Cui quidem disputationi Principe loco te Iudicem volumus residere. Quicquid etiam ante in* MANDATIS ACCEPERIS, *plenißimè meministi, omnémque vel in congregandis Episcopis, vel euocandis, si adesse contempserint, curam te volumus sustinere: vt & ea quæ ante* MANDATA SVNT, *& quæ nunc statuta cognoscis, probata poßis implere solertia; Id ante omnia seruaturus,* VT EA QVÆ AD CATHOLICAM LEGEM, * VEL OLIM ORDINAVIT ANTIQVITAS, VEL PARENTVM NOSTRORVM AVCTORITAS RELIGIOSA CONSTITVIT, VEL NOSTRA SERENITAS ROBORAVIT, NOVELLA SVBREPTIONE * SVBMOTA, INTEGRA ET INVIOLATA CVSTODIAS. *Vt sanè adminicula competentia actibus tuis deesse non poßint, Viros Spectabiles, Proconsulem, atque Vicarium, Serenitas Nostra commonuit, vt si propriarum dignitatum statum cupiunt retinere, si Apparitionem suam extrema declinare supplicia, tam ex propriis Officiis quam ex omnium Iudicum Apparitione, abundè necessarios faciant deputari. Erit iam sollicitudinis tuæ; si quid vlla cognoueris arte differri, mißis Relationibus indicare, vt negligentes puniat digna correctio.* g *Omnia sanè quæ vel in vnum Episcopis congregatis, disputatio completa firmauerit, vel desistentibus fortè statueris circa contumaces lata sententia, te conferre* h *conueniet, vt quid ad confirmandam Catholicam fidem praeceptio nostra profecerit, celerius poßimus agnoscere & diuina manu: Vale Marcelline charißime nobis. Data Pridie Idus Octobris, Rauenna.*

a olim iam *in 3. Collat.*
b vox hæc abest à *3. fo Collat. Cognit.*
c studi tamen *in 3. cognit.*
d lectis in *3. cognit.*
e agnoscere *in 3. cognit.*
f euocationem volumus custodiri: Ita vt vicenis diebus in euocatione, &c. ita pleniùs & rectè *in 3. cognit.*
* FIDEM *in Cod. Theod.*
* SVPERSTITIONES *in Cod. Theod.*
g correptio *in 3. cognit.*
h referre.

COMMENTARIVS.

AD COLLATIONEM Karthaginensem inter Catholicos & Donatistas (quâ de eiusdémque Actis fuit supra *lex 55. supr. de hæreticis*) missus fuit ab Honorio Imper. Cognitor Marcellinus Tribunus & Notarius, Varane COS. id est, Anno Domini 410. de quo ad *eam legem 55.* vberius dixi. Cæterùm & hic eò missus, pro more *Mandatis* instructus fuit, tum aliis, & quidem anterioribus pro congregandis & euocandis Episcopis, tum iis quæ integra extant in Actis Collationis Carthaginensis, & his quidem repetita: *prima cognitione num.4. & tertia cognitione num.29.* Quæ & hic integra exprimi voluimus, quibus officium eius in Cognitione instruebatur.

§ Inde igitur, seu ex iis Mandatis hoc caput exceptum, quod *hâc leg.* continetur superiùs Et vel potissimum quidem quoque formula futuræ cognitioni præscribitur: *Id ante omnia*, inquit, *seruaturus, vt ea quæ circa*, &c. Eo igitur capite cognitionis futuræ inter Catholicos & Donatistas *formula* Marcellino præscribitur, in Collatione super religionis negotio. Et triplex quidem; vt, inquam is Cognitor circa Catholicam fidem in religionis negotio 1. Antiquitus ordinata. 2. & superiorum Principum, 3. suásque ipsius constitutionis, in cognoscendo custodiat, & in decernendo sequatur, *Nouellâ superstitione submotâ.* Quæ postrema verba, etsi quoque defendi possint, vt ita quoque Codicis Theodosiani Conditores expressisse videantur: cum & in Mandatis integris hæc contineantur: *Ne qua superstitionibus præstaretur accessio:* & rursum, *habitis disputationibus superstitionem ratio manifesta confutet*: Et idem Honorius expressè *l.30. supr. de hæreticis*, *Donatista superstitionis hæreticos* vocet; Attamen hoc loco vtrobique in vtraque Cognitione constanter, ea sic leguntur, *Nouellâ superstitione submotâ.*

Quibus vtique verbis Honorius, vt ex iisdem Mandatis discere est, iudicat, Oraculum seu Rescriptum quoddam suum, quo hæreticis rituum suorum exercendorum, conueniendíque seu coeundi publicè potestatem fecerat: quod vt *l.51. supr. de hæreticis*, ante mensem illis Mandatis profitetur, ita & hâc parte rursum abrogat. *Nec sanè latet*, inquit, *conscientiam nostram sermo cælestis Oraculi, quem errori suo posse proficere scæua Donatistarum interpretatio profitetur, qui quamuis deprauatos animos ad correctionem mitius inuitaret, aboleri tamen eam etiam ante* (putà *d.l.51.*) *iussimus, ne qua superstitionibus præstaretur occasio: nunc quoque excludendam superstitionem simili auctoritate censemus: illúdque meritò profitemur libenter, nos ea quæ statuta fuerant submouere, ne iudiciarum cultum nobis se quisquam auctoribus astinet posse peccare.*

§ Nunc ad formulam istam redeamus: scilicet in hâc Collatione: Cognitorem Marcellinum Cognitorem, inquam, *sæcularem* ANTIQVITATIS ordinationem, & anteriores suásque Constitutiones custodire iubet Honorius; NOVITATE submotâ: Et iure quidem duabus de causis. Primò, quòd facti quæstio ibi verteretur, atque adeò secularis Cognitor de facto tantùm datus esset Marcellinus, qui scilicet facti quæstionem discingeret, non iuris seu de fide Quæsitor: cui notio & cognitio data erat, vnde & *Cognitor* dicitur *l.55. supr. de hæreticis*: non iurisdictio; denique Cognitor seu iudex cum formula, non iuris arbiter. Causa scilicet collationis istius fuit, non de fide, verùm, quod (vt Augustinus disertè ait, *lib. 3. contra Iulianum.*) *Id quod ante centum fermè annos Maiores nostri* [Catholici] *cum iis* [Donatistis] *egerant iam populorum memoriam non tenebat. Hac igitur*, addit, *necessitas compulit, vt saltem gesti*

nostra Collatione confectis eorum confunderemus inuerecundiam & reprimeremus audaciam. Porrò, quod secundum, Quæstio omnis erat, non de Capite Christo, & sic non de fide proximè dictâ, etsi ea vox hac lege occurrat, pro quâ etiam in ipso authentico Collationis ipsius Carthaginensis habetur *Legem*; neque de hæresi, verùm de Corpore, id est, de *schismate* & secessione, déque successione Ecclesiarum, denique de Ecclesia, vt disertè Augustinus de dissidio Donatistarum scribit, *lib. de vnitate.* Et simili quoque tamen *Antiquitatis* præscriptione Patres passim hæresibus præscripsêre, Tertullianus, Vincentius Lirinensis, alij. Quare quis sanus iam ISTIVS Antiquitatis ORDINATIONEM, ἄνωθεν ϗ ἐξ ἀρχῆς, insuper habere ausit, de quâ constanter adeò cogitarunt illi, & ad quam subinde imò semper iure prouocatum?

¶ Huic verò formolæ, præter Antiquitatis ordinationem, Honorius Imperator, constitutiones insuper & auctoritatem anteriorum Principum suásque sequendas Cognitori seculari proponit.: Cuiusmodi sanè in Donatistas, vt anteriores superiorum Imperatorum, ita & Honorij ipsius constitutiones occurrunt *titulo de hereticis suprà*, octo: putà, *lex* 37.38.39.40.41.42.43.44.45.

¶ Est hæc igitur formula summoperè notanda: quâ *Cognitoris* sæcularis officium instruitur: *Cognitoris*, inquam, de facto, inter partes controuerso: vt in sp. *huius legis* inter Catholicos & Donatistas: vbi agebatur, de his potissimùm quæ gesta olim fuerant sub Constantino Magno, in Synodo Romanâ, Arelatensi, Proconsulari Iudicio, denique & in Cognitione ipsiusmet Constantini, in causâ Cæciliani & Felicis Aptungitani. Quare horum omnium *Ordinationes* sequi nunc iubet Honorius Cognitorem Marcellinum: & consequenter, *auctoritatem* quoque & constitutiones Principum, quæ post hæc secutæ sunt, eáque *roborauerunt*: nouellis oraculis seu rescriptis quæ per subreptionem elicita fuerant, submotis.

FINIS CODICIS THEODOSIANI.

Deo sit laus, honor & gloria.



EXTRA



EXTRAVAGANS, SEV SVBDITIVS TITVLVS, DE EPISCOPALI IVDICIO.

* Hunc titulum ceu XII. *lib.16. Cod. Theod.* laudat auctor Capitularium *lib.6. tit.281.* & exinde Gratianus 11.*q.*1. vbi *vndecimus* dicitur. Et tamen non est hic titulus verè Codicis Theodosiani, mox vt per partes ostendam. Etsi in breuiariis Cod. Theod. hoc titulo omninò extet. Imò, etsi Sirmondus quoque testetur has tres Leges huius tituli, & cæteras quoque Leges octodecim numero, quæ continentur in Appendice Cod. Theod. ab eo edito, huius tituli Legibus in Scintillis seu Breuiariis Cod. Theod. cohæsisse. Illud adhuc inficetum magis quod 17. & 18. illius Appendicis dicuntur desumptæ, *ex Theodosiano sub Titulo XXVII. de Episcopali definitione.* De *Episcopali* porrò *iudicio* est quoque Maioriani Nouella: at in Cod. Iust. titulus ita conceptus *de Episcopali audientia* in Cod. Lugdunensi.

¶ 1. *De* ELECTIONE *Iudicij Episcopalis cuiuis indulta, déque sententia eius vi*: 2. *vt de* TESTIMONIO *vnius Episcopi admittendo.*

1. * Imp. Constantinus A." Ablauio PF. P."

RELIGIONIS" est, Clementiam Nostram sciscitari" voluisse, *Quid de sententiis Episcoporum, vel ante moderatio" nostra censuerit, vel nunc seruari cupiamus.* Ablaui Parens Karissime. Itaque, quia à nobis instrui" voluisti, olim prærogatæ * legis ordinem salubri rursus imperio propagamus:" Sanximus" namque, sicut Edicti" nostri forma declarat, *Sententias Episcoporum, quolibet genere" prolatas," sine aliquâ ætatis discretione, inuiolatas semper incorruptásque seruari: scilicet, vt pro sanctis semper ac venerabilibus habeatur, quidquid Episcoporum fuerit sententia terminatum:* Siue itaque inter minores, siue inter maiores, ab Episcopis fuerit iudicatum, apud vos qui iudiciorum summam" tenetis, & apud ceteros omnes Iudices, ad executionem volumus peruenire. ¶ Quicunque * itaque litem habens, siue possessor, siue petitor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, siue cùm negotium peroratur, siue cum iam cœperit promi sententia, iudicium eligit sacrosanctæ legis Antistitis, ilicò, sine aliqua dubitatione, etiamsi" alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone" litigantium dirigatur: *Multa enim, quæ in iudicio captiosa præscriptionis vincula promi non patiuntur, inuestigat & promit sacrosancta religionis auctoritas.* ¶ Omnes itaque causæ, quæ vel Prætorio iure vel Ciuili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ perpetuo stabilitatis iure firmentur: nec liceat vlteriùs retractari negotium, quod Episcoporum

ſententia deciderit. ¶ *Teſtimonium* etiam, ab vno licet Epiſcopo perhibitum, omnes Iudices indubitanter accipiant," nec alius audiatur, cùm teſtimonium Epiſcopi à qualibet parte fuerit repromiſſum:" *Illud eſt* enim *veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à Sacroſancto" homine conſcientia mentis inlibata protulerit.* ¶ Hoc nos Edicto ſalubri aliquando cenſuimus, hoc perpetuâ lege firmamus, malitioſa litium ſemina conprimentes: vt miſeri homines, longis ac penè perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis petitionibus, vel à cupiditate præproperâ," maturo fine diſcedant. ¶ Quidquid itaque de ſententiis Epiſcoporum Clementia Noſtra cenſuerat, & iam hâc ſumus lege complexi, Grauitatem Tuam, & ceteros, pro vtilitate omnium latam," in perpetuum obſeruare conueniet. Dat. III. Non. Maij, Conſtantinopoli.

NOTÆ.

* Abeſt *hac lex* à *Cod. Iuſt.* Habet eam Baronius, qui eam Annalibus ſuis indidit *Anno* 314. *num.* 1. Habetur ex parte ad calcem Synodi Valentinianeæ Tertiæ; in Capitularibus *lib.6. c.*281. Habet quoque eam ex parte Gratianus *c. quicunque* 35. vbi Theodoſio eam tribuit & *can. omnes* 36. *c. volumus* 37. Innocentius *c. nouit* 13. *ext. de Iudiciis* 11. *q.* Iuuo *p.*16. *cap.*312. Anſelmus *lib.*3 *cap.*108. Panormitanus *lib* 5. *cap.*22. Sirmondus quoque eam edidit in Appendice *Cod. Theod. num.* 1.

"In Veteribus quibuſdam, Veſuntino, aliiſque *Imppp. Arcadius, Honorius & Theodoſius AAA.*

"De *Ablauio* PP. *v. Proſopogr. Ducem* vocant inepiè Capitularia, Gratianus, &c.

"*Prærogate*, pro ante rogatæ latæque: de quo mox.

"de hac *Prorogandi* voce mox.

"*latas*, in Append. Cod. Theod.

" Mira & inaudita hæc conſtructio, de qua mox.

" *Iudiciorum ſummam* Præfectus Prætorio tenere dicitur: pariter vt ſummâ iudicij potiti à Symmacho, *lib.* 1. *epiſt.* 15. Rerum ſumma ei commiſſa *l.* 117. *de Decurionib* vbi plura, vt & in *Notitia Dignitatum.*

"in MSS. nonnullis *pertinere* quod etiam Iuretus teſtatur *in Symmachi lib.* 2. *epiſt.* 13. quomodo etiam edidit Sirmondus, *in Append. Cod. Theod. n.* 1. Cuiuſmodi locutiones plures ſimiles exhibes Gloſſar. in *v. Pertinere.* Neque tamen hic vox ea admittenda: imò melius, *ad executionem peruenire.*

* Hinc deſumptum eſt, quod in Capitularibus & in Decreto 11. *q.* 1. *c.* 35. 36. ſub Theodoſij nomine inſertum eſt: & quò reſpexit Innocentius *d. c. nouit.*

"Eſt qui hic ſentat: *ſi tamen alia pars non refragatur.* Quod hic non admitto, mox vt oſtendam.

"cum allegationibus, Gloſſa Decreti, & ſic *διηγηματικὰ* cauſa.

"*Accipiant*, pro recipiant, admittant.

"id eſt, Epiſcopo.

"*latum*: vt etiam poſteà reddit Sirmondus.

"*Maias*: in Append.

"de Conſulatu quem hic nonnulli ſubiiciunt mox.

COMMENTARIVS.

DE IVDICIO Epiſcopalis, priuatis quibuſlibet quandocunque indulta ELECTIONE in cauſis ciuilibus: déque SENTENTIÆ huius Epiſcopalis vi: vt & de TESTIMONIO vnius Epiſcopi admittendo eſt hæc conſtitutio: Quæ ſub Conſtantini, nomine ambulat, & ad Ablauium PP. directa dicitur: ídque ad eius, ſi Deo placet, ſciſcitationem: & iuxta anterius aliquod eâ de re eiuſdem Principis *Edictum.* Quam quidem legem veri Codices Theodoſiani non magis quam duas reliquas huius tituli habent. Etſi vt dixi iam exinde allegatur in Capitularibus, & in Breuiariis Codicis Theodoſiani ex ſuperiori titulo ſubiiciuntur. Etſi item Seldenus *in vxore Hebræa lib.* 3. *c.* 28. *pag.* 564. & de Synedriis *lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 318. eam in Codice ſuo MS. qui Guillelmi Monachi Malmeſburienſis fuit, vt & reliquas duas huius tituli, ad titulum libri decimiſexti ſecundum, qui *de Epiſcopis & Clericis* eſt, attinere, ſparsímque ibi interſperſas ſcribat, & reuerà Conſtantini eſſe certiſſimum eſſe dicat: quâ de re etiam alibi plura ſe ſcribere, ait in *differtat. ad Fletam cap.* 5. §. 6. Et habetur ea ex parte in calce Synodi Valentinæ 3. quæ habita fuit Anno Domini 855. Bonam quoque eius partem Carolus Magnus ad verbum inſeruit Capitularium, *lib.* 6. *cap.* 281. Gratianus quoque *in Decreto cap.* 35. 36. 37. 11. *q.* 1. Innocentius *c. nouit* 13. *de iudicio*: vbi Theodoſio eam tribuit: quomodo in MSS. nonnullis inſcriptio præfert *Arcadium, Honorium & Theodoſium AAA.* aliique Decretorum Collectores Iuo, Anſelmus, Panormitan. Sed & Baronius quoque eam indidit Annalibus Eccleſiaſticis anno Conſtantini 9. alteto ſtatim poſt fidem Chriſtianã ſuſceptam, putà *Anno* 314. *num.* 1. Contrà, Abeſt ea à Codice Iuſtinianeo, neque eius mentio vlla apud hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, occurrit, etſi ſobtemen illi aliquod ex Sozomeno *lib.* 1. *c.* 9. de quo poſteà. Et certè eſt ea planè ſuppoſititia fictáque, quod iam aliis quoque nonnullis ſuboluit, ínque mentem venit. Eſt inquam hæc quoque lex de earum Conſtitutionum numero, quas falſarij miſcelliones nonnulli, ſequiore æuo è variis centonibus conſutas effinxere: cuiuſmodi ſunt omnes illæ, quas habet *Appendix Codicis Theodoſiani* à Sirmondo pro genuinis editas: de quo iam *in Prolegomenis* huius Codicis. Quidquid à Pſeudolo huic ipſi adhibitæ variæ artes fuerint, vt inter bonas merces ambulare poſſet: & ſimilitudinem veritatis imitaretur, vt loquitur *l. vnic. ſi cert. pet. de c. h. t.* Eam in rem ſcilicet *Conſtantini* bonum nomen ementitum: *Ablauius* PP. inſcriptus, quem vtique ſub Conſtantino Magno PP. fuiſſe liquet. Additus & character loci, *Dat. Conſtantinopoli*: vt menſis & dies: Conſulum tantùm nomen omiſſum. Quod tamen etiam ſupplere vel diuinare nonnulli conati. Inter hos Auctor Chronologiæ prioris Codicis Theodoſiani eam reiecit poſt Conſulatum 2. Conſtantij & Conſtantis primum AA. qui tertius annus eſt poſt Conſtantini Magni obitum, id eſt, Anno Domini 339. Gemino etiam errore: nam & *Conſtantini* nomen hæc lex apertè præfert, & Ablauius ante eum annum iam è medio ſublatus fuerat: de quo in *Proſopogr.* ex Eunapio, Zoſimo, Hieronymo. Hæc inquam ad veri ſpeciem addita: vt & illud, quod more quorumdam

aliorum

aliorum impostorum, in quis auctor Constantiniana donationis & reliquarum constitutionum, quæ Appendice Cod. Theod. continentur artifex, quater vel quinquies anteriora Edicta sua sen Leges commemorat, ne nouum ius none primum inducere videretur. Imò & Ablauium sciscitantem inducit, quidnam in argumento proposito Constantinus antea cauerit: Quæ tamen, ipsa, vt posteà ostendam, imposturæ sunt indicio certissimo. Adde multa alia ad veri speciem adhibita, vt quod de *Præfecto Prætorio* dicitur, eum iudiciorum summam tenere, quibus omninò similia occurrunt *l.* 117. *de Decurionib.* & apud Symmachum *lib.* 1. *epist.* 18. vt iam in Notis indicaui. Accedant, quæ vt religiosum Ablauij Præfecti Prætorio sciscitantis, ita & huius sanctionis finem respiciunt: *Ad malitiosa*, inquit, *litium semina comprimenda*, vnde salubre etiam hoc *Imperium*, *salubre Edictum*, *lex pro omnium vtilitate lata* dicitur. Adnice rationes haud vbique sensu inelegantes: *Multa enim quæ in iudicio captiosa præscriptionis vincula promi non patitur inuestigat & promit sacrosanctæ religionis auctoritas*: Cui affine est quod Basilius Cæsariensis *epist.* 477. ad Commentariensem quendam scribens, pro remittendis ad se quibusdam, qui vestes pauperum furati ab Ecclesiasticis deprehensi fuerant, ait: ἐπὶ δὲ αἱ τῆς διαχειρίου σπαργὰν ἐκ ἐγγάζεσθαι, ταῦτα ἐγκαλείν ποιοῦσιν τῷ φοβερῷ κρίματι τῷ χωρῖν ἀξίαι ὄντων. Sed & Philonis locus *de creatione Principis* p. 562. Altera ratio: *Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosanctæ homine conscientia mentis inlibatæ protulerit.* Item illam *vt miseri homines longis ac penè perpetuis actionum laqueis implicati ab improbis petitionibus, vel à cupiditate præproperà maturo fine discedant.* In quibus etsi scoriæ multum, bonæ tamen frugis quoque multa intermicant. Adde (quod rem ipsam attinet) similes, vel proximas saltem constitutiones plures: de Episcopali, inquam, inter priuatos iudicio, occurrere. Prima est ipsius Constantini, quam meminit Auctor vitæ Constantini, *lib.* 4. *cap.* 27. quidquid Seldenus dicat *d. p.* 318. (est enim ea de Synodalibus decretis) quod Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 9. affirmat: πεμφρὶ δὲ κἀκείνῳ μέγιστον τῆς τῷ βασιλέως περὶ τὴν θρησκείαν αἰδῶς, τῆς ἐπισκόπων ἐπικαλεῖν τὴν κρίνω ἐπιτρέψαι τοῖς δικαζομένοις, ἢν ἐθέλωσι τὰς πολιτικὰς ἀρχὰς παραιτεῖσθαι, κυρίαν δὲ τὴν τούτων ψῆφον ἢ κρείττω τῆς τῶν ἄλλων δικαστῶν, ὡσανεὶ παρὰ τῷ βασιλέως ἐξενεχθεῖσαν, εἰς ἔργον δὲ τὰ κριθέντα ἄγειν τὰς ἄρχοντας, ἢ τὰς διακονεμένας αὐτοῖς στρατιώτας, id est, *Argumentum verò & illud maximum reuerentiæ Imp. erga Religionem, quod iudicio contendentibus seu litigatoribus potestatem fecit, Episcoporum iudicium inuocare, neglectis si vellent, ciuilibus Magistratibus: & vt sententia eorum rata esset, & potioris auctoritatis quam aliorum iudicum, atque si ab ipso Imperatore prolata fuisset: vtque Iudices seu Magistratus iisque ministrantes Apparitores iudicata ab his executioni traderent.* Secunda est Arcadij *l. si qui ex consensu* 7. *Cod. de Episcopali audient.* (quæ tamen à Triboniani facinore immunis non videtur, vt colligo ex *l.* 10. *supr. de iurisdict.*) quà sancitur, *Vt si qui apud sacræ Legis Antistitem litigare voluerint, non vetentur, sed experiantur illius in ciuili negotio more arbitri sponte residentis iudicium.* Tertius est Honorij lex *Episcopale* 8. *Cod. eod. tit.* quà cauetur, *vt Episcopale iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri à Sacerdotibus elegerint: eàque illorum iudicationi adhibenda esse reuerentia iubetur, quam Præfectorum Prætorio deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet prouocare*: denique cauetur, *vt per Iudicum quoque officia, ne sit cassa Episcopalis cognitio, definitioni executio tribuatur.* Quod vtique ad *hanc legem* proximè accedere videatur. Quarta est Valentiniani III. *Nouella* 12. *de Episcopali iudicio*: quà & ipsà lege licentia iudicandi Episcopis tribuitur inter litigatores priuatos. Omitto alias leges non inter priuatos solos, veluti *l.* 13. *Cod. de Episcopali audient.* Accedat frequens, horum temporum praxis: (de superioribus non dico, vbi etsi ad Episcopos eundi vsurpatus mos, attamen ea vis esse non potuit Episcopalium iudiciorum, vt à Iudicibus executioni tradi oporteret:) post Constantini Magni scilicet tempora quibus Episcopi passim ἀντὶ δικαστῶν ἀμφισβητουμένων à Christianis delecti iudices: fidem facit Basilius *ep.* 147. & exemplo suo Gregorius Neocæsar. quod in eius v. memorat Gregorius Nyssenus: Omitto Ambrosij exemplum *epist.* 24. quia ibi non tantùm partium consensus interuenit, verùm & quia de Episcopi negotio agebatur. Facit sanè Augustinus, qui laicorum lites ad fastidium vsque iudicasse se profitetur in *Psalm.* 118. *Suis vitiosis & negotiosis cupiditatibus adiuuandis vt occupemur, & eis nostra tempora impendamus (maligni homines) efflagitant, aut certè infirmos premunt vt causas suas ad nos deferre compellant: quibus dicere non audemus, dic homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem inter vos? Constituit enim talibus causis Ecclesiasticos Apostolus Cognitores, in foro prohibens iurgare Christianos. Ne illis quidem, qui non aliena rapiunt, sed sua cupide repetunt dicimus: Cauete ab omni cupiditate, constituentes eis ante oculos hominem cui dictum est: Stulte hâc nocte auferetur a te anima tua, quæ praparasti cuius erunt? quia & quando dicimus, non recedunt, non declinant à nobis: Sed instant, vrgent, precantur, tumultuantur, extorquent, vt ipsis potius ad ista quæ diligunt, quam serutandis Dei mandatis quæ diligimus, occupemur.* Et infra: *Obedientes fideles, qui pro suis secularibus causis rarò nos quærunt, & iudiciis nostris facillimè acquiescunt: nec nos conterunt, litigando, sed obtemperando potius consolantur. Certè propter eos, qui & inter se pertinaciter agunt & quando bonos premunt, nostra iudicia contemnunt, faciúntque nobis perire tempora rebus eroganda diuinis: certè inquam propter istos & nobis liceat exclamare in hac voce corporis Christi: Declinate a me maligni,* &c. Idem Augustinus, *lib. de oper. Monach. cap.* 20. & *homil. de Pœnit.* 50. *cap.* 12. & *epist ad Procnleianum Donatistam* 147. *Et homines quidem causas suas seculares apud nos finire cupientes, quando eis necessaria fuerimus, sic nos Sanctos & Dei seruos appellant, vt negotia terræ suæ peragant: Aliquando agamus & nos negotium salutis nostræ, & salutis ipsorum, non de auro, non de argento, non de fundis & pecoribus, pro quibus rebus quotidie summisso capite salutamur, vt dissensiones hominum terminemus, sed de ipso capite nostro tam turpis inter nos & perniciosa dissensio est. Quantumlibet capita submittant, qui nos salutant, vt eos concordes in terrà faciamus, de cælo vsque ad Crucem submissum est caput nostrum, in quo concordes non sumus.* Et epist. Nebridij inter Augustinianas 114: Et singularis historia, quam de Syluano Troadis Episcopo memorat Socrates *lib* 7. *cap.* 36. & ex eo Nicephorus *lib.* 14. *c.* 39. Ambrosius quoque *lib.* 2. *officior. cap.* 24. *Si offensam*, inquit, *vereris, non RECIPIAS iudicium: si Sacerdos es aut si quisquam alius, non lacessas: licet tibi silere, in negotio duntaxat pecuniario, quanquam sit constantiæ, adesse æquitati.* Non etiam *lib.* 3. *cap.* 9. ibi enim non de iudicio, sed de interuentu & intercessione Episcopi agitur. *Ideoque in causis pecuniariis interuenire non est Sacerdotis, in quibus non potest fieri quin frequenter*

quenter ladatur aliter qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victurum arbitratur, & Constantiniana *leg.* quam memorat Sozomenus & dictis legibus Arcadij & Honorij comprobatur, quæ & in duobus his præterea congruunt. Ergo mos hic frequens & legitimus eundi ad Iudices Episcopos. Primò quod disertè de pecuniariis causis, vt *hâc leg.* ita & illis φοιτᾶν agatur: iudiciúmque adeò Episcopale priuatos litigatores in his subire posse neglectis Iudicibus sæcularibus definiunt: τοὺς δικαζομένους, inquit Sozomenus, id est, iudicio contendentes in re pecuniaria, id enim δικαζομένων appellatione venit: non vt Interpres minus bene, qui *in iudicium vocatos* vertit. Litigare in ciuili duntaxat negotio ait Arcadius *dict. l.7.* Neque alio sensu accipienda est *d.l.8.* & Nou. Valentiniani: Idque etiam ita expressum in Ambrosij loco. Quæ quidem vt illarum legum, ita & huius limitatio notanda est. Secundò, conueniunt in eo, quod stabile hoc iudicium Episcopale esse velint, idque à Iudicibus & eorum Officio executioni tradi: nam & id expresse de Constantini *l.* addit Sozomenus: expresse id continetur *dict. l.8.* vt *hâc leg.* In tantùm, quod tertium, vt iudicium hoc cum Præfecti Prætorio iudicio exæquet: quod & ipsum continetur *d.l.8.* eo scil. fine ne ab eo appellari possit: imò Sozomenus cognitioni Imperiali exæquatum id scribit. Hactenus quæ ad veri speciem *hâc leg.* continentur, quorúmque argumento *huic legi* fides adstrui posse videatur. Atenim longè plura alia sunt, quæ *hâc leg.* continentur sanciunturque, quæ nullâ alia lege occurrunt, imò quorum nonnulla legibus illis planè contraria sunt: Ac proinde variis paradoxis, imò falsimoniis, seu falsis ampliationibus cumulata.

Prima ac potissima est, quod *etiam* μονομερῶς, id est, vno tantùm ex priuatis litigatoribus postulante iudicio Episcopali locum esse vult, *Etsi altera pars*, inquit, *refragetur*. De partium equidem consensu seu electione id liquidi iuris est, quam in rem vide quoque Iulianum *Nouell.69.c.253.* & exinde Capitularia Caroli 5. *cap.234.* verùm vt alterutra parte refragante id fieri possit, id verò ab omnibus illis quas memoraui legibus abit: Constantini inquam, quam Sozomenus memorat: τοῖς δικαζομένοις, ἐὰν βούλωνται ἐπικαλεῖσθαι τὴν ἐπισκόπων ἐπιγράφεσθαι κρίσιν. *Si qui ex consensu litigare voluerint*, inquit, Arcadius *d.l.7.* pariter vt *d.l.10. supr. de Iurisdict.* cui hæc cohæsisse vel ad eius instar efformata: vbi & disertè additur, *Quod his obesse non poterit nec debebit, quos ad prædicti Cognitoris examen conuentos potius abfuisse, quàm sponte venisse constiterit. Qui se*, inquit Honorius *d.l.8. audiri a Sacerdotibus elegerint*. Quod ipsum inculcatur multoties *d. Nouella Valent.12.* tum in priuatorum merè causis, tum in his quæ intercedunt inter Ecclesiasticos aliquos & laicos vel inter Clericos merè, inter alia his verbis, *& ipsis litigatoribus conuenit, præeunte tamen vinculo compromissi: Quod & laicis si consentiant auctoritas nostra permittit. Aliter eos Iudices esse non patimur, nisi voluntas iurgantium, interposita, sicut dictum est, conditione procedat: si ambo eiusdem officij litigatores nolint, vel alteruter, agunt publicis legibus & iure communi.* Eodémque pertinet lex 13 *Cod. de Episcopali aud.* Quanquam quoad Clericos id immutatum a Maioriano, Nouella sua Interpres ad *Nouell. Valent.12.* notat. Extat equidem Nouella Maioriani 2. *de Episcopali iudicio*, verùm quæ ibi integra non extat, seu vt loquitur Interpres ad integrum scripta non est, verùm ea tantùm parte exhibita, quæ esset de re necessaria ad locum, de *Inuitorum inquam Clericorum ordinatione*. Ergo aliis omnibus legibus vtriusque partis consensus & electio requiritur, more arbitrij & compromissi, etiam Constantini *leg.* quam memorat Sozomenus. Imò & altera illius quam sub Constantini itidem nomine exhibet Appendix Cod. Theod. & quidem si Deo placet, ex hoc eodem Codice Theodosiano sub titulo 27. de Episcopali definitione data Constantinopoli Licinio A. & Crispo Cæsare Coss. hæc limitatio additur. *Ita tamen ne vsurpetur in eo, vt vnus ex litigantibus pergat ad supradictum auditorium & arbitrium suum enunciet.* In quam etiam transfusa nonnulla ex ipsa *l. & pro sanctis habeatur quicquid ab his fuerit iudicatum.* Eadémque & Basilij mens fuit *epist.274. in fin.* si modo ea ad Episcopum vel Sacerdotum scripta est, vt ipse censeo: γίνῃ δὲ βουλοίμην μὲν ἀμφοτέροις τοῖς κρινομένοις: ἐπειδὴ γὰρ κοινὴν τὴν ὑπὲρ τὴν πρὸς τὸν ἄρχοντα, καὶ γενήσεται αὐτοῖς αὐτὸ ἐκεῖνο δικαστής: εἰ δὲ ἀπηνθῇ θάτερος καὶ μάχηται τοῖς ψήφοις σύμμαχον τὸν ἀδικοῦντα. Ergo & hoc iam nomine & vel maximè falsi suspecta hæc lex est. Quandoquidem & Constantini ipsiusmet, imò & aliorum Imperatorum sanctionibus hac parte contraria est verbis apertissimis: omnémque iudiciorum ordinem, & Iudicum potestatem imminutum it, vt videlicet vnius nutu partis quocunque etiam iudicij momento Iudicem discingat, & potestate suâ priuare possit. Hæc cum attenderet Vir Doctus, hîc lectionem ita reponebat: *Si tamen alia pars non refragatur*: aduersus apertissima *huius legis* verba, quæ vt in omnibus libris ita habentur, & in Decreto & in Capitularibus & in Decretalibus, ita necessario hîc stant: quin & id ipsum iam antea indicatum. *Quicunque*, inquit, *litem habens, siue possessor, siue petitor erit*, &c. Idque adhuc magis confirmant sequentes ampliationes.

Secunda igitur ampliatio est ratione *Temporis*: *Inter initia litis*, inquit, *vel decursis temporum curriculis, siue cùm negotium peroratur, siue cùm iam cœperit promi sententia, iudicium eligit sacrosanctæ legis Antistitis, ilicò sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur*: subiecta etiam ratione. Et in hoc quoque concinit *lex 17.* subdititia in Append. Cod. Theod. *Et si quis ad legem Christianam negotium transferre voluerit & illud iudicium obseruare, audiatur: Etiamsi*, inquit, *negotium apud Iudicem sit inchoatum.* Argumentum etiam aliquod præbere videatur Ambrosius *d. epist.24.* etsi in alia re, à Canonistis certè variè explicata.

Tertia ampliatio est ratione *Ætatis*: *Sine aliquâ*, inquit, *ætatis discretione inuiolatas semper incorruptásque seruari*: Item *siue inter minores siue inter maiores.* Quod quidem inuita Iurisprudentia dicitur. Quid enim? non ad retractanda iudicia summa esse debet ætatis minoris ratio?

Sic Primum caput de Iudicio Episcopali Rebus ipsis falsi coarguimus. Sequitur alterum: de *Testimonio* vnius Episcopi, quod & ipsum relatum Capitolar. *lib.6. cap.281.* & à Gratiano *11. q.1. c. omne*: Nempe vt vnius Episcopi testimonio credatur, neque alius contra audiatur. Quod & ipsum falsum esse rebus ipsis apparet. Ipsemet certè Constantinus, (Dei legi conuenienter, quam & aliam sæpè imitatur & sequitur, *Deuter.19.15.*) sanxisse reperitur *l.3. supr. de fide testium*, *vt vnius OMNINO testis responsio non audiatur: etiamsi præclara Curiæ honore præfulgeat*, de quo plenius ad *eam leg.* Illud equidem Episcopis pro priuilegio datum posteà, ne Episcopus ad testimonium

flagitare

flagitaretur: *l.8. supr. de fide testium*, vbi dixi. Sed & Patres Africani in Concilio Carthaginensi ab Honorio petendum decreuêre, vt habetur *cap.89. Cod. Africani*: vt Clerici de Iudicij sui cognitione non cogantur in publico dicere testimonium, de quo dixi ad *l.1. supr. de religione*: Atenim, vt vnius Episcopi testimonio credatur in causa pecuniariâ id nunquam constitutum fuit. Cujacius quoque ad *l.14. de dote prel.* etsi de fide huius Constitutionis non agat, attamen de hoc capite ita loquitur: *Constantinus Imp. in constitutione quadam ad Ablauium PP. quæ est in extremo Cod. Theod. & à Carolo Magno pro lege relata est in sua capitula, vt & ab omnibus subditis suis obseruaretur; iubet, vt omnes Iudices indubitanter, licet ab vno Episcopo perhibitum testimonium, accipiant, nec alium quemquam audiant præter Episcopum.* Mox subiicit: *Sed memineris quod est in vita Stephani Iunioris à Damasceno conscripta, alios esse martyres alios ômnastres. Et de Episcopis loquitur Constantinus, quales au vlli sint hodie dubium est.* Hactenus Cujacius, satis liberè. Ait porrò hâc parte impostor, *Nec alius audiatur cùm testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum.* Quæ verba ita nonnulli accipiunt, Episcopum vnum, cuius testimonio se credituros promiserunt litigatores, plenam fidem facere. Quod inane est. Nam disertè dicitur ab vna parte hic *testimonium repromissum fuisse. Repromissum* igitur, id est, aduersus partis allegationem laudatum. Verùm de hoc plura ad *d. l.3. supr. de fide test.* Ita *l.7. supr. de fide testium*, qui scripturas communicuntur, cùm quid in iudicio prumiserint, nisi ipsi adstruxerint veritatem, &c. quod in *promiserint* mutauit Tribon. *l. penult. C. de probat.* Atque ita Rebus ipsis falsitatem huius constitutionis euicimus: Quam etiam totam abrogatam, dic potius non habere locum, Glossa ipsa notauit. Eadémque Glossa ait, Innocentium in *c. nouit* ex eâ argumentum sumere, non vt confirmet eam, sed vt ostendat quantam affectionem Imperatores habuerunt erga Sacerdotium. Nonnulli vt dutitiem eius emolliret refingere eam aliubi conati, vt iam diximus: Alij ex Decreto emendandam dixêre: Sed nos commentiriâ iam rebus ipsis ostendimus;

II. Secundo loco idipsum ostendit clarè *Verborum fartago* & stribligo à Constantini Magni temporibus & loque alienissima, quæque ei sæculo conuenit, quo vt initio dixi, alia id genus ficta falsáque: Quin & alia adspersa quæ planè *nouitia* sunt.

Primùm suauis est *sciscitatio*, quæ memoratur, Ablauij; & in eo quidem, quod scire cupit, quid de sententiis Episcoporum Constantinus anteà censuerit, quæ prærogata ab eo sit super hæc lex, quæ Edicti ipsius forma. Quasi verò sciscitari id Præfectum Prætorio oportuerit; cui Edicta, legésque publicè propositæ notissimæ erant, vel ex scriniis ipse hauriri potuit, penes quem vt ipsamet *hâc leg.* dicitur, summa iudiciorum erat.

Secundò, deindeque modo hæc sciscitatio *Religionis esse* dicitur, quasi verò de religione hîc agatur: aut religionis hoc negotium sit: imò enim iudiciarium fuisset, vt ita sciret quid hâc parte sequendum haberet. Verùm hæc eius sæculi disciplina fuit, vt religionis para haberentur ea omnia, quæ ad Clericorum vtilitatem facerent.

Tertiò, quòd hîc *Moderationis nostræ* titulus, insolitus etiam in constitutionibus, neque huic negotio conueniens?

Quartò, noniter dictum, *à nobis instrui voluisti.* Instrui scilicet absolutè pro doceri, cum aliàs cum adiuncto fermè effertur: *instrui* scilicet aliquid, vel de aliquâ re, vel aliqua re. Verùm & hic Constantinianæ fabulæ character est.

Quintò, noua etiam vox *prorogatu legis*, pro ante, olim, rogatæ lataeque: nam alias *prorogata* hoc sensu dici debuit, non prærogata: *prærogatum* est ante erogatum, non pro, ante rogatum, *l.6. Cod. Theod. de Pratorib.* & *l.29. de Decurionib.*

Sextò, quid etiam est, prærogatæ legis *ordinem salubri rursus imperio propagare*: *ordinem* scilicet dixit pro ordinatione, vel serie: *propagare rursus*, id est, rursum publicare. Quomodo & in subditiâ constitutione Appendicis Codicis Theodosiani *num.8. ad propagandas ex more indulgentias, ita vt velociter lata propagentur.* Alioquin *propagare* ni fallor est amplificare, extendere, non firmare in futurum vel certè propagare in æuum. Verùm & hic stylus est donationis Constantinianæ. *Liquida*, inquit, *narratione per huius nostræ Imperialis institutionis paginam, ad cognitionem omnium populorum, in vniuerso orbe terrarum nostra studuit propagare* (Bin. habet *propalare*) *Mansuetissima Serenitas.*

Septimò, ad alia pergamos. *Quolibet*, inquit, *genere* prolatæ sententiæ Episcoporum: pro qualibet ratione, vel potius cuiuslibet generis sententiæ.

Octauò, deinceps, *Vt pro sanctis semper ac venerabilibus habeatur, quidquid fuerit terminatum.* Egregia scilicet constitutio *habeatur pro sanctis quidquid*, &c. Et tamen ita quoque in alterâ si Deo placet Constantini constitutione in Appendice Cod. Theod. *& pro sanctis habeatur quidquid ab his fuerit iudicatum*: vt iam vtriusque constitutionis parentem agnoscas, vel vnam & eandem certè monetam. Ad alia pergamus.

Nonò, *Ad executionem*, inquit, *peruenire*: quod tamen toletabilius adhuc quam quod nonnulli reponunt, *pertinere.*

Decimò, feratur & *sacrosancta legis & religionis* hîc appellatio; quomodo vt & *num.6.* Appendice Theod. Sed enim etsi genuinis constitutionibus *sancta* & *sanctissima* lex fermè dicatur: imò & sacrosancta Ecclesia *in l. vnic. de bon. Cleric.* sacrosancta religio *l.46. de cursu publ.* & *l.123. de Decurion.* Sed ideone etiam *sacrosanctus homo* pro Episcopo? Verùm id ex eadem moneta est ex quâ in 11. Appendice, *sacrosancta veneratio.*

Vndecimò, Adde hic vocem *alia pars*, pro altera.

Duodecimò, sed quid est *sermo litigantium*, & *cum sermone litigantium dirigi ad Episcopum?* Glossa interpretatur allegationem, seu allegationes partium, Quod si verùm foret, tum sermo litigantium esset quæ *partium assertio* vocatur, in *l.5. Cod. Theod. vnde vi.* Atqui, quomodo *sermo litigantium*, aut cum sermone litigantium ad Episcopum dirigi dicatur possessor vel petitor, cùm altera etiam parte refragante id fieri posse hîc decernatur? Verùm *litigantes* hîc disiunctiuè & separatim intelligi possunt: siue petitor scilicet siue possessor. An igitur *indixit* hic *sermonem* dixerit, τὸν λόγον, τὰς ἱκεσίας, ἀξίωσιν, δέησιν, preces litigantium, quibus Episcopum rogant, vt is cognitionem causæ suæ suscipere dignetur? Neque id ita accipiendum. Impostor hic *sermonem* dixit, pro tuitione, mandeburde, ἀσφάλειαν, λόγον ἀσυλίας: Quo sensu sermonis vox & *sub sermone* effertur in legibus Salicis *tit.59. in fine*: in formulis veteribus, Marculphi *lib.1. form.24.* duobus locis: & *35. sub fin.* (seu in edit. Lindebrog. 8.37.) Eodem aliâs sensu, *Verbum* dicebatur, & *sub verbo*, in iisdem legibus *Salicis, Ripuariis*, apud Gregor. Turon. *lib 9. histor. cap.19. & 27.* Et ita quoque Græculi λόγον dixere & λόγον ἀσυλίας. Iustinianus *in Nouellis & Edictis suis*:

vbi λόγον : rectè *fidem publicam* vertit Iulianus, Haloander, *securitatis promissionem* : malè vetus Interpres *iusiurandum*. Ergo, *sermo litigantium* est *ἀσφάλεια*, securitas, saluus conductus, qui dabatur litigantibus in causis ciuilibus & priuatis, non verò in publicis veluti tributorum exactionibus, vt ex Edictis illis Iustiniani constat. Quem quidem etiam sermonem seu λόγον, vbi dare fas erat, nonnisi Episcopi quandoque consensu dari oportebat, vt ex Edicto *Iustin. 17. cap. 10.* discimus. Eiúsque sermonis finis duplex erant, ne litigantes à quoquam infestarentur, & vt in eo tantùm foro causa eorum decideretur : Qui duplex etiam finis fuit sermonis Regij seu tuitionis & Mandeburdis Regiæ Episcopis, Abbatibus, Ecclesiis, Monasteriis tribui solitæ, nempe à quibuslibet infestarentur, atque etiam vt eorum causæ in Palatio tantùm deciderentur. Ergo hoc sensu possessor vel petitor vel vterque hic ad Episcopum *cum sermone litigantium dirigi* iubentur : *litigantium* inquam, id est, qui litigantibus tribui solet ; & quidem in s. p. *huius leg.* sub λόγῳ ἀσυλίας Episcopi. Ad alia pergamus.

Decimotertiò, eiusdem quoque elegantiæ sunt, *Captiosæ præscriptionis vincula, quæ in iudicio multa promi non patiuntur.*

Decimoquartò, Egregia etiam formula, *perpetuo stabilitatis iure firmatum.* Ita quoque sanè, in epistolis Pauli PP. I. *firma stabilitate.*

Decimoquintò, quid est etiam, *testimonium repromitti*? Nempe, quod anteà dixi.

Decimosextò, neque minor venustas in illis: *illud est veritatis auctoritate firmatum.*

Decimoseptimo, vt & illud, *quod à sacrosancto homine conscientia mentis illibatæ protulerit. Proferre* scilicet quid conscientia mentis ab homine dicitur : *& conscientia mentis.*

Decimooctauò, huc referantur & illa *aliquando censuimus*, pro olim : *Cupiditas præpropera : discedere maturo fine.*

Decimononò, *semina comprimere*, pro reprimere.

Vigesimò, *accipere testimonium* pro recipere, admittere.

III. Iam *Vincula orationis* non propalàm clamant, *hanc leg.* neutiquam Constantinianei æui vel prioris alicuius latinitatis esse, verùm summam barbariem redolere : & ab eodem fonte proficisci, quo fabulosam Constantini donationem, & Pseudo-epistolas primorum Pontificum? Primò, *Sanximus namque.* Secundò, *scilicet vt pro sanctis.* Tertiò, nouæ item periodi & sententiæ quoque eodem vinculo vocis. *Itaque* cum superioribus nexæ : *Itaque, quia à nobis, &c. siue itaque. Quicunque itaque : Omnes itaque Quidquid itaque.* Ita quoque passim in Pauli I. PP. & Stephani quarti Epistolis : ita quoque in Constantini donatione tribus locis. *Prima itaque die : Construximus itaque Ecclesiam : Decreuimus itaque & hoc.* Imò & in *L. a. prox. infr.* quæ & ipsa suppositita. *Sancimus itaque.*

IV. Tandem quid est, quod cum duo sint *huius legis* capita, de *Iudicio* inquam *Episcopali*, déque *Testimonij dictione*, sanctio tamen *huius leg.* nonnisi prius illud respiciat, obseruantiámque eius commendet de sententiis, inquam, Episcoporum?

Et ita quidem glaucomam Lectorum oculis hactenus obiectam, leuasse mihi abundè videor: vnde sibi studiosi deinceps discant cauere, ne portò huiusmodi sublestis commentis fidem facilè commodent. Neve *huius legis* vlla ratio porrò habeatur, vbi de *Foro Episcopali* agitur : Quod tamen hactenus fit : vnde in *historica* enarratione *de foro Episcopali* multæ perplexitates & confusiones ortæ, dum huius quoque ibi ratio habetur. Et post hæc omnia, vt ex aliis & genuinis Legibus apparet, ita & ex hâc quoque (si & ipsa γνήσιος foret) appareret, hoc quidquid priuilegij est, totum siue a Principum indulgentiâ & prouidentia manasse : siue partium vel alterutrius saltem voluntate Episcopis tributum : non verò à iure diuino manasse : vel perpetui id iuris fuisse : aut Episcopos suo sibi iure id vindicare potuisse, etsi officij alioquin Episcopalis pars sit, quod & Conciliis statutum est, vt Ecclesiastici operam nauent, in exhortandis litigatoribus ad pacem & concordiam. Sed exitiosior adhuc eorum error est, qui *hanc leg.* eò trahunt, vt Episcopos αὐτοδικαίους sæcularibus potestatibus nobis faciant.

---

11. * Imppp. Arcad. HONOR. & Theod." AAA. Adriano PF. P."



VT * veneratio" Sacerdotibus debetur innoxiis, ita & pœna moderata" inquietis atque deiectis." Quemadmodum enim Deo seruientes, & diuini Sacerdotij integritate lucentes, non solùm vitam suam proprio præstant ornamento, sed" etiam subiectæ" plebis atque obedientis exemplo : ita ij, *quorum indigniora" sunt sub integritatis professione peccata*, si exclusi deprauatíque" ab Episcopis comprobentur, qui resupinos" spiritus aduersum definita retulerint, separati ab his vrbibus, quas errore proprio tenuerunt, & sibi debent esse parti" & aliis constituta" ablegatione terrori : Plurimos enim bonos" faciunt, & veneratio optimorum Sacerdotum, & notabilis reprehensio pessimorum. ¶ * Suggerentibus Episcopis" didicimus, quosdam Sacerdotes Christianæ legis, quorum delicta cœtu Episcopali deprehensa fuerint," iterùm sententiâ vindicata," in sinu earum vrbium, in quibus talia commissa sunt, permanere, &" quærere turbas populi, conuocare turbatores quietis, existere tumultus popularis auctores," *innocentes* se post iudicium dicere, plebem colligere," & velut adhuc *Episcopos* salutari," Comitatum sacrum petere, mereri mendaciis oracula, & futura rescripta. ¶ Sancimus * itaque hac lege, Vt QVICVMQVE * residentibus Sacerdotibus fuerit Episcopali loco detrusus & nomine, si aliquid vel contra sententiam," vel contra quietem" moliti fuerit deprehensus, rursúsque Sacerdotium petere, à quo videtur" exclusus, procul ab eâ vrbe quam indignus" infecit, secundum legem Diuæ memoriæ Gratiani, c.

ni, c. milibus vitam agat: Sit ab eorum cœtibus separatus, à quorum est societate discretus: Careat" vrbe quam renuit, segregetur" quam mentitus vitæ præceptor" infecit. Sitque" huiusmodi personis, tenore huius legis, inlicitum, sacra nostra adire Secreta, & impetrare Rescripta: omnibus" abiectis per culpam Sacerdotio personis, quæ impetrata sunt infecta permaneant. Scituris his quorum defensione nituntur, absque sui reprehensione non futurum, si hoc eis polliceantur" suffragium, qui diuinum non videntur meruisse rescriptum," Hadriane Parens Karissime & amantissime. ¶ Hanc *, igitur legem Sublimis Magnificentia Tua cunctas" per diœceses" sibi creditas publicabit Edictis," vt id quod pro quiete repertum, pro iudicij Episcopalis confirmatione constitutum, pro reprimendis culpis inuentum est, ab omnibus excolatur, à Sacerdotibus reseruetur." Dat. Prid. Non." Febr. Rauennæ Stilichone II. & Anthemio COSS. [405.]

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* Neque Baronius in Annales suos, quod sciam, eam retulit, etsi duas alias huius tituli retulerit.

"Tertium hoc Theodosij nomen abest in *l.35. de Episcop.* cuius legis verba huic insarta sunt.

"*Adrianus* PP. Italiæ de quo v. *Prosopogr.*

* PRÆFATIO.

"sic mox, veneratio optimorum Sacerdotum. Sanè, in *l.7. supr. de sepulchr. viol.* sanctorum veneratio dicitur.

"*Moderata* pœna, vt moderata vitio in Honorij *l.41. de Episcop.* id est, delicto proportionata.

"*Deiecti*, Sacerdotio scilicet mox, abiecti, detrusi: *Proiecti* eodem sensu apud Ammianum Marcellinum. Reiecti *l.1. de defens. ciuit.*

"vide Chrysostomum περὶ ἱερωσύνης.

"*subiecta plebi neque obedienti sunt exemplo.*

"*f. degradatusque*: quomodo etiam habet Sirmondi editio.

"*Resupinos spiritus referre*: v. *l.6. de custod. reorum.*

"*partiti*, in edit. Sirmondi: nullo sensu: malim *separati.*

"*constituta*, pro insecta.

"Haud abludit Vlpiani dictum *l.1. §3. ff. de instit. & iure.*

* Secundum caput, quo continetur NARRATIO seu occasio, si Deo placet, Legis.

"fuerunt.

"*Sententia vindicata*; quid? violatane, conculcata? An *χωρὶς* Sacerdotio *vindicato*. Sirmondus ita edidit, *& deprehensa fuerint, & eorum sententia vindicata.*

"Sequentia, ita vt fecimus, interpungenda sunt quæ miram verborum congeriem & συνωνυμίαν continent.

"*Actores*, in Cod. Anic. malè. *Auctores*, qui aliàs concitatores: sic & *l.1. de his qui sup relig.* de hâc voce v. Sauar. *in Sidon. lib 1. epist. 11.* vide etiam *tit. de his qui plebem audent.* &c.

"Est qui hic alludi tentat ad formulam illam εἰρήνη πᾶσι, quæ apud Isidorum Pelusiotam occurrit 1. *epist.* 490. quâ Episcopum à fidelibus obuium salutari solitum colligunt ex eo loco. Quod non admitto: Nam & hæc lex characteres Occidentis præfert, neque Isidorus hanc solemnem formulam fuisse indicat.

* Tertium caput: vbi iam CONSTITVTIO ipsa continetur. Eáque desumpta ex *d. l. Quicunque 35. de Episcopis* insarta est.

"custodiam *d. l. 35.*

"publicam: add. *d. l. 35.*

"expulsus *d. l. 35.*

"Vox hæc hic add. quæ non habetur in *d. l. 35.*

"Hoc colon hic additum, quod non habetur in *d. l. 35.*

"*à plebe*: hoc amplius habet Codex Aniciensis: quomodo etiam postea edidit Sirmond.

"Episcopum *vitæ præceptorem* dici nota: quò pertinent & illa suprà *vitam suam præstant subiecta plebi exemplo.*

"*sic*, simpliciter Sirmondi editio.

"sanus hic locus, vt in *d. l. 35.* aliter tamen Sirmondus *omnia deiectis*, &c.

"pollicentur *d. l. 35.*

"Iudicium *d. l. 35.* & in Cod. Anic. & in edit. Sirmond.

* Postremum caput: quo continetur RATIO proponendæ legis & IVSSIO.

"De isto mox.

"De hoc publicandarum Legum propositis Edictis à Præfecto Prætorio more: vide quæ ad *l. vnic. si per obrept.*

"Mutatus hic Consulatus: *Stilichone & Aureliano* COSS. id est, Anno D.400. in *d. l. 35.*

COMMENTARIVS.

DEIECTVS seu detrusus semel Episcopatu ob culpam aliquam à Synodo Episcopali: turbatâ disciplina Ecclesiastica, & publica quiete, & conculcata sententia Episcopali, Episcopatum iterum repetens, vltra centesimum ab Vrbe eorus Episcopatum gessit miliarium hâc constitutione, quæ Honorij nomen, & Consulatum Anni 405. præfert, relegari iubetur: supplicandi, aliísque eam defendendi suffragiúmque his præstandi facultate adempta. Quæ quidem & ipsa lex de fictitiarum miscellatúmque numero est, & ex variis conflata centonibus. Etsi ad fucum faciendum multa adscita. Imperatorum primum Arcadij, Honorij & Theodosij nomina, vt & Adriani Præfecti Prætorio, Consulatus item Stilichonis & Anthemij, quæ duo hia temporibus vtrique conueniunt: Conuenit & loci adscriptio *Rauennæ*, loquam, eidem Consulatui: vt de his omnibus fidem facit tum Chronologia tum Prosopographia nostra. His adde & varias hoc ipso tempore constitutiones, ab Honorio datas, de rebus Ecclesiasticis: putà *l.38. de hæreticis*: *l.3.4.5. ne sanctum baptisma*: *l.2. Religione*: (& duæ quidem postremæ ad eundem Hadrianum PP.) Quæ quidem omnia imperitis fucum facilè facere possent, quandoquidem hæc ita congruentia sunt.

Secundo loco respice mihi sis totam *huius leg.* dispositionem haud insubtrefactam: constat ea ordine seruato quatuor capitibus, Præfatione, scilicet graui, Narratione occasionis quæ *huic legi* ansam præbuit, Constitutione ipsâ: Ratio tandem proponendæ legis subnectitur.

Tertiò adiice. Sententiarum pondus, quæ præfatione continentur; & quidem quatuor numero,

quæ similibus exornari facilè possent: atque inter cæteras illa. *Quorum indigniora sunt sub integritatis professione peccata.* Ita enim quoque Chrysostomus non tantùm *d.loco*: ἀεὶ ἱερωσύνης, verùm etiam *in Psalm.6.* ὅσῳ μείζων τὸ ἀξίωμα, τοσούτῳ χαλεπωτέρα καὶ ἡ κόλασις ἐν τοῖς ἁμαρτάνουσι. Notissimum & illud Poëtæ:

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Similiter Theodosius *leg.10.supr.de fide test. Multò magis pœnâ sunt digni, quibus cum plurimum per nostram iussionem delatum fuerit, occulto inueniuntur in crimine.* Sic Valentinianus, *Nouellâ de sepulchris 5. Clericos dignos credimus maiori supplicio. Vehementius enim coercendus est, quem peccasse miteris. Scelus omne grauius facit claritudo personæ: intolerandum nimis, execrabile, non ferendum induere nomen, & titul. sanctitatis & abundare criminibus.* Honor auget reatum *l.1.Cod.vbi Senatores.* Vide & Saluianum *duobus locis.*

Quartò, fucum facere & vel maximè posse videatur: quod eadem constitutio quæ tertio capite continetur, totidem fermè verbis extet in *l.35. Cod.Theod. de Episcopis*: sic vt hæc lex videri cui possit tribus reliquis capitibus auctior hic, velut ex scriniis publicis desumpta huc relata.

Postremò, optimè Adriano PP. *diœceses credita* dicuntur, & à *Præfecto Prætorio Edictis constitutio publicari* iubetur, melius quàm in quarta subditicia Append. Cod.Theod. quæ data ad Felicem PP. *per diœcesim sibi creditam.* Nempe enim, & aliis compluribus legibus hoc postremum iuberi videmus: de quo *tit. de Constitutionibus*, & prius illud verissimum, plures scilicet diœceses à Præfecto Prætorio in commune rectas, de quo vide Leges in *Geograph.* & *Notitiam nostram* coniectas: ac nominatim sub Hadriano PP. qui Præfectus Prætorio Italiæ erat; sub cuius dispositione erant hæ tres diœceses, Italia, Illyricum, Africa: de quo vide *Notitiam Dignitatum.*

Verùm alia sunt, quæ huic personatæ fictæque legi laruam detrahunt: fictitiamque arguunt. Primùm enim illa ipsa Constitutio, quam contineri diximus *d.l.35.* huic infarta fidem facit, eam esse de illarum miscellarum legum numero, quæ sequiore æuo effictæ, & ex variis centonibus conflatæ fuerunt additis vel mutatis nonnullis: cuiusmodi sunt fermè omnes illæ quæ Appendice Codicis Theodosiani continentur, quas pro veris tamen & legitimis nobis obtrusit Sirmondus emunctæ alioquin naris vir: de quo *in Prolegomenis nostris.* Vti factum in hac ipsâ constitutione, quod per partes iam ostendimus *in Notis.* Quod quidem feliciter satis cessit Pseudolo nostro in his etiam quæ vel subtilissima sunt: veluti, quod retenta eadem constitutione, quæ extat *d.l.35. Theodosij Iun.* nomen in inscriptione additum fuit: & Consulatum mutauit, loco videlicet Stilichonis & Aureliani, substitutis Stilichone II. & Anthemio Coss. Quæ profectò inter se congruunt.

Secundò, illæ ipsæ graues in speciem sententiæ quæ initio legis continentur, tot scatent aliis sordibus, quæ grauitati sententiarum minus respondent & sequioris æui loquendi genus redolent. Omitto alia: veluti vocem *deiectis*, pro depositis, detrusis: vide similiter in *epist.* Felicis *p.131.* Appendice Cod. Theod. Id genus sunt: *Vitam suam proprio præstare ornamento, & subiectæ plebis atque obedientis exemplo.* Item *quorum indigniora sunt, SVB integritatis professione peccata*: Item *exclusi depravatique ab Episcopis*, (si lectio recte habet:) Item, *qui resupinos spiritus aduersum definita* RETVLERINT, Item, *separari ab his vrbibus*: Item, *ab his vrbibus quas errore proprio* TENVERVNT. Item, *sibi debent parti.* Item, *aliis debent esse* CONSTITVTA *ablegatione terrori.* Item, *plurimos bonos* FACIVNT. Item, *bonos faciunt & veneratio optimorum, & notabilis reprehensio pessimorum*: vbi notabilis inter alia locutio, *notabilis reprehensio*, vt & *pessimorum*, sic & in 14. Append. p.41. *erant add. & audacia pessimorum.* Hæ elegantiæ sunt primi capitis.

Secundo capite, hæc *quorum delicta* COETV *Episcopali* DEPREHENSA *fuerint*: pro *in cœtu*, & probata: Item, *iterum sententia vindicatâ*, pro, neglecta, insuperhabita: Item, *in sinu earum vrbium permanere*: Item, *quærere turbas*, & *conuocare turbatores quietis.* In ipsâ constitutione addita hæc miræ elegantiæ: *Careat vrbe quam tenuit, segregetur quam vt meritum vita præceptor infecit.* Sic & in 14. Append. de Episcopo pariter præceptor indulgentiæ, *p.40.* Item *secreta* Principis pro Comitatu aut scriniis. Quod inauditum.

In epilogo, *pro reprimendis culpis inuentum*: Item *ab omnibus excolatur.* Item, *ab omnibus reseruetur*, pro seruetur. Omitto *venerationis* vocem non vno loco; & Sacerdotum pro Episcopi semper, vt in similibus Appendicibus.

Postremum quod vincula orationis attinet: nullum ibi apparet, quo secundum caput priori cohæreat, *suggerentibus Episcopis didicimus*: vt fermè in similibus quæ Append. continentur. Contra additum vinculum non necessarium quo tertium secundo subiicitur, nectitur *sancimus*, ITAQVE. Quod quidem vinculum etiam & *superiori leg.* & proxima sæpius repetitum vel superfluè vel ineptè.

Ergo & hæc lex suppositítia est. Quare iam hariolari quoque desinant, qui *hanc leg.* contra Chrysostomum latam censent. Quos insuper refutat vel *huius legis* subscriptio. *Dat. Rauennæ*, & inscriptio *Adriano PP.* quæ vtique Occidenti *hanc legem* vindicandam suaderent, si ea γνήσιος foret.

III. * Imppp. Valentinianus, THEODOSIVS, & Arcadius AAA. ad Optatum" PF. Augustal.



GRAVITER admodum mota est Nostra Clementia," quædam', 'ab his qui *Episcoporum* 'sibi nomina vindicant, perpetrata, & contra leges, non minùs diuinas quàm humanas, improbâ temeritate commissa: vexatos etiam nonnullos Orthodoxorum Clericos, quorum ætas" huic iniuriæ à Sacerdotio repugnabat: flagitatos" itineribus, Quæstionariis" deditos: atque hæc omnia per eos commissa, qui ad tegumenta frontis," *Sacerdotij*" nominis titulos præferebant. Denique" Lectis † in Consistorio precibus, quibus Episcopalis pietas aliquid postulans" refragatur

tur denegátque," idcircò continuâ lege sancimus, nomen" *Episcoporum*, vel" eorum" qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ne" ad iudicia siue Ordinariorum siue Extraordinariorum" Iudicum pertrahatur: Habent illi Iudices suos, nec quisquam" his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali auctoritate decidi. ¶ Quibuscunque igitur mota fuerit quæstio, quæ ad Christianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo Iudice litigare, qui Præsul" est" in suis partibus" omnium" Sacerdotum, id est, per Ægypti diœcesim," Optate Karissime ac Iucundissime." Quare Laudabilis auctoritas tua, arbitrio temperato quidquid negotiorum aliunde" incidet, terminabit:" habituro Pontificium" sacræ disceptationis Timotheo" Episcopo, quem sibi omnes" etiam suo iudicio prætulêre. Est * enim vir, cùm omnium Sacerdotum susceptatione" venerandus, tum etiam nostro iudicio approbatus."

NOTÆ.

* Abest & *hæc lex* à *Cod. Iust.* eam Annalibus suis inseruit Baronius *Anno D.385 num.31.* Inseruit & tertiam ordine in Appendice Cod. Theod. Sirmondus.

"*Optati* Præfecti Augustalis nulla mihi mentio occurrit. Ad Optatum equidem extant duæ Libanij epistolæ, in Cod. Vaticano: *lib.5 epist.188.* & *lib.6. epist 38.*

"Hic in MSS. nonnullis veluti in Seldeniano *de Synedriis lib.1. c.10. p.348.* infarta illa *lectis in Consistorio precibus quibus Episcopalis pietas aliquid postulans refragatur.*

"*Ætas*, pro Senili.

"*κ. ac Sacerdotium.* Sanè vocem *ac* habet quoque Codex Anic. & editio Sirmondi. Seldeni Codex, ipso teste de Synedriis *lib.1.c.10.* habet, *quorum ætas & Sacerdotium huic iniuriæ repugnabat.*

"legam *fatigatos*: vide quæ dico ad *l.60 de Decurion.* Græci ἐνόχλησις ταῖς ἰδίαις: vide not. ad *l.2 de off. Iud. omn.* vbi & Interpres *quorum fatigationi consulimus.* Et ita posteà comperi habere MS. Seldeno ipso teste de Synedriis *lib.1.c.10. p.348.* vide & Gloss. Theod. de hac voce.

"*Quæstionarius*, id est, tortor Gl. Cyrilli βασανιστὴς ὑπηρέτης, *Quæstionarius.*

"*Frontis*, id est, impudentiæ MS. Seldeni, *furoris*, ipso teste *d. p.348.*

"pro *Sacerdotalis.*

"Egregium vinculum: quod abest à MS. Seldeniano hic, pariter vt quæ sequuntur *lectis*, &c. ad initium legis ibi retrahi iam indicauimus: de quo mox.

"Est qui reponat *postulantibus* pariter vt mox, *idcircò continua lege sancimus.*

"*in eo atque idcirco*, Cod. Theod. Anic. In MS. Seldeniano. *Atque idcirco perpetua lege*, &c.

* *Continua*, an pro æterna, perpetua (vt habet MS. Seld.) & vt *l. vlt. de Apostatis*?

"*vt nemo*, ita MS Selden. Hinc interim desumptus *c. continuus 5.11. q.1.* Relata eadem sententia apud Pol. Anselm. *lib.3. c.109* Pol. *lib.1.c.19.* de eo mox.

"*vel* pro *&*.

"id est, cæterorum Clericorum.

"abest à MS. Selden.

"vide *l.23. de Episcopis*, in eodem argumento.

"*ne quicquam*: quomodo etiam habet Sirmondus *p.9* & MS. Seld.

"*qui præsul eius legis fuerit* recisis cæteris vsque ad *Optate* in MS. Selden.

"*Partes*, pro diœcesi, vt mox etiam sequitur v. *Geograph.*

"Noua hæc & insolens compellatio.

"ἀπὸ τῆς ἔξω. id est, præter Ecclesiasticas causas MS. Selden. habet *solium.*

"*omnium Sacerdotium iudicio terminabit*: ita MS. Selden.

"*Pontificium*, pro potestate, iure, facultate, prærogatiua; vide *Gloss. Theod.*

"*Timothei* Ep. Alexandrini mentio in *l.3. de fide Cathol.*

"*per Ægypti diœcesin.* Ita hic MS. Seldeo.

* Sequentia absunt à Cujaciana edit. & quæ eam secuta est in Quarto.

"*Suspectione* in Cod. Aniciensi: quomodo etiam edidit Sirmondus f. inuersis literis *suspectatione.* In MS. Seld. *susceptione.*

"*iam probatus.* Ita Sirmond. In MS. Seldeo. *tum & nostro iudicio iam probatus.*

"In Codice etiam Aniciensi & MS. Seld. hæc subscriptio additur. *Dat. Prid. Non. Februarias Constantinopoli*, & Seldenus suspicatur ante Ann. 385. quo mortuus Timotheus teste Socrate *lib.5. cap.12.*

COMMENTARIVS.

DE Foro Episcopali & Ecclesiastico est hæc, sub Valentiniani, Theodosij & Arcadij Imperatorum nominibus scripta constitutio: quæ superiorem, si γνήσιος foret, ordine antecuertere debueral. Quo quidem alioquin in argumento ipso, in Codice Theodosiano versantur genuinæ leges, quinque numero: putà *lex 12.23.41. vlt. tit. de Episcopi. l.1. de religione*: his adde & eiusdem commatis & farinæ *legem 1. supr.* Summa huius legis hæc est: Ecclesiasticas Episcoporum & Clericorum causas, ad forum Episcopale pertinere, & Episcopali auctoritate decidi oportere: & quidem in ficta *huius legis* hypothesi per Præfectum Ægypti, ab Episcopo Alexandrino: alia verò negotia, seu vt hic dicitur, aliunde incidentia ad sæculare iudicium, Præfecti Augustalis, pertinere.

Quæ quidem lex plurima habet quæ ad veri speciem accedunt. Primò, quidem Timothei Episcopi Alexandrini nomen congruit, non tantùm συνθήκαις Gratiani, Valentiniani & Theodosij (vt fidem facit *lex vlt. de fide Cathol.*) verùm etiam Imperio Imperatorum qui huic legi inscribuntur, Valentiniani, Theodosij & Arcadij; mortuus enim Timotheus Anno D.385. vt testatur Socrates, *lib.5.c.12.* Secundò, verùm est, quod de Episcopo Alexandrino dicitur, eum Præsulem fuisse in suis partibus omnium Sacerdotum, id est, per Ægypti diœcesim: eúmque cæteris Episcopis per Ægyptum prælatum: de quo ad *d. l. vltim.* Verùm est & illud, Timotheum Theodosij Imp. iudicio adprobatum; de quo fidem facit *d. lex vltim.* Sed & quarto loco consona omninò est *huius leg.* dispositio constitutionibus γνησίοις: quas in hoc argumento versati dixi: putà cùm de foro Episcoporum & Clericorum agitur distinguendum inter Ecclesiasticas causas, & alia negotia, quæ aliundo incidunt: causas inquam Ecclesiasticas, & vt hic dicitur, *ad Christianam sanctitatem pertinentes*, seu *sacræ disceptationis*: alia negotia *aliunde accidentia*, id est, pecuniaria χρηματικὰ, & criminalia ἐγκληματικὰ; de quâ distinctione semel plenè dixi ad *l.23. de Episcopis.* Eandémque firmat quoque luculen-

tum exemplum apud Gregorium Nazianzenum *epist.175.* Verùm hæc ad veri speciem tantùm adcommodata. Alia enim sunt quæ *hanc leg.* falsi commatis esse perspicuè ostendunt. Primò, quod *Optatum Præfectum Augustalem* attinet, ad quem hæc lex scripta dicitur, nullus talis Præfectus Augustalis hoc tempore, quo Timotheus Episcopus Alexandrinus erat, comparet. Imò Notitia Præfectorum Augustalium, quam edidit Scaliger, etsi perturbatam (vbi Præfecti Augustales Consulatibus adsignatis apponuntur ad Annum Domini vsque 385. quo mortuus est Timotheus) Florentium Augustalem eo Anno 385. nominat. Et verò ad eum constitutiones nonnullæ extant datæ non tantùm Anno 384. putà *lex 1. de his qui plebem aud. l.9. de fide testium*, sed & iterum Anno 386. *l.112. de Decurionib.* Denique Paulinus Anno 385. & 386. Præfectus Augustalis fuit, vt ex Codicis Theod. legibus discimus, *l.10. de fide test. l.12. de de susceptorib.* Secundò, dicendi character idem qui in superioribus legibus. Nam & idem Præfationis genus, eadem querelarum commemoratio, seu historica in speciem narratio. Eadem verborum spurcities & nouitas. Eadem *vinculorum* orationis elegantia: veluti. 1. *Denique lectis in Consistorio precibus.* 2. Mox, *idcircò continua lege sancimus.* 3. Item, *Quibuscunque igitur mota fuerit quæstio.* Quæ passim in supposititiis aliis, etiam Pontificum Epistolis & Constantini donatione. Tertiò, eadem in MSS. *huius leg.* vbique varietas. Quartò, neque sibi magis hæc lex quã aliæ cõstat. Ipsa enim legis dispositio, quæ Episcopis & Clericis consulere videtur, deposcebat, vt initio legis Iudicibus sæcularibus intonaret, non vt id habet, Episcopis. Postremo, quisnam est, qui commodum hisce verbis in initio dispositionis sensum accommodare possit: *Denique lectis in Consistorio precibus, quibus Episcopalis pietas aliquid postulans refragatur, denegátque; idcirco continua lege sancimus?* Quæ ipsa nihilo magis intelligi possunt, etsi ad initium legis, vt Manuscripti nonnulli habent, ea retrahantur. Cuiuscunque tandem auctoris hoc figmentum sit, certè ea abutuntur, qui eius vim eò trahunt, quasi indistinctè, sed indiscretim Ecclesiasticarum personarum sæculares Iudices nunquam legitimi Iudices esse deberent; cùm tamen, vt dixi, contrarium hic definiatur, verbis apertissimis. *Quãtum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet quas decet Episcopali auctoritate decidi. Quibuscunque igitur mota fuerit quæstio quæ ad Christianam pertinent sanctitatem eos decebit sub eo Iudice litigare qui præsul est in suis partibus omnium Sacerdotum.* Item illis. *Laudabilis auctoritas tum arbitrio temperato. Quidquid negotiorũ aliunde incidet, terminabit: habitum Pontificium sacra disceptationis Timotheo Episcopo.* Et ita tamen Gratianus quoque *c.continua 5. 11.q.1.* qui hinc desumptus est, lectori persuasum voluit, decurtata *huius leg.* sententia: & his tantùm eò relatis: *Continuâ lege sancimus, vt nullus Episcoporum, vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt ad iudicia, siue Ordinariorum, siue Extraordinariorum Iudicum pertrahatur. Habent illi suos Iudices: nec quicquam his publicis est commune cum legibus.* Hactenus Gratianus, cæteris resecatis: & his nominatim taxatiuis; quæ illis cohærent immediatè, *quantum ad causas TAMEN Ecclesiasticas pertinet.* Quinimò subtexto huic sententiæ supposititio illo æquè Constantini dicto Nicæno: *Vos à nemine iudicari potestis: quia ad Dei solius iudicium reseruamini.* Idémque factum est Anselmi, *lib.3. cap.109.* & *Pol.1. tit.19.*



NOTITIA

NOTITIA DIGNITATVM,

SEV

ADMINISTRATIONVM

tam Ciuilium quàm Militarium,

IN PARTIBVS ORIENTIS ET OCCIDENTIS;

CONFECTA

E' CODICE THEODOSIANO,

Ab Anno Domini 312. *ad Annum D.*439. *& conferenda cum* NOTITIA IMPERII.



MONITIO AD LECTOREM.



ETSI *Notitia Dignitatum libro ſexto huius Codicis contineatur; attamen, quia in aliis variiſque extra librum illum Conſtitutionibus multa eò pertinentia ſparſim occurrunt, neque de ſingulis Dignitatibus & Officiis ibi agitur; malui, omiſſis ibi Paratitlis, omnem hanc de Dignitatibus & Adminiſtrationibus materiam iuſto Tractatu hic includere, generalique Notitiâ complecti: quæ cum Notitia Imperij ſub Theodoſio Iuniore, & Valentiniano III. vt ipſe ſupputo Anno Domini 427. optimè componi, eíque Commentarij cuiuſdam vice egregiè apponi poſſet: Omiſſis hic interim quæ de* Dignitatibus *in genere eorúmque ſpeciebus, déque* Senatoribus, Prætoribus & Quæſtoribus; Gradibus, Ordinéque Dignitatum, *eo libro cumulauimus: vt & quæ de* Conſulibus & Patriciis *ibi congeſta ſunt: de Dignitatum item* Conſociatione & Adæquatione: *vt & de variis* Comitum *ordinibus, &* Comitiua *alterius dignitatis, adminiſtrationis, profeſſionis* προσθήκῃ: *Tandem &* de honoratiis codicillis: *Nam vt ea dicto libro ſexto plenè tractata ſunt, ita nobis hic prædictæ Notitiæ exemplo eas tantùm dignitates perſequi animus eſt, quæ cum Adminiſtratione aliqua coniunctæ erant. Quod verò Magiſtratus Municipales attinet, habes ea omnia quæ ad eos ſpectant,* Paratitlo de Decurionibus. *Ordinem porrò Dignitatum & Magiſtratuum præbet ſeries titulorum libri ſexti huius Codicis: Haurire licet & ex* l. vnic. qui à præbit. tyronum: l. 5. de fide teſtium, l. vlt. de Princip. Agentium in rebus: & l. 52. de hæreticis: *tandem & Notitiâ Imperij.*

¶ *Ab Illuſtribus incipiendum eſt, de quibus paſſim & inter alias,* l. 52. de hæreticis: *quæ Summa faſtigia dicuntur* l. 14. de metatis, *Inclytæ poteſtates,* l. 14. de accuſat. *In hoc cenſu ab Præfectis Prætorio, quæ ſumma omnium Dignitas, & Adminiſtratio erat, initium ducere oportuit.*

NOTITIA PRÆFECTORVM PRÆTORIO IN GENERE.

I. De Præfectis Prætorio ipsis sunt tres tituli hoc Codice:libro 1. titulus *de officio Præfecti Prætorio*, tit. superior. *de Consulibus, Præfectis Magistris militum & Patriciis*, & hic noster: de eorum Officialibus tit. 10. lib. 12. *Ne Præfectianus*, &c. Ab his officium eorum dictum Præfectura Prætoriana, vel absolutè Præfectura, vt *l. vltim. ne conl. transl. l. 9. de Legatis*. Et è contrà absolutè Prætorij dignitas illustribus meritis, *l. 10. de Prætorib.* Prætorij Codicilli, *l. 25. de Prætorib.* Tribunus Prætorialium Notariorum, *l. 3. de Primic. & Not.* Dignitas autem eorum summa erat: Fastigium dignitatum, *l. 22. de Iudæis.* Summum dignitatis fastigium, *l. 3. de metatis*, & *l. vltim. de honor. Codic.* Sublimis apex Præfecturæ, *l. 7. de honor. Codic.* Apex dignitatum, *l. vltim. de metatis, l. vltim. de honor. Codic.* Summam iudiciorum tenere Præfectus Prætorio dicitur, *Subdititia l. 1. de Episcop. aud.* Rerum summa ei commissa propter loci dignitatem, *l. 117. de Decurionibus.* Amplissima sedes Claudiano in Theodori *COS. V.* 22. Illustres scilicet viri erant, *l. 6. de Executorib. l. vltim. de Decurion. & silent. l. vnic. qui à præbit. tyron. l. 2. de exhib. reis: l. vltim. de patrocin. vicor. l. 9. de metallar. l. vnic. si quacunque prædit. potest. l. 31. de nauicul. l. 10. de Prætorib. l. 10. de diuers. offic. l. 31. de appellat. l. 22. de Iudæis: l. 25. 32. de erog. mil. ann. l. 2. ad L. Iul. repetund. l. 12. de Legatis: l. 56. de cursu: l. 17. de cohortalib.* Illustrissima Præfectura, *l. 1. ne quis in Palat. man.* Inlustribus meritis Prætorij dignitatem mereri, *l. 10. de Prætorib.* Sequentibus etiam titulis ornati & compellati. Amplissimi Iudices vocantur, *l. vltim. de censu.* Amplissimæ potestates, *l. 16. de pœnis: l. omnes 8. de iis quæ administr.* Amplissimæ præceptionis auctoritas, *l. 5. de Decurionib. & silent.* Amplissima Præfectura, *l. 2. de publ. compar. l. vltim. de conl. don. l. vltim. de cohortalib. l. 16. de indulgent. debitor. l. vltim. de pascuis: l. 188. de Decurionibus.* Prætoriana amplissima Præfectura, *l. 30. de susceptorib.* Amplissimæ Præfecturæ culmen, *l. 32. de erog. mil. ann.* Amplitudo tua, *l. 67. de appell. l. 9. de diuers. offic. l. 7. de honor. Cod. l. 4. de executorib.* Auctoritas tua, *l. 5. de cursu*, excellens, *l. 2. de pascuis: l. 16. de cursu: l. 12. de Iudæis:* Inlustris auctoritas tua, *l. 31. de appellat. l. 12. de Iudæis: l. 25. de erog. mil. ann. l. vltim. de Decurion. & silent.* Magnifica auctoritas tua, *l. 11. de extraordin.* Sublimis auctoritas tua, *l. 15. de Episcopis: l. 139. de Decurion. l. 35. in fine de cursu* Celsissimum officium tuum, *l. 11. de Numer.* Celsitudo tua, *l. 8. de extraordin. l. 23. de cursu: l. 32. de nauicul. l. 10. de Legatis: l. 2. de sepulchr. viol.* Illustris & magnifica celsitudo tua. *l. 15. de accusat.* Sedes vestræ vel tuæ celsitudinis, *l. vnic. de quadri. breu. l. vnic. de Irenarchis.* *Clarissimus* Vir Præfectus Prætorio *l. 7. de extraordin. l. 1. de pascuis: l. 15. de Prætorib.* Vir clarissimus & Inlustris, *l. 19. de petition. l. 12. de extraordin. l. 6. de ann. & trib.* Culmen ei tribuitur. Culmen tuum *l. 32. 35. de erog. mil. ann. l. 4. de domesticis: l. 5. vers. Sanè de collat. donat. l. 6. de consistorib. l. 4. de spectac. l. 10. de diuers. offic. l. 18. de cohortalib.* Sedes culminis tui, *l. 5. de conlat. don.* Ita culmen honorum Ausonio *ad Syagrium:* Prætorianum culmen Symmacho, *lib. 4. epist. 69.* Summum culmen honorum Ausonio *in epicedio patris* de se: Claudianus Panegyrico in Cons. Theodori, de Consulatu & Præfectura Prætoriana.

Culmen vtrumque tenes. ——

Mox idem, cacumen vocat, vers. 62. *Eminentia* tua, *l. 31. de susceptorib. l. 13. de nauicul. l. 1. de frum. Alex. l. 10. de tyronib.* Eminentissima Præfectura Prætoriana, *l. vnic. de præpos. S. Cub.* excellens eminentia tua, *l. 38. de operib. publ. l. 9. de indulgent. crim.* Sedis tuæ eminentia *l. 3. de Legatis.* Eminentissima sedes tua, *l. 4. ne conlat. transl.* Eminentes potestates *l. 16. de diuers. offic.* *Excellentia* tua, *l. 10. de Legatis: l. 24. de erog. mil. ann. l. 5. de patrocin. vic. l. 29. de cohort. l. 2. de sepulchr. viol. l. 2. de his qui per metum Iudicis: l. 173. de Decurion. l. 5. de susceptorib. l. 43. de operib. publ. l. 3. quib. equ. vsus: l. 6. de Palat. S. L. l. 3. de re milit.* Excellens eminentia tua, *l. 9. de indulgent. crim. l. 38. de operibus publ.* Excellens auctoritas tua, *l. 16. de cursu.* *Grauitas* tua, vel vestra *l. 11. de erog. mil. ann. l. 1. de Centon. & Dendrof. l. 3. de cursu publ. l. 5. in fin. de silent. mil. app.* & subdititia *l. 1. in fin. de Episcopali iudicio.* *Magnificentia* tua, *l. 2. de litor. & itin. cust. l. 15. de extraordin. l. 5. de executor. l. 12. 17. de Agentib. l. 7. de curiosis: l. 32. de susceptorib. l. 3. de Legatis: l. 16. de diuers. offic. l. 11. de medicis: l. 12. de cohortalib.* inlustris Magnificentia tua, *l. 2. ad l. Iul. repet.* sublimis Magnificentia tua, *l. 30. de oper. publ. l. 32. de hæret. l. 1. de grege dom. l. 2. de Episcop. ind.* *Magnitudo* tua, *l. 51. de oper. publ. l. 183. de Decurion. l. 5. de susceptoribus: l. vnic. de Classicis: l. vltim. de postul. l. 3. ne conlat. transl. l. 61. de cursu: l. 63. de appell. l. 42. de Episcopis:* sublimis magnitudo tua, *l. 52. de cursu.* *Parens* Karissime & amantissime, *l. 2. de Episcop. ind.* Præstantia tua: tuæ potestatis præstantia, *l. 8. de desertorib.* Inlustris præstantia tua, *l. 10. de diu. offic.* Prudentia tua, *l. 2. de sepulchr. viol. l. 38. de Decurionib. l. 8. de cursu, l. 7. de diuers. offic.* Mira prudentia tua, *l. 2. de curiosis.* Sacra vice soli verè cognoscentes *l. 16. de appell.* Sacræ cognitionis auditor, *l. 7. de repar. appell.* Sedes vestra tua, *l. 139. 173. in fin. de Decurion. l. 32. de nauicul.* Amplissima sedes, *l. 26. de cohortalib. l. vltim. de conlat. don. l. 8. de Numerariis: l. vnic. de superindicto;* & Claudianus *ad Theodorum PP. Italia.* Eminentissima sedes *l. 4. ne conlat. transl.* Excelsa sedes, *l. vnic. de Comitib. qui Inlustr. l. 3. de Indiction. l. 17. vltim. de Numer. l. vlt. de indulg. debit.* Inlustris vestra sedes, *l. 12. de Legatis;* sedes Inlustrium Præfectorum, *l. 56. de cursu:*

Magnifica

Magnifica sedes l.19.de cursu publ. l.172.de Decur. l.4. de pascuis: Magnificentissima sedes, l.4.de Legatis: Præcelsa sedes, l.26.de cohortalib. Sedes culminis tui, l.5.de collat. donat. Sinceritas tua, l.1. de defens. ciu. l.7.de metallis: l.1.de Tractoriis: l.35.de cursu: l.15 de susceptor. l.8.de fil. mil. app. l.39. de Decurionib. l.8. de desertor. l.23.35. de cursu: l.10. de diuers. offic. l.vnic. si per obrept. l.1.ne opera à conlat. Laudanda sinceritas tua, l.22.de cursu: Præcelsa sinceritas tua, l.vltim.de adnec. fisci. Solertia tua, l.3.de Numerariis, quæ est Constantini Magni. Sublimitas tua, l.vnic.de off.Praf.Prator. l.37.49.de operib. publ. l.9. 12. 13. 14. 18.60.61.de cursu: l.23. de erog. mil. ann. l.21. de diuers. offic. l.27.de appell. l.vltim. vers. quidquid de patrocin. vic. l.33: 26. 36. de annona: l.vltim. de Suariis: l.87.98.119.180. de Decurion. l.7.15.29. de hæreticis: l.32.de susceptor. l.17. in fin. de pœnis: l.1. de excus. artif. l.24. 15. vltim. de Legatis: l.21.21.de diuers. offic. l.vltim.de Prad.Senat. l.4. de Praetorib. l.1. de primic.& Notar. l.2.de sent. ex peric. l.vltim. de conlat. donat. l.23.de petitionib. l.vltim. de Indictionib. l.10. de Censitorib. l.11.de desertor. l.20 de cohortalib. Laudabilis sublimitas tua, d.l.20. Miranda sublimitas l 9. de cursu: Sublimissima administratio, l.44. de cursu publ. Sublimis Præfectura, l.41.de operibus publ. l.vnic.qui à prab. tyron. Sublimes potestates, l.6 de indulgent. debitor. l.2.de his qua ex publ. collat. Summam iudiciorum tenere, l.1. de Episcop. ind. summa rerum his commissa, propter loci dignitatem l.117. de Decurionib. & Ammianus Marcellinus lib. 17.p.98.

Quam magna eorum dignitas esset ostendunt & sequentia. Pluribus ij diœcesibus præerant, l.11. de Medicis & Profess. l.2.in C.de Episc. ind. Quanquam & vni aliquando diœcesi præfuisse indicare videtur l.4. de Praetorib. Sub horum dispositione & censura erant Proconsules l.4.de cursu, Vicarij, qui diœceses singulas regebant l. vltim. de aduoc. fisci: l.20. de petition. Iudices seu Rectores Prouinciarum, l.108.de Decur. l.2.3.16.18.20.21. de oper. publ. l.4.6. de Palat. S. L. l.12. de Agentib. Quos ideò officij sui literis monere iubebantur d.l.12. l.3. de Numerar. l.18. de accusat. l.vltim. de aduoc. fisc. l.108. de Decurion. l.20.de petition. l.16. in fin. de diuers. offic. l.3.22. de cursu: l.vltim. de quæstionibus: l.12. de cohort. l.4. de extraordin. l.18. de exactionib. l.2.3.34.de operibus publicis: l.4.de cursu, conuenire, l.23. de pœnis: l.1.2. de pascuis: l.31.de appellat. Leges his intimare, l.18. de pœnis: l.vlt. de itin.mun. Iussiones Principum nuntiare l.13. de cursu, indicare l.13.de cursu: vniuersos Prouinciales Edicto conuenire l.7.de metatis, innotescere l 9. de indulgent. crim. Insinuare præceptiones, l.11. de Censitorib. Literis vrgere l.5. de susceptorib. Propositis Edictis minimos maximósque monere l. vn. de grege dom. cunctas facientes per omnes Prouincias diuulgare constitutiones, l.14. de bonis proscript. sanctiones propositis Edictis diuulgare, vt ad Prouincialium Iudicum notitiam peruenirent, l.26.de cohort. præceptis ad vniuersas ciuitates & Iudices Præfecturæ suæ transmissis, notum aliquid facere, l 4.de Spectaculis.

¶ Ne qua cui à Vicariis vel Rectoribus Prouinciarum oppressio fieret inspicere, l.vnic.si quacunque prad. pot. Iudicibus ciuilibus imminere, l.vnic.de off.Iudic.ciuil. De Officialium & Præsidis concussionibus cognoscere, atque ideò apud hos de iis conquesti Prouinciales, l.1. de offic. Rector. Prou. A Iudicibus seu Rectoribus Prouinciarum ad eos de reis Senatoribus referebatur, l.13.de accusat. l.2.de exhib.reis: l.3.de Veteranis: de vrgentibus necessitatibus, l.7.8. de extraordin. consulebantur à Iudicibus, si iudicandi difficultas exigeret, l.41. de operibus public. à Iudicibus ad eos appellabatur, l.vnic. de off. Praf. Prator. non admissâ à Iudice appellatione appellator, tanquam appellatione susceptâ Præfectum Prætorio adire poterat, & apud eum de integro litigare, l.16.de appell. Imò & si quis per metum Iudicis qui vice sacrâ iudicabat, putà Præfecti Vrbis, Proconsulis, se non appellasse diceret, Princeps quandoque Præfecto Prætorio hanc cognitionem impertiebat, l.1.2. de his qui per metum Iud. sine iussu Præfecti Prætorio Iudices nonnulla agere non poterant, l.37. de operib. publ. Edicta proponebant, inter alia his publicabant, quos ex officio suo eiecerant, & diuersis muneribus inhærere iusserant, l.10. de diuers. offic. Edicto Prouinciales conuenire iubebantur, l 7. de metatis. Rescriptum impetratum allegabatur Præfecto Prætorio, aliter quandoque à Iudicibus suscipi vetabatur, l.26. de cohort. Ad hos missa rescripta, quibus loca publica ciuitatum concedebantur, l.43 de operibus publ. Statuta Principum Edictis propositis ad omnium notitiam peruenire faciebant, seu iubebantur l.vltim. in fin. de Decurion. & silent. prælata Oraculi auctoritate Legibus causa firmare, l.vnic. si per obrept. Huc pertinent subscriptiones hæ: Data Epistola Præfecto, cui hæc sacra fuerat antelata, l.6. de cohort. Missa à Præfecto Prætorio lex 3.ne quid publ. Dat. Epistula PP. l.8. de Numerariis. Appellari ab his non poterat, l.16. de appellat. De Honoribus qui Præfectoriis delati: vide l.12. de Legatis. Cursu publico suo arbitrio vti poterant, l.5. 35. 62. de cursu. Euectionis, id est, cursus publici aliis licentiam facere poterant, l.3.4.5.8.9.11.12.13.14.16. 18. 23. 26. 28. 30. 34.35.36.38.39.40.43.44.45.46. 47.48.50.52.53.54.58.59.60.61.62.63. & vltim. de cursu publ. Immunes erant à tyronum & equorum præstatione, l.vnic qui à prabit. tyronum, etiam ex-Præfectis à metati onere, l.3.de metatis. Coërcendi Agentes in rebus cursus publici sollicitudinem sustinentes, his ius erat, l.3. de Curiosis. Militaris annonæ cura ad eos pertinebat, l.2.3.4.5.6.7.8.9. 11. 14. 15. 26. 17. 19.20.21.22.23.24.25.27.28.29. 30. 31. 32. 33.35. de erog. mil. ann. l.2. de excoct. & transl. ann. l.1.2.3.5.de milit. veste. Annonarum & capitis præbendi Palatinis veluti domesticis curam gerebant, l.1.de domest. & protectorib. Census emendabant, l.vltim. de censu. Census & Capitationis cura ad eos pertinebat, l.3. de Numerar. Tributariæ rei seu annonariæ functionis cura & dispositio, l.3 6.9.14.15.20.21.22.23.26.31.33.35. 36.37. de annona & trib. l.4. de pascuis, l.12.24. de indulgent. debitor. Tironum exactionis, l.1.5.6.7.9. 10.15.21.vlt.de tyronib. Extraordinariorum quandoque munerum, collationum imponendorum potestas fuit l.7 8. de extraordin. vide & Ammianum Marcellinum 17.p.97.98. l.5. de Decurion. & silent. Quadrimestres breues erogationis faciendæ & factæ à PP. examinabantur, l.vn.de quadrimestr. breuib. Defensores probatissimi vt eligerentur inuigilabant, l.vltim. de Defensor. ciuit. Legationum decreta antequam ad Principem perferrentur, mitti ad eos oportuit, l.3.4.8.10.14.15. de Legatis, quò scilicet impudentiorem petitionem refutarent, & quæ eorum auxilio protinus implenda essent despicerent, cæteris Principi reseruatis, dict. l.3.4.8.10.12.14.15. Disciplina spectaculorum, & spectacula ad eorum curam pertinebant, l.1.2.3.4.5. de Spectaculis: l.1.2.de Maiuma: l.10.11.12. de scenicis: l.2.de expensis ludor. l.1.de gladiatoribus. Metallis & metallariis præerant, l.6.7.10.11.15. de metallis. Pabula stationibus siue mutationibus

Valentiniani Sen. *l.8. de re milit. l.5. de annonis ciu.*
Honorij *l.2. de habitu : l. vnic. de campo Mart. l. vltim. de gladiator. l. vnic. quibus milit. ad Vrbem* : ad Senatum & populum simul : vide infrà ad Senatum.
Acta Lecta apud Acta Romæ, lex Constantij ad Felicem Episcopum, putà *l.14. de Episcopis.*
Ærarium Vrbis Romæ, *l.27. de operibus publ.*
Amphitheatrum, Titianum scilicet. Eius mentio *l.2. de Paganis.* Tactum id fulgure sub Constantino Magno *d.l.1.*
Canon frumentarius Vrbis Romæ, de eo *tit.15. lib.14.*
Annona Vrbis Romæ, *l.18. de annona.*
Annonæ ciuicæ & panis gradilis erogatio, *l.2.3.4.5.6. de annon. ciu.*
ad Canonem Vrbicarium ex Africâ pertinent, *l.8.13. de annona : l.6. 10. 12. 14. 21. 24. 25. 30.36.37.38. de nauicular. l.3.4.6.7. vltim. de præd. nauicul. l.2.3. vlt. de naufrag. l.8. de indulg. debitorum.*
Aquæductus Vrbis Romæ, *l.4.5.8.9. de Aquæductu.*
In his Augusta forma, quæ in Campania publico sumptu reparata ab Honorio, *d.l.8.* Claudia *d.l.9. suo vlt.*
Consularis aquarum Romæ : Maximilianus, *d.l.1.4.* Versennius Fortunatus *l.1. de diu. offic.* vide *Not. Imp.* sub Præfecto Vrbis.
Basilica Thermarum Commodianarum Romæ. In eâ allegata *l.3. de pactis.*
Calcis præstatio ad statum Vrbis Romæ reformandum ad mœnia seu opera publica: calcísque eius coctores : de hoc vide *tit.6. lib.14.*
Campus Martius Vrbis Romæ, de eo *tit.14. lib.14.* Casas seu Tuguria in eo conlocare priuati vetiti, *l. vnic. d. tit.*
de Ciuitatis Romanæ iure, dignitate, & de manumissionibus : vide *l. vnic. de manumiss.* & quæ dixi ad *l. vnic. de hæredit. pet.*
Mater ciuis Romana tantùm à ciuibus Romanis liberis ingratis reuocandæ donationis ius habuit *l.1. de reuoc. donat.*
Clerici Vrbis Romæ, vide *tit. de Episcop.*
Confinia grata locorum Vrbis Romæ *l.11. de Prætoribus.*
Corporati Vrbis Romæ. De his horúmque priuilegiis est *tit.2. lib.14.* In his,
Pistores & Catabolenses, de quibus *tit.3. lib.14.*
Suarij, Pecuarij, susceptores vini, de quibus *tit.4. lib.14.*
Mancipes Thermarum Vrbis, & lignorum subuectioni obnoxij, *tit.5. lib.14.*
Calcis coctores *tit.6.*
Curia Vrbis Romæ, id est, Senatus *l.15. de Prætor.*
de Cursu publico per Præfecturam Vrbis Romæ, vide *l.19.22.32.55. de cursu.*
Decuriæ Vrbis Romæ: de his *tit.1. lib.14.*
Dies Iuridici & feriati Romæ, *l.2. de feriis* : vide & *l.7. Cod. eod.*
Ecclesiæ Romæ. In his lecta Valentiniani Sen. *l.20. de Episcopis.* Anno 370.
Episcopi Vrbis Romæ, vide *Parat. de Episcopis.*
Fabricæ, vide inf. *Opera publica.*
Factiones Romæ quatuor *l.2. de Equis Curulib.* Earum Stabula *d.l.2.*
Fora Romæ. Aproniani. In eo propositæ leges, veluti de nauicularis Honorij, *l.29. de nauic.* Anno 400.
Suarium. In eo proponi iubetur *l.4. de Suar.*
Traiani. In eo propositæ leges : cuiusmodi vndecim hoc Codice occurrunt : datæ ad populum, ad P. V. ad Rationalem Africæ, si rectè habet inscriptio *l.2. de iure fisci,* ad Comitem R. P. Constantini Magni *l.2. de petitionibus : l.2. ad L. Corn. de falso: l.2. de iure fisci.* Constantij *l.3. de sepulchr. viol.* Iuliani *l.4. ad SC. Claud.* Valentiniani Sen. *l.1. de priu. corp. V. R.* Valentiniani Iun. *l.6. ad l. Iul. de adulter.* Honorij *l.31. de petitionib. l.4. de conlat. donatar. l.1. de habitu quo vti : l. vnic. de Campo Martio.*
Rerum Venalium *l.10. de erogat. mil. ann.*
Atrium Mineruæ. PP. Romæ in Atrio Mineruæ Anno D.390. *lex non patiamur, de stupratorib.* quæ refertur ex hoc Codice Theodosiano ab auctore coll. legum Mosaicar. *tit.5.* & eadem fuit cum *l.6. hoc Cod. de adult.*
Gradus Romæ : è quibus annona ciuica seu panis (qui inde gradilis dictus) distribuitur *l.2.3.4.5. de annonis ciuicis & pane gradili.*
Haruspicinæ vsus Romæ sub Constantino M. *l.1.2. de maleficis : l.2. de Paganis* : sub Constantio

stantio *l.4. de maleficis* : sub Valentiniano *l.9.de maleficis*.

Horrea Vrbis Romæ. De his *l.7. de Pratorib. l.16 de Pistoribus* : *l.12.de operibus publ. l.1.2. de conditis in publ. horr. l.14. de susceptorib.* fiscalia *d.l.12. de operib.*

Præpositi horum horreorum, de his *d.l.14*.

Prætores, qui editionis tempore abfuissent, Vrbis Romæ horreis quinquaginta millia modiorum tritici inferre compellebantur, *d.l.7 de Pratorib.* de eadem condemnatione,& de necessitudinis titulo (nam ita vocatur) vide *l.1.& 5. eod.tit.*

Imperatores qui & quando Romæ fuerint.

Constantinus Magnus, ter: Quomodo & in Kal. Hermagiano tres eius *Aduentus* notati, 312. Huc refero *l.2.de petitionib.& vltro dat.* Primus hic Aduentus Constantini Magni ad Vrbem Romam post deuictum Maxentium mense Octobri extremo: vbi substitit & mense Nouembri,& potissimâ parte mensis Decembris. 315 Mense Iulio Augusto & Septembri. Ibi tum data ab eo *l 3 de appellat.* (si recta est subscriptio) *l.1. de iure fisci.* Eodem pertinet *l.1. de diu. rescript.* quæ PP. Romæ dicitur. 326. Mense Iulio, Augusto,Septembri. Ibi tum data ab eo *l.3. de infirm. his qua sub Tyr.* ad Antiochum Præf.Vigil. Ibidémque mansit vsque ad 9.Kal. Octobr. quo die Spoletum peruenit: vbi tum eo die data ab eo *l.7. de hareticis.* Eóque pertinet *Profectio Dini* notata mense Septembri extremo in Kalendar. Hermagiano.

Crispus & Helena, vt mihi quidem videntur Romæ fuerunt: Anno D.322. quo refero *l.2.de indulg. crim.*

Constantius 357. Ibi tum datæ ab eo *l.9. de nauicul. l 5.5.de Numerariis.* De eo vide Ammianum Marcellinum.

Theodosius Magnus & Valentinianus Iun. vnà. 389. Ibi tum datæ ab iis *l.18.de haret. l.25. de operibus publ. l.49. Cod. de appellat. l.vltim. Cod. de seruis fugit. l.9. de annonis ciuicis:l.2.de feriis: l.vnic de mancip.l.11.de maleficis : l.5.6. de Suariis : l.5. de Aquaductu.*

Honorius 404. Ibi tum data ab eo *l 65. de cursu:l.2. de excoll. vel transl.anu. l.16.17. de Iudais : l.4 de decur. V. R.* [vide Claudianum in 6. Cos. Honorij de hoc Honorij aduentu Romam: vbi error calculi est, cùm scribit, intra sæculum integrum seu centum annos ter tantum Imperatores Romam aduenisse:versu 388. quod verùm quidem est de trino Constantij, Theodosij, Honorij Romam intra hos 50. annos Aduentu ad hoc vsque tempus, omissis tribus Constantinianeis.]407.Ibi tum data ab eo *l.40. de hareticis : l vlt. de Veteranis.* 408. *l.8 de Suariis : l.43. de haretic. l.19.de Paganis : l.vnic. de off. Iud.ciuil.*

Valentinianus Tertius 426. Ibi datæ ab eo *l.3. de conductorib. dom. Augusta : l.33. de petitionibus:l.14. de Senatoribus:l.6 de legit. hered.*

Incolæ. Multi Romæ consistentes in Africa possidebant *l.13. de annona & trib.*

Iura [seu leges] ab eâ nata *l.2.de feriis* : vbi vide quæ notaui plura.

Locorum Romæ grata confinia,Senatoribus iucunda *l.11. de Pratoribus.*

Leges seu Constitutiones & Edicta Acc. Romæ,quæ data ad Præfectum Prætorio Italiæ, *l.1. de lustrali conlat. l.1. de indulg. crim.* (nisi ibi *PP.* pro *P.V.*)*l.3.de executorib.*

ad Præfectum Vrbis *l 5.de accus.l.1.de decur. V. R. l.2. de Pratoribus : l.2. de postulando:* vbi *Rom.* omissum ad Iulianum... *l.1. de decur. V. R.*

Vicarium Vrbis *l.1.de Princip. Agent.in reb.*

Præfectum annonæ *l.vnic. de mensis olearijs.*

Allegatæ in Basilicis Romæ: veluti in Basilica thermarum Commodianarum *l.3. de pactis.*

Lectæ Romæ *l.4. de extraordin.* In Pantheo *l.1c.de Pistorib.* in Ecclesiis *l.20 de Episcop.* in Senatu, vide *infr.Senatus.*

Missa Romam *l.1. de tractoriis* : data ad Rufinum PP.

Propositæ Romæ: Idque vel loco adsignato:vt in Foris,vide *suprà Fora*: non adsignato:quæ data ad populum, *l.1. de censu* : (vnde supplenda subscriptio *l.1. de petitionib.*) *l.2. de petitionib.l.3.ad L. Iul. de adulter. l.4 de Episcopis:l.2.de habitu : l.vnic.de Campo Martio: l.vltim. de gladiatorib. l.vnic. quibus militaribus l.vnic. de infirm pœnis cælib. l.1. de diu. rescriptis : l. vltim.de gladiatoribus : l.5.de annonis ciuicis.*

ad Præfectum Vrbi *l.2.19. quorum appell. l.3. de sepulchr.viol. l.5.Cod.de dilationib. l.1.de maleficis : l.8.18 23. de appell.l.3 ad L.Iul. de vi:l.2.de dilationib. l.vnic.de his qui ven. atat. l.2. de sponsalib. l. vnic. de longi temp. prascripi. l.vnic. de ingenuis qui temp. Tyr. l.1.de legit hered.*si nullum ibi vitium.

ad Præfectum Prætorio [Italiæ scilicet] *l.28. de appell. l.4.de desertor. l.8.de fil.mil.appar. l.vltim.ad L.Corn. de falso.l.6.de exactionib. l.9 de extraordin. l.1.de integri restit. l.1.ad L.Corn.de sicar. l.6.de desertorib.*

ad Comitem S L. *l.5. de bonis proscript.* & *l.1.qui bonis ex L.Iul. cedere.*

ad Rationalem *l.2 de iure fisci.*

ad Vicarium *l.3. de famos.libell. l.1. de his qui latrones : l.25. de annona.* PP. in programmate Vari V.C. Vicarij V.R.

Data Romæ constitutiones sæpè dicuntur pro reddita ; Acceptæ, Propositæ, vt *l.1. de feriis* : (fortè etiam *l.3. de donationib.*) *l.2. ad L.Iul.de vi : l.1. de emend.fem. l.15. Cod.de fide instrum l.2.de falsa mon. l.2. de alim. qua.inop.* (nisi ibi mendum aliquod subest) *l.1.de pactis:l.2.de admin.tutor. l.1. de Suariis : l.2. de incest. nupt.l.1. de donat. l.1 de pascuis : l.10. de susceptorib. l.vlt. de re indic. l.20.de haret.* Ita quoque Datum Romæ exemplum sacratum literarum dicitur *l.43 de haret. l.19 de Paganis.*

Recitatæ Romæ leges, quæ datæ ad Præfectum Vrbi, vel Vicarium *l.6. de indulg crim l 3. de vacantib.* Idque in Palatio, *d.l 3.* in Senatu, *l.4 de Senatorib.*

Ligna ex Africa Romam deuecta ad publicas necessitates, *l.10. de nauicular.*

Ludi, spectacula, scenici Vrbis Romæ, *l.1.4.5.6. 7.8. de scenicis : l.1.de expensis ludor. l.1.2.de Equis Curulibus : l.2.3.de gladiatoribus : l.1.de studiis liberalib. V. R.* vide & *suprà Fulliones, infrà Scenici*: vide & *titulum, de Pratoribus & Quastoribus* : vbi de ludis ab his ibi editis.

Magistratus Romæ: Iudices Romæ, *l.1 1.de operibus public.* sub P. V. *l.3. de Pratoribus.* Ne

ab Vrbe abesse poterant. In Vrbe Romā Magistratibus perfuncti, ad editionibus immunes erant, *l.11. de Pretorib.*

Consules, Prætores, Tribuni plebis, Senatus. His iunctim inscriptæ leges: aliquot *l.1. de maternis bonis: l.19. de accusat. l.vlt. de Iurisdict. l.2. de Libertis.*

Præfectus Vrbis: Præfectorum Notitiam repete ex Notitia Dignitatum.

Præfecti Prætorio quoque partes aliquæ Romæ fuêre.

Præfectus Annonæ: vide eandem Notit.

Vicarius Vrbis: vide *Notit. Dignit.*

Consularis aquarum: vide Notitiam prædictam.

Magister census.

Medici seu Archiatri Romæ, *l.8. 9. 10. 13. de Medicis.* Medici popolares tot Romæ quot Regiones Vrbis: & præter hos medici separati, Partus, Xysti, Virginúmque Vestalium, *l.8. de Medicis.*

Monachi intra Episcopatum Vrbis Romæ, *l.20. de Episcopis.*

Romæ esse prohibiti nonnulli: proscripti *l.10. de pœnis*: & alij, de quibus *l.vltim. de testimon.*

Romæ agere iussi Senatores editores; neque paruo tempore ab ea abesse his licitum; vide *tit. de Pretorib.* ac nominatim *d.l.9.*

Natalitius dies Vrbis Romæ, feriatus, *l.2. de feriis*: vide & Sozomenum *lib.5.c.16.*

Muri Vrbis Romæ, *l.53. de hereticis: l.3 de Paganis.* Extra muros Templa Gentilium, quæ Constans destrui vetuit, *dicta l.3.* Iouianus hæreticus sacrilegos conuentus habebat: quod facere prohibitus, & in Boam insulam relegatus, *d.l.53.*

Opera publica Romæ, *l.11. 12. 19.* forte etiam *48. de operibus publ.* seu Fabricæ. Duo Prætores ea quinque argentum inferebant Vrbis fabricis profuturum *l.19. de Pretorib.* putà Constantiniana Prætora & Flauialis.

de Paganis Romæ, *l.1.3.5.10. de Paganis.*

Pontifices Gentiles Romæ, quorum de religiosis & sepulchris notio fuit, *l.2. de sepulchr. violat.*

Palatium Vrbis Romæ. Huius mentio *l.1. de Paganis*: & *l.2. de bonis vacantib.*

Suum vocat Constantinus Magnus *d.l.1.*

Recitatata in Palatio lex data à Constantino Magno Romæ, tum consistente ad P.V. *d.l.3. de bonis vacantib*

Pantheum. Lecta in Pantheo Valentiniani *l.10. de Pistorib.* Anno 368.

Pistrina Vrbis Romæ: de Pistoribus, vide *suprà Corporati.* De his *l.3.5.6.7. de pœnis.*

In ea leniorum criminū rei cōdemnati quandoque ea Imperatorum præcepto, nempe cùm pistorum inopia esset. Et quidem per Sardiniam, *d.l.3.* per Præfecturā Vrbanam, *d.l.5.* in Lucania & Bruttiis, *d.l.6.7.* ne vt sub idoneā prosecutione Romam mitterentur ad Præfectum annonæ, *d.l.3. & 6.* sub cuius dispositione Pistores erant.

Populus. Leges ad populum datæ, vide *suprà.*

Facultates quandoque proscriptorum, veluti Manichæorum, populo V.R. publicatæ, *l.18. de hereticis.*

Popolo Romano adstante, teste, audiente, Suarij reuocati ad Suariorum obsequium, *l.14. de Suariis.*

Priuilegium. Cùm extra ordinem aliarum ciuitatum horreis, balneis, ergasteriis, domibus, tabernis, cœnaculis quid indiceretur, Roma ab hac indictione excepta fuit, ob reuerentiam propriæ maiestatis, *l.3. de conlat. donat.*

Professores seu Magistri Vrbis Romæ, *l.10. de Medicis & Professorib.*

Studia liberalia Vrbis Romæ: de his *tit.9. lib.14.* & nominatim *l.1. illius tit.* Eò ea Africā studiorum causa conueniebatur, *d.l.1.*

Leges Academicæ studiosis sepositæ, *d.l.1.*

Regiones ipsius Vrbis *l.8. de Medicis.*

Scenici, scenicæ, Thymelicæ Vrbis Romæ, *l.1.4.5.6.7.8. de scenicis.*

Salinæ Romæ, *l.vnic. de mancip. thermar. l.3. de conlat. donat.*

Senatus: Mentio eius *l.14. in subscript. de Senatoribus.*

Lectæ in Senatu leges, vide inter alias *l.14. de accusat. l.18. de Pretorib. l.19. de operibus publ. l.8. de metallis.*

Vel recitatæ in Senatu apud P.V. *l.1. de maternis bonis.* Item, *l.3. de conduct. domus August. l.33. de petitionib. l.14. de Senatorib.* Item, *l.vnic. de resp. prud. l.2.3. Cod. de legib. l.penult. Cod. si contra ius: l.7. Cod. de precib. l.vnic. de erat. l.8. de legit. hered. l.penult. & vlt. de maternis bonis: l.vnic. de bonis qua filiis, l.vltim. de reuoc. don. l.18. de iure delib.* quæ omnes fuot vnius orationis partes.

Leges seu Orationes ad Senatum datæ: Constantini Magni *l.11. de maternis bonis: l.1. Cod. Iust. de præd. & aliis reb. l.4. de infirm. his qua sub Tyran.* Valentiniani Sen. *l.vnic. de emend. propinq. l.1. de nuptiis.* Valentiniani Iun. *l.3. de accusat.* Valentiniani III. *l.3. de conduct. dom. August. l.33. de petitionib. l.14. de Senator. & glebali.*

Ad Senatum & populum: Honorij *l.17. de nauic. l.3. Cod. qua res venire: l.5. de naufragiis: l.9. de Can. frum. l.67. de Senatorib. l.24. de susceptor. l.2. de Pretorib.*

Senatus & Senatores. Dicitur & Curia *l.11. de Pretorib.* Roma sedes dignitatis propriæ Senatorum, *l.11. de Pretorib.* de Senatu & Senatoribus: vide *Paratitlen tit. de Senatoribus.* In ipsa Vrbs Roma Senatores glebalem soluere tenebantur collationem, etsi alibi possiderent.

Stabula factionum quatuor in Vrbe Roma, *l.2. de Equis Curulib.*

Templa Gentilium extra Vrbis Romæ muros, *l.3. de Paganis,* in itinere *l.10. de Paganis,* [id est, in viis quæ Romam ducebant.]

Thermæ Romæ seu populi Romani publicæ. De his *l.vnic. de mancip. therm. Vrbis Romæ: l.3. de conlat. donat.*

Thermæ Commodianæ, & in his Basilica *l.3. de pactis*: vbi ea Allegata dicitur.

Vicloæ Vrbis Romæ Vrbes *l.20. de heretic.* Regiones *l.vltim. de habitu quo vti.*

Vinum Romam collatum: & quomodo id erogandum *l.1.2.3. tributa in ipsis speciеb.* Aliud ex Vrbicariis regionibus, aliud ea Prouinciis, *d.l.3.*

Arcæ mentio in *l.26. de susceptorib.* id est, Arcæ vinariæ, [vide Symmachum *lib.7. epist.95.*]

Virgines Vestales Romæ. Harum mentio Anno 370. sub Valentiniano Sen. *l.8. de Medicis.* Medicos hæ separatos a popularibus habêre, *d.l.8.*

Romesiana fortè accipienda in subscriptione, *l.3. de abolitionibus*: & *l.8. de Veteranis.*

Sabaria

S

SAbatia [Pannoniæ Vrbs] Imperatores subinde ibi constitère : & ideò data ibi à Constantino Magno Anno 322. prima omnium huius Codicis constitutio, putà *l.1. de constitutionib.* à Constantio Anno 352. *l.6. de petitionib.* Hactenus refertur ad Annum 342. Dat.[id est, redd ita Acc.]lex Valentiniani Sen. Anno 368. *l.3. de aura coronario*, ad Probum PP. Proposita ibi lex Valentiniani Sen. 369. *l.15. de susceptorib.* quæ inscriptæ Probo PP.

Salernum : Accepta dicitur Salerni Anno D.364. *l.vnic. de priu. apparit. Magister. pot.* quæ data est ad Arthemium Correctorem, (Lucaniæ & Britiorum, vt existimo.)

Salona : data Salonæ Iuliam Imp. *l.1. de ponderatoribus*, ad Mamertinum PP. Data, id est, proposita vel Acceptâ.

Sardica, vide *infrà Serdica.*

Scopis, vel Scupis. Data ex eâ Vrbe à Theodosio Magno. Anno D.379. *l.2. de Palatinis.* A.D.388. *l.119. de Decurianib.*

Scythopolis [Cœles Syriæ Vrbs] Lynifi, seu Lynifarij, obnoxij publico canoni, Scythopoli, *l. 8. de murileg.*

Seleucia ad Orontem : Classis ibi erat, quæ inde Classis Seleucena, quæ ad auxilium purgandi Orontis, aliâ'que necessitates Comiti Orientis deputata erat, *l.vnic.de Classicis.* Quam Legem refero ad Annum D.368. Valens Imp. constitit Seleuciæ, Anno 372. Ideò Seleuciâ data ab eo *l.vnic.ne conlat.per iogagr.* ad Modestum PP.

Senigalia. Valentiniani lex data Senigalia Anno D.365. *l.16. de operibus publicis*, ad Mamertinum PP.

Serdica, vel Sardica [in Daciâ] Imperatores ibi quandoque constitère. Et ideò datæ ibi plures à Constantino Magno legès, Anno 316. *l.2. de donation. l. 1. de Accusationibus.* 317. *l.1. ad L. Iul. de vi.* 319. *l.1.de abolition.* 320 *l.3.ad Senatusconsultum Claud. l.vnic. de hered. petition. l.vnic. de infirm. pœn. cæl. l.vnic. de commiss. rescind. l.4.de iure fisci : l.1. de custod. reor. l.vnic. de mulierib. quæ se seruis*, (quam ad hunc à retraho ab Anno 326) *l.1.de Paganis.* 321. *l.1. de bonis proscriptor. l.1. de Paganis.* Acc.hoc Anno, quæ data Anno super. *l.2. de inoffic. testam.* quæ data est ad Claudium Præsidem Daciæ, 326. *l.2.ad Senatusconsultum Claud. l.1.de hered. petition. l.1. de mulier. quæ se seruis*, retrahenda hæc lex ad Annum 320. *l.18.. de appellation.* 327. *l.4.de exactionib.* 329. *l.18. de appellat.l.vnic. de his qui sanguin. l.16. de Decurion.* 330. *l.7. de Episcopis.* à Valentiniano & Valente 364. *l.3.de Legatis*, ad Mamertinum PP.

Singidunum [in Pannonia] Imperatores ibi quandoque constitère : & ideò data Singiduno à Constantino Magno, Anno D.334. *l.2.de aduoc. fisci*, à Constantio Anno Domini 359. *l.28. de appellat.*

Sirmium [in Pannonia] Proposita Sirmio Anno 374. *l.18. de operibus publ.* ad Probum PP. Anno 315. *l.1. de testimonialib.* ad Rufinum PP. Directa Sirmio *l.28. de cursu publico*, ad Probum PP. Dat. Sirmio, pro reddita, vel PP. *l.8. Cod.vbi causæ fiscales : l.7. de susceptorib. l.omnis de iis quæ administr. l.7. de Medicis : l.vnic. de oblig.æquor. l.16.de erogat.militaris annona : l.4.de Palatinis.*

Imperatores ibi subinde constitère : & ideò Datæ Sirmio à Constantino Magno 315. *l 1. de pignorib. l. vnic. de fium. Karthag.* 317. *l.7. de appellat.* 318. *l.3. & 4. Cod. de dilat.* 319. *l.1. de denunciat. l.2. de relationibus : l.1. de filiis milit. apparit. l.2. de bonis vacantib. l.1. de inoffic. test. l.3.de priu. eorum qui in s. pal. l.1. de sponsalibus: l.2. de temporum cursu : l.vnic. de bonis decurion.* 320: *l.1. de Prætoribus : l 5. de accusatoribus.* 321. *l.1 de Iudiciis : l.11. de appellat. l.1.de honor. codicill. l.2.de operibus : l.1.de conlat. fund. l 3. de temporum cursu : l.vnic. si pend. appellat. l.1.de Medicis :* vbi *PP.* pro *Dat. l. vnic. de sentent. passis & restitutis.* Possit quoque ad hunc Annum referri *l.vnic. de his qui mun. liber.* 322. *l.2. de denunciat. l.1. de liberali causa.* 323. *l.5. de Episcopis.* 324. *l.vnic. de his qui numero liberorum.* 326. *l.5. de accusat. l.5. de iure fisci : l.1. de integri restit.* 329. *l.4. de operibus publ.*

à Constante 338. *l.5 de operibus publ.* 349. *l.2.de re militari : l.3. de diuers. offic.*

à Constantio 352. *l.5. Cod. qui testam. l.8. de petitionibus : l.3. de priu. eorum qui in s.p. l.4. de sponsalib. l.6. de Veteranis*, ad Consularem Pannoniæ. Fortè ab Anno 319. huc retrahenda *l vnic.de bonis decurionum.* 355 *l.8.Cod. vbi causæ fisc.* verùm ibi error aliquis. 357. *l.3. de erogat. milit. ann. l.27. de appellation.* 358. *l.1. de inoffic. dotib. l.4 de bonis proscript. l 44. 45. de Decurionib. l.13. quorum appellat. l.4. de reuoc.donat l.10. de cursu.* 359. *l.14.15. de Prætorib.*

à Valentiniano Sen. 364. *l.7. de pactis : l.2. de Cæsarianis*, ad Mamertinum PP. vbi *Dat.* pro *Acc.* vel *Reddita*, nisi aliud ibi emendandum. 365. *l.5. de his quæ administr.* & *l.7. de susceptoribus*, datæ ad Probum & ad Mamertinum PP. 369. *l.7. de Medicis & Professorib. l.1. de oblat. votarum.* 374. *l.18. de operibus publ.* datæ ad Probum PP.

à Gratiano 378. vel initio Anni 379. Rescriptum ibi datum à Gratiano, cuius mentio fit, quodque abrogatur *l.5. de hæreticis.* 379. *l.1. de Palatinis S. L. l.4. de Palat. S. L.* fortè *Dat.* ibi pro *reddita*, seu *Acc.* 380. *l.11. de filiis mil. apparit.*

Solaramia (nam ita rescribo loco *Salamaria*) Data ibi 383. Theodosij Magni *l.103. de Decurionib.* ad Proculum Com. Orientis.

Spoletium. Constantinus Româ digressus Mediolanum tendens, atque inde in Pannoniam reuersurus, fuit Spoleti Anno D.326. vbi data ab eo *l.2. de hæreticis*, quæ agit de Nouatianis Acc. Spoletio : Iuliani *l.5.de Medicis & Professorib.*

Stobis. Theodosius Magnus ibi constitit A.D.388. vnde data ab eo *l.5. de hæretic. l.2.de his qui super relig.*

Syracusæ. Iuliani lex data ad Mamertinum PP. [Italiæ scilicet] Acc.Syracusis, putà *l.12.de cursu.* Anno D.362.

T

TAcapis lex data ad Vicarium Africæ, putà *l.33. de appellat.* accepta Tacapis.

Tarraco, vide in Prouinciis Tarraconensis & in Notit. Dignit. *Præses Tarraconensis.*

Tarsus. In Orientis partibus, id est, in diœcesi Orientis *l.3. de fide Catholica* Episcopus Tarsensis Diodorus Anno 381. *d.l.3.* Sozomenus *lib.7.cap.9.*

Tarracina. Terracinenses calcem phari & Portus Ostiensis vsibus præstabant *lex 3. de calcis*

coctoribus : vide & Symmachum *lib.* 10. *epist.* 52.

Thamugadi. Accepta Thamugadi *l.*2. *de honor. codicill* quæ data est ad Vicarium Africæ Anno Domini 388.

Thebeste [in Numidia] PP. Thebeste *l* 56. *de appellat.* quæ inscribitur Petronio Probiano, [Vicario, vt videtur Africæ.]

Thessalonica Macedoniæ Metropolis : Ideò *l.*2. *fine censu*, quæ inscribitur Comiti Macedoniæ, Thessalonicæ data, id est, reddita dicitur, quo tempore Constantinus non erat in Macedonia.

Ecclesia Thessalonicensis immunis ab annona & tributis. *l.*33. *de annona & tribut.*

Constantinus Magnus Thessalonicæ Anno 323. vbi data ab eo *l.*2 *de liberali causa.* Anno 324. vbi data ab eo *l.*4. *de nauicular.* & *l. vnic. de his qui ven. ætat.* quæ lex vt existimo malè refertur ad Annum 321. Anno 327. vbi data *lex* 2 *fine censu.* Acacio Comiti Macedoniæ.

Constans Thessalonicæ, vbi data ab eo Anno 337. *l.*4. *de annona & tributis.* 346. *l.*7. *de exactionibus.*

Theodosius Magnus Thessalonicæ constitit: Anno 379. vbi data ab eo *l.*12. *de iure fisci.* Anno 380. *l.*1. *ad L. Iul. repet. l* 2. *de Thesauris* : *l.*12. *de petitionibus* : *l.*3. *de tabulariis* : *l. cunctos populos* 2. *de fide Catholica* : *l.*25. *de Episcopis* : *l.*20. *de operibus publicis* : *l.*81.82. *de Decurionib. l.*12. *de extraordin. l.*4. *de Quæstionib. l.*2. *de Præf. Prætor. l.*2. *de Quæstorib. l.*3. *de locat. fundor. l.*1. *de Primicerio* : *l.*3. *de Agentibus* : *l. vnic. si quacunque præd. pot. l.*8.9. *de bonis proscript. l. quicunque de iis quæ admin. l.*3. *Cod de litigiosis* : *l.*16. *Cod de testam. l.*6 *de sponsalib. l.*2. *ad L. Iul repet. l. vnic. si Prou. Rector. l.*6. *de his quæ admin. l. vnic. de vsuris rei iudic. l.*10 *de filiis milit appar. l.*8 *de annonis ciuicis* : *l.*13.14.15. *de petition.* Anno 388. *l.*14. *de hæreticis* : *l.*2. *de nuptiis* : *l.*5. *ad L. Iul. de adult. l.*1. *de priuati carcer. custod.*

Ticenum. Valentinianus Iun. ibi constitit Anno D.386 vbi tum data ab eo *l.*16. *de Legatis.*

Topiso, vel Topiro [Macedoniæ] Theodosius Iun. ibi constitit Anno D.425. vbi data ab eo *l. vlt. de Primicerio* : & *l. vltim. de honor. codic.*

Tottaium. Mansio Bythiniæ, *l* 119. *de Decurion.*

Treuiris, vel Triueris. Clarissima ciuitas vocatur à Gratiano *l.*11. *de Medicis.*

Professores, Rhetores, Grammatici Latini & Græci ibi fuêre, *d. l.* 11.

Salarium his vberius constitutum, quàm cæterarum per diœcesim Galliarum Vrbium & metropoleon Professoribus *d. l.* 11.

Sedes PP. Galliarum fuit Treuiris. Et ideò PP. Triueris *l.*50. *de cursu*, quæ data est Anno 390. ad PP. [supple Galliarum :] Quomodo & Datæ quædam dicuntur, eodem sensu de quo mox.

Datæ innumeræ leges Treuiris, ab Imperatoribus ibi consistentibus : quas omnes habes *infrà* in specimine historiæ Galliæ, seruato Imperatorum & annorum ordine.

Et datæ tamen quædam Treuiris dicuntur, pro Acceptæ, Redditæ: vt tres Constantini leges: putà *l.*1. *de his quæ ex publ. conlat. l.*5. *de Veteranis* : *l.*2. *de Numerar.* & duæ Valentiniani Iun. Anno 389. putà *l.*3. *vnde vi* : & *l* 5. *de proximis* : quæ ad Constantinum PP. [Galliarum scilicet] scripta est.

Troas. Metalla ibi insignia fuêre : hinc metallum Troadense : quod & cum Decimeno & Proconensi iungitur *l.*9. 11. *de indulgent. debit.*

Tyrus. Metropolis erat [Phœnices scilicet] *l.*11 *de tyron.* quæ data Anno D.382.

Accepta Tyro lex quæ data est ad Consularem Phœnices : putà Iuliani *l.*52. *de Decurion.*

Dat. Tyro Anno 394. *l.*9. *Cod. de omni agro deserto*, ad Cynegium PP. quo tempore Theodosius Magnus Constantinopoli erat.

PP. Tyro Anno D.328. lex quæ data est ad Dionysium Comitem, qui in Synodo Tyriâ iussu Constantini Magni congregata Cognitor præsedit : putà *l.*4. *de famosis libellis.*

V

Valentia : Datæ Valentiæ à Theodosio M. Anno 386. *l.*22. *de annona & trib.* & *l.*113. *de Decurionib.* (vbi fortè substituendum *Melantiæ*) Anno 389. *l.*49. *de cursu publico* : hæc Valentia Italiæ est, inter Romam & Forum Flaminij

Valli [Zeugitanæ in Africa : vide *Itinerar.* vtrumque] PP. Vallis dicitur A... Constantij Imp. *lex*7. *de iure fisci*, data ad Rationalem summarum.

Vangiones : Valentinianus Sen. ibi constitit Anno Domini 368. Ibi data ab eo tum *lex* 2. *de præd. nauicular.* ad Musufilum Vicarium Africæ.

Velonocorum ciuitas. Ibi data à Constantino M. *l.*2. *de Veteranis* : fortè Velonorum : de quo plenius ad *eam leg.*

Venabrum : Accepta Venabri Valentiniani *l.*22. *de cursu* : quæ & prælata dicitur literis Romæ : dataque ad Volusianum P. V.

Venetia : Ciuitatis non fit mentio, sed Prouinciæ: de qua....

Verona [in Gallis, haud procul Remis] Anno 366. Ibi data à Valentiniano Remis digresso, *l.*9 *de Veteranis*, ad Dagalaiphum Magistrum militum.

Verona [Italiæ.] Valentinianus Sen. ibi aliquando constitit : Anno 364. Ibi ideò data tum ab eo *l.*1. *de reparat. appellat.* 365. Prælata literis V. C. Vicarij Veronæ, ad Vicarium Hispaniarum, *l.*3. *de offic. Rector. Prouinc. l.*4. *de custod. reor.* Eodem Anno data Veronæ *l.*67. *de Decurion.* 366. Data Veronæ *l* 9. *de Veteranis* [verùm vt suprà notaui hæc Verona Gallica est.]

Valentinianus Iun. Veronæ Anno 383. Ibi ideò data ab eo tum *l. vnic. de mandat. Principum.* 384. *l.*107. *de Decurionib.* nisi ibi reponatur *Veroeæ*, id est, Beroeæ. 385. *l.*14. *de lustrali collat.*

Theodosios Magnus Anno 390. Ibi ideò tum ab eo datæ *l.*28. *de Episcopis* : *l.*122. *de Decurion l.*1. *de Monachis* : *l.*19. *de nauic.* & vt putò hoc ipso Anno *lex*, *si vindicari de pœnis.*

Honorius Anno 399. Ibi ideò tum ab eo data *l.*59. *de appellat.*

Versauinum castrum, vide *suprà Bersabinum.*

Vetorina castrum, vide *suprà Betorina.*

Vicus Augusti [in Rhetia] Gratianus ibi constitit: Anno 379. vbi data tum ab eo *lex* 4. *de auro coronario.*

Vicona [Galliarum] Constantinus Magnus ibi constitit Anno 316. quare data ibi ab eo *l.*5. *de temporum cursu.*

Viminacium [in Mysia] Imperatores ibi subinde fuêre.

Constantinus Magnus Anno 321. vbi data ab eo *l.*1. *Cod. de ædific. priuat.* 335. vbi data ab eo *l.*21. *de decurion.*

Constantinus & Constans Anno D.338. vbi data tum *l.*4. *de petitionib.*

Iouiani

Iouiani epistola ibi data [id est, reddita] ad Mamertinum PP. Anno D. 363. *l.8. de Numerariis*: quo tempore Iouianus in Oriente erat. Item Anno 382. Dat. [id est, reddita] Viminacij *l.89. de Decurionib.* quæ scripta est ad Syagrium PP.

Vincentia: Theodosius Magnus & Valentinianus Iun. Mediolano & Concordia digressi ibi constitêre Anno D. 391. vbi data ab iis *l. 13. de re militari*, ad Richomerem Comit. & Magistrum vtriusque militiæ. Inde Aquileiam profecti: atque exinde Theodosius Constantinopolim rediit & *l. 2. de Constit. Principum*: *l. 6. de contrah. emptione*. Flauiano PP. Illyrici & Italiæ. Cæterùm in omnibus illis legibus claré *Vincentia* vocatur: non vt nonnulli exprimunt *Vicentia*.

Vocorium ciuitas [in Norico] Huius nomen latere putet quis in ciuitate *Velonocorum*, *l. 2. de Veteranis*: verùm ibi malo *Velonarum*.

Votis mansio Bithyniæ: cuius mentio, vt & Tottai *l. 119. de Decurion.*

VVlsiniensium Vrbs: In Tuscia *l. 61. de Decurionibus*: vbi vide quæ dixi, hodie *Bolsina*. Principalium & Patronorum eius Vrbis fit mentio *d. l. 61.*

Y

Yscoi data Constantini Magni lex Anno Domini 328. putà *lex 5. de priuil. eorum qui in s. pal.* ad vniuersos Palatinos. [Esco fluuius in Irinetar. Peutinger. qui se in Danubium exonerat, non longè à Serdica.]

PARS QVARTA:

QVA

GALLICANÆ HISTORIÆ

Annales centum Annorum, è Constitutionibus huius Codicis sub vnum conspectum dantur:

Eorúmque adeò exemplo specimen datur aliarum similiter Gentium, & Ciuitatum Annales & Historias ex hoc Codice conficiendi.

¶ *Sub* CONSTANTINO M.

ANNO DOMINI 312.

Constantino A. II. & Licinio COSS.



LVGOVNENSIS Prouinciæ primæ Præses, Antonius Marcellinus. Ad quem data (prima omnium, quæ hoc Codice extat,) *l. 1. sine censu vel reliquis*. Ex Vrbe Agrippina, vbi tum Constantinus erat. Et pertinet lex ea ad Censum Gallicanum, seu ad rem tributariam, & ad Reliqua tributorum illius Prouinciæ: quorum causas aperit, iisdémque in futurum occurrit. [Itaque committenda protsus lex illa cum Gratiarum actione Constantino dicta, hoc ipso anno, vel certè fine superioris anni, Augustodunensium nomine: *Augustodunum* enim Lugdunensis primæ ciuitas fuit: cui tam afflictæ & in Reliquis hærenti Constantinus & Censum releuauit, & quinque annorum Reliqua remisit. Quod argumentum vnicum est illius Gratiarum actionis. Quam ex *hâc leg.* non Treueris (quod elegantissimo Liuincio visum) verùm Agrippinæ habitam colligas. Agrippinensi certè Ponti in Francos faciendo occupatum per hæc tempora Constantinum fuisse idem Eumenius *Panegyrico* qui incipit; *Vnde mihi* testatur.]

ANNO DOMINI 313.

Constantino A. III. & Licinio III. COSS.

TREVIRIS hoc anno constitutus Constantinus Magnus: vbi data ab eo Kalend. Nou. *l. 2. de annona & trib. l. 1. de exactionib.* (quæ perperàm hactenus referuntur ad Annum D. 315) ad Ælianum Procons. Africæ. Et 3. Nonas Nouemb. constitutio ad Catulinum, cuius partes sunt *l. 1. de pœnis*: *l. 2. de appellat. l. 1. quorum appellat.* Item 6. Id. Nouemb. *l. 1. de aduoc. fisci*, ad Ælianum Procons. Africæ. Et 3. Kal. Ianuar. lex data ad Claudium Plotianum Correctorem Lucaniæ, &c. cuius partes sunt *l. 1. de appellat.* & *l. 1. de relationib.* [Zosimus, *lib. 2. pag. 677.* testatur, Constantinum rebus Vrbanis post Maxentium deuictum constitutis in Galliam reuersum: Et nominatim quidem ad inferiorem Germaniæ limitem, ob repentinos videlicet Francorum per absentiam eius in Galliâ motus, docet auctor Panegyrici, qui incipit *Vnde mihi*, Gallus.]

ANNO DOMINI 314.

Volusiano & Aniano COSS.

TREVIRIS & hoc Anno Constantinus Magnus constitit vbi data ab eo XI Kalend. Febr. *l. 10. Cod. de acquir. & ret. possess.* vbi malè editum *PP. Tribon.* Item VII. [al. VI.] Kal. Apr. *l. 1. de administr. & periculo tutor.* Et IV. Kal. Nouemb. *l. 1. de priuil. eorum, qui in sacro Pal.* ad Palatinos & benemeritos suos.

ANNO

ANNO DOMINI 315.

Constantino A. IV. & Licinio IV. COSS.

CABILLVNO data *l.2. de pœnis. XII. Kalend. April.* [Ante sexennium Constantinum, cùm aduersus Maximianum (qui Arelaten, mox & Massiliam se contulerat) moueret, Cabillonensem Vrbem & Portum cum exercitu ingressum auctor est Eumenius Paoegyrico, quem Constantino ipsi dixit, hoc initio *Facerem*, vide & Ammianum Marcellinum, *lib.14. pag 25.26. in gestis* Anno 354. Verùm hæc lex de alio Caballuno omninò accipienda est, vt ad eam ostendo.]

TREVERIS hoc eodem Anno à Constantino data dicitur Kalend. Iun. siue 3. Kalend. Ian. vt ita iungatur cum *l.4 de appellat. l.1. de nauicul.*

ANNO DOMINI 316.

Sabino & Rufino COSS.

TREVERIS hoc anno constitit Constantinus à quo data ibi *l.1. de officio omnium iudicum.* III. Id. Ian. [Certè, hoc ipso Anno 316. TREVERIS dictus à Panegyriste Gallo Panegyricus, hoc initio, *Vnde mihi.* Constantino ipso præsente.]

VIENNÆ consistit Constantinus Magnus, mense Maio, vbi data ab eo *l.1. de temporum cursu,* ad Præsidem Tarraconensem. Pridie Non. Maij.

ARELATE tandem hoc eodem anno constitit Constantinus: vbi data ab eo *l 5.6. de appellat.* Id. Aug. [Et in hâc sanè Arelatensi Vrbe in lucem editus Constantinus, Constantini Magni Filius, hoc ipso anno: de quo vide Zosimum, *lib.2. pag.*679. Post hunc annum Constantinus in Galliâ nunquam versatus est: sed missus eò ab eo Crispus C. dein & Constantins.

ANNO DOMINI 320.

Constantino A. VI. & Constantio COSS.

VELOVOCORVM in ciuitate data à Constantino propunitur, Kal. Mart. *l.2. de Veteranis.* [*Belouacorum ciuitatem* accipiendam credunt plerique. Certè Serdicæ, vel in *Pannoniâ* Sirmij vel *Aquileiæ*, non in Gallia, Constantinum hoc anno constitisse complures huius anni constitutiones docent. Itaque sic fortè legendum: *Vilonorum*, olim legebam, *In ciuitate vel O. Vocorio*, id est, *in ciuitate vel oppido Vocorio.* Vocorium Vrbs in *Norico* cuius meminit itinerarium Peutingerianum, & Ptolemæus cui dicitur Οὐακόριον: in Itinerario Vucarium, verùm de hoc ad *eam leg.*

ANNO DOMINI 321.

Crispo II. & Constantino II. CC. COSS.

AGRIPPINENSIBVS decurionibus inscripta lex Constantini qui tum in Pannonia agebat: nempe, *l.3. de Iudæis*: quâ Iudæos ad Curiam vocari posse concedit. Iudæos itaque per Galliam adhuc, & Belgicam quidem sub Constantino fuisse ex *hâc leg.* appatet.

ANNO DOMINI 325.

Paulino & Iuliano COSS.

TREVERIS Prid. Non. Mart. *l.1. de his quæ ex publicâ condat.* data proponitur: cùm tamen hoc anno Constantinus longè à Galliâ in Oriente & quidem in Bythiniâ constiterit. Itaque sic existimo, *Datam*, id est, redditam Treueris Præfecto Prætorio Galliarum, qui in eâ Vrbe consistebat: nisi ibi lateat Bithyniæ locus aliquis.

ANNO DOMINI 326.

Constantino A. VII. & Constantio C. COSS.

ARELATO data III. Non. Nou. ad Philippum PP. dicitur *l.2. de diuers. offic.* Sed illic rescribendum Arelape, qui locus in Norico: nisi ad Annum 353. hæc lex referenda videatur, & sic Constantio hæc lex tribuenda.

ANNO DOMINI 328.

Ianuarino & Iusto COSS.

TREVERIS IV. Kal. Ian. [suo. Cod. Iust.] data *l.5. de Veteranis*, ad Maximum. Sed & hîc rursum *Data* pro *Reddita* accipi oportet: vt ita Maximum, cui lex illa inscribitur, *PP. Galliarum* fuisse mihi persuadeam.

ANNO DOMINI 331.

Basso & Ablauio COSS.

TREVERIS Kal. Iul. *l.2. de Numerariis*, data dicitur. Certè, cùm ex aliis huius anni constitutionibus constet, Constantinum Constantinopoli hoc anno hæsisse, de *hâc leg.* idem quod de superiore iudicium faciendum: nempe datam eam ad *PP. Galliarum*: in quâ illa verba perpende: ab officio *Sublimitatis tuæ.*

ANNO DOMINI 332.

Pacatiano & Hilariano COSS.

COLONIÆ AGRIPPINÆ data dicitur VII. [vel VI.] Kal. Aug. ad Concilium Byzacinorum *l.3. de inoffic. test.* & *l.1. de libertis.* [Verùm, cùm & hoc anno Constantinum in Oriente versatum constet, legam in subscript. illarum legum Coloniæ Adrimitinæ: Colonia enim Adrumetus metropolis Byzacenæ, vide Æthicum *pag.*47. 94.] Quare Valesio non adhæreo, qui hinc colligebat, Constantinum hoc anno Coloniam Agrippinam petiisse, vt ipse quidem credebat, vt cum Francorum Regibus colloqueretur, quos ab Agrippinensibus Rhenus diuidebat.

¶ *Sub* CONSTANTINO ARELATENSI. *Constantini Magni F. natu maximo.*

ANNO DOMINI 339.

Constantio II. & Constante COSS.

TREVERIS data à Constantino Iun. ad Celsinum, *l.27. de Decurionib.* In *quâ leg.* Karthaginis & Africæ mentio fit. Vnde clarum, Karthaginem

nem & Africam Constantino in Imperij partitione obtigisse : etsi de eo posteà nrta controuersia inter fratres Constantem & Constantinum : vide Victorem Schotti, & Zosimum. [Certè, ex eâ Vrbe Constantinus hic Iun. literas illas dedit ad populum Alexandrinæ Ecclesiæ, quibus munitus Athanasius, Alexandriam repetiit, ipso Athanasio teste *Apol.2.* & Socrate, *lib.2.cap.2.*

¶ *Sub* CONSTANTE.

ANNO DOMINI 340.

Acyndino & Proculo COSS.

TATIANVS (Titianus *infrà Anno* 343.) PP. Galliarum fuit. [Hieronymus *Chronico* Anno D.346. *Titianus Vir eloquens Praefecturam Praetorianam apud Gallias administrat.* Itaque in inscriptione *l.1. de sepulchro violato*, pro *ad Tatianum P.V.* reponam, *P.P.* qui error hoc Codice frequens: vide & *infrà Anno* 343. quanquam Fab. Titianum P. V. Anno 339.340. fuisse testatur Vetus Notitia P. V.

ANNO DOMINI 341.

Marcellino & Probino COSS.

LAVRIACO data à Constante VII. Kal. Iul. *l.11. de Decurionib. l.1. de tabulariis*, ad Catullinum P P. quem locum in Galliâ & Bataviâ quidem fuisse censeo.

ANNO DOMINI 343.

Placido & Romulo COSS.

BONONIÆ data à Constante non à Constantio, vt lex præfert, *l.5.de extraordin.* VIII Kal. Febr, (id est, Bononiæ *Galliarum*, non Italiæ, quod doctissimo Sigonio visum. Constans enim post pacem cum Francis initam superiore Anno 342. teste Socrate, *lib.2. cap.10.* Sozomeno, *lib.3.cap.5.* Hieronymo, in *Chronico*, huius Anni 343. principio (seu hyeme in Britanniam (subsidio aduersus Scotos & Pictos teste Ammiano *initio lib.20.*) nauigauit : vt testantur Firmicus Maternus, ad *Constantium & Constantem* scribens, & Libanius, *βασιλικῷ*. In quam Britanniam solemnis, è Bononia transitus fuit: vide inter alios Ammianum, *lib.1. pag.185.* & *lib.27. pag.371.*

TREVIRIS data ad Titianum pridie Kal. Iul. *l.36. de Decurionib.* ad Titianum, supple PP. Galliarum, vide Anno 340.sup. & A.349.infrà.

ANNO DOMINI 345.

Amantio & Albino COSS.

TREVIRIS data à Constante Id. Maij, lex ad Eustochium Com.R.P.*lex*, inquam 7.*de petition.* qui proinde Eustathius Com. R. P. fuit sob Occidente. Id quod disertè testatur Philostorgius 3.*cap.12.*

ANNO DOMINI 349.

Limenio & Catullino COSS.

SILVANVS Comes & Magister Equitum & Peditum : seu militum cui inscripta *l.2. de re militari* : & *l.3. de diuers.offic.* [Hunc Magistrum militum fuisse per Gallias, & Agrippinæ versatum testatur Ammianus Marcellinus, *lib.15.* Ex his interim duabus legibus apparet errare Valesium, qui Anno demum 355. Magistrum peditum factum scribit.

TITIANO PP. inscripta *l.3. de re militari.* Tatiano *l.2. de raptu virg.*

ANNO DOMINI 350.

Sergio & Nigriniano COSS.

MAGNENTIVS è FRANCIS oriundus in Galliâ Tyrannus exotius, à quo Constans interfectus : de quo *infrà Anno* 353.

¶ *Sub* CONSTANTIO

ANNO DOMINI 353.

Constantio A.VI. & Constante [id est Gallo.] C. II. COSS.

LVGDVNI data à Constantio VIII. Id. Sept. *l.2 de indulgent. criminum.* [Magnentius scilicet à Constantio ex Italiâ in Galliam retrusus apud Lugdunum XVIII. Kal. Septembris ab eodem profligatus fuit : vt Socrates, *lib.2. cap.27.* memoriæ prodidit. Itaque lex hæc paucis post eam victoriam diebus à Constantio Lugduni lata : & aliæ duæ sequenti mense in Italia (nempe *l.5. de Paganis*: *l 5. de infirm. his quæ sub tyr.*) abolendis, videlicet quæ Magnentij Tyrannia inuexerat : Magnentij, inquam, iam mortui, non vt Valesius credidit, viui adhuc.

ARELATO data *l.1. de diuers.offic.* ad Philippum PP. huc retrahenda mihi videtur. De Constantij sanè boc tempore mora Arelate testis Ammianus Marcellinus, & Athanasius : vide plura in *Chronico.*

ANNO DOMINI 356.

Constantio VIII. & Iuliano C. COSS.

RVFINVS PP. Galliarum : vt testatur Ammianus Marcellinus *lib.14. pag.36.* in gestis A.354. Itaque *l.1.si quis pecunias conf.* data ad Rufinum PP. quod de hoc Rufino PP. Galliarum omninò accipiendum. In subscriptione interim *leg.* nota diei eam *Acceptam Constantina.* Eaque *leg.* de custodia Portuum & Litorum agi, ne quis pecunias ad barbaricum transferat. Itaque fortè in subscriptione legis legendum *Accepta ad Constantia*, id est, castra, Constantia scilicet : quorum Ammianus Marcellinus meminit in gestis Anni superioris 355. *pag.58. lib.15. Matrona*, inquit, *& Sequana amnes magnitudinis gemina : qui fluentes per Lugdunensem, post circumclusum ambitu insulari Parisiorum castellum Lutetiam nomine, consociatim meantes, meanrésque protinus prope Castra Constantia funduntur in mare.*

ANNO DOMINI 358.

Datiano & Cereale COSS.

IVLIANI Cæsaris comitatus fit mentio *l.6. de maleficiis*, in Galliis nempe : Vbi exercentes Magiam,

Magiam, vel diuinandi artem. Constantius illa leg. insequitur.

§ Sub IVLIANO A.

ANNO DOMINI 362.

Mamertino & Neuita COSS.

GERMANIANVS PP. Galliarum, teste Ammiano *lib.21. pag.201.* in gestis Anno 361. Hoc quoque Anno extat *l.30. de appellat.* ad *Germanianum PP.* Quanquam quod *eã leg.* nominatim de Præfectis Vrbis, de Proconsulibus & de Comite Orientis agitur, *PP. Galliarum* tum non fuisse suadere videtur.

SALLVSTIVM Præfectum Prætorio Galliarum hoc Anno fuisse & sequenti dilertis verbis Ammianus Marcellinus testatur, *initio lib.23. p.255. & pag.263. Sallustio*, inquit, *Præfecto per Gallias*: Item, *literas Sallustij Galliarum Præfecti suscepit*. Estant certè plures hoc Anno ad *Sallustium PP.* constitutiones: nempe *l.7. de erogat. mil. ann. l.1. de exhib. vel transf. reis: l.2. de præstatione: l.1. de auro coronario: l.53. de Decurion.* Sed ex nullã illarum colligi potest, cuiusnam Præfecturæ administrationem habuerit.

§ Sub VALENTINIANO Sen.

ANNO DOMINI 364.

D.Ioniano & Varroniano COSS.

Menander, cui inscribitur *l.17. de cursu publico:* videatur PP. Galliarum fuisse, arg. *l.18. & 30. eod.tit.* Dicitur & his Coss. Dat. Triueris Id. Decemb. *l.11. de erogat. mil. ann.* ad Mamertinum PP, verùm ibi vitium hæret.

ANNO DOMINI 365.

Valentiniano & Valente AA. COSS.

Dat. his Coss. 7. Kal. April. *l.1. de desertorib.* cuius inscriptio hæc est *Edictũ duo per Italiam & Alpes*: aduersus Desertores. Data item *l.7. de re militari*, ad Iouinum [*x.* Iouinum] Magistrum Equitum & Peditum: qui hoc tempore & deinceps in Gallia fuit.

TREVERIS datæ complures hoc Anno leges proponuntur: vt & Agrippinæ *l.vnic.ne damnu Prouincialib.* verùm eæ referendæ ad Annum Domini 368. vel 370. vel aliter ibi erratum. Valentinianus Mediolano ex Italiã in Gallias profectus, propter Alamannos, qui post Iuliani mortem Gallias vastabant Parisiis huius anni fine constitit: *Prope Kalendas Nouembris venture Valentiniano Parisios*, inquit Ammianus Marcellinus, *lib.26. pag.340.* in huius anni gestis: vide eundem & *lib.27.p.358. 359.* Itaque tres ex hâc Vrbe constitutiones à Valentiniano datæ hoc Codice extant: datæ, inquam, hoc Anno mense Octobri, Nouembri & Decembri: nempe *l.13. de annonu & tributis: l.3. de metallis: l.11. de numerariis*, ad Rufinum PP. Igitur & fides apud Parisiam ciuitatem exposita, (& Valentiniano oblata) quæ extat inter fragmenta Hilarij, ad hunc annum retrahenda est: quàm integritatis & iudicij nobilissimi Nicol. Faber ille, Anno 362. celebratam credidit.

CVRSVS publici hoc Anno per Gallias mentio fit *l.82. de cursu*: quã *leg.* id quod iam Galliis proderat circa cursum publicum ad Illyricum & Italiæ regiones extenditur.

ANNO DOMINI 366.

Gratiano NB. P. & Dagalaipho COSS.

TREVERIS data *l.5. ad Senatusconsultum Claudianum.* Pridie Non. April. quæ inscribitur *ad Secundum PP.* verùm ibi *Remis* fortè reſendendum.

REMOS Lutetia Parisiorum progressos hoc anno Valentinianus ibi constitit, *Remos* scilicet Lutetiã Parisiorum *progressus Valentinianus* (ait Ammianus *lib.26. pag.340.*) *statuens interim nusquam extra Gallorum confinia mouere.* Itaque datæ hoc anno plures ex eã Vrbe constitutiones: nempe *l.9. de diuers. offic.* VII. Id. April. data *ad Germanianum PP.* [Galliarum] vide Ammianum *lib.26. pag.339.* & Prosopogr. nostram *l.1. de postliminio* XVI. Kal. Iun. *vel* Iul. ad Seuerianum Ducem *l.15. de annona & tributis:* XIV. Kalend. Iun. *l.1. de canone frum. V.R.* XVIII. Kal. Iul. *l.10. de pœnis.* VIII. Id. Octobr. [Hæc lex referenda ad annum sequenti 367.] *l.8. de accusat.* XV. Kal. Decemb. *l.9. de accusat.* VII Kal. Decemb. Ex his legibus *l.1. de postliminio*, data ad Seuerianum Ducem, cuius meminit Ammianus Marcellinus in huius anni gestis *initio lib.27.* qui apud Calidona Diuitensibus præsidebat & Tungricanis, & prælio aduersus Alemannos equo deturbatus missilique telo per ea fixus fuit. Quo prælio infeliciter gesto, cuncti metu compulsi in fugam, Carietto Comes per vtramque Germaniam opetii: Etulonum Batauorumque vexillum direptum fuit: vt testatur Ammianus *dicto loco*: multique adeò in captiuitatem à Barbaris (Alemannis) abducti, vt testatur *dicta l.1. de postlim.* quibus ideò Valentinianus *eã leg.* postliminij ius indulget. Datæ quoque his ipsis Coss. duæ Valentiniani leges: vna; XV. Kal. Octobr. Mantebri, pura *l.11. de susceptor.* ad Florentium Comitem S.L. altera, Veronæ VIII. Id. Decembr. punã *l.9. de Veteranis*, (ad Dagalaiphum, de quo mox.) Qui vterque locus haud procul Remis fuit, quò digressus inde Valentinianus & exinde rursum Remos sese contulit: de quo ad *eas leges* pleniùs. *Dagalaiphus* Magister militum fuit hoc Anno (per Gallias scilicet.) Ad quem data est hoc Anno VIII. Id. Decemb. *dicta l.9. de Veteranis.* Eum clade ab Alamannis acceptã, de quã suprà, correctorum huiusmodi gesta à Parisiis missum Ammianus Marcellinus, *lib.27. pag.358.* scribit.]

ANNO DOMINI 367.

Lupicino & Iouino COSS.

REMIS & hoc Anno substitit Valentinianus, ad Iunium mensem vsque. Itaque, ex eã Vrbe datæ complures leges hoc Codice extant: nempe *l.13. de susceptoribus*: & *l.4. de metallis:* (in quarum subscriptione perperàm legitur hactenus *Rem.* pro *Rem*) *l.9.10. de re militari l.4. de prædiis nauicular. l.3. de indulgent. crimin.*) vbi pariter *Rom.* pro *Rem.* excusum:) *l.4. de aduocfisci: l.5. de censu: l.3. ad L. Corn. de falso*: (vbi perperàm hactenus *Trem.* pro *Rem* editum.)

Iouinus

Iouinus Magister Equitum vel militum [per Gallias] hoc anno. Ammianus Marcellinus lib.27. pag.358. à Parisiis aduersus Alsmannos missum prodit (Anni scilicet 366. principio) partáque de Alemannis victoriâ Parisios redeunti Imp. Valentinianum lætum occurrisse, eúmque posteà Consulem designasse. Dats ad eum hoc Anno 367. IV. Kalend. Febr. d.l.9. de re militari: quâ l.9. Ducum & Comitum per Galliss scilicet mentio fit, & eorum quibus Rheni est mandata custodia. Item, Regalium, (Francorum scilicet vel Alamannorum) &c. de quibus ad esm l.9. fusè

FLORENTIVS vel FLORENTINVS PP. Galliarum hoc anno fuit:ad quem dsta d.l.5.de censu, quæ ad Censum Gallicarum pertinet. Meminit huius Florentij Præfecti Prætorio Galliarum quoque in huius ipsius anni gestis Ammianus Marcellinus lib.27.pag.370.

NEMASTÆ fuit mense Augusto Pridie Non. Aug Valentinianus, vbi data ab eo Pridie Non. Aug. l.3. de ponderatoribus. Qui locus, in Gallia fuit Nemay prope Reroos,de quo ad eam leg.

AMBIANIS exinde mense Augusto medio huius anni Valentinianus:Itaque data ab eo ex eâ Vrbe l.1. de ingratis libertis. [Et verò Gratianus à patre Valentiniano hoc mense IX. Kalend. Septembris Augustus renunciatus; Hieronymus,Chronico Anno 368.(mendacissimo vnius anni illi solemne) Gratianus Valentiniani F. Ambianis Imperator factus. Ammianus quoque lib.27.enarratâ Gratiani inauguratione,subiicit, pag.370. Profectus itaque ab Ambianis,Treuerisque festinans, &c. [Valentinianus] Consules & diem quoque huius renunciationis tecte notant Socrates, lib.4.cap.10. & Fastorum Siculorum auctor.]

REMOS reuersus Valentinianus: vbi datæ ab eo l.4. de scenicis: & l.10. de pœnis, quibus anni superioris Consules malè adscripti: mense Octobri.

TREVERIS Valentinianus: quo ab Ambianis profectus, vt ea superiore Ammiani Marcellini loco constat. Itaque data ex hac Vrbe III. Id. Octobr. l.2. Cod.de bonis libert. III. Id.Octobr. Reperitur medio hoc tempore,data VIII. Kal. Nouemb.ad Draconium(Vicarium Africæ)Nicomediæ l.16.de annona & frum. [fortè Nieto medio.] Exinde Treuerij datæ l.7. de priuilegiis eorum qui in sacro Pal. XIV. Kalend. Decemb. & l 29. de cursu publ. IV. Non. Decemb.

ANNO DOMINI 368.

Valentiniano & Valente II. COSS.

VIVENTIVS PP. Galliarum: ad quem dsta XI. Kal. Decemb. l 4. de censu, cuius hæc sententia, *a Censu immunes esse in Virginitate perpetuâ viuentes, & viduas, & quibus ipsa maturitas ætatis pollicetur nulli iam eas esse nupturas. Item, pupilles viribus sexus vsque ad 20. annos: mulieres, donec virum sortiantur.* Per Gallias proinde Deuotas Virgines iam per hæc tempora clarer: vide quæ suprà notaui. Ad eundem Viventium PP. data & l.3. de relationibus 3.Kal.Ian.de Relationum super delictis Prouincialium, quæ à Rectoribus Prouinciarum ad Principem fiunt, formâ & quidem data Treueris.]

TREVERIS & hoc Anno constitit Valentinianus: & ideò ab eo data III. Kal. Febr. l.8. de Medicis & Professorib. (ad hunc enim Annum retrahenda ea lex, vt alibi ostendo vt & seqq.) Item, l.18. de Episcopis: l.1. de his qui cum disp. l.3.de repar. appellat. l 1. 2. si vagum mancipium: l.9 de cohortalib.l.9.de Pistoribus: l.vnic.de mancipibus therm. l.10. de exactionib. l.1. de executoribus: l.2.de metatu: & l.5.de tyronibus. VI.Kal. Mar. Ad eundem Viuentium PP.Galliarum hoc anno eodem fuit data d.l.5 de tyronib. cuius hæc sententia est: Digitorum truncatione militiam fugientes, ignis supplicio afficiendos. Dats ad eundem Viuentium PP. l.30. de cursu, quæ de cursu publice agit: Item l.4. de censu: vbi quoque diserte vocatur Viuentius PP. Galliarum. Data & ad eundem l.3 de Relationib.

ALTATO versatus Valentinianus: vbi data ab eo Pridie Non. April. l.3. de Aflorib.precur. Ea Vrbs proculdubio in Galliis erat. Eodémque tefero l.5.de repar. appell.

VANGIONIAVS quoque aliquando versatus Valentinianus hoc Anno mense Iulio, data quippe Pridie Kalend.Aug.Vangionibus l 3. de pradiis nauicular. quæ perperam hactenus Valentinianum & Valentem COSS. (id est, Anno D.365.) subscriptos præfert.[Oppositi scilicet Vangiones Alemannis erant; aduersus quos & nominatim aduersus Alemannum Regalem Randonem, qui Magontiscum latenter trepestat, hoe tempore Valentinianum cum Gratiano expeditionem mouisse Ammianus restatur, lib 27.p.374.375.376.377.]

AGRIPPINÆ inde constitit Valentinianus vbi data ab eo Prid.Kal.Octob.l.vnic.de damna Prouincialibus, quæ perperàm refertur ad A.D.365. atque ita à Valesio colligatur: qui & illud addit, credere se non ob aliud Agrippinam petiisse Valentinianum, quàm vt cum Francorum Regibus fœdera antiqua ex more initet.

TREVERIS rursum fine huius anni & sequenti Anno versatus Valentinianus: quò reuersus ille cum filio,triumpho de Alemannis obtento.Itaque data Kalend. Decemb. in eâ Vrbe l.15. de Pistoribus,& IV. Non. Decemb. l.39. de cursu: & III Kalend. Ianuar. l 3. de Relationibus. [Ammianus lib.27. pag.377. Hisque tali casuum diuersitate peractis milites ad hyberna, Imperatores Treueros reuerterunt. Et de hoc ingressu & triumpho accipiendus Ausonius Mosellâ.

—— *Augusta veniens* (Mosella) *quòd mœnibus Vrbis*
Spectauit iunctos nati patrisque triumphos.

Quod qui aliò referunt,falluntur & falluntur: dè quo alibi.

ANNO DOMINI 369.

Valentiniano NB. P. & Victore COSS.

TREVIRIS constitit hoc Anno Valentinianus leges & primò quidem per primus quinque menses: quare inde datæ plures tum ab eo nempe l.2. de centonariis: l.6. de Legatis: l.1.né opera à conlatoribus: l.6 de fide testium: l.4.5. de offic. Rector. Prouinc. l.1. de fructibus & litis exp: l.7. de bonis proscriptor. l.4. de relationibus: l.15. de nauicular.l.13. de Pistoribus. Idem dats proculdubio l.5. Cod. de feriis.

CONPLATI Valentinianus: vbi data ab eo XVI. Kal. Iun. [Iul.] l.10.de diuers.offic. ad Viuentium PP. quam ego Vrbem quoque in Gallia fuisse puto.

MARTIATICI Valentinianus Pridie Non.Iun.

HHh 2 vnde

vnde eo die data *l.6.de metallis*. Martiaticum accipio locum ad Martianas sylvas in Alamannorum solo, vide *Itinerar. Peutinger*.& Ammianum *lib.21. pag.102*.

ALTÆ RIPÆ Valentinianus III. Kal.Iul. fuit: inde data quippe *l.4.de repar. appell* [*Alta ripa* hodiernum nomen remansit: qui locus altero miliari ab Illustr. Heidelbergâ, haud longè suprà confluentes Nicri: inter Nemetes & Vangiones de quibus Anno superiore. Meminit huius loci Notitia Imperij in Duce Mogontiacensi: vbi hoc ordine & secundo Rheno loca hæc recensẽt. *Saletio, Taberna, Vico Iulio, Nemetis, Alta ripa, VVangienis, Mogontiaco*.

BRISIACI mox constitit Valentinianus: vbi data ab eo *l.8 de priuilegiis eorum qui in sacro Palat.* III. Kal Sept. [Mentio huius loci quoque in Itinerario Æthici inter Rauracos & Argentoratum. Qui locus in ripâ Rheni dextrâ in Alemannorum solo. Cæterùm, ad huius & superioris loci hoc anno memoriam pertinet egregiè, quod Ammianus scribit *lib.28. p.398*. *At Valentinianus magna animo concipiens & vtilia, Rhenum omnem à Rhætiarum exordio ad vsque fretalem Oceanum magnis molibus communiebat, castra extollens altius & castella, Turrésque adsiduas per habiles locos & opportunos quà Galliarum extenditur longitudo: nonnunquam etiam vltra flumen ædificiis positis subradens Barbaros fines. Denique cùm reparatet munimentum celsum & tutum quod ipse à primis fundarat auspiciis præterlabinte Nicro nomine fluuio, paulatim subuerti posse vndarum pulsu immani, meatum ipsum aliorsum vertere cogitauit*, &c. Ex his clarum, cur Martiatici, Altæ ripæ, Brisiaci Valentinianus constiterit.

TREVIRIM, post Brisiscum, reuersus Valentinianus: vbi datæ ab eo: Pridie Id.Octob. *l.3.de abolitionibus*. III. Non. Nouemb. *l.1.de fide & iure hasta*. IV. Non. Decemb. *l.13. de nauicular*. X. Kal. Ian. *l.10. de Veteranis*.

Viuentio PP. Galliarum inscriptæ hoc Anno leges quatuor: quanquam nullibi *Galliarum* nomen additum seu expressum *l.1. ne opera à conlator*. quæ vetat Operas à collatoribus Prouincialibus exigi: sed, ad prosecutiones extraordinarias cauponâ, propolâ vel tabernariâ lucrum sectantes cogi, *l.4. de offic. Rectoris Prouincia*, quæ vetat Rectores Prouinciarum religiosa deuerticula sectari, *l.10.de diuersis officiis*, quâ probatur iudicium Viuentij, qui iners vulgus ex officio suo eiecerat: & dicitur ea lex data *Complati*, qui locus proculdubio in Gallijs fuit: vide *suprà locum* Ammiani: & quæ de *Martiatico* dixi: nisi potius legendum Cambete: qui locus ad Augustam Rauracûm: vide Itinerarium vtrumque *l.r. de fide & iure hasta*, quæ de distrahendis pignoribus Tributorum causâ est.

ANNO DOMINI 370.

Valentiniano & Valente III. COSS.

TREVIRIS & hoc Anno constitit Valentinianus: vnde ab eo datæ hoc Anno *l.1. ne sanctorum bapt* *l.1.de stud. lib.V.R.l.7. Cod.de postulando*: *l.6. de annonis ciuicis*: *l.7. de metallis*: *l.6. de censu*: *l.6.de re milit*. *l.64. de Decurionib*. *l.8. de lustrali*: *l.5.de tyronibus*: *l.71. 72. 73. de Decurion*. *l.2.de tabular*. *l.3 t.de cursu publ*. [vide Ammianum *lib.28. p.407*.]

ALTEIO quoque data *l.3. de assesorib. & procur*. quæ huc fortè retrahenda.

Viuentio [PP. Galliarum] inscripta *l.6. de censu*: cuius hæc sententia immunes à Censu esse viduas, pupillos, donec suæ tutelæ fiant, item Virgines deuotas. Item, *l.5. de tyronibus*, (quæ perperàm refertur ad Annum D.365.) ad Viuentium PP. Galliarum disertè data est, quæ est de Mutcis.

Iouinus Magister militum, ad quem hoc Anno data *l.12.de Veteranis*.

ANNO DOMINI 371.

Gratiano II. & Probo COSS.

TREVIRIS constitit Valentinianus: vbi ad mensem Iunium vsque data ab eo *lex 1. de scenicis*: *l.9. de maleficis*: *l.5. de indulgent. criminum*. *l.5. de militegulis*: *l.75. de Decurionib*. quæ duæ leges datæ IV. Kal.Iul.

Viuentio PP. inscripta *d. l.1. de scenicis*, sed malè ibi *P.V.* pro *PP.* scriptum (quæ est de scenicis in vltimo vitæ Sacramenta seu Extrema suffragia poscentibus, vt eum cognitione causæ id eis tribuatur: & conualescentes posteà in scenam retrahi non possint,) *l.75.de Decurionib.* quæ est de Sacerdotum & principalium immunitate.

CONTIONACUM vel CONTIONATUM profectus Valentinianus; vbi mansit mense Iunio, Iulio, Augusto, dataque ab eo *l.5. de custod. reor.* posteo statim die III. Kal. Iul. *l.7. de annona & trib.* IV. Id. Iul. *l 3 de denunciationib.* IV. Kal. Aug. *l.1.de natural filiis*. XVI.Kalend. Septemb. [*Contionacum*, in Galliâ fuerit oportet, & quidem inter Treuoros & Mogontiacum.]

MAGONTIACI inde versatus Valentinianus: à quo ibi data *l.2.de scenicis*. VIII. Id. Septemb. [vide Ammianum *lib.29.pag.426*. qui locus huc omninò pertinet.]

TRIVIROS reuersus Valentinianus: vbi ab eo data *l.32. de cursu*. III. Id. Decemb. [vide Ammianum *lib 28. p.426*.]

Seuerus Magister militum per Gallias: vide Ammianum *lib.28. pag 402.* & *pag.425*. qui locus propriè huc facit, ad eum data hoc anno X. Kal. Ian. *l.1 t. de diuers. offic*.

ANNO DOMINI 372.

Modesto & Arintheo COSS.

TREVERIS substitit & his COss. Valentinianus: & quo datæ ibi *l.14. de Pistoribus*: *l.77. de Decurionibus*: *lex 3.de hæreticis*: *l.6. de prædiis nauicul.* *lex 11. de re militarè*: *lex 1. de spectaculis*.

Seuerus Magister militum (per Gallias vt & dixi superiore Anno.) Ad eum hoc anno VIII. Kal. Mai. data *l.11. de re militari*: quâ agitur de adcrescentibus in militia.

PATAVIONE data occurrit XVII. Kal. Iun. Valentiniani *l.78.de Decurionib.* quæ fortè Galliæ Belgicæ ciuitas videatur.

NASSONACUM sese contulit Valentinianus: vbi data ab eo III.Kal. Iun. *l.12. de diuers. offic.* & III. Non. Iul. *l.1. de Præfecto Prætorio*: *l.1. de Quæstoribus*: *l.vnic. de Magistr. scrin.* *l.1. de Comit. rei milit.* *l.4. de honor. codic.* quæ omnes vnius constitutionis partes sunt.

TREVEROS reuersus Valentinianus: vbi datæ ab

ab eo V I.Kal.Iul.*l.2.de locat.fund.iuris Emphyt. l.22. de Episcopis.*

ANNO DOMINI 373.

Valentiniano & Valente IV. COSS.

TREVERIS & hoc Anno fuit Valentinianus: vbi ab eo data *l.1. ne sanctum baptisma*, nisi ad Annum 370. potius ea referenda, referri potest & ad hunc Annum *l.6. de re militari: l.64. de Decurionibus.*

ANNO DOMINI 374.

Gratiano III. & Equitio COSS.

TREVERIS aliquando fuit his Coss. Valentinianus: vbi ab eo data *l.22. quorum appellat.* VII. Kalend. Iun. & *l.4. de excusation. artif.* XII. Kal.Iul.

ROBORE inde constitit: vbi ab eo data lex ad Constantinum [PP. Galliarum scilicet] VI.Id. Iul. pridie *l.33. de cursu.*] Ammiani locus hic singularis *lib 30. pag.447. Secuto post hac anno Gratiano adscito in trabea societatem Equitio Consule, Valentinianus post vastatos aliquos Alemannia pagos munimentum ædificanti prope Basileam, quod appellant accola Robur, offertur Præfecti relatio Probi*, &c.

TREVERO a inde reuersus Valentinianus: vbi ab eo data III. Non. Decembr. *l.1. de sententiis ex periculo rec.* Quò Valentinianus post fœdus istum cum Macriano Alemannorum Rege ad hybernа discessit Ammianus *lib.30. pag.448.*

ANNO DOMINI 375.

Post Conf. Gratiani III. & Equitij.

TREVERIS data V. Id. Aptil. *l.16. de susceptoribus*: inde mox Valentinianus pubescente verè in Illyricum se contulit, teste Ammiano *lib.30, p.452.* relicto Treueris Gratiano *p.463.*

¶ *Sub* GRATIANO.

ANNO DOMINI 376.

Valente V. & Valentiniano AA. COSS.

TREVERIS constitit Gratianus his Coss. post mortem patris: vbi ab eo datæ leges *l.3. de scenicis: l.4. de hæreticis: l.23. de Episcopis: l.2. de quæstionibus.*

Antonius PP. Galliarum: ita diserte vocatur ad quem, hoc Anno duæ constitutiones à Gratiano hoc Codice extant: nempe *l.11. de Medicis & Professorib.* & *l.2. de quæstionib.* data Treueris [Assentiendum non est Scaligero, qui *2. Auson.17.* leges has *ad Antonium PP. Galliarum* datas, aliásque duobus annis sequentibus, ad Ausonium traducit: & pro *Antonij* nomine *Ausonij* omnino substituendum putat. Neque enim eam diu Ausonius PP. Galliarum texit: verùm breuem, in quâ ad Consulatum euectus Anno 379. vide ipsius Ausonij Gratiarum actionem. Gessit eam itaque Anno 378. vt probat *l.35. de cursu*: vide *infra.*] Ad hunc Antonium extant quoque Symmachi *epist.5. lib.1.*

ad SYNODVM aliquam Gallicanam pertinere omninò censeo dictam *l.23. de Episcopis*, quam liquido non eruo, vt nec omnes Episcopos illi *leg.* inscriptos, Artemium, Euridicum, Appium, Gerasimum, quanquam, vide quæ ad *eam legem* scribo.

De PROFESSORIBVS per Galliarum Diœcesim omnem in Metropolitanis Vrbibus, & nominatim Treueris eorúmque annonis est *lex illa 11.de Professorib.* ad Antonium PP. Galliarum, elegans & singularis admodum.

ANNO DOMINI 377.

Gratiano IV. & Merobaude COSS.

TREVERIS datæ hoc Anno à Gratiano *l.3. de quæstionibus: lex 15. de Pistoribus: lex 34. de cursu.*

MOGONTIACVM inde (perperàm editum *Morantiaco*) profectus Gratianus: vnde ab eo data lex: Idque ad Ausonium PP. [Galliarum scilicet] Kal. Aug. *lex*, inquam *6.de officio Rectoris Prouinc.*

TREVEROS inde reuersus Gratianus: vbi ab eo data X V. Kalend.Octobr. *l.3. tributa in ipsis speciebus 11. tit.2.*

ANNO DOMINI 378.

Valente VI. & Valentiniano II. COSS.

TREVERIS & hoc Anno constitit Gratianus: vbi ab eo datæ *l vnic. victum ciuiliter: lex 7. de fide testium*: vtraque pars est vnius constitutionis, datæ Pridie Id. Ianuar. ad eundem *Antonium PP.* [Galliarum] *lex 37. de appellat.* & *l.23. 24. 25. quorum appellat.* III. Kal. Feb. *l.35. de cursu: l.4 de hæreticis: l.12. de pœnis.*

Ausonius PP. [Galliarum scilicet.] Ad eum data hoc Anno XII Kal. Mai. *d l.35.de cursu*: [vide ipsummet Ausonium in *Gratiarum actione.* De quâ Præfecturâ Ausonius in Mosella suâ sensisse non potuit, (quod tamen Scaliger putabat) eum Idyllium illud scripserit decennio ante: nempe Anno 369.]

Præfecti Galliarum fit etiam mentio hoc Anno XVIII. Kalend. Septembr. in *l.9. de metallis*: quæ data est ad Vindicianum V.C. Vicarium, & vt ne ex Præfectura Prætoriana Galliarum metallariis in Sardiniam transire liceat.

ANNO DOMINI 379.

Ausonio & Olybrio COSS.

TREVEROS Sirmio reuersus Gratianus: Ideò data ab eo ibi *lex 26. quorum appellat.* Non. April. vitiom tamen ibi in mense. De Gratiani ex Illyrico in Galliam reditu: vide Ausonium, *in Gratiarum actione*, Zosimum *lib.4 p.751.l.1.de Princip. Agent.* Prid. Non. Aug.

TREVEROS inde reuersus Gratianus: quare data ibi ab eo *l.12. de Medicis & Professoribus.* XVIII. Kalend.Octob. *l.7.de reparat.appellat.* III. Non. Decemb.

CLERICIS intra Gallias negotiantibus maior intra 15. solidos immunitas à lustrali collatione tributa *l.11. de lustrali conlat.* intra Illyricum & Italiam, intra 10.solidos.

ALEMANNOS Gallias hoc tempore infestasse, eùm Gratianus Anno 378. in Illyricum profectus fuisset, testantur Sozomenus *lib.7. c.4.*

Zosimus *lib.4.pag*... Hi sunt Hostes & Perduelliones quorum mentio fit *dicta l.7. de reparat. appellat.* data Treueris ad Siburium PP. [Galliarum] Victoriam de illis Gratiani perstringit Sozomenus *d. loco*: & vt puto Ausonius *Gratiarum actione*: cùm ait. *Testis est vna pacatus anno, & Danuby limes & Rheni.*

ANNO DOMINI 380.

Gratiano V. & Theodosio I. COSS.

Treveris potissimam huius anni partem egit Gratianus: vbi ab eo data *l.16. de nauicularijs: l.3. de naufragiis: l.9. de priuilegiis eorum qui in sacro Pal. l.12. de extraordinar. l.17. de Pistoribus.* IV. Idus Iul. Inde Sirmium profectus.

ANNO DOMINI 381.

Eucherio & Syagrio COSS.

Triv. data *l 6. de scenicis*, quanquam ibi forrè reponendum *Trid.* loco *Triu. l.1. vnde vi.* Atque hæ iam vltimæ sunt leges quas Imperatores Treuiris constituti ibi dederunt. Et error est in *l.1. vt intra ann.* quæ data dicitur Anno D.385. Treu. vt ibi ostendo.

¶ *Sub* Valentiniano Iun.

ANNO DOMINI 388.

Theodosio A. II. & Cynegio COSS.

Maximo Galliarum Tyranno apud Aquileiam à Theodosio debellato, captéque trucato, Galliarum potitus Valentinianus Iun. Itaque sub eo gesta, statim per Præfecturam Prætorianam Italiæ infirmata daris legibus Aquileiæ *l.6. de infirm. bis qua sub tyrannis.* X. Kal. Octobr. & *l.7. ead. tit.* VI. Id. Octobr. vide *infrà Anno prox.*

ANNO DOMINI 389.

Timasio & Promoto COSS.

Constantianvs PP. Galliarum. Ad hunc data, initio huius Anni, XIX. Kalend. Febr. à Valentiniano *lex 8. de infirmand. bis qua sub tyrannis*: quâ infirmantur quæ sub Tyranno Maximo per Gallias gesta fuerant: putà Dignitates ab eo collatæ: Iudicium sub eo sententiæ: non tamen actus voluntarij. Ad eundem Constantianum PP. Galliarum data V. Kalend. Mart. *l.4. de legit. hereditatib* quæ lex ad ius priuatum pertinet.

Treveris data XVIII. Kalend. Iul. *lex 3. vnde vi*: quæ inscripta, ad Messianum Com. R. P. [Certè eùm Valentinianum hoc Anno & sequentibus aliquot liquidò constet extra Italiam pedem non mouisse, oportet Messianum Com. R. P. Treuiris constitisse: eredo, reuocandis iis quæ ad rem priuatam pertinentia sub Maximo tyranno vsurpata fuerant, & fisco incorporandis rebus Maximi Tyranni: quod omninò suadet lex illa tertia. Proinde, in subscriptione eius *Dat.* pro, *reddita* accipio.]

Constantiano PP. [Galliarum scilicet] rursum inscripta VI. Id. Nouembr. *l.5. de proximis Camitibus dispositionum*: in cuius pariter subscriptione Dat. Treueris, pro *reddita* accipiendum videtur: Valentinianus enim tum in Italia, vt paulò ante dixi, versabatur: at Treuiris Præfecti Prætorio Galliarum sedes fuit.

ANNO DOMINI 390.

Valentiniano A. IV. & Neatherio COSS.

PP. Treveris XV. Kalend. Iul. *lex 50. de cursu*: quæ data *ad PP.* cuius nomen intereidit: verùm & *PP. Galliarum* accipiendum esse ex subscriptione satis constat: & *Constantianum* nominatim exaudiendum quæ ad superiorem annum dicta suadent. Argumentum autem illius legis est de Cursu publico per Præfecturam Prætorianam Galliarum.

ANNO DOMINI 391.

Tatiano & Symmacho VV.CC. COSS.

Richomeres Comes & Magister vtriusque militiæ: ad quem data hoc Anno *lex 13. de re militari.*

ANNO DOMINI 392.

Arcadio II. & Rufino COSS.

Valentiniano hoc anno apud *Viennam* interfecto, ad Maiorianum vsque nullum amplius Principum in Galliâ constitisse obseruat Sidonius *Carmine 5 ad Maiorianum.*

Ex quo Theodosius communia iura fugato.
Reddidit auctoris [Gratiani] *fratri* [Valentiniano] *cui guttura fregit.*
Post in se versenda manus: mea Gallia rerum
Ignoratur adhuc dominis, ignaráque seruit.
Ex illo multum Periit, quia Principe [Honorio & Valentiniano III. *clausa.*
Quicquid erat miseri diuersis partibus orbis
Vastari solemne fuit: qua vita placeret.
Cùm rector moderandus erat? contempta tot annos
Nobilitas iacuit: pretium Respublica forti [Aëtio]
Rettulit inuidiam. Princeps hac omnia noster
Corrigit, &c.

Itaque nullæ iam ampliùs nobis occurrent Principum constitutiones in Galliâ datæ. Et locus ille Sidonij eximius insecuti posteà Galliarum excidij causas retexens, hue inseri meruit.

¶ *Sub* Honorio.

ANNO DOMINI 395.

Olybrio & Probino COSS.

Theodorvs PP. Galliarum. Claudianus Panegyrico dicto in huius posteà Consulatum Anno 399.

Sic quum clara diu rerum documenta dedisses.
Non te parte sui, sed in omni corpore sumpsit
Imperium, cunctáque dedit tellure regendos
Rectores: Hispana tibi Germanáque Thetis
Paruit, & nostra diducta Britannia mundo.
Diuersóque tuas coluerunt gurgite voces
Lentus Arar, Rhodanúsque celer, & dites Iberus.
O quoties doluit Rhenus, quà Barbarus ibat,
Quod te non geminis frueretur Iudice ripis.

Vnius

Vnius sit cura viri, quodcumque rubescit
Occasu, quodcumque dies devexior ambit.
Hic idem posteà Anno 397.398.399. PP. Italiæ fuit. Ad hunc igitur Theodorum PP. [Galliarum] datæ hoc Anno leges duæ: nempe *l.*140. 148.*de Decur.* quæ leges de Sacerdotibus Prouinciarum eligendis tractant.

ANNO DOMINI 397.

Cæsario & Attico COSS.

VINCENTIVS PP. Galliarum. Ad eum data Honorij *lex* 5. *Cod. Iust. de Iurisdictione.* V.Kal. Ianuar.

ANNO DOMINI 398.

Honorio IV. & Eutychiano COSS.

VINCENTIVS PP. Galliarum & hoc Anno fuit, ad quem proinde extant hoc Codice per hunc annum & tres sequentes complures constitutiones: cuius etiam mentio apud Sulpitium Seuerum *dialogo* 1. *cap.*17. ad eundem est & Symmachi *epistola* 23. *lib.*9. ex quâ claré apparet Præfectum Prætorio Galliarum eum fuisse. Theodori enim eâ mentio fit (quem PP. Galliarum fuisse ostendimus:) & Hispaniæ.

FELIX PP. [Galliarum.] Ad eum extat *lex* 10. *de Senatoribus & glebali conlatione*, data IV Kal. April. *quâ leg.* id statuitur, glebam seu glebalem Senatoriarum possessionum collationem, possessionum onus esse, non personarum: Hispanósque in posterum eâ parte cæterarum Prouinciarum consuetudinem seruare debere. [Ad *hanc legem* omninò pertinet *epistola* 62. *lib.*4. *Symmachi*; cuius idem argumentum, quod *huiusce legis*: & in *eâ lege* etiam nominatim Illustris Viri Felicis Præfecti Prætorio, & Hispaniæ mentio fit: Itaque committenda illa cum *hâc leg.* in vide sis eam.]

Hoc Anno igitur datæ ad eum (etsi in inscriptione legum *Galliarum* non additum) duæ constitutiones, quæ tamen vnius & eiusdem legis portiunculæ sunt: datæ XII. Kalend. Mart. nempe, *l.*8. *de cursu publico*: & *l.vnic. de Burgariis*, quæ lex de Burgariis Hispaniæ tractat. De Burgariis: vide quæ ad eum titulum dixi in subscriptione tamen harum legum, reponendum *XII. Kalend. Maij*: non *Mart.* Hinc interim quoque apparet, Hispanias sub Præfecti Prætorio Galliarum dispositione fuisse.

VICARIVS quinque Prouinciarum, Proclianus: ad quem, vt & ad Macrobium Pro Præfecto Hispaniarum, data hoc Anno IV.Kal. Febr.*l.*15.*de Paganis, sacrificiis & templis*: cuius hæc inter alias sententia. Sacrificia per eas Diœceses prohiberi quidem: sed ornamenta operum publicorum, id est, simulacra intacta seruari oportere.

QVINQVE PROVINCIARVM mentio quoque apud Symmachum *lib.*4. *epist.*30. boc fermè ipso Anno: in Notitiâ Imperij (27. circiter post *hanc legem* annis:) apud Philastrium Brixiensem, (30. circiter post *hanc legem* annis) in *Catalogo hæresum*, *cap.*61. *de Manichæis*: & in Conciliis Gallicanis Valentino, Taurinensi. Quibus omnibus locis modò Galliis, modò Hispaniis iunguntur; à Britannis certè claré separantur. Itaque certum & indubitatum, Galliarum portionem fuisse, quæ à speciali Galliarum appellatione separata erat: sunt autem hæ, quinque Prouinciæ illæ, Aquitania Prima, & Secunda, & tres Lugdunenses. De quo plenius ad *illam legem*.

VINCENTIO PP. Galliarum inscribuntur duæ leges hoc Anno: nempe *l.*26. *de annona & trib.* & *l.*1.*decemtarionibus.* Prioris hæc sententia est: Tributa ab omnibus æqualiter agnosci oportere: Plebem aliorum immunitate non prægrauandam: de quo tamen querelæ tum ex quibusdam Galliarum Prouinciis exortæ, vt testatur ea lex. [Geminam querelam, vide 40. post annis apud Saluianum.]

ANNO DOMINI 400.

Stilichone & Aureliano COSS.

VINCENTIO PP. Galliarum inscribuntur sex leges hoc Anno: nempe *l.*6. *de metatis*, quæ est de Prætoriis Iudicum à metati onere immunibus, *l.*10.*de desertoribus*,quæ de Desertoribus veteranorum filiis ac vagis requirendis agit, & ne eo prætextu Prouinciales inquietentur, *l.*1.2.3. *de de his qui condit.propriam*: quæ leges agunt de retrahendis Curiarum, Collegiorum, Burgorum, Possessionum, aliisque conditionis suæ refugis, *l.vnic.virum vi*, quæ pariter de Colonis refugis agit, *l.*61. *de cursu publico*, quæ lex vult Vicarios Præfecti Prætorio Galliarum, & in his Vicarium Hispaniarum euectiones cursus publici non facere.

Comitum Gallicanorum fit mentio *l.*1. *de Consularibus*: vbi dixi pleuè.

ANNO DOMINI 409.

Honorio VIII. & Theodosio III. COSS.

DARDANVS PP. Galliarum, Ad hunc extat Honorij *l.*171. *de Decurion.* data VII. Id. Dec. quæ de Principalibus Curiarum in Galliis agit. [Cæterùm lex hæc ideò ad Annum 412. rettabenda videatur: quia Dardanus, non ante PP. Galliarum esse potuerit, quàm sublato Constantino tyranno, qui vniuersâ Galliâ (nisi quà exteræ gentes eam iam arrosferant) potiebatur. Quod certè factum Anno 411. vt testantur Prosper *Chronico*, & Marcellinus. Verùm de hoc Dardano PP. Galliarum plura ad *eam leg.*

Hîc finis eorum quæ ad Gallicam historiam pertinent. Nullum quippe deinceps eius vestigium ob turbatas hoc tempore Gallias, & à Barbaricis nationibus lacinatas, occurrit in his constitutionibus.

PARS

PARS QVINTA:

DE MARI, FLVMINIBVS, INSVLIS, Montibus, Limitibus, & de Barbaris gentibus.



MARE Carpathium, à quo Carpathia classis, *l.32. de nauicularis*: in quo Insularum Prouincia.

Prouinciæ quæ mari alluebantur, à custodibus obseruatæ: inter alia, ne autileguli aliò transfretarent, *l.9 de metallis.*

Huc pertinet & litorum custodia: de qua titulus expressus *lib.7.*

Transmarinæ Prouinciæ. Earum mentio *l.1. de Comitibus rei milit.* Singulari & præcipuo iure habiti qui ibi exercitum duxissent, *d.l.1.*

Ciuitates maritimæ, mediterraneæ, vt differunt, *l.21. de annona & tributis*: ita & quæ à maritimis collata erant, ad mediterraneas deuehi, transferri non debebant, & vicissim, *d.l.22.*

In vicinum mare vel amnem proiectos parricida culeo insutus, *l.vnic. de parricidio.*

Fluminum aggeres, puta Nili, vide *tit. de aggeribus Nili*, qui & Chomata, vnde & logographi Chomatum, *l.vlt. de patrociniis vicorum.* Pœna eius qui eos rupisset, *dicto titulo de aggeribus Nili.*

Ripæ virentes. Cùm suprà virentes fluminum ripas omnis legionum multitudo consistit, *l.13. de re militari.*

Milites seu Legiones Riparenses, *l.vltim. de militari*, ripenses, *lex 14. de erogat. militaris annon.* Ripenses, *lex 14 de Veteranis*: *lex 8. de filiis milit. apparit.* Riparenses Castriciani *d.l.vltim.*

In ripâ per cuneos auxiliáque constituti, *lex 7. de tyronibus*: vbi Comitatensibus opponuntur.

Classes & Classici in fluminibus Imperij Romani fuêre: de quibus Classicis *titulus 23. lib.10.* In Oronte nominatim & apud Seleuciam: de quo *d.tit.*

Nomina quorundam fluminum.

Danubius, limes imperij. Ad eum Scythicus, & Mysiacus limes. Itaque in eo Lusoriæ naues, quarum aliæ iudiciariæ, aliæ agrarienses, *lex vnica de lusoriis Danubij.*

Eufrates. Vnde Eufratensis Prouincia: Limes Eufratensis.

Liquentia. Huius mentio in *l.2. ne opera à conlaterib.* vt & pontis Liquentiæ.

Ad cuius instaurationem omnes teneri vult ea lex.

Nilus, de quo, eiúsque aggeribus non rumpendis, déque iusta eius incrementorum mensura *titulo de aggeribus Nili non rumpendis.*

Repurgandi Nili onus: ab eo Corporati ciuitatis Alexandriæ immunes erant, *l.2. de Alex. pleb. primatib.*

Orontes. Purgando inter alia Oronti, classis Seleucena Comiti Orientis deputata erat, *l.vnic. de Classicis.*

Rhenus limes Galliæ. Huius custodia mandata nonnullis, Ducibus Comitibus, *lex 9. de re militari.*

Tiberis. A Portu Vrbis Romæ, canon Romam subuehebatur per Tiberim nauibus caudicariis. Hinc nauæ Tiberini, de quibus est *tit 21. lib.14.* Et caudicarij, de quibus *l.2. de Pistoribus*: *l.9. de Suariis*: *l.1. de canone frum. V. R.*

Insulæ, litora, stationes, *l.8. de nauicul. l.2. de litor. & itin. custod.*

In insulam relegatio, deportatio: vide *Paratitlon de pœnis.*

Boa, insula. In eam relegatio & quidem Iouiani hæretici, *l.53. de hæretic.*

Carpathus insula: vnde classis Carpathia: de qua *l.32. de nauicul.*

Cyprus. In Cyprum insulam relegatio, & quidem Eutropij, *l.17. in fin. de pœnis.*

Dalmatia litora, omnésque Insulæ *l.vltim. de Curiosis.*

Oasis. Deportationis Oasenæ mentio *l.vnic. de Nili aggerib.*

Portus: De custodia Portuum, *l.5. de liter. & itin. custod. l.1. si quis pec. conf.*

de Instauratione Portus, *lex 23. de operibus publicis.*

Portus Constantinopoli Theodosianus *d.l.23.* Iuliani *l.5. de calcis coctoribus.*

Vrbis Romæ, *l.vnic. de saccariis*: *l.2. de canone frum. V. R. l.vlt. de nauicul.* vide plura in Vrbium Notitia.

Expeditionales Portus *l.35. de nauicul. l.2. de naufrag.* Sardiniæ *l.16. de cursu.*

Conductores Portuum & vectigalium, *l.3. de indulgent. debitor.*

Portus diœceseos cuiúsque Iudicis, *l.34. de nauicular.*

Prouincia Insularum, earúmque Præses, *l.32. de nauicul.* vide Sext. Rufum Festum, *in breuiario*, & Notitiam Imperij.

Insulæ sub dispositione Præfecti Prætorio Orientis, *l.2. de litor. & itin. custod.*

De Trium Prouinciarum, Siciliæ, Sardiniæ, Corsicæ Rationali: vide *Notit. Dignit.*

Proconnesus insula in Propontide: vbi metallum quod Proconnense, *l.9.11. de indulgentiis debitorum.*

Montes. Alpes memorantur & Italiæ iunguntur, *l.1. de desertorib.*

Limites Imperij: fluminibus limitatum Imperium, vt Rheno, *l.9. de re milit.* Danubio *l.vnic. de lusor. Danub.* Euphrate, vide *mox.*

Limites Imperij Orientalis nominatim *l.5. de erog. mil. ann.*

In his limitibus Castra militum, annonáque militaris condita, *d.l.15.*

Milites,

Milites, Duces limitum, *d.l.15.*& *l.13.de operib. publ. l.2.de venat. ferarum*. Limitanei milites *l.17.de cohortalib.*v.pluta *Paratitlo de re militari*,& Notitiam Dignitatum.

Lusoriæ Naues *tit.de Lusor. Danuby*.

Terræ limitaneæ quoque militibus traditæ & ab his excultæ;de quibus terris *tit.15. lib.7.* propter curam munitionésque limitis atque Fossati, *d.tit.15. l.1.*

Instructio limitis, *l.21. de annona & trib. l.35.de extraordin. l.28.de susceptorib.*

Ad id exactæ Parangariæ, à quibus nemo immunis erat *l.25. 18. de extraordin.*

Ad limitaneorum annonam Prouinciales etiam longius delegati poterant, *l.21. de annona.*

Annona transuehebatur ad limitem à possessoribus pro loco ac proximitate possessionum, *l.11.21.de annona.*

Limes Mysiacus, Scythicus *l. vnic. de Lusoriis Danub.*

Limes Ægyptiacus, *l 52.*

Eufratensis limes,*d.l.2.* & *l.2.ne Comitib.& Tribunis lauacra.*

Rheni limes, eiúsque custodia:de eo est *lex 9.de re militari.*

Danubij *l.vnic.de Lusor. Danub.*

Rheticus limes,*l.15.de extraord.*seu limes Rhetianus *l.18. eod. tit.* ad huius limitis instructionem Parangariæ exactæ ab omnibus *dict. l.15.& 18.*

Tripolitanus limes: cui Dux Præpositus, *l.133. de Decurion.*

Turres in limitibus per opportuna loca: veluti in Dacia Ripensi,*l.14.de operib.publ.*

De Barbaris nationibus, seu gentibus, Hostibúsque Imperij Romani,

de Postliminio à Barbaris reuersis, vide *tit. de Postliminio 5.lib.5.*

de Linium reparationes his qui per hostes & perduelliones lapsum temporis incurrebant, statim concessa, *l.7.de repar.appell.*

Barbari tum priuati, tum milites plures in Vrbe Romano fuêre.lisque sub Arcadio factionibus opportuni, *l quisquis*,ad *l.Corn.de Sicar.*

Coniurantis cum Barbaris pœna, *l.quisquis*, ad *l.Corn.de Sicar.*

Barbaris prædandi facultatem dantis, vel prædam cum eis diuidentis pœna, *l.1.de re milit.*

Ad nationes Barbaras merces quædam deferri prohibitæ, *l.vlt.de litor. & itin. custod.* veluti pecuniæ, *l.1. si quis pecun. consl.* aliáque de quibus ad eam *l.vlt.* Ideò etiam modus Viatico positus,*d.l.vn.* Et in vniuersum Curiosi litorum constituti, qui merces excuterent, vide *tit.de litorum & itin. custod.*

Nauium fabricandarum peritiam qui Barbaros docuêre, capitali supplicio afficiendi, *l.vltim. de pœnis.*

Auxilia gentium Barbararum fuêre in exercitu Romano.Horum auxiliorum mentio, *in l.22. de erog.mil. ann.* vbi à Legionibus separantur & vexillationibus, quæ ex Romanis fuêre: vide *Paratitl. de re milit.* Hi sunt Barbari, *in quisquis l.de Sicar.*

Fœderatæ gentes, eorúmque Legati, vide *tit.de Legatis.* Fœderati in militia Romana *l.16. de tyronib.*

Serui apud Romanos Barbari: de his *l. vnic. de ædilit. Edicto*: *l.4.de excus. artif.*

Dedititij apud Romanos ex Barbaris multi, vtque in exercitu Romano *l.16. de tyronib.* qui & ipsi seruos habebant, *d.l.16.*

Gentiles, inter Romanos:de quibus *l.vnic.de nuptiis Gentilium*: *l.1.de terris limit. l.62.de appellat.* per limitem Africæ *dictis legibus*, Italiæ,*d.l vnic.*ad curam munitionémque limitis, atque fossati constituti *d. l.1.* seu tuitionem, *d.l.1.*His terræ quædam limitaneæ adsignatæ, *d.l.1.*Cum his connubij ius non erat,*d.l.vnic. de nupt.Gentil* his præerant Præfecti quidam, *d.l.62.* in Africa Prouinciæ ad Proconsulem ab his appellabatur, *d. l.62.* sub Magistro Equitum fuêre, *d.l.vnic.*

Ab his Gentilibus Gentilitius mos *l. vltim. de patrociniis vicorum.*

Dedentes se, vel in fidem recepti, inque solùm Romanum translati Gentiles nonnulli terris adscribebantur:vt per Ægyptum,qui *homologi* coloni dicti inde: qui scilicet terras suas deserere non poterant, & functiones publicas, atque liturgos præstare tenebantur, *l.vlt. de patrociniis vicor.*

Læti hi,nominatim per Occidentem dicti,*l* 10.11. *de veteranis*:indéque terræ læticæ *l.9. de Censitorib.* Lætorum Alamannorum nominatim mentio fit,*d.l.12.*Hi delectibus obnoxij erant, suósque & peculiares Præfectos habuêre, *d.l.10.& 12.*

Legati Gentilium *l.5. de Legatis*, de diuersis gentibus *l.57. de cursu publ.* Regalium *l.9. de re militari* per hæc tempora ad Principes seu Imperatores missi: putà Rheno vicinorum, Francorum scilicet,seu Alamannorum,de quibus accipienda est dicta *lex 9* Armeniæ item vicinarum gentium, *d. l.57.* Ægypto vicinarum, *d.l.5.*

His cursu publico vti licuit: annonæque & pabula ipsis eorúmque animalibus, seu pecoribus præbebantur, *d. l.9. de re militari*: *l.57. de cursu.*

Regales gentium memorantur *l.9.de re militari*: reguli, *l.5. de Legatis.*

de Alamannis nominatim accipio *legem 7. de repar.appell.* quæ lex data Anno D.379. Treuiris à Gratiano ad Siluium PP.(vt puto Gallicarum) quò pertinent quæ Ausonius *Idyllio* 8. vide & Sozomenum,*lib.7.c.4.*Zosimum *lib.4.* quomodo & ad Victoriam de Alamannis refero *legem 2. & 3. ne quid publ. lat.* Ad eosdem quoque pertinet, & ad eorum Regales *l 9.de re milit.* Lætus Alamannus *l.12. de veteranis.*

de Armeniorum Rege Arsace sub Constantino Magno fœderato,qui possessiones in Imperio Romano quasdam habebat, sed immunes ab annonis & tributis,*l.1.de annona & trib.*

Gentes diuersæ Armeniæ conterminæ, *l.57. de cursu publ.*

Axumitæ & Homeritæ.

Horum mentio *l.2.de Legatis.*

Fœderati hi Romanorum fuêre: & vltro citróque inter hos Legati commeauere,*d.l.2.*

Franci ad summas dignitates promoti.

Magnentius natione Francus Siluanus,Bappo, Merobaudes, Tautomeres, Bauto Ellebichus.

Richomeres inter alios Comes & Magister militum *l.13. de re militari*, idémque & Consul.

Regales Francorum, de his accipio *legem 9.de re milit.*

Scythæ, & Gothi.

De Barbara, id est, Alariciana vastitate, vide *l.10. de tyronibus*, seu feritate, *legem 2. de*

litorum & itinerar. custod.

De Scytharum & Gothorum in curſibus accipienda *lex 25. de petitionibus* : & *lex 2. de Poſtlim.*

Hoſtium, id eſt, Gothorum incurſione vaſtata Campania, *l. 1. de indulg. debitor.*

Iſauri latrones : de his *l. vlt. de Quaſtionib.*

Aſturiani & Subafrenſes, vide *tit. peculiarem*, de his 19. *lib. 7.*

Sarmatæ dilectibus obnoxij & legionibus inferendi, *l. 12. de Veteranis.*

de Scythis & Sarmatis accipio, *legem 1. de re militari.*

Hoſtilis impetus, de quo *in l. 16. de tyronibus*, eſt Alarici, dagaiſi in Italiam.

Vaſtitas Barbara in Italiæ ſiue Vrbis ſolo eſt Alariciana *in l. 20. de tyronib.*

Sofanena, cuius mentio in inſcriptione *legis vltim. de auro coronario*, vt & Satrapæ Sofanenæ. Hic vna cum aliis Satrapis pro deuotione, quam Imperio Romano debebant, coronam auream Imperatori ſolemniter (& ſingulis annis offerre tenebatur, *d. l. vlt.*

Barbaries omnis inuitata inquietata à Stilichone, *l. 22. de bonis proſcript.* Gothi ſcilicet Vandali & Alani, Alamanni, Franci, Burgundiones.



INDEX



INDEX RERVM ET VERBORVM, SEV GLOSSARIVM EORVM quæ in CODICE THEODOSIANO & Commentariis continentur.

Primus numerus, Tomum: Secundus, paginam: Tertius, columnam designat.

A

de

Index Rerum

Auxiliom

Index Rerum

Celebritas

Coloni

D

Dignitatis,

E

Edictum

Expunctus,

Filij

G

I

Inspecto

K

L

Libellorum

Luxus

Mensuræ

Multæ

N

O

Ornamenta

Passio

de

Puluera

de

S

 PPp Salarium

Senator

in

Testandi

Tributarij,

V

Index Rerum & Verborum.

GLOSSA

GLOSSARIVM NOMICVM CODICIS THEODOSIANI.

Primus numerus Legem , Secundus Librum , Tertius Titulum indicat.

A

A PRÆPOSITIO omissa quorum consortio recesserunt pro à consortio *l.1.de patrocin. vic. lib.11. tit.24.*

A libertis alienare *l.3. de dotibus* 1. in liberorum necem in alium alienare. 3. *tit* 13.

A vigiliis & laboribus *l.vlt.de primicer. & notis*, id est,post vigilias & labores. 6.t.10.

Ab esse *τμήτικ* ab obsequio esse *l.1. ne opera à conlator.* 11 *tit* 10.

Ab hominibus dispendia esse , *l.10. de Episcopis*, 16.t 2 sic & infra inter esse.

Ab ominibus bonis defuncti pro ex omnibus *l.vnic.de his qui se deferunt* 10.t.11.

Abactores quibus adnumerantur seu æquantur,qui equorum vsum sibi iure denegatum vsurpant, & eorum pœnæ *l. 1.2.3. quibus equus* 9.t.30.

Abacti animalis causa inter leuiores *l.8. de iurisdict.*2.t.1.

Ab alienandi facultas *l.2. de secund. nupt.*3.t.8.

Abd cati re aliquâ veluti Codicillis honoratis *l.1. de honor. codicill.* 6.1.22.

Abdita oppida metropolibus & splendidissimis ciuitatibus opponuntur *l.14. de operibus publicis* 15.1.1.

in Abdito res conlocatæ *l.1. de pistorib.*14.1 3.

Abducere volentem quis dicitur rapere inuitam, *l 1.de raptu virginum* 9.t.24.

Abducere licentiam pro auferre, adimere *l.12. de cursu* 8.t.5.

Abhorret à moribus nostris *l.de alimentis.* 11.t 27.

si Abhorreant à conditione seruili , id est , si alieni sint *l.vnic.de perfect.dignit.*6.1.37.

Abiicere & abiecti de his qui officio non fungentes è schola aliquâ eiecti , expuncti , *lib.*18. *de agentib.in reb.6.t.27.l.9 de executorib l.15.de Palatinis* 5 *l.*Iidem & eiecti v.g.& proiectitvide & *l.reconsu.*

de Abiectis Episcopatu, vide *l.35. de Episcopis* 16.t.2.

Abiectæ pudicitiæ & portentosæ vilitatis *l.1.in fin. de reuoc. donat.*8 t.13.

Abinde translatis abinde familiis *l.* malè abundè.

Tom. V I.

Abire permitti *l.vltim. in fin. quid prob. deb.* 7.t.2. dimitti alibi *l.27.* 33 40. *de cursu publ.* 8. *tit*:5. malè id in ambire nonnulli mutant.

Abiurare , ne petentibus aliquid abiuretur *l.2. de bonis vacantib.* 10.t.8.

Pretium Abiuratum *l.vlt.de vestib.olou.*10 1.21.

Ablegare in exilium *l 57. de heret.* 16 1.5.

Ablegatio *l.2 de Episcop.iud.*16,t *vlt.*

Abnutiuum duplex *v.l. negatiua.*

Aboleri absolutè pro flamuris aboleri *l.3 6. 14. de indulg. debitor.*11.t.18

Abolitio de abolitionibus est *tit* 37. *lib* 9. & *l.2. vt intra annum* 9 1.36.*l* 2 *ad l.Iul.de adult.*

Abominandi Pagani *l 26.de Iudæis* 16.t.8.

Abominanter, si quis filiam fratris sororisve faciendam reddiderit abominanter vxorem *l.1. de incestis nuptiis* 3.t.12.

Abradere mensuram circuli exterioris in solido, ita enim legendum *in l.vnic.si quis solidum circulum abraserit* , vel certè adroserit : vide *T. adrodere* .9.1.22.

Abrogare bona pro adimere auferre *l.3. ad l. Iul. de vi.*9.t.10.

de Abrogatione legis *l.28. de Episcopis* 16 1.2.

Abrogata dilapidatio bonorum *l.vnic. qui bon. de leg.Iul.ced.* 4.*tit.*10 imò adrogata alibi.

Abruptè , & Abrupto ** Victor in Alexandro, *Romanum statum quasi abrupto præcipitauêre.* Ammianus *lib.14.c.3. quæ abruptè mariti fortunas trudebant* , & *lib* 15 *damnabantur abruptè.*

Abruptus humo,præceps& mori cupidus a Tertulliano *de corona milit. c.1.* Idem *animos abruptos* dixit *de Trinit. c.7.* Idem *c.20 Erroris semper est abruptâ dementia* , & de Anima *cap.8. Abruptum & absurdum.*

Omnes stationes nauium, portus , littora ; omnes *abscessus* Prouinciarum , abdita, quin etiam loca & insulæ *l 2.de litter & itin.custod.*7 t.16.

Abscisa spes,id est,adempta.

Abscisa spe totius defensionis *l 9.de desertor.*7 t.18. [similiter *l.35. ff. de euiction.*] & apud Liuium non semel.

Absentare , absentem reddere quos crimen desertionis absentat, *l.84.de Decurionib.* 12.1.1.

Absolutus Sacramento militari , cingulo militari, *l.147.de Decurionib.* 12,t 1.

Absoluta dignitas quæ expletis patriæ muneribus curiali obtingit, *l.* 94. *de Decurionib.* 12. *t.* 1. paulò ante liber honoe vocatur.
Euidenter atque *absolutè* iubemus *l.* 20. *de extraord.* 11. *t.* 16.
Absolutè respondeti *l.* 13. § *vlt. π. de ann. legat.*
Vt vniuersis ab intestato venientibus etiam post mortem peccantis *absolutam*, id est, liberam vocem insimulationi congruæ non negemus, *l. vlt. de Apostatis* 16. *t.* 7.
Absque ita repulsi: hactenus, vbique, his, quibus liberum commeatum clementia nostra concesserit, in omnes reliquos, &c. *l.* 18. *de Prætor* 6. *t.* 4. Hoc sensu vox hæc *absque* apud Victorem *Schott. c.* 1. & 3. vt cum ait: *Felix adeò (absque liberis tamen simulque coniugio,)* vt, &c. Symmachus *lib.* 4. *epist.* 56. absque paucis.
Quisquis in domo patrimoniove suo vel qualibet *abstrusa* & longissimè à se discreta possessione, &c. *l.* 9. *de desertorib.* 7. *t.* 18.
Absumitur vsusfructus, id est, finitur *l. vlt. ad l. Corn. de sicc. circa fin.*
Naturali sorte *absumptus*: *l.* 41. *de Episcopis* 16. *tit.* 2.
Quoniam ex paucis plurima commissa non *absurdè* suspicamur, &c. *l.* 53. *de Decurionibus* 12. *t.* 1.
Si tamen in eorum, quos pulsauerint facultatibus *abundare*, aut fidere id potuerint comprobare, *l. vlt. de infirm. b. q. sub Barb.* 15. *t.* 14.
Accedere, ita accedere ad administrationem *l.* 1. *π. de contr. tut. l.* 5. *π. de magistr. conu. l.* 20. *π. de admin. & peric. tut.* ad vectigal conducendum, *l.* 1. *Cod. ne tutor vel cur.* ad Procurationes vel Curas Ciuitatum, id est, fieri Procuratorem vel Curatorem ciuitatis, *l.* 20. *de Decurionibus* 12. *t.* 1.
Nullum fomitem calumniæ patimur litis *accendi* *l.* 29. *circa fin. de petitionibus* 10. *t.* 10.
Accendere culpam Symmachum *lib.* 1. *epist.* 82.
Accepti expensique ratio *l.* 14. *de iure fisci* 10. *tit.* 1.
Accepto ferri, *l.* 6. 27. 28 *de operib. publ.* 15. *t.* 1.
Quotiescumque auri massa transmittitur, in septuaginta duos solidos libra feratur *accepto*, *l.* 13. *de susceptorib* 12. *t.* 7.
Omnes publicas securitates, quæ gestis tenentur, à susceptoribus fieri *accepto*, *l.* 76. *de susceptoribus.* 12. *t.* 6.
Nec in *acceptum* ei qui susceperit, referendum, *l.* 28. *de susceptorib.* 12. *t.* 6.
Calculus nequaquam *feratur acceptus l.* 32. *de nauicular.* 13. *t.* 5.
Accessio, fœnus, & incrementum, qui studentes fœnori, crescentis in dies singulos pecuniæ Accessione lætantur, *l.* 18. *de lustrali conlat.* 13. *t.* 1. eodem sensu *l. vlt. de admin. tutor.* [Horatius 1. *ep.* 1.
Multis occulto CRESCIT *res* FOENORE.
Accessio vsurarum, *l.* 15. *π. de SC. Maced.* hinc *tit. de vsuris: Fruct. liber. & causa, & omnibus accessionibus.*
Si qui ex-Præsidibus, vel Perfectissimatus *accessione* cumulati esse nascuntur, *l.* 42. *de Decurion.* 12. *t.* 1.
Accipere, id est, admittere. Ita appellationem accipere dicitur Iudex, qui eam à se factam, admittit, *l.* 4. *de appellat.* 11. *t.* 30.
Recipere, vide *infrà*, suscipere *infrà*.
Acerire manes *l.* 5. *de malefic.* 9. *t.* 16. vide *infrà* *Manes* [Sollicitare vmbras Manilio *lib.* 1. *p.* 4. *v.* 6.]

Accusare non sufficit, *l.* 9. *de fide testium*, 11. *t.* 12. [Quis alioquin erit innocens.]
Filios contumaces, qui patres vel *acerbitate* contumeliarum, vel cuiuscunque atrocis iniuriæ dolore pulsassent, &c. *l. vnic. de ingenuis*, *lib* 8. *t.* 14.
Iniuriæ acerbitas. Symmachus *lib.* 10. *Pœnarum* acerbitas *l.* 2. *de raptu virginum* 9. *t.* 2.
Sceleris raptus acerbitas, *l.* 1. *de raptu vel matrim.* 9. *t.* 25.
Vt nullos audeat ad loca iutiora etiam *acerbitate* temporis cogente succedere, *l. vltim. de curiosis.* 6. *t.* 29.
Acerbiùs ad solutionem ab exactore; ita acerbus exactor *l* 33. *π. de vsuris*, peturgendi, *l.* 6. *de diuersis rescript.* 1. *t.* 2.
Vbi falsi examen incidetit, *acerrima* fiat indago argumentis, testibus, scripturarum conlatione, aliisque vestigiis veritatis, *l.* 2. *ad l. Corn. de falso*, 9. *t.* 19.
Thermas Honorarias Porticus præcurrat *acie* columnarum, *l.* 50. *de operib. publ.* 15. *t.* 1.
Acrimonia testis plerumque accedit, vt aduersarij calliditas testes subtrahat, qui veritatem, audaciâ, vel *acrimoniâ* superant, *l.* 7. *quorum appellat.* 11. *t.* 36.
Aëcius Neoptolemo apud Non. *cap.* 8. *v. Acritas & vis veritatis atque* ACRITAS.
Nonius *Lycurgo mei ferii ingenij atque animi acrem* ACRIMONIAM.
Aëcius Neoptolemo *vim*, *ferociam*, *animum*, *atrocitatem*, *iram*, ACRIMONIAM.
Minus rectè Nonius, & dilutè nimis, qui animi vinacitatem interpretatur. Auctor ad Herennium *lib.* 1. Conuenit igitur pudorem & Actimoniam in vultu esse. [Græcorum Prouerbium: τὸ ἀληθὲς πικρὸν apud Socratem *histor. Eccles.* scriptorem & alios. D. Chrysostomus *initio Troici*; τὸ μὲν ἀληθὲς πικρὸν ἐστι κὰ ἀηδὲς τοῖς ἀνοήτοις.
Et erat è Stoicorum scitis hoc vnum, omnes sapientes ACRIMONIA, & auctoritate censeri. Itaque & similes, vino quod medicaminis vim obtineret, ad compotationes ineptum esse. Laërtius *Zenone*: [Greek text illegible]
Ad hoc Stoicum dogma allusum à Persio, Satyra 1.
MORDACI radere viro
Auriculas 1. & Satyra 5.
Stoicus hic
Aurem MORDACI lautus aceto.
Itaque *Acrimonia* testis hic qui veritatis studio incensus à veritatis orbita nunquam recedit. RIGIDUS. Lucanus *lib.* 2. *rigidi seruator honesti.*
Audacia qui tormenta quæuis sufferre possunt: vide *Audacia.*
Illum describit ex Stoicorum disciplinâ quoque Horatius 3. *Carm.* 3.
Iustum & TENACEM PROPOSITI virum
Non ciuium ardor praua iubentium
Non vultus instantis Tyranni
MENTE quatit SOLIDA, &c.
Et 1. *Epist.* 16.
Vir bonus & sapiens audebit dicere, Pentheu Rector Thebarum, quid me perferre patique INSIGNVM COGES? Adime bona, &c.

Debitæ

Vt ademptio facultatum, pœnam præmissæ indignationis *adcumulet*, *l.29. de petitionibus.* 10.t.10.

Addicere venditor, dicitur *l.1.de prædiis & mancip. Curiali.*2.t.3.

Adcò, id est, tam necessario. Et si adcò aliquid fuerit inchoandum, ab aliis ciuitatibus conueniat temperari, *l.14.de operib. publ.*15 t.1.

Adfatim ea pretia, quæ in Campaniâ per singulos annos reperiuntur, suariis Vrbis Romæ debent solui: ita vt periculo suariorum populo porcinæ species adfatim præbeatur, *l.3. de suariis.* 14.t 4.data anno 363. Victor Schotti, illius *l σύγχρον@, in Aureliano simúlque vsus porcina carnis, quò plebi Romana AFFATIM cederet, prudenter magnificéque prospectauit.*

Quibus locis adfatim pro viritim accipio: Victor vulgaris. *Porcina carnis vsum populo instituit:* vsum gratuitum, scilicet. Gl. Philoxeoi.

Adfatim, *ἅλις, μεγαλοπρεπῶς, ἀφθόνως*, ab affatu.

Agroëtius *de ortograph. affatim, de affatu dictum est.*

Eodem sensu, *l.vnic.de mendicantib validis.*

Cunctis adfatim, quos in publicum quæstum incepta mendicitas vocauit, inspectio exploretur in singulis.

Adfatim, abundè, satis, *l.122. de Decurionibus.* 12.t.1.

Adfectatis dolis, *l.6.de haret.* 16.t.5.

Adfectiones, qui aliàs adfectus, liberi, *l.3 de naufragiis.* 13.t.9. & *l.11.de Episcopis.* 16.t.2. Sic enim eâ *l.*repono, *per affectiones*, vt sequentia ostendunt: non quod voluit Brugius, *per factiones*: vide *infrà affectiones.*

Adoptiuum, id est, gestis ante Curiam *adfiliatam* Anianus ad *l.2.de legitimis hared* 5.t.1.

Culpæ adfines, *l.29.de hareticis.* 16.t.5.

Cupiditatis adfines Tertulliano *de patient.*7. idololatriæ adfines *c.*10.

Adflictatio iniuriarum, *l.12. de appellationibus.* 11.t.30.

Exceptis his, qui crimine Maiestatis fuerint *adflicti*, *l.8 in fin.de bonis proscr.*9.t.42.

Si aliquis supplicio fuerit *adflictus*, *l 9. de bonis proscr.* 9.t 42.

Remotis iniuriis iussimus Veteranis nostris, vel *adgnatis* licere emere, vendere, &c. *l.9.de Veteranis.* 7.t.10.

Quicunque militiam, cùm esset Curialis *adgressus* est, *l.129 de Decurion.* 12 t 1.

Si qui in Archiatri defuncti est locum promotionis merito *adgregandus*, *l.9. de Medicis.* 13.t.3.

Senatorum censibus *adgregentur*, *l.1.de protestasia.* 11.t.23.

Merito Consularibus *adgregetur*, *l.6.de Agentib.* 6.t.27.

Curiis *adgregentur*, *l.5. de filiis militari apparit.* 7.t.22.

Munus Curialibus *adgregatur*, *l.133.de Decurion.* 12.t.1.

Curiis *adgregentur*, *l.8.de cohortal.* 8.t 4.

Si officio cohortis *adgregaric*, *l.83. de Decurion.* 12.t.1.

Curiis *adgregabuntur*, *l.56.de Decurion.*12.t.1.

Ordinibus Curiarum non *adgregemur*, *l.66. de Decurion*, 12.t.1. mox, adgregandos.

Curialibus sine dubio muneribus, atque obsequiis *adgregari*, *l.1.de filiis militari apparit.* 7 t.22.

Functorum cœtibus *adgregari*, *l.10.de Pratorib.* 6.t.4.

Domesticorum cœtibus *adgregamus*, *l.2. de domesticis.* 6.t.24.

Vestris cœtibus *adgregentur*, *l.42.de Decurionib.* 12.t.1.

Qui venerando cœtui Senatus fuerint *adgregati*, *l.12.de prox.Com, disp.* 6.t.26.

Clericorum se cœtibus *adgregarant*, *l.15.de Episcopis.* 16.t.2.

Si quis sacrilegis cœtibus *adgregetur*, *l.7.de Iudæis.* 16.t.8.

Fisci nostri compendiis *adgregandum*, *l 54.de haret.* 16.t.5.

Fisci nostri corporibus *adgregentur*, *l.vnic. de Saturianis.* 7 t.19.

Fisci nostri viribus *adgregari*, *l.31. de Episcopis*, 16 t.5.

Fisci nostri vtilitatibus *adgregandas*, *l.54.vers.igitur, de haretic.* 16.t.5.

Sciat fundum fiscalis tituli proscriptione signatum priuatis rebus nostris *adgregandum* addendum incorporandum, *l.4. de aquæductu.* 15.t.2.

Rei nostræ *adgregata*, *l.16.de iure fisci.* 10.t.1.

Ei patrimonio, quod nostrum est, placuit *adgregari*, *l.8, de iure fisci.* 10.t.1.

Muneribus ciuicis *adgregari*, *l.17. de Decurionib.* 12.t.1.

Omnes ciuilibus necessitatibus *adgregentur*, *l.17. de Decurion.* 12.t.1.

Eo anno quo fuerint numeris *adgregati*, *l.7.de tyronibus* 7.t.13.

Ciuitatum obsequio *adgregantur*, *l.79. de Decurion.* 12.t.1.

Prædicto *adgregentur* obsequio, *l.2.de filiis milit. apparit.* 7.t.22.

Ne Veteranorum filij officiis Præsidialibus *adgregentur*, *l.6.de fil.mil.apparit.*7.t.22.

Officiorum consortiis se *adgregauit*, *l.7.de fil.mil. apparit.* 7.t.22.

Diuersis se officiorum priuilegiis, &c. *adgregarunt*, *l 134 de Decurion.* 12.t.1.

Palatinis sunt officiis *adgregati*, *l.35.de Decurion.* 12.t.1.

Profanis ritibus *adgregati*, *l.41.de haret.* 16.t.5.

Eo tempore, quo iam honoratis viris cœperit *adgregari*: *l.20.de Agentibus.* 6.t.27.

Ad necessitatem pensitationis *adhibeat*, *l.5.de lustrali conl.* 13.t.1.

Adiecta superindicta.

Neque *adiectis* sæpius, ac præter primum delegationis Canonem postulatis adficiantur impendiis, *l.13.de extraord.* 11.t.16. ἀυξανόμενα Synesio.

Adipiscendi licentia testamenti, id est, adipiscendi ex testamento, *l.17.de haret.* 16.t.5.

Si publicam iudiciorum *aditionem* amicitiarum forsitan impediuit affectio, *l.vnic. si cert.petat. de chirograph.* 2.t.27.

Aditio Prætor. *l.1.§.numeratur, ff.de op.noa. nunc.*

Inque publicis neque priuatis *aditionibus*, id est, conuentibus *l.12.de haret.* 16.t.5.

Adiudicari fisco res alicuius *l.4. de operibus publ.* 15.t.1.

Adiumentum, *les Aydes.*

Si nunquam obstiterit tanta necessitas, vt aliquid in *adiumentum* ærarij nostri publica requirat expensa, adiuuati nos biennali pensione præcipimus, *l 4 de conlat.donatar.* 11.t.20.

Adiuncta, pro, iniuncta, *l.10.de curiosis* 6 t.20.

de *Adiutoribus* inter officiales dixi ad *l.10. de cohortalib.* 8.t.4.

Adlecti, & *Adlectionis*, honor: vide *lib.de Senatu, & de oneribus & expensis Senatoriis.*

Adlecti

Codicis Theodosiani.

Ádlecti & legati *l.15.18.de extraordin.*

Adlectio, quâ Principis beneficio immunitas à Senatoriis functionibus Præturæ onere: datur, quasi iam functis, hinc *adlectionis* honos, *l.10.de Prætoribus 6.t.4.* vbi dixi.

Adlecti & immunes à Senatoriis descriptionibus, *l.1.de decurion.& fil. 6.t.23.*

Adlectio, *l.7.de domesticis. 6.t.24. l.7.de priuil. eor. qui in s.pal.*

Inter Allectos *l.8.9.10. d. tit.* & *l.vnic. de præpos. l.vnic.de Palatinis*, & *l.vlt.* Labor; nullis Senatoriis muneribus adstringendi, vt explicatur *d.l.9. d. tit.* ita vt à Senatoriis functionibus habeantur immunes *l.10.d.t.*

Donationum instrumenta apud acta *adlegare*, *l.3. de donat. 8.t.12.*

Adminicula æquitatis, vt hoc facto tanquam interposita appellatione hisdem æquitatis adminicula tribuantur, *l.30.de appellat. 11.t.30. l.vlt. Cod de his qui per metu.*

Adminicula appellationum, *l.11. de appellat. 11.t.30.*

Regio Vrbicaria, *l.1.si per obrept.*11.t.13.*l.3.quibus equorum vsus.* 9.t.30. *l.3. tributa in ipsis specieb. l.14.de indulg. debit.* 11.t.28.*l.9.de extraordinar.* 11.t.16.
Vrbicum, pistores Vrbici, *l.2.de nauic.* 13.t.5. Annonæ Vrbicæ apud Vopiscum.
Vrbs, per excellentiam, de Alexandrinâ, *l.5. de Legatis.* 12.t.12. *l.9.de operibus publ.* 15.t.1.
Vrgere commotionem, *l.62.de haret.* 16.t.5.
Vrguere, pro accusare, *l.9.de accusat.* 9.t.1. in Iust. Cod. arguere *l.41.de haret.* 16.t.5.
Vri exilio perpetuæ deportationis, *l.40. in fin. de Episc.* 16.t.2.
Infamiâ vri, *l.4.de Apostatis.* 16.t.7. vide Iuretum in Symm. *lib.5.ep.66.*
Vrnæ quibus clausa corpora supra terram, *l.6. de sepulchr. viol.* 9.t.17.
Vsque nunc, *l 2.de fide Cath.* 16.t.1.
Vsualis pes & vnciæ, *l.3.de tyron.*7.t.13.
Vsuræ, de vsuris est *lib.2.t.vlt.* 2.t.36.
Vsurpare lucem, *l.7.in fin. quorum appellat.* 1 *lege* 1.

SVPPLEMENTVM CODICIS THEODOSIANI,

SEV

CONSTITVTIONES CCCXX. CIRCITER,

quæ è Codice Theodosiano desumptæ vel interpolatæ fuerunt, & in solo Codice Iustinianeo reperiuntur.

EX LIBRO I.



Lex, non plures 4. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.
Lex, quisquis censibus 16. Cod. de Episcopis.
Lex, si quis ex consensu 7. Cod. de Episcopali audientia.
Lex, Episcopale iudicium 8. Cod. de Episcopali audientia.
Lex, vn. Cod. nemini licere signum.
Lex, nemo Iudæorum 7. Cod. de Iudæis.
Lex, fideli 2. Cod. de his qui ad Eccles.
Lex, iam dudum 1. Cod. de his qui in Ecclesiis manum.
Lex, inter æquitatem 1. Cod. de legibus.
Lex, quæ ex relationibus 2. Cod. de legibus.
Lex, leges vt generales 3. Cod. de legibus.
Lex, digna vox 4. Cod. de legibus.
Lex vnic. Cod. de Senatusconsultis.
Lex 3. Cod. de precibus Imp. offer.
Lex, si quis aduersus 5. Cod. de precibus Imp. offer.
Lex, vniuersis 6. Cod. de precibus Imp. offer.
Lex, rescripta 7. Cod. de precibus Imp. offer.
Lex, puniri 3. Cod. si contra ius.
Lex, etsi legibus Cod. si contra ius, &c.
Lex, sacrilegij 5. Cod. de diuersis rescriptis.
Lex 1. Cod. de statuis & imaginibus.
Lex, si quos Iudices 3. Cod. de officio PP. Orient.
Lex, de ordinario 4. Cod. de officio PP. Orient. & Illyrici.
Lex, si qui post hac 5. seu vlt. Cod. de off. PP. Orientis & Illyrici.
Lex 1. Cod. de officio Præfecti Vrbi.
Lex, quod promulgatis 2. Cod. eod. tit.
Lex, Præfectura 3. Cod. eod. tit.
Lex, omnia 4. Cod. eod. tit.
Lex, Primicerius 5. seu vlt. Cod. eod. tit.
Lex 1. Cod. de officio Magistri milit.
Lex, Apparitores 2. Cod. eod. tit.
Lex 1. Cod. de off. quæstoris.
Lex, omnes 2. Cod. eod. tit.
Lex 1. Cod. de off. Magistri officiorum.
Lex, nemo 2. Cod. eod. tit.
Lex vnic. Cod. de off. Com. S.L.
Lex 1. Cod. de off. Com. R.P.
Lex, ad Palatinorum 2. Cod. eod. tit.
Lex, si quis Iudicum vlt. Cod. eod. tit.
Lex 1. Cod. de off. Proconsulis.
Lex 1. Cod. de off. Præf. Augustalis.
Lex 2. Cod. eod. tit.
Lex 1. Cod. de off. Vicarij.
Lex, relationes 2. seu vlt. Cod. eod. tit.
Lex, præsides 2. Cod. de off. Rectoris Prouinc.
Lex, iustissimos 3. Cod. eod. tit.
Lex, in officiales 4. Cod. eod. tit.
Lex, potioris 5. Cod. eod. tit.
Lex, Ciuitas 6. Cod. eod. tit.
Lex, qui ordinariam 7. Cod. eod. tit.
Lex, ne quis 8. Cod eod. tit.
Lex, nullus 9. Cod. eod. tit.
Lex, nullum 10 Cod. eod. tit.
Lex, omnes 12. Cod. eod. tit.
Lex vnic. Cod. de off. Præf. vigilum.
Lex 2. Cod. off. ciuil. Iud.
Lex 3. Cod. de off. milit. Iud.
Lex, singuli 2. Cod. de off. diu. Iudicum.
Lex 2. Cod. de off. eius qui vicem alicuius, &c.
Lex, Præsides 2. Cod. de adsessoribus.
Lex, Consiliarios 3. Cod. eod. tit.
Lex, Domesticus 4. Cod. eod. tit.
Lex, nemo 5. Cod. eod. tit.
Lex, si post 9. Cod. eod. tit.
Lex, Illustres 4. Cod. de modo multarum.
Lex, multatum 5. Cod. eod. tit.
Lex 6. seu vlt. Cod. eod. tit.
Lex 1. de defensoribus ciuit.
Lex, Defensores 2. Cod. eod. tit.
Lex, vtili ratione 3. Cod. eod. tit.
Lex, in Defensoribus 4. Cod. eod. tit.
Lex, Defensores 8. Cod. eod. tit.
Lex 2. de Magistratibus municipal.

EX LIBRO II.

Lex, vbi pactum 40. Cod. de transactionibus.
Lex, si qui Aduocatorum 4. Cod. de postulando.
Lex, prouidendum 7. Cod. eod. tit.
Lex, qui necessario 2. Cod. de aduocatis diuers. iudiciorum.
Lex, quidquid 5. Cod. eod. tit.
Lex, Procuratoribus 22. Cod. de Procuratoribus.
Lex, quicunque 5. Cod. eod. tit.
Lex, in pecuniariis causis 26. Cod. eod. tit.
Lex 1. Cod. vt nemo priuatus titulos.
Lex, si per impressionem 11. Cod. de his quæ vi metusve causa.
Lex 1. Cod. de formulis.

EX LIBRO III.

Lex, quoniam 4. seu vlt. Cod. de ordine Iudicior.
Lex, siue pars 3. Cod. de dilationibus.

Lex,

Lex, à procedente 4. Cod. eod. tit.
Lex, omnes Iudices 3. Cod. de feriis.
Lex, à nullo Iudice 4. Cod. eod. tit.
Lex, publicas 5. Cod. eod. tit.
Lex, nemo 4. Cod. de Iurisdict. omnium Iud.
Lex, in criminali 5. Cod. eod. tit.
Lex, Magisteriæ 6. Cod. eod. tit.
Lex vnic. Cod. vbi de possessione.
Lex 2. Cod. vbi in rem actio.
Lex, actor, vlt. Cod. eod. tit.
Lex, nemo 2. seu vlt. Cod. vbi de ratiociniis.
Lex 1. Cod. vbi quis de Curiali.
Lex, Senatores 2. Cod. vbi Senatores.
Lex, ad fiscum 5. Cod. vbi causæ fiscales.
Lex, si quis 6. Cod. eod. tit.
Lex, dominicis 7. Cod. eod. tit.
Lex, cum aliquid 8. Cod. eod. tit.
Lex, nullum 10. Cod. eod. tit.

EX LIBRO IV.

Lex, quisquis Iudici 16. quod si certum petator.
Lex, in exercendis 15. Cod. de fide instrum.
Lex, pro auro 25. Cod. de vsuris.
Lex, in re mandata 21. Cod. mandati.
Lex, in re mandata 21. Cod. mandati.
Lex, quia nonnunquam 3. Cod. quæ res venire.
Lex 4. seu vlt. Cod. eod. tit.
Lex 1. Cod. quæ res venire.
Lex 1. Cod. de Eunuchis.
Lex 1. Cod. de patribus qui filios.
Lex vlt. Cod. de rescind. vendit.
Lex vlt. Cod. de nundinis.
Lex, vniuersi 5. Cod. de vectigalibus.
Lex, ex præstatione 7. Cod. eod. tit.
Lex, à Legatis 8. Cod. eod.
Lex, vsurpationem 9. Cod. eod.
Lex, vectigalia 10. Cod. eod.
Lex, si quis sine persona 11. Cod. eod.
Lex, quidquid 12. Cod. eod.
Lex, exceptis his 13. seu vlt. Cod. eod.
Lex, vlt. Cod. vectigalia noua.
Lex, non solum 1. Cod. de commerciis.
Lex, nobiliores 4. Cod. eod.
Lex, Mercatores 4. Cod. eod.
Lex, cessante 5. Cod. eod.
Lex vlt. Cod. eod.

EX LIBRO V.

Lex celebrandis 19. Cod. de nuptiis.
Lex, in coniunctione 20. Cod. eod. tit.
Lex, à caligato 21. Cod. eod.
Lex, qui contra 4. Cod. de incestis nupt.
Lex, fratris vxorem 5. Cod. eod.
Lex 1. Cod. de secundis nupt.
Lex, cum aliis 4. Cod. eod.
Lex, vxor 7. Cod. de repudiis.
Lex 1. Cod. ne fideiussor. vel mand. dot.
Lex vnic. Cod. de concubinis.
Lex 1. Cod. de naturalibus liberis.
Lex, matre 2. Cod. eod.
Lex 2. seu vlt. Cod. de tutoribus Illustrium.
Lex, curator 12. Cod. qui dare tutores.
Lex vlt. qui dari tutores.
Lex, quæ tutores 22. Cod. de administ. tutor.
Lex, excusationem 24. Cod. de excusat. tutor.
Lex vlt. Cod. de prædiis & aliis rebus minor.
Lex, & sine 4. Cod. quando decreto opus.

EX LIBRO VI.

Lex, si fugitiui 3. Cod. de seruis fugitiuis.
Lex, quicunque 4. Cod. eod. tit.
Lex, mancipia 5. Cod. eod. tit.
Lex, cum seruum 6. Cod. eod. tit.
Lex, si quis seruum 7. Cod. eod. tit.
Lex, si quid publicorum vlt. Cod. eod. tit.
Lex vlt. Cod. de operis libertorum.
Lex 2. Cod. de bonis libertorum.
Lex, quicunque 8. Cod. qui admitti ad bon. poss.
Lex vlt. Cod. eod. tit.
Lex, milites 15. Cod. de testam. mil.
Lex, Eunuchis 5. Cod. qui testam. fac.
Lex, si quis Imperatorem 6. Cod. eod. tit.
Lex, cum hæredes 7. Cod. eod. tit.
Lex, quoniam 15. Cod. de testamentis.
Lex, non dubium 16. Cod. eod. tit.
Lex, omnium 19. Cod. eod. tit.
Lex, extraneum 11. Cod. de hæredibus instit.
Lex, si infanti 18. Cod. de iure delib.
Lex vlt. Cod. quemadm. testam. aper.
Lex, si idem 7. Cod. de codicillis.
Lex, in Legatis 21. Cod. de Legatis.
Lex, matrea 3. Cod. ad Senatusconsultum Tertullianum.
Lex, si qua mulier 4. Cod. eod. tit.
Lex 1. Cod. de hæredit. decurionum.
Lex, si quis cohortali 3. Cod. eod. tit.

EX LIBRO VII.

Lex, apud Concilium vlt. Cod. de vindictâ libert.
Lex, iubemus 41. Cod. de liberali causa.
Lex vlt. Cod. eod. tit.
Lex vlt. Cod. de ordine cognitionum.
Lex vltim. Cod. de longi temp. præscript. quæ prohib.
Lex 10. Cod. de adquir. & retin. poss.
Lex 1. Cod. de quadriennij præscript.
Lex 1. Cod. ne rei dominicæ.
Lex, vniuersas 2. Cod. eod. tit.
Lex, malè agitur 2. Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum.
Lex, hi quos 2. Cod. de allunionibus.
Lex 2. Cod. de sententiis ex periculo.
Lex, Iudices 12. Cod. de sententiis & interlocut.
Lex vlt. Cod. de pœnâ Iudicis qui malè iud.
Lex vlt. Cod. comminationes, epistolas.
Lex, & in maioribus 20. Cod. de appellationib.
Lex, cùm appellatio 13. Cod. eod. tit.

EX LIBRO VIII.

Lex, si quis post hanc legem 6. Cod. de ædific. priu.
Lex, nemini 7. Cod. eod. tit.
Lex, singulorum 8. Cod. eod. tit.
Lex, per Prouincias 10. Cod. eod.
Lex, Meniana 11. Cod. eod.
Lex, pignorum 8. Cod. quæ res pignori.
Lex, si quis Aduocatus 12. Cod. de exceptionib.
Lex, quicunque 3. Cod. de litigiosis.
Lex, consuetudinis 2. Cod. quæ sit longa consu.
Lex, in extraneos 19. Cod. de donationib.

EX LIBRO IX.

Lex, disputare 2. Cod. de crimine sacrilegij.
Lex 3. seu vlt. Cod. eod. tit.

EX LIBRO X.

Lex, Iudices 11. Cod. de annonis & tributis.
Lex, in fiscalibus 6. Cod. de exactoribus tribut.
Lex,

Lex 1. de canone largition. tit.
Lex 2. Cod. de conditis, in publ. horr.
Lex, nati 29. Cod. de Decurion.
Lex, procuratores 20. Cod. eod. tit.
Lex 1. Cod. quando & quibus quarta pars.

EX LIBRO XI.

Lex vlt. Cod. de naufragiis.
Lex, cùm Procuratores 4. Cod. de metallariis.
Lex, baphij 2. Cod. de murilegulis.
Lex, priuatæ 14. Cod. eod. tit.
Lex, vellera 3. Cod. de vestibus olouetis.
Lex 1. Cod. de veteris numism. pot.
Lex 2. Cod. eod.
Lex 3. seu vlt. Cod. eod.
Lex 1. Cod. de priuil. Vrbis Constantinop.
Lex 2. Cod. de annonis ciuilibus.
Lex 5.6.7.8. Cod. de Agricolis & censitis.
Lex 10.11.12.13. Cod. eod. tit.
Lex 15.17.19. Cod. eod. tit.
Lex 1. 2. Cod. in quibus causis coloni censiti.
Lex vnic. Cod. de colonis Palæstinis.
Lex vnic. Cod. de colonis Thracensibus.
Lex vnic. Cod. de colonis Illyricianis.
Lex 1. Cod. de omni agro deserto.
Lex 3. Cod. eod. tit.
Lex 5. Cod. eod. tit.
Lex 7.8. 9. 11. Cod. eod. tit.
Lex 13.14.15.16.17. seu vlt. Cod. eod. tit.
Lax 1. de fundis limitrophis.
Lex 1.2.3.4.5.6.7.8. 9. 10. 11. de fundis patrimonialibus.

Lex 1.2.3.4. Cod. de mancipiis & col. patrim.
Lex 1.3. Cod. de fugitiuis colonis.
Lex 4.5. de collat. fundor. patrimon.
Lex 1.2.3.4.5. Cod. de fundis rei priu.
Lex 1. Cod. de fundis & saltibus rei dom.
Lex 1.2.3.4.5. Cod. de agricolis & mancip.
Lex 1.2.4. Cod. de diuersis prædiis.
Lex 1.2.3.4. Cod. de locatione præd. ciuil.
Lex 1.2.3. Cod. de collat. fundor. fiscal.
Lex 2.3. Cod. de priuil. dom. Aug.
Lex vnic. Cod. de palatiis.
Lex 1. Cod. de cupressis.

EX LIBRO XII.

Lex 4.5.6. Cod. de dignitatibus.
Lex 9. Cod. eod. tit.
Lex, Senator 11. Cod. eod. tit.
Lex 14.15.16.17. Cod. eod. tit.
Lex 1. & 2. Cod. de Prætoribus & honore Prætoræ.
Lex 1. Cod. de Consulibus.
Lex vlt. Cod. de Veteranis.
Lex 2. Cod. de filiis officialium militar.
Lex 2. Cod. de Apparitoribus Magistror. mil.
Lex 1.2.3. Cod. de Apparitor. Proconsf. & Legati.
Lex vnic. Cod. de Apparitor. Comitis Orientis.
Lex 2. Cod. de cohortalib.
Lex 9. Cod. eod. tit.
Lex 1. & 2. Cod. de Apparitorib. Præf. annonæ.
Lex 3.4. Cod. de diuersis offic.
Lex vlt. Cod. de executoribus.
Lex vlt. Cod. de lucris Aduocatorum, &c.

FINIS.

LEGVM NOVELLARVM DIVI THEODOSII A. LIBER PRIMVS.

De Theodosiani Codicis auctoritate.

TITVLVS PRIMVS.

Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Florentio pp. Orientis.

SÆpe nostra Clementia dubitauit, quæ causa faceret, vt tantis propositis præmiis quibus artes & studia nutriuntur, tam pauci, rarique existerent, qui plena Iuris Ciuilis scientia ditarentur: Et in tanto lucubrationum tristi pallore, vix vnus aut alter reciperet soliditatem perfectæ doctrinæ. quod nequaquam vlterius sedula ambiguitate tractetur, si copia immensa librorum, si actionum diuersitas difficultasque causarum animis nostris occurrat, si denique moles constitutionum diualium, quæ velut supfersa demersæ caliginis & obscuritatis vallo sui notitiam humanis ingeniis interclusit. Verum egimus negotium temporis nostri, & discussis tenebris compendio breuitatis, lumen legibus dedimus, electis viris nobilibus exploratæ fidei, famosæ doctrinæ, quibus delegata causa ciuilia officij, purgata interpretatione, retro principum scita vulgauimus: ne Iurisperitorum vlterius seueritate menrita, dissimulata scientia, velut ab ipsis adytis expectarentur formidanda responsa: cùm liquido pateat, quo pondere donatio deferatur, qua actione petatur hæreditas, quibus verbis stipulatio colligetur, vt certum vel incertum debitum sit exigendum quæ singula prudentium detecta vigiliis, in apertum lucemque deducta sunt splendore nominis nostri radiante. Nec partum preetium sibi hoc suspicientur esse delatum, quibus diuina sensa pectoris nostri mandauimus. Etenim si recte mentis acie futura prospicimus, ad posteros vsque deueniet laboris nostri consortio. *Quamobrem detersa nube voluminum, in quibus multorum nihil explicantium ætates attrita sunt, compendiosam Diualium* constitutionum scientiam *ex D. Constantini temporibus* roboramus nulla post Kal. Ian. concessa licentia ad forum & quotidianis aduocationes ius principale deferre, vel litis instrumenta componere, nisi ex his videlicet libris, *qui in nostri nominis vocabulum transierunt, & sacris habentur in scriniis.* Quanquam nulli retro Principum æternitas sua detracta est, nullius Latoris occidit nomen, immo lucis gratia mutari, clarit. dine consultorum Augusta nobiscum societate iunguntur. Manet igitur, manebitque pro perpetuo climata gloria conditorum, nec *in nostrum titulum* demigrabit, *nisi lux sola breuitatis.* Et quamuis nostris auspiciis totius operis instauratio deberetur, attamen magis imperatorum magisque credidimus gloriosum, si fugata inuidia, *veruntatis iure memoria remaneret auctorum. Nobis ad fructum bona conscientia abundéque sufficit, reuelatis legibus, monumenta maiorum, obscuritatis iniuria vindicasse.* His adiicimus nullam constitutionem in posterum, velut latam in partibus Occidentis aliôve in loco, ab inuictissimo Principe, filio nostræ clementiæ perpetuo Augusto Valentiniano posse proferri, vel vim legis aliquam obtinere, nisi hoc idem diuina pragmatica nostris mentibus intimetur. Quod obseruare necesse est in his etiam, quæ per Orientem nobis auctoribus promulgantur: falsitatis nota damnandis, quæ ex tempore definito *Theodosiano* non referuntur in *Codice*. Exceptis his, quæ habentur *apud militum sancta Principis*, vel, de *titulis publicis expensarum aliarumque rerum gratia*, quæ in *regestis* diuersorum officiorum relata sunt. Longum est memorare, quid in huius consummationem negotij contulerit vigiliis suis. *Antiochus*, cuncta Sublimis ex Præfecto & *Consule*: 2. Quid *Maximinus*, vir illustris, ex *Quæstore nostri* Palatij, eminens omni genere literarum. 3 Quid *Martyrius*, vir illustris, *Comes & Quæstor nostræ* clementiæ, fide interpres. 4. Quid etiam *Speratius*, 5. *Apollodorus*, 6. *Theodorus* viri spectabiles, *Comites sacri nostri* Consistorij: 7 Quid *Epigenius* vir spectabilis, Comes & *magister* memoriæ: 8. Quid *Procopius* vir spectabilis, Comes *ex magistro* libellorum, iure omnibus veteribus comparandi. Quod restat, Florenti parens charissime & amantissime, Ill. magnifica auctoritas tua, cui amicum, cui familiare est placere Principibus, *Edictis* propositis in omnium populorum, in omnium prouinciarum notitiam scita maiestatis Augustæ nostræ faciat peruenire. Dat.* *XV.* Kal. Martij. Constantinopoli, Theodosio *August. XV.* & qui fuerit nunciatus

INTERP. *Hæc lex dicit, vt Theodosiani Codicis auctoritas omni firmitate subsistat.*

TITVLVS II.

De confirmatione legum nouellarum diui Theodosij.

Domino Valentiniano inclyto, Victori ac triumphatori semper Augusto filio, Theodosius pp. Augustus Pater.

POSTQVAM in corpus vnius Codicis diuorum retrò Principum constitutiones, nostrásque, redegimus, aliam mox legem pietas nostra promulgauit, quæ iam confecto Codici vires, auctoritatémque tribueret, nec aliter in iudicio quas continent leges, nisi ex ipso proferrentur, valere præciperet. Quod si quid ioris ab altero nostrum postea conderetur, ita demum in alterius quoque principis regno vires proprias obtineret, quod generatim constitutum esset, si diuersis pro sequentibus scriptis, ad alterum principem fuisset emissum. Quia igitur diuersis emergentibus causis, per hoc transacti temporis interuallum fessi leges alias emergentium rerum necessitas persuasit, quæ nobis perpetua rerum publicarum occupatione districtis ad scientiam perferri tuæ maiestatis minimè potuerunt, necessarium duximus, has nunc saltem vniuersas tuæ Serenitati, cum nostræ maiestatis subnotatione transmittere: quò subiectis, & prouinciis, & populis solenniter innotescant, earùmque vis etiam *in occiduis partibus* incipiat obseruari. Ac lites, quas inchoatas quidem, necdum tamen finitas eo tempore quo publicantur interuenerint, secundum earum tenorem volumus terminari. Illas autem, quæ iam vel sententiis diffinitiuis, vel transactionibus decisæ sunt, minimè resuscitari. Eas igitur *Domine sacratiss. fili (Auguste) venerabilis, cunctis* ex more *factas* diuulgari, & innotescere mihi, & prouincialibus, & populis Orientalibus cauenda, obseruandáque cum * *sua manus adumbratione* transmitti, quæcumque per id temporis spatium vestra perennitas generaliter promulgauit. Dat. Kal. Octob. Constp. Ardabure v. c. CONS. & qui fuerit nuntiatus.

INTERPRETATIO. *Hæc lex nouellarum legum constitutiones præcipit obseruari.*

Titvlvs III.

De Iudæis, Samaritanis, Hæreticis, & Paganis.

Impp. Theod. & Valentin. AA. Florentio P.F. P. Orientis.

INter *cæteras sollicitudines, quas amor publicus peruigili cogitatione nobis* indixit, *præcipuam Imperatoria maiestatis curam esse perspicimus veræ Religionis indaginem*, cuius si cultum tenere potuerimus * iter prosperitatis humanis aperimus inceptis. Quod vsu longæ ætatis experti, piæ mentis arbitrio ad posteros eisque perennitatis iure fundare decreuimus *ceremonias sanctitatis*. Quis enim, tam mente captus, tam nouæ feritatis immanitate damnatus est, et cum videat cœlum diuinæ artis imperio, incredibili celeritate intra sua spatia metas temporum terminare: cùm syderum motum, vitæ commoda moderantem, dotatam messibus terram, mare liquidum, & immensi operis castitatem finibus naturæ conclusam, tanti secreti, tantæ fabricæ non quærat autorem? quod sensibus excæcatos Iudæos, Samaritas, Paganos, & cætera hæreticorum genera portentorum audere cognoscimus? Quos si ad sanitatem mentis egregiæ *lege medica* reuocare conemur, seueritatis culpam ipsi præstabunt qui duræ *frontis obstinato piaculo locum veniæ non* relinquunt. Quamobrem cum sententia veteri *desperatis morbis nulla sit adhibenda curatio*, tandem, ne ferales sectæ in vitam, immemores nostri sæculi, velut indiscreta confusione licentiùs euagentur, hac victura in omne æuum lege sancimus: Neminem Iudæum, neminem Samaritam, neutra lege constantem, ad honores & dignitates accedere, nulli administrationem patere ciuilis obsequij, nec defensoris fungi saltem officio. *Nefas quippe credimus, ut supernæ maiestati, & Romanis legibus inimici*, vltores etiam nostrarum legum surreptitiæ iurisdictionis habeantur obtentu, & acquisitæ dignitatis auctoritate *muniti* aduersum Christianos, *& ipsos plerumque sacræ religionis Antistites*, velut insultantes fidei nostræ iudicandi vel pronuntiandi quod velint habeant potestatem. Illud etiã pari consideratione rationis arcentes, ne qua *Synagoga* in nouam fabricam surgat; fulciendi veteres permissa licentia, quæ *ruinam præsentaneam* minitantur. His adiicimus, et quicunque seruum seu ingenuum inuitum, vel suasione plectenda ex cultu Christianæ religionis in nefandam sectam ritumúe traduxerit, cum dispendio fortunarum capite puniendum. Vt quisquis igitur vel insulas cepperit, acquisitis dignitatibus non potiatur, vel Synagogam extruxerit, compendio Ecclesiæ catholicæ se nouerit laborasse. Imò qui ad honores irrepserit, habeatur, vt ante conditionis extremæ, etiamsi honorariam promeruerit dignitatem. Et qui Synagogæ fabricam cepit non studio reparandi, cum damno quinquaginta librarum auri fraudetur ausibus suis. Cernat præterea bona sua proscripta, pœnæ mox sanguinis destinandus, qui fidem alterius expugnauit peruersa doctrina. Et quoniam decet *Imperatoriam maiestatem ea prouisione cuncta complecti. vt in nullo publica lædatur vtilitas*, Curiales ciuitatum omnium, necnon cohortalinos oneroſis, quin etiã militiæ, seu diuersis officiis facultatum, & personalium munerum obligatos, suis ordinibus, cuiuscunque sectæ sint inhærere censemus, ne videantur hominibus execrandis contumelioso ambitu immunitatis beneficiũ præstitisse, quos colimus huius Constitutionis auctoritate damnari. Hac exceptione seruata, vt apparitores memoratarum sectarum, in priuatis duntaxat negotiis, nullius iudicis sententias exequantur, nec carcerali præsint custodiæ, ne Christiani, vt fieri adsolet, nonnunquam obstrusi custodum *odiis alterum carcerem* patiantur, incertum an iure videantur inclusi. Hinc prospicit nostra clementia Paganorum quoque & Gentilis immanitatis vigiliam nos debere suscitari, qui naturali vesania & licentia, pertinaci veræ religionis tramite dissidentes, nefarios sacrificiorum ritus & funestæ superstitionis errores occultis exercere quodammodo solitudinibus dedignantur, nisi ad supernæ maiestatis iniuriam, & temporis nostri contemptum eorum scelera professionis genere publicentur, quos non promulgatarum legum mille terrores, non denuntiati exilij pœna compescunt, vt si emendari non possint mole saltem criminum & illuuie victimarum discerent abstinere. Sed prorsus eã furoris peccatur audaciã *in improrum conatibus pa ientia nostra* pulsatur, *vt si obliuisci cupiat, dissimulare non posse*, quanquam igitur *amor religionis* nunquam possit esse securus, quanquam Paganorum dementia cunctorum supliciorum acerbitates exposcat, lenitatis tamen memores nobis innatæ, *stabili iussione* decreuimus: Vt quicumque polluris contaminatisque mentibus in sacrificio quolibet in loco fuerit comprehensus, in fortunas eius, in sanguinem, ira nostra consurgat: *oportet enim dare nos hanc victimam meliorem arã Christianitatis intactã seruatã. An diutius perferimus mutari temporum vices iratã cœli temperie? quæ paganorum exacerbata perfidia, nescit natura libramenta seruare. Vnde enim ver solitam gratiam abiurauit? Vnde æstas messe ieiuna laboriosum agricolam in spe destituit aristarũ? vnde hyemis intemperata ferocitas vbertatem terrarum penetrabili frigore sterilitatis læsione damnauit? nisi quod ad impietatis vindictam transit lege sua natura decretum.* Quod ne posthac sustinere cogamur, pacifica vltione, vt diximus pianda est superni numinis veneranda maiestas. Superest, vt quæ in Manichæos, Deo semper offensos, quæ in Eunomianos, hæreticæ fatuitatis auctores: quæ in Montanistas, Catafrigas, Fotinianos, Priscilianistas, *Ascodrogos*, Hydroparastatas, Borporitas, Ophitas, innumerabilibus constitutionibus lata sunt cessante desidia celeri executione mandentur, Florenti Præfect Karissime Augustorum. Illustris igitur & magnifica auctoritas tua, cui cordi est cum diuinis, tum principalibus *adhibere iussionibus famulatum* quæ insatiabili Catholicæ religionis honore decreuimus, propositis excellentiæ suæ *solemniter edictis*, in omnium faciat peruenire notitiam. Prouinciarum quoque moderatoribus præcipiat intimari, vt & eorum pari sollicitudine cunctis ciuitatibus atque prouinciis quæ necessario sancimus innotescant. Dat. prid. Kal. Febr. Constantinop. Theod. A. xvii. cos & qui fuerit nuntiatus. Eodem exemplo etio *illustri præf. P. Illyrici.*

Interpret. *Hac lex specialiter iubet, vt nullus Iudæus, nullus Samaritanus ad vllum militiæ aut administrationis honorem possit accedere, neque defensoris officium vlla ratione suscipere, neque carceris esse custodem ne forsitan sub specie cuiuslibet officij. Christianos, vel etiam sacerdotes sub quacunque occasione iniuriis audeant fatigare vt suprascripti, qui inimici legis nostræ sunt, legibus nostris aliquos, aut condemnare, aut iudicare præsumant. Nullam denuo audeant construere Synagogam: Nam si fecerint, nouerint hanc fabricam* Ecclesiæ Catholicæ *profuturam, & quinquaginta pondo auri auctores fabricæ esse mulctandos. Sed hoc sibi sciant esse concessum, vt ruinas Synagogarum suarum debeant reparare. Hoc etiam specialiter in hac lege comprehensum est. vt nullus Iudæus seruum, aut ingenuum Christianum audeat quacunque persuasione in suam legem transferre. Quod si fecerit, amissis facultatibus capite puniatur. De reliquo verò hac lex damnat sectas, quæ nominatim hac lege continentur inserta.*

Titvlvs IV.

Næ curialis prædium alterius conducat, aut fideiussor conductoris existat.

I. Impp. Theod. & Valent. AA. Florentio P.F.P. Orientis & Exconsule.

NOn dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Nec pœnas legibus, insertas euitabit, qui se contra iuris sententias sola prærogatiua verborum fraudulenter excusat. Curiales ne ad procurationem rerum alienarum accederent, cautum est prouidentissima sanctione, cuius in fraudem conducendi eos sibimet vsurpare licentiam sublimitatis tuæ suggestione comperimus. Quos licet pristinæ legis laqueis irretiri decernamus: conductionem namque speciem esse procurationis certissimum est: attamen ne sub fraudis suæ velamine legis lateant contemptores, néue eis fucata suæ calliditatis excusatio relinquatur, hac perpetua lege valitura sancimus, conducendi quoque fundos alienos licentiam curialibus amputari, locatas res fisci iuribus vindicari. Conductor itaque locatori, vel contrà locator conductori contra hanc legem nulla tenebitur actione. Nullum enim pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quàm Nouellas trahi generaliter imperamus, vt legislatori quod fieri non vult tantùm prohibuisse sufficiat, cætera quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere. Hoc est, *vt ea quæ lege fieri prohibentur si fuerint facta non* solùm *inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile debere esse* quod factum *est*. Sed & si quid fuerit *subsecutum ex eo, vel ob id quod interdicente* factum *est lege, illud quoque cassum atque inutile esse perspicimus*. Sed quò omnia fraudis semen per hanc legem curialibus radicitus amputetur, nec fidem suam pro conductoribus fundorum interponere concedimus curiales: cur enim conductio prohibetur, si conductionis periculum vel solicitudo, permittitur, Secundũ prædictam itaque regulam quam vbique statuti factum lege prohibente censuimus, certum est nec stipulationem eiusmodi tenere, nec mandatum vllius esse momenti, nec Sa-

cramentum

eramentum admitti, nec actionem quolibet pacto aduersus eum fideiussorem competere locatori, Florenti P. carissime Augustorum. Illustris itaque & magnifica auctoritas tua prouidentissime constituta, edictis propositis ad omnes prouincias perferri præcipiat. Dat. xvii. Id April. Constantinop. Theod. A. xv. coss.

INTERPR. *Nullus curialium in fiscali vel in priuato agro conductor accedat, nec pro aliquo conductore fideiussor exigitur. Quod si quis curialem in agro suo susceperit conductorem, aut pro alio conductore fideiussorem acceperit curialem, actionem suam nouerit in omnibus vacuari, & ager ipse, qui à possessore curiali conductus est, fisci viribus vindicetur. Curialis verò pro supra scriptis conditionibus, etiamsi cautionem emiserit, non teneatur.*

TITVLVS V.

De Tutoribus.

1. *Impp. Theod. & Valentinianus AA. Florentio P. F. P. Orientis & Exconsule.*

CVm in omnibus rebus sum vel maximò moderamen desideratur in legibus, per quas delinquentes pro qualitate criminis conuenit emendari. Nec enim vtile est, vel à iudicibus obseruandum, quod modum emendationis excedit, si constitutionem, quæ matres pupillis, vel minoribus defensionem legitimam non petentes, vel relictarum rerum inuentarium non facientes, mori præcepit intestatas, viperæ amaram, ac matres immoderatà pœnà plectentem, antiquari decernimus. Sed *ne superflua vel inhumana resecantes, impunitatem delinquentibus permittere videamur*, hac saluberrima lege pupillorum quoque vtilitatibus censuimus prouidendum. Sexor itaque qui ad successionem vocantur pupilli mortui, si defuncto eius parte, Tutorem ei secundum leges non petierint intra annum, omnem eis siue ab intestato, siue iure substitutionis successionem eius si impubes moritur, denegandam. Idémque obseruari volumus. & si mater legitima liberorum tutela suscepta, ad secundas, contra sacramentum præstitutum, aspirauerit nuptias, antequam ei Tutorem alium fecerit ordinari, eique quod debeatur ex ratione tutelæ gestæ persoluerit. Quod si contra legis huius auctoritatem, antequam hæc impleuerit, secundo se marito crediderit copulandam mariti quoque eius præteritæ tutelæ ratiociniis bona iure pignoris tenebuntur obnoxia, Florenti P. Kariss. AA Illustris itaque & magnifica auctoritas tua legem perpetuo valituram, edictis propositis, ab omnibus obseruari præcipiat. Dat. vi. Id Iul. Constp. Theod. A. xvi. & Festo v. c. coss.

INTERP. *Lex ista liberat matres à pœna illa, quæ fuerat in* Theodosiani Codicis *corpore constituta, vt si non proposuissent filiis Tutores, vel rerum inuentarium non fecissent, faciendi de rebus suis testamenta, vel donandi cui voluissent non haberent liberam potestatem, & insuper notarentur infamia. Sed hac constitutio, vt matrem à predicta pœna liberat, ita minoribus in hac parte consuluit, vt si mater tutelam filiorum gerendam legitimè susceperit, & se iurisiurandi interpositione constrinxerit, si ad alias nuptias contra promissa transierit, & alium Tutorem filiis deducta ratione non dederit, aut quod eum constiterit debere non ante persoluerit, contra legis huius ordinationem veniens non solùm eius bona si debitrix extiterit filiis teneantur obnoxia, verùm etiam secundi mariti, qui obligata persona coniunctus est facultas in eo quod debitum præcesserit, loco pignoris teneatur, donec omne debitum, quod ratio tutelæ inuenerit, suppleatur. Nam etiam pupillis in ea parte lex ista præstat auxilium, vt patre defuncto, si filio impuberi, id est, infra annum* XIIII. *ha persona, quæ ei defuncto possunt legibus & iure succedere, si non aut agendam tutelam ipsius susceperint, aut petierint Tutorem, qui res eius, aut ipsum minorem debeat gubernare, ab eius successione habeantur extranei, illis sine dubio pro futura successione, qui ad petendos Tutores lege continentur adstricti, & defuncto cognationis gradu inueniuntur esse propinqui.*

TITVLVS VI.

Contra sententias præfectorum prætorio iniustas post successionem intra biennium supplicandum.

1. *Impp. Theodos. & Valent. AA. Thalasso PF. P. Illyrici.*

SVGGESTIO sublimitatis tuæ & nobis non probatæ legis abrogandæ materiam ministrauit, & quæ sit in examinandis litigatorum allegationibus tua celsitudo monstrauit. Quid enim litigantibus in amplissimo tuæ sedis iudicio relinquitur, si post sententiam, quam nefas est appellatione suspendi, nec nostræ Serenitatis implorent auxilium. Ideo hac lege perpetuò valitura litigantibus in amplissimo Prætorianæ Præfecturæ iudicio, si contra tua se læsos affirment supplicandi licentiam ministramus, licet pro Curia, vel alia qualibet publica vtilitate dicatur prolata sententia: *Non enim publicè prodest, singulis legum adminicula denegari*, Thalasse P. charissime Augustorum. Illustris itaque & magnifica auctoritas tua Constitutione, quæ aduersus sententiam pro Curia latam supplicare prohibuit, omni parte cassata, sciat preces intra biennium tantùm nostro numini contra cognitionales sedis tuæ sententias offerendas, post successionem videlicet iudicis nuncupandum. Huius legis ne quem latere possit vtilitas, edictis propositis eam ad omnium notitiam venire præcipias. Dat. III. Id. August. Constp. Theod. A. XVII. & Festo v. c. coss.

INTERP. *Contra iudicem aduersus cuius potentiam non licuerat appellare, iubet hac lex, vt cum priuatus effectus fuerit, intra biennium liceat cuicunque, qui iniustè oppressus est, rerum dominos supplicare, vt illis iterum audientia deputetur. Quod si intra biennium post successionem illius non supplicauerint, quæ contra eos fuerant iudicata seruentur, & perpetuam teneant firmitatem.*

TITVLVS VII.

De paternis seu maternis bonis.

1. *Impp. Theod. & Valent. AA. Florentio PF. P.*

OFFICIVM est Imperatoriæ maiestatis, *iis etiam qui nondum nati sunt prouidere, & in parentum contractibus futuris quoque liberis fructum naturæ debitum præparare.* Præteritæ constitutiones, mulierem, morte mariti matrimonio dissoluto, communibus liberis extantibus, donationem ante nuptias, résque alias certis modis ad eam deuolutas ex mariti persona, iisdem liberis quibusdam conditionibus seruari præceperant. Hæc Diuus noster Mansuetudinis auua humana mente viros quoque, morte mulieris matrimonio dissoluto extantibus liberis, circa dotem, résque alias certis modis ad eum ex persona mulieris deuolutas, iisdem conditionibus suaserat obseruare. Nos feliciter vinculo legis hæc à viris obseruanda censuimus. Nam generaliter quoque casu constitutiones ante legem hanc, mulierem liberis communibus, morte mariti matrimonio dissoluto, quæ de bonis mariti ad eam deuoluta sunt, seruare sanxerat. Iisdem casibus nos per huius legis auctoritatem maritum quoque, quæ de bonis mulieris ad eum deuoluta sunt morte mulieris matrimonio dissoluto, communibus liberis seruare censemus: nec interesse volumus, si alter pro marito donationem ante nuptias, vel pro muliere dotem crediderit offerendam. Hæc obseruari præcipimus, licet res ante nuptias donatæ (vt adsolet fieri) in dotem à muliere redigantur. Nam & si culpa mulieris repudio matrimonium fuerit dissolutum, maritus totam donationem, non partes, vt in altera dote, retinebit. Dominium autem rerum, quæ liberis, vel huius legis, vel præteritarum constitutionum auctoritate seruantur, ad liberos pertinere decernimus. Itaque defuncto eo qui eas liberis reseruabat, extantes, ab omni possessore liberi vindicabunt, consumptas, ab heredibus eius exigent, qui eas seruare debuerant. Alienandi sanè, vel obligandi suo nomine eas res, quæ liberis seruari præceptæ sunt, eis qui reseruaturi sunt adempta licentia est. *Negotia* verò liberorum patri vtiliter *administrare* concedimus. *Diuidendi* quoque res inter eos ipsos liberos parentibus pro suo arbitrio, vel *eligendi* quem voluerint licentiam non negamus. In iis autem casibus, in quibus res vt paternas mater liberis communibus seruare præcepta est, hoc est, vbi morte mariti matrimonio dissoluto, mulier ad alias nuptias venit: vel vbi vt maternas patrem liberis communibus seruare censuimus, hoc est, vbi morte mulieris matrimonio dissoluto, vir ad alias nuptias venit, si hæreditatem eius parentis qui prior mortuus est, non adierint liberi, licebit eis, tanquam eius tantùm res fuerint, eas sibimet vindicare. Scilicet si vel eius, qui posterior moritur, heredítatem crediderint adeundam: ne quod fauore liberorum inductum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum videatur inuentum. Illud etiam humanis sensibus huic legi credidimus inserendum, vt eo quoque casu quo lucratur vel mulier, res quæ ad eam à marito peruenitunt, vel maritus eas, quæ ex bonis mulieris ad eum transeunt, hoc est, vbi primùm matrimonium alterius morte dissoluitur, nec superstes ad secundas nuptias venit, si eas vel maritus, vel vxor, hoc est, qui superstes est, non consumpserit, vel alienauerit: quod eis ad secundas nuptias non venientibus, quasi rerum dominis concessum esse non dubium est, si hæreditatem eius qui posterior moritur liberi adire noluerint, vt eis liceat res

à patre profectas vt paternas, à matre vt maternas accipere. Quod autem Sextis prioribus continetur, nec à filia quæ in potestate est, donationem ante nuptias patri, nec à filio dotem acquiri, eo addito confirmamus, vt defunctis his adhuc in potestate patris si liberis extantibus moriantur, ad liberos eorum eadem res iure hæreditatis, non ad patrem iure peculij transmittatur, nec per nepotes suo videlicet acquirendæ, Florenti Præfecte clarissime Augustorum. Illustris itaque ac magnifica auctoritas tua legem saluberrimè promulgatam edictis propositis ad omnem notitiam faciat peruenire. Data vii. Id. Septembr. CP. Theod. A. xvii. & Festo v. c. coss.

INTERP. *Hæc lex confirmat, vt sicut mulier post mortem mariti omnia, quæ ad eam de rebus mariti quolibet ordine peruenerunt, totum filiis profuturum debeat conseruare, hoc etiam & patres de rebus maternis simili obseruatione custodiant, excepto quod eis fuerit filiorum morte adquisitum: ea ratione* sicut lex Theodos. in 8. libro *declarat. Si ad secunda vota venerint, aut fortè non venerint, post quorum obitum si alienata, vel obligata quæque pater fuerint res quæ filiis iustè sunt reseruatæ, vbicunque eas potuerint inuenire, ad suum dominium filios præcipit reuocare. Nam permisit vt mulier de sponsalitia donatione, quam à marito suscepit, si proprium nihil habeat, dotem exinde ipsi marito possit offerre. Causas verò filiorum patres agere vtiliter, & cum summa strenuitate constituit, & diuidere æqualiter inter filios facultates maternas, aut per se, aut per quos elegerint habeant potestatem. Sanè de omnibus rebus vxoris, quæ ad proprietatem maritè qualibet titulo vel nomine, seu donatione, seu testamẽto, seu morte filij peruenerint, etiã si ad alias nuptias non transierit, si mortuæ hereditatẽ eius filij adire noluerint, omnia quæ de materna bona maritus quocunque ordine habuit acquisita, filij sibi, sicut reliquas maternas facultates, apud quoscunque inuenerint, vindicabunt. Simili ratione si & mater marito mortuo, etiamsi ad secundas nuptias non venerit si hæreditatem eius filij adire noluerint, omnia quæ de paternis facultatibus mater eorum quoque modo, vt superiùs dictum est, acquisiuit filij post mortem matris, cuius hæreditatem repudiauerint, ad integrum sibi vindicent & defendant: quia iustitia intuitu constat esse prospectum, vt quia nihil de illius parentis rebus, qui posterior moritur, habere dignoscitur, vel ea quæ ex prioris mortui parentis bonis esse constat, ad filios debeant integra peruenire. Reliquum verò huius legis in aliis legibus habetur expositum.*

TITVLVS VIII.

Ne decurio ad senatoriam dignitatem, vel aliquem honorem adspiret.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. ad Senatum Vrbis Constantinop.

SPlendidissimo cœtui vestro P. C. placere confidimus, si ciuitatum commodis consulatur. Vestrum est *nempe velle ciuitates augeri.* Vos Curiis peculiariter prospicere consuestis: siquidem vobis nostro iudicio resp. soleat gubernanda committi. *Nam etsi ocio frui vos quodam tempore patiamur, ne labore videamini fatigari continuo, ita tamen ideo cura vos deserit optimè regenda reip.* Quamobrem lege Curiis profutura vobis P. C. vel maximè gratulamur. Suggestione viri illustris atque magnifici præfecti *prætorio Orientis, & exconsule Florentij* comperimus quosdam Curiales iniuriis se Præsidum subtrahere cupientes, ad senatoriæ dignitatis prærogatiuam confugere. Hoc Curias eneruare non dubium est: Curialibus quippe *pretura* munus impositum, patrias etiam functiones, ac suæ quemque munia ciuitatis, patrimoniis eorum eo modo consumptis, denegare compelli. Et quòd motibus se iudicum reuerentia subtrahunt dignitatis, publicis commoditatibus noxium esse perspicitis: Cessat enim debitorum compulsio, si debitum deserat executor. Lege itaque perpetuò valitura decernimus: Nullum posthac Curialem sibimet dignitatis senatoriæ infulas vsurpare: Nulli Curiali licentiam dari clarissimo se permiscendi consortio. Sed ne prouidentissimè constituta quibusdam præteritis semiplena reliquisse noscamur, illis etiam Curialibus, qui iam senatoriam adepti sunt dignitatem, præturæ munus remitti decernimus, qui nondum Prætores sunt nominati, vel quos nominatos nondum amplissimi vestri cœtus sententia præturæ muneri mancipauit obnoxios. Dat. pridie Id. Sept. Constp. Theod. A. xvii. & Festo v. c. coss.

INTERP. *Hæc lex hoc præcipit, vt nullus Curialis natus ad aliquos honores adspiret, nec dignitatem aliquam supplicando tentet adsumere, nisi tantùm officia Curiæ debita se nouerit subiturum.*

TITVLVS IX.

De testamentis.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Florentio PF. P.

VT prodest gentes barbaras nostri numinis imperio mancipari, ita nostræ victoriæ videbuntur obedientibus fructuosæ, si pacis commoda legum regulis componantur. Ideo diuinis sensibus die noctúque res humani generis pertractantes, gratum duximus deficientium quoque voluntatibus subuenire. *Vt pro suo quisque testetur arbitrio. Vt in potestate sua suam habeat voluntatem. Vt inuitus nemo nec taceat, nec loquatur. Illud est quippe propriè testamentum, quod testantis meram obtinet voluntatem. Natura talis est hominum, vt quosdam diligant, alios timeant. Quibusdam sint officiosa gratia debitores, alios suspicentur. Quorundam fidem intelligant eligendam, aliis nihil credendum existiment, nec tamen audeant de singulis quæ sentiunt confiteri.* Ideò veteres testamenta scripta testibus offerebant, oblatarúmque eis tabularum perhibere testimonium postulabant. Sed dum iuris antiqui cautelam paulatim mutat posteritatis imperita præsumptio, & testes exigunt omnino quæ testamento continentur agnoscere, eò res processit, *vt dum sua quisque nonnunquam iudicia publicare formidat, dum talibus testamenti sua non audet secreta committere, ne suis facultatibus inhiantes offendat, intestatus mori, quàm sua mentis arcana periculosè patiatur exprimere.* Hac itaque consultissima lege sancimus, licere per scripturam conficientibus testamentum, *si nullum scire volunt* quæ in eo conscripta sunt, signatam vel ligatam, vel tantum inclusam inuolutámve proferre scripturam, vel ipsius testatoris, vel cuiuslibet alterius manu conscriptam, eámque rogatis testibus, septem numero ciuibus Romanis puberibus omnibus simul offerre signandam & subscribendam. Dum tamen testibus præsentibus testator suum esse testamentum dixerit, quod offertur, eique ipse coram testibus sua manu in *reliqua* parte testamenti subscripserit. Quo facto, & testibus vno eodémque die ac tempore subscribentibus & signantibus, valere testamentum: nec ideo infirmari, quòd testes nesciant quæ in eo scripta sunt testamento. Quod si literas testator ignoret, vel subscribere nequeat, octauo scriptore pro eo adhibito eadem seruari decernimus. In omnibus autem testamentis, quæ vel absentibus, vel præsentibus testibus dictantur, superfluum est, vno eodémque tempore exigere testatorem, & testes adhibere, & dictare suum arbitrium, & finire testamentum. Sed licet alio tempore dictatum scriptúmve proferant testamentum, sufficiet vno eodémque die, nullo actu interueniente, testes omnes, videlicet simul, nec diuersis temporibus subscribere, signaréve testamentum. Finem autem testamenti subscriptiones & signacula testium esse decernimus: non subscriptum namque à testibus, atque signatum testamentum pro imperfecto haberi conuenit. Ex imperfecto autem testamento voluntatem teneri defuncti, nisi inter solos liberos habeatur, non volumus. Per nuncupationem quoque, hoc est, sine scriptura testamenta non aliàs valere sancimus, nisi septem testes, vt suprà dictum est, simul vno eodémque tempore collecti, testatoris voluntatem, vt testamentum sine scriptura facientis audierint, non vt suum, quod adsolet fieri, narrantes arbitrium. Hoc est, vt manifestè testari se sub iisdem testibus sine scriptura eo ipso tempore dicat, non futurum suæ voluntatis promittat arbitrium. Si quis autem testamento iure perfecto, postea ad aliud venerit testamentum, non aliàs quod ante factum est infirmari decernimus, quàm id quod secundo facere testator instituit, iure fuerit consummatum: nisi fortè in priore testamento scriptis iis, qui ab intestato ad testatoris hæreditatem successionémve venire non poterant, in secunda voluntate testator eos scribere instituit, qui ab intestato ad eius hæreditatem vocantur. Eo enim casu, licet imperfecta videatur scriptura posterior, infirmato priore testamento secundam eius voluntatem non quasi testamentum, sed quasi voluntatem intestati valere censemus: in qua voluntate quinque testium iuratorum depositiones sufficiant. Quo non facto, valebit primum testamentum, licet in eo scripti videantur extranei. Illud etiam huic legi perspicimus inserendum, vt quoniam Græcè iam testatori concessum est legata quoque, ac directas libertates, Tutores etiam Græcis verbis liceat in testamentis relinquere, vt ita vel legata relicta, vel libertates directæ, Tutorésve dati videantur, ac si legitimis verbis ea testator dari, fieri, obseruaríque iussisset, Florenti P. P. charissime Augustorum. Illustris itaque & magnifica auctoritas tua consultissimam legem, edictis propositis, ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. pridie Id. Sept. Constp. Theod. A. xvii. & Festo v. c. coss.

INTERP. *Hæc lex multa confirmat, quæ de testamentis in Theodosiani corporis auctoritate conscripta sunt. Sed hoc amplius*

amplius habet, ut si aliquis iure prætorio condiderit testamentum, id est, quod septem testium subscriptionibus confirmatur auctor testamenti si litteras scit, ipse subscribat: Sin autem non subscribere non potest, aut litteras nescit, tunc octauum pro se adhibeat scriptorem. Nam etsi subscriptores nesciant quæ in pagina testamenti continentur, testamentum ex hac re non habetur infirmum. Testamento verò nihil detrahitur, si per plures dies dicitur fuisse dictatum, dummodò vna die sub præsentia testatoris simul omnes rogati à testatore subscribant, ac suis sigillis subscriptum muniant testamentum. Per nuncupationem quoque, hoc est, sine scriptura qui suam publicare maluerit voluntatem, conuocatis simul vna hora septem testibus, primum pro quare eos venire rogauerit, euidenter explanet, ut quia testamentum non fecit, illi apud gesta defuncti publicent, & allegent voluntatem. Si quis autem facto legitimo testamento aliud postea voluerit facere testamentum non aliter quod prius factum est reddatur infirmum, nisi sequens testamentum omni firmitate fuerit conscriptum, & legitimo testium numero roboratum. Nam si imperfecta fuerit forsitan deficiente voluntas, secunda voluntas tunc valeat, si in primo testamento, quod fecerat extraneos scripsit hæredes, & postea in secunda voluntate illos instituit, vel ad successionem vocauit, qui etiamsi non testatus fuisse poterant in hereditate defuncti ab intestato succedere, quæ tamen posterior voluntas defuncti licet non sit perfecta, sic in omnibus quæ scripta sunt valeat, ut quinque testes iurisiurandi religione confirment testatorem ad hoc eos conuocasse, ut remoto priore testamento secundam in proximis suis, quam perficere non valuit, condere voluntatem, quæ in omnibus, vel circa omnes firma permaneant.

Titvlvs X.

De alluuionibus & paludibus & pascuis.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Cyro P. F. P. & Consuli designato.

SVggestionibus tui Culminis semper magnum aliquid reip. conferendi materiæ ministratur, semper nobis aliquid porrigitur emendandum. Quanta igitur Magnitudinis tuæ prouincialium cura est, per eas quoque non dubiè declarant. Alluuionum, quæ contingere solent in prædiis, *quæ ripis quorundam fluminum terminantur*, ea natura est, ut semper incerta possessio, incertum sit eius dominium quod possessori per alluuionem accrescit. Nam quod hodie possidemus, nonnumquam altero die vicini fundi dominio, in alteram fluminis ripam translatum, acquiritur, nec tamen apud eum qui accrescit semper remanet acquisitum, sed plerumque redit ad priorem dominum cum augmento. Sæpe nec ad posteriorem manet, nec ad priorem redit, sed in arenam fluminis inundatione dissoluitur. Ideo suggestionem tui Culminis admittentes, non *Ægyptum* solis, nec *de Nili tantùm* alluuionibus loquimur: sed quod salubre est, orbi terrarum, atque omnibus prouinciis promulgamus. Et ea quæ per alluuionem possessoribus acquiruntur, neque ab ærario vendi, neque à quolibet peti, nec *separatim censeri, vel functiones* exigi hac perpetuò lege valitura sancimus, ne vel alluuionum ignorare *vitia*, vel rem noxiam possessoribus videamur indicere. Similiter nec ea quidem, quæ paludibus antea vel pascuis videbantur adscripta, si sumptibus ac laboribus possessorum nunc ad frugum fertilitatem translata sint, vel vendi, vel peti, vel quasi fertilia separatim censeri, vel functiones exigi concedimus: *ne doleant diligentes operam suam agri dedisse culturæ, nec diligentiam suam sibi damnosam intelligant.* Huius legis temeratores quinquaginta librarum auri condemnatione coherceri decernimus. Inter quos habendum est officium quoque tuæ sedis excelsæ, si aliquid eiusmodi suggesserit disponendum, vel si preces instruxerit petitoris, Cyre præfecte charissime Augustorum. Illustris itaque & magnifica auctoritas tua suggestione tui Culminis, ac dispositione non admissa tantùm, sed etiam collaudata, legem hanc edictis propositis ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. XI Kal. Octob. Constantinopoli, Valent. A. V. & Anatholio V. C. CONSS.

INTERP. *Hac lege censitum est, ut si flumen aluum suum paulatim, in aliam partem contulerit, terram ille acquirat, cuius finibus spatium terræ dignoscitur contulisse. Quam rem beneficio aquæ possessoribus acquisitam nullus velut fiscalem audeat vindicare, cui nec tributum nullus adscribat. Si quis etiam paludes suo studio derivauerit, & ad vsum fertilitatis adduxerit, similiter hi, qui excoluit, sine censu perpetuo iure possideant, neque quisquam hoc audeat à nostra munificentia postulare.*

Titvlvs XI.

De bonis decurionum, & naturalibus filiis eorum in curiam mittendis, hæredibúsque scribendis.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Apollonio P. F. P.

NVlla professione virtutis, nullâque re alia potiùs homines Deo, quàm prona liberalitate coniunguntur. Nam cum beneficiorum fontibus genus amplificetur humanum, diuinam beneuolentiam nobis credimus obligari, vnde spes tota vicissitudinis expectetur. Quod si quis bene de se meritum lædat, ex amore omnium quem liberalitas meruit, communi necesse est odio condemnetur ingratus. Huius iniquissimæ rei acerbitate commotam Celsitudinem tuam à nobis remedium postulasse præsens suggestio declarauit. Multi enim sæpe nullam trahentes forte maiorum Decurionatus originem, sua sponte, liberalique sententia pietatis quoddam insigne duxerunt, magnificis patriam muneribus beneficiisque donare. *Alij, cum extruendi publici operis nulla eos accessitus immineret, diuersis eam ædificiorum ornatibus extulerunt. Id augendæ patriæ desiderium maximis laudibus ac præconiis efferendum, alios curialibus oneribus, alios discussionum laqueis implicauit.* Et quod vltra omnem indignationem est, *rationes liberalitatis suæ dare cogitur, qui luxuria non dedisset.* Quod nisi promta dispositione coerceatur, *quotus quisque erit, tam sui, suaque vtilitatis ignarus*, qui vel in operibus construendis largitatem exercere velit, cui discussor immineat, *vel in conferendo aliquo munere gloriari, cum id quod munus fuerat, incipit esse iam debitum?* Qui denique sic *patriam suam diliget, ut cum frui liceat opibus otiosis, iactura patrimonij sui sollicitam redimat egestatem?* Quapropter ipsis ciuitatibus potissimum consulentes, quibus suorum ciuium beneuolentiam nolumus intercludi, bonis æternæ legis saluberrima ratione decernimus, ut si quis sua sponte nullique eiusmodi oneri subditus, in qualibet ciuitate per se alteriúsve personam quodcumque munus ediderit, vel honorem gesserit, nullum ex voluntaria largitate vel præiudicium sui status incurrat, vel discussionis ratiociniis obligetur: Hoc enim pacto, cum ex voluntate præbeatur, quòd si necessitas immineat exigitur, nec gratos suæ circa *patriam beneuolentiæ paenitebit, nec excusatio relinquetur ingratis.* Illi etiam parti, sollicita nobis circa res humanas prouidentia suggerente, consulendum esse credidimus, quorum fauoris, splendorisque legitimæ proli ex legum suffragatione præstatur, tantum naturali ac degeneri soboli derogatur. Nam cum de successionibus paternarum facultatũ quædam seueriora, quædam humaniora circa eos iura prolata sint, nulla lex adeo est perpetua, ut eiusmodi forte conceptos saltem in aliorum loco poneret, quos naturæ coniunctione proximos inuenisset. Sed nos, à quibus solet in hominum genus semper aliquid procedere quo iuuentur, vna eadémque saluberrima sanctione & horum conditioni, & Curiarum commoditati subueniendum esse perspeximus, ut cum & naturalium liberorum vilitas splendidiorem fortunam, & Decurionum nobilitas multitudinem desideret auctiorem, vtriusque generis vtilitatibus in commune perpensis, ab altero commodetur, quod alteri deficit: lèxque vndique temperatissima collocetur, quæ & naturæ vitium dignitatis impartitione soletur, & ordinum dignitatem à corporum exiguitate defendat. Hac igitur perpetuò duratura promulgatione decernimus, ut si cui & legitimorum, & naturalium liberorum progenies suppetat, veterum illibata constitutionum auctoritate seruata, iustæ ac legitimæ sobolis iura nulla imminutione decrescant. Si quia verò parentibus amissis, naturalem duntaxat fœcunditatem, non etiam legitimam sortiatur, seu libet ipse seu Curiæ sit nexibus obligatus, & tradendi filios, vel omnes, vel quos quámve maluerit, eius ciuitatis Curiæ, vnde ipse oritur, & insolidum hæredes scribendi liberam ei concedimus facultatem. Parentibus verò superstitibus, si naturalis pater vitæ munus impleuerit, quartam partem bonorum contemplatione gradus legitimi patri matrive, auo vel auiæ saluam intactámque seruamus, ut si quis eorum vel præteritus, vel parum quàm ei debebatur ex legibus fuerit consecutus, mouere de inofficioso testamento querelam pro iuris ordine concedatur. Quos ex hac nostra dispositione nec lædi credimus, nec offendi. Nec enim aliquid ex eorum iure decoquitur, cum nequeant ad quoscunque hæredes forte transmissa, quicquam amplius ex filiorum suorum nepotúmve facultatibus, præter memoratam defendere quantitatem. Nisi fortè molestè ferendum sit, natura sibi cohærentes, licet iure seiunctæ sint, alienissimis anteferri, rerúmque esse participes quos consortes sanguinis confitentur. Quod si cui

non ex vrbe, sed vico, vel possessione qualibet oriundo naturales liberi contigerint, eósque velit sub definitione prædicta, & Curiæ splendore cohonestare, & hæreditatis opibus adiuuare, eius ciuitatis adscribendi sunt ordini, sub qua vicus ille seu possessio censetur. Quod si alterutram regnantium ciuitatem patriámque sortiatur, sit ei liberum susceptam ex inæquali coniugio sobolem cuiuscunque ciuitatis Decurionibus immiscere, dummodo ciuitatis quæ eligetur totius provinciæ teneat principatum. Indignum est enim, vt qui sacratiss. vrbis vbere gloriatur, natales suos non illustri ordine ciuitatis illuminet. Hæc, siue cum postrema definiat, siue cum donatione cuiuslibet quantitatis, habita ratione parentum in liberos, naturalis pater conferat, quod de subeunda sorte curiali, seu testamento, seu actorum fide constituat, ita ratum esse, stabilitérque volumus obseruari. Vt siue abstinendo hæreditatibus, siue abdicando donationes, naturales liberi curialem voluerint euitare fortunam, postcaquam paternarum opum vel in solidum, vel ex parte reperti fuerint possessores, licet eas alienauerint, omni modo ad conditionem, in qua parte eos amplificatis opibus esse voluit, etiam inuiti cogantur accedere, Apolloni Præfecte Karıss. AA. Illustris & magnifica auctoritas tua quæ sanximus edictis propositis ad vniuersorum nostro imperio subiectorum notitiam commeare perficiat. Dat. xvi. Kal. Ianuar. Constantinop. Maximo ts. & Patemo v. c. conss.

Interpret. *Si quis habuerit legitimos filios, & naturales id lex ista constituit, vt id obseruetur, quod est in Theodosiani corpore constitutum, hoc est, vt extantibus filiis legitimis vnciam hæreditatis naturalibus vel eorum matribus, pater si voluerit, derelinquat. Si verò legitimos filios non habuerit, & naturales habuerit, & eos hæredes facere voluerit, non aliter poterit, nisi vt primitus eos corpori curiæ sub gestorum testificatione coniungat: & sic, si voluerit integras ad eos siue donatione, siue testamento hæredes scribendo transferre poterit facultates. Quarta verò patri vel matri, aut auiæ, quibus de inofficioso testamento actio suppetit specialiter seruata. Hoc seu curialis, seu liber à curia naturalibus filiis ita conferre legis istius ordinatione permittitur, ita vt in ea ciuitate, in qua vel in cuius territorio habitat, naturales filios constituat curiales. Quod si, vt adsolet, in duabus prouinciis ei possessio vel habitatio fuerit, & voluerit eos in ciuitate sua facere curiales, hoc lex ista permittit, vt in qua prouincia elegerit, dummodo in Metropolitana ciuitate, instituendi naturales filios curiales pater habeat potestatem.*

II. Idem AA Apollonio pp. p.

Nulla penè res adeo pro *vtilitate humani generis inuenitur, quæ non callidis hominum consiliis ad fraudem malis ínque conuertitur.* Nonnulli enim Curiales, quorum corpori semper volumus esse consultum, parum habent sua commoda nostris beneficiis adiuuari, nisi eis ad aliorum abutantur incommodum. Sed nos, quibus ingenitum est *prodesse cunctis, obesse nemini*, sicut eorum vtilitatibus prouidendum esse censemus, ita fraudibus etiam ducimus obsistendum. Hic enim est expeditissimæ sanctionis effectus, qui dum aliis prospicit, aliorum iura non minuit. Meminimus quippe, nuper emissa lege diuali, portionem quartam de facultatibus curialium, fati munus implentium, ex qualibet nouissima voluntate, vel ab intestato etiam ad quemcunque, præterquam si ad filios deferantur, curiarum deputasse corporibus. Sed multi, tanquam corrumpendi totius patrimonij occasione capiata, vniuscuiusque rei sibi particulam vindicando, adeo totas dilacerant facultates, vt dum participibus relictarum opum nocere cupiunt, sua quoque iura præcipitent. Quorum nimiam licentiam prouida dispositione frenantes, ipsis quidem Curialibus occupandi sua auctoritate res mortui copiam denegamus. Optionem verò damus hæredi ad quem vel intestato, vel ex postrema voluntate directis, vel fideicommissariis verbis decurrit hæreditas, vtrum æstimationem quartæ partis Curiæ velit offerre, an omne patrimonium quod relictum est, in partes quatuor pro sua voluntate diuidere, vt rebus totis in sortium casúmque deductis, vel curiæ quadrantis, vel hæredi, ac fideicommissario per vniuersitatem quadrantis electio ex sortis conditione contingat. Ita scilicet & præfati successores, *& Curia promiscui rerum dominij liberabuntur incommodo. Naturale quippe vitium est negligi, quod communiter possidetur, vtque se nihil habere, qui non totum habere arbitretur. Denique suam quoque partem corrumpi patitur, dum inuidet alienæ.* Sed vbi quarta pars bonorum mortui Curiæ debet offerri, immobiles quidem res, quæ nec latere facilè possunt, nec quicquam si diuulgentur efficiunt, sub aspectu etiam Curialium æstimari, diuidíve concedimus. Mobiles autem res, vel se mouentes, vel instrumenta, vel si quid etiam in eiusmodi iure consistat, in medium proferri diuulgaríque non patimur: sed iuratis successoribus, cum apud se diligenter æstimauerint, quæ quantique sint pretij facultates, credi oportere decernimus. Quid enim tam durum támque inhumanum est, quàm publicatione, pompáque rerum familiarium paupertatis detegi vilitatem, & inuidiæ patere diuitias? In exigendis verò debitis, si pretium quod pro quarta parte actionum Curiæ competit, successores præstare noluerint, cautionibus iurata fide prolatis in medium, vnusquisque à debitoribus conuenientem sibi exigat portionem, éque diuerso æs alienum, si qui defunctus fuerat obligatus, tam iidem successores, quàm Curia pro sua sorte restituere compellantur. Quod si sæpe dicti successores, Sacramentum sibi crediderint excusandum, tum verò ad similitudinem rerum immobilium diligentior Curialibus omnium rerum indago præbebitur: scilicet vt vniuersis mortui facultatibus in aperto propositis, vel æstimatio rerum, vel diuisio, prout successores elegerint, sub præsentia Curialium celebretur. In omnibus autem casibus, vbi quarta pars Curiæ competit, transactiones interpositas firmas illibatásque manere decernimus. Ad filiorum verò numerum, ad quos integras opes venire censuimus, filium, nepotem, pronepotem, patrem, auum, & proauum, ad virilis sexus originem pertinentes, etsi alieni sint Curia, iubemus adiungi, vt ad has quoque personas ex vltima voluntate, vel ab intestato delapsæ facultates nullius partis imminutione decrescant. Filiam, quin etiam neptem, proneptémve Principalis eiusdem ciuitatis, vnde pater, auus vel proauus oritur, nuptam rerum vel ab intestato, vel ex dispositione voluntatis vltimæ quæsitarum, integrum nulláque parte minutum dominium habere sancimus. Quòd si post parentum obitum inueniantur innuptæ, vel viduæ, impuberibus quidem post translactam pubertatem, in aliis verò quæ pubertatem adeptæ sunt, vel etiam in viduis post mortem parentis triennium duntaxat volumus expectari, vt interim quarta portio suspensa, vel apud eam, si in matrimonio Curiali eiusdem ciuitatis fuerit collocata, perpetuo iure permaneat, vel si intra id temporis alienum eadem curia sortiatur maritum, penitúsve nupta non fuerit, immemorata pars Curiæ cùm triennij tam vrbanorum, quàm rusticorum prædiorum duntaxat fructibus abdicatur. Iis tamen, vt & optionis conditio, in offerendis rebus quartæ partis siue eius pretio & sacramenti tam de quantitate, quàm de æstimatione rerum mobiliũ, déq; actionibus inferendis excipiendísve, sicut in extraneis personis dictum est, ratio consequatur: Cæteris videlicet, quæ super hac re prolata constitutio continet, firmiter duraturis. Sed & si mater mortui vel auia, tempore, quo filius nepósve moritur, in coniugio Curialis inuenta fuerit, nec ipsas quidem patimur quartæ portionis subire iacturam. Extraneum quinetiam hæredem, propinquitatis quidem iure discretum, Curiæ tamen eiusdem ciuitatis obnoxium supradictæ portionis dispendio liberamus. Fœmineo verò sexui non hac tantùm prouisione, sed illa insuper iuris adiectione consulimus. Præcipimus namque, vt ad similitudinem naturalium filiorum, quos decurionatus sorti paterna sententia dedicauit, filiis quoque naturalis, in patrimonium Curialis ascita, si tamen nulla patri eius supperat legitima soboles, id quod paternæ visum fuerit voluntati, & omnes res patrias donationis titulo consequantur & hæres scribatur ex integro: Ita tamen vt parentum, quibus quarta pars patrimonij relinquenda est, & locorum, vnde genet leguut principalis, ad formam nuper emissæ constitutionis ratio consequetur. Quid enim interest, vtrum per filios, an per generos ciuitatum commoditatibus consulatur? Et vtrum nouos lex faciat Curiales, an foueat quos inuenit? Aliam quoque de negotio Curialis caliginem suggestione tui Culminis moti, recenti interpretatione discutimus, & in primis descriptionis onere siliquarum quatuor, quas lucratiuis iugationibus tantùm non humanis, vel animalium censibus, neque mobilibus rebus iubemus indici, & si Curiales non sint, maiores ac posteros liberamus. Vt si pater, auus, vel proauus, filio, nepoti, pronepotíve, vel filiæ, nepti, pronepotíve, nec referet nuptæ sint Curialibus necne, postrema voluntate, vel inter viuos etiam donatione quicquam de suis opibus largiantur, memoratæ descriptionis cesset indictio. Eque diuerso, vt si posteri ad maiores prædicta sibi consanguinitate deuinctos, præfatis titulis suas conferant facultates, nullius accessione grauaminis huiusmodi liberalitas oneretur. Ita enim necessariis sibi coniunctísque personis sub liberalitatis appellatione debitum naturale persoluitur. Cuius auctoritatem iuris pariter valere sancimus, & si ab intestato succedant præfati sibi generis ordine sociati. Ex his enim successionibus maximè debiti potius solutio, quàm muneris oblatio comprobatur, quæ non largientibus etiam dominis ipsa propinquitatis ferre deferuntur. Cæteri verò licèt quadam inter se cognatione iungantur nunquam tamen Curiale prædium sine prædicto onere lucrabuntur, nisi fortè is, cui lucro res cesserit, eiusdem ciuitatis ordini sit obstrictus, qui licet inter extraneos numeretur, vacuum tamen ea functione quod datum est consequitur. Nam cum personæ conditio non mutetur, ne rei quidem statum conuenit immutari. Lucratiuas verò res eas tantùm volumus appellari, & prædictæ descriptionis grauamen excipere, quæ hæreditatis, legati, fideicommissi iure, vel mortis causa donatione, vel cuiuslibet postea mæ

volun

voluntatis arbitrio ad quempiam delabuntur. Inter viuos etiam donatio simplici liberalitate confecta lucratiuæ merebitur & nomen & sarcinam. Si verò vel socer futurus, filij, nepotis vel pronepotis sponsæ affinitatis coeundæ causa donauerit, vel parens etiam filiam, neptem, vel proneptem, Curialis, seu extraneo nubentem dotauerit, licet casus contrarius eius cui data est, vertatur ad lucrum, nec inter lucratiuas numerabitur, nec descriptionis oneri subiacebit. Nec enim iuris optimi est matrimonium cum tot tantisque suis difficultatibus opprimatur, aduentitiis etiam cumulate ponderibus. Res verò, quæ memoratis causis lucratiuæ semel nomen exordiumque sortita est, licet ab eo qui susceperit, ad alterum emptione vel cuiuscunque contractus iure migrauerit, cum prædicto descriptionis grauamine proculdubio transferetur, vt vel sciens sibi imponet, qui acceperit oneratam, vel si ignorauerit, quod interest consequatur. Contràque si cuiuslibet contractus exordio lucratiuæ nomen euaserit, & si postea lucri titulo in dominatum alicuius ceciderit, sarcinam memoratæ descriptionis effugiet: nulla enim in huiusmodi causis confusioni intercedit occasio, si ad primordium tituli posterior quoque formetur euentus: Nisi fortè res Decurionis, quæ ad eum cuiuslibet matrimonij iure peruenerit, ad alterum fuerit postrema eius voluntate ab intestato, vel inter viuos donatione transacta. Tunc enim, quia semel in personam cecidit principalis, veterum titulorum nequaquam ratione perspecta, conditionem & onus merebitur lucratiuæ, Apollini Præfecte charissime AA. Illustris itaque & magnifica auctoritas tua, edictis ex more propositis, sanctionem nostræ Clementiæ quam in perpetuum volumus obseruari, ad omnium notitiam peruenire constituat. Dat. VII. Id Mart. Constp. Dioscoro, & Eudoxio vv. cc. coss.

INTERP. *Lege hac Curiales minimè prohibentur testamentum facere, sed ita vt legitimis filiis si voluerint facultates suas integras sine imminutione aliqua derelinquant. Cæterùm si filij legitimi defuerint, quemlibet etiam extraneum à Curia scribere hæredem permittantur, ita vt hæres, qui conditionem Curiæ nullam debet, quartam hæreditatis acceptæ Curiæ sine aliqua imminutione mox refundat. Quod si is qui hæres scriptus est, integram hæreditatem habere voluerit, pro quarta illa, quæ Curiæ deputatur pretium quantum voluerit dare non differat. Agri, domus, vel quicquid latere non potest, communi æstimatione taxentur. de præsidio verò, aut quicquid latere potest hæres scriptus, Curiæ præbeat sacramenta, secundum fidem pretium soluturus. Quod si noluerint, prolatis omnibus tres partes hæres, & quartam Curia vindicabit. De cautionibus verò, quæ Testatori Curiali debebantur simili ratione diuisio: etiam quæ testator Curialis debuisse conuincitur, tres partes hæres, & quartam Curia creditoribus sine dilatione dissoluat. Pactiones quæ inter hæredem & curiam de hæreditatis diuisione factæ fuerint firma permaneant. Filij verò, nepotes & pronepotes, qui auo & proauo per virilem gradum successerint, seu scripti hæredes sint, seu ab intestato succedant, siue Curiales sint, siue à Curia liberi, de hæreditate sibi debita vel dimissa, quartam partem Curiæ nomine penitus non amittant. Filia etiam curialis, neptis, proneptis, si Curiali ipsius ciuitatis in matrimonio iuncta fuerit auo, proauo intestato, in integra hæreditate succedit. Et si testatus fuerit, & has personas relinquat hæredes, quartam portionem Curiæ refundere non coguntur. Quod si filia, neptis, aut proneptis à patre, auo, vel proauo, vel in minore ætate, vel vidua relinquantur hæredes, postea quam ad annos pubertatis accesserint, triennio expectentur, vt si Curialibus ciuitatis nupserint, integram hæreditatem, sicut eis vel debita est, vel dimissa sine aliqua imminutione possideant. Sin verò eis nupserint qui Curiæ nihil debebant, quartã partẽ hæreditatis à die mortis auctoris Curiæ cum fructibus sine aliqua dissimulatione restituant. Et si sine maritis noluerint perdurare, quartam similiter Curiæ cum fructibus reddant. Quod si rem relictam à parentibus tenere maluerint, sacramento præbito de quantitate hæreditatis, quartam partem Curiæ in pretio mox refundant. Matre quoque vel auia, si tamen Curiales maritos habuerint, quartam portionem hæreditatis defuncti filij vel nepotis, quæ eis acquisita est lex ista à Curia non iubet auferri. Nam si quis Curialis quemlibet extraneum, & tamen Curialem scribat hæredem, & ipse quartam, quæ portio Curiæ ipsius est, non refundat. Curialis etiamsi legitimos filios non habuerit, & habuerit naturales, si voluerit eos Curiæ iungere, & hæredes scribere, vel donatione in eos propriam conferre substantiam, faciendi habeat potestatem. Filia quoque naturalis, si Curiali nupta fuerit, licet proprias & donare & relinquere facultates, ea conditione, vt patrem matrémve, vel quibus actio de inofficioso testamento competit, nullatenus prætermittat. Sed eis legibus debitam vel donatione, vel mortis tempore, hoc est quartam portionem reseruet.*

TITVLVS XII.

De patrimonialibus rei dominicæ & limitrophis fundis ad Orientem positis.

I. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Marcellino Comiti P. F.

PROPE *est vt beneficium accepisse credamus quotiens offertur nobis causa præstandi, & diem perisse proculdubio suspicemur, quem nostri numinis munificentia non illustrat. Fruimur quippe conscientia largitatis, & benefaciendi prouidentia, qua cum Deo meritum* hominis *adplicitum inter Imperatorias primásque virtutes obtinet principatum.* Valuerit igitur in fundis patrimonialibus sitis per Asianam diœcesim, sitis per Ponticam, in diem præsentem & Consulatum XVI. nostræ clementiæ, lex diuæ memoriæ Constantini, quæ ad ædes per Constantinopolitanam vrbem sacratissimam *dominus exigebat*. Sed nequaquam vlterius felicitas patitur ciuitatis, non suis meritis, verùm potiùs quæstus compendiis æstimati: nequaquam vtriusque obsequiis clementiæ contenta, suæ fortunæ desiderat incrementa subsidio prædiorum, quæ in cælum vsque prouecta gloria nominis sui, in societatem admittere dedignatur aliena fata terrarum. Quare cum diuinum consilium principis memorans, progressus temporis subiecerit & legis proposito in augenda vrbe, pace superi numinis, sit satisfactum, reddet nostra maiestas gratam possessoribus nouitatem, vt petitionis suæ ante formidinem, cui Romæ desunt penates, securus vomerem, securus falcem possessor exerceat, quod parauerit relicturus hæredi. Pertinet hoc quoque profectò ad pretium ciuitatis, ad famam tanti splendoris, amantium ambitu frequentari, cessante legis imperio. Quapropter suggestione magnitudinis tuæ, victura in omne æuum lege sancimus, vt quisquis patrimoniales possidet fundos, seu prædia per diœceses memoratas, donationis, aliovè titulo, firmiter in æternum velut priuato & inconcusso iure possideat, etiam si domicilium in Constantinopolitana vrbe non habeat, ad hæredum suorum, vel emptorum legitimorum, quinetiam testatorum, si dominus quoque pacto abalienauerit, eius commodis migraturis, omni petitionis exclusa molestia, instructionis quinetiam officio cuius interest, molestia denegata. Quam si quis tractator temerario spiritu contra iussa diualia, (quod non opinamur,) offerre tentauerit, quinquaginta librarum auri, cum amissione militiæ, dispendio ferietur: Quatenus cuncti cognoscant firmius nos possessoribus præsenti lege donasse, quæ exceptionibus & formulis vacillabant Marcelline frater amantissime. Inlustris igitur auctoritas tua statuta nostræ clementiæ pro deuotione sincera, solemniter edictis propositis ad omnium notitiam facias peruenire. Dat. VI. Id. Mai. Constantinopoli, Theodosio A XVI. cons.

II. Idem AA. Florentio P. P.

Suggestionem tui culminis salutarem debita cum laude diuinus amplectitur nostræ serenitatis adsensus, per quam suggeritur prouidendum *ne redditum præstatio minor videatur expensis, néve erogatio conlationis functionem excedat.* Quod euenire monstratur patrimonialibus fundis ac limitrophis, necnon etiam saltuensibus, pro libidine petitorum ad ius priuatum securitatémque transitis. Cui rei, nè vlterius adtemptetur, hac lege perpetuò valitura remedium credidimus offerendum, omnes eiusmodi post hanc legem petitionum materias inhibentes. Præcipimus itaque nulli iam in posterum licere patrimoniales, seu limitrophos vel saltuenses fundos, qui per tractum Orientis positi sunt ad ius transferre priuatum, siue dempto, siue saluo canone, iuris immutatio postuletur legis temeratores quinquaginta librarum auri pœna cohercentes, tam videlicet petitorem, quàm Officium quod petitionem concedit admitti, licet adnotatio nostra, licet diuina pragmatica contra vetitum proferatur. Florenti P. K. a a. Itaque magnifica auctoritas tua edictis propositis, quæ sanximus ad omnium notitiam perferri præcipiat. Data VI. Id. Iun. Constantinopoli, Theodosio A XVII. & Festo coss.

III. Idem AA. Cyro P. P. P.

In omnibus quidem rebus *publicam communis vtilitatem priuatis commodis anteponi, sed tum præcipuè cùm salute pariter prouincialium, ac imperij nostri felicitati consulitur: vnde singulorum quoque fortunis ac securitatibus prospici non habetur incertum.* Quoniam igitur per consultissimam tuæ sublimitatis suggestionem comperimus *Armeniæ* tractum in ipso penè limitis aditu Persarum constitutum, pridem regalium fundorum copiis ac præsidiis munitum, in præsenti Persicis eruptionibus expositum fuisse, eò quod eosdem fundos & maximè *Theodosiopolitanæ* & Satalenæ ciuitati contiguos vel propinquantes, quorundam petitio diuersis retro temporibus in propria iura, mutato pristino nomine, transtulerit, hac in perpetuum victura lege censuimus statuendũ, Vt vniuersi qui nostram in his munificentiam meruerunt,

sub

sub ea conditione possessiones habere donatas concedantur, si *cunctarum*, & pastacas, & paraneredos, & species, oceano & coëmptiones secundum pristinam consuetudinem dispositione tuæ magnificæ sedis iniungendas, & alia vniuersa fisc calculis solemniter sine mora dependant & agnoscant, aut sciscitente cura vtilitate communi publicæ possessioni cuncti prædia refundant: sub ea scilicet obseruatione, *cùm nulli* deinceps eosdem fundos liceat insidiosis & derogantibus Reipublicæ precibus emereri, aut ad sua compendia, despectis Reipublicæ vtilitatibus transferre: centum pondo auri pœnæ nomine, tam his qui preces offerre tentauerint, quàm scrinariis, vel aliis quorum interest, si supplicationes oblatæ, aut si fuerint instructæ, ferendis. Cyre P. K. AA. Sublimis igitur & magnifica auctoritas tua hanc saluberrimam legẽ edictis ex more propositis in omnium notitiam faciat peruenire. Data VI. kal. Iul. Constantinopoli C. *

TITVLVS XIII.

De bonis Fabricensium.

I. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Aureliano.

FABRICENSIVM corpus *subuenit necessitas* cura bellorum, quo immortalitatis genere Principum sacra custodit, ne deficiente principiis successus *generis* haberentur, hoc enim armat, hoc nostrum ornat exercitum. Hinc iure prouisum est artibus eos propriis inseruire, vt *exhausti* laboribus immoriantur cum sobole professioni cui nati sunt. Denique quod *ab vno* committitur *totius delinquitur periculo numeri*, *vt constricti nominationibus suis sociorum actibus quandam speculam gerant*, *& vnius* damnum *ad omnium transeat dispendium*. Vniuersi itaque velut in *corpore vniformi vsum decessionis*, si ita res tulerit, respondere coguntur, vt viri illustris atque magnifici Magistri officiorum suggestio nostræ clementiæ patefecit. Quæ cum ita sint, præsenti sanctione perpetuo valitura *ergo si timore* decernimus Vt quisquis fabricensium sine liberis, vel legitimo hærede decesserit non cõdito testamento, eius bona cuiuscumque summæ sint ad eos nunc nostræ mansuetudinis pertinere, qui velut creatores decedentium attinentur, qui fisco pro intercepto respondere coguntur. Hoc enim contigit, vt & Reipublicæ ratio salua permaneat, & fabricenses collegarum suorum solaciis perfruantur, qui damnis ac detrimentis tenentur obnoxij, omni in posterum ab eorum facultatibus, aliorum patrimonijs petitione cessante Aureliane P.K.AA. Inlustris igitur auctoritas tua post hanc legem, nullius petitionem admittat, vel instructionem fieri patiatur super bonis fabricensis defuncti. Quòd si vlla processit instructio, non facta adnotatio, non diuina pragmatica habeat locum contra generalem nostri *numinis* sanctionem. Quinquaginta etenim auri librarum officium palatinum fisci viribus inferre cogetur, si postquã susceperit huiusmodi diuinum oraculum vel instructionem dare tentauerit. Dat prid. Non. Nouemb. Constantinopoli ipso A. XVI. & Fausto V. C. COSS.

TITVLVS XIV.

De amota militantibus fori præscriptione.

I. Impp. Theodosius & Valentinianus Florentino P. F. P.

IVRATVR in militiæ sacramenta vt *Necessitatis publicæ* procurentur: sed suggestione culminis tui comperimus quosdam ideo tantùm sortiri militiam, vt alienorum prædiorum idonei possint fieri conductores Quod nisi numinis nostri fuerit auctoritate correctum, in contumeliam aulæ diuinæ proficiet, si ijsdem priuilegiis muniantur qui in priuatis negotiis occupantur, quibus iure militiæ seruientes obsequiisuis præmiis gloriantur. Quare præsenti *lege sancimus* omnes *omnino* domesticos Agentes in rebus, quæcumque alia & prætenditur militiæ dignitas sub Moderatoribus prouinciarum functionibus publicis respõdere, *nulla fori præscriptione valitura*, si hac quæ exiguntur debita publica vel tentauerint, immo & in aliis priuatis actionibus occupatos malumus respõdere qui per prouincias sociantur, vel conductorũ vocabulis defenduntur, siue domorũ diuinarũ, siue virorũ potentũ seu cuiuslibet conditionis sint conductores: nisi fortè commeatũ ad tẽpus propriã cõponẽdã vnius anni inducias ostenderint accepisse. Florenti P.K.AA. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua, quæ prouisionũ titulis & cõmodis publicis illustratur, nouerit præsenti lege nostram clementiam statuisse, omnes cond... omnea qui per prouincias sociantur, vel suis vacant cõmpendijs, sine beneficio (vt dictum est) commeatus, suis aduersariis agentibus respondere, ne sub prætextu militiæ priuatum seu publicum debitum deseratur (eadem forma seruata in his etiam qui in meteandum, & militandi diualia beneficia meruerunt.) Scita sanæ nostræ perennitatis edictis ex more propositis ad omnium notitiam tua magnificentia faciat peruenire Dat. XIII. kal. Mai. Constantinopoli, Theodosio A. XVIII. CONS.

II. Idem AA. Cyro P. F. P.

Omnes odiosæ sunt fraudes & hæ maximè quæ legibus fiũt quæ contra *commoditatem publicam* exquiruntur. His itaque legum conuenit auctoritatem opponi. Fori præscriptionem noxia quidam interpretatione suis adscriptionibus *aptare* festinant, qui cinguli prærogatiua iudiciarias excludere posse cognitiones existimant, nescientes *veteres quoque* leges specialiter eiusmodi præscriptionibus, *& contractus*, *& negotia gesta* & delicta subtrahere, *nec pati aliquem qui quid in qualibet prouincia criminosè commiserit*, *vel qui alicubi contraxerit*, *vel in quibusdam locis negotia gesserit aliena*, *memorata se posse præscriptione defendere*. Sed tua celsitudo per suggestionem edocuit quosdã eorum etiam qui ad Curiam vocantur, quive cohortalibus debere dicuntur officiis, vel qui debitis publicis obligantur, quive superexactionum vel concussionum criminibus inuoluuntur, intantum audaciæ processisse, vt sub specie militiæ *excelsa tua quoque sedis iudicia præscriberent*. Ideo diuinis sensibus callida memoratorum resecantes incœpta, hac perpetua lege sancimus, excelsæ quidem tuæ sedis neminem sub specie fori præscriptionis, in quolibet negotio declinare posse sententias: sed ne prouincialibus quoque iudiciis posse fori præscriptionem opponenere eos qui ad Curiam vocantur, vel cohortalibus deberi dicuntur officiis, vel eos qui debitis publicis obligantur cõfive qui superexactiones, vel concussiones perpetrasse firmãtur, quive criminosè quid arguuntur in prouincia commisisse, quiue contraxisse vel alienum dicuntur gessisse negotium in ea prouincia in qua conueniuntur hac saluberrima lege decernimus: licet talis officij videatur apparitor, quod specialiter apud suos tantum Iudices respondere de nostri nominis imperauit clementia. Quod si quis contra tam saluberrimam legẽ pertinaciter voluerit impertare sibimet vel suo corpori sciens vsi cœlestibus, sciat tam tua sublimitas, quam Moderatores prouinciarũ aduersus eum tanquam in contumacem sententiam proferendam. Cyre P. K. AA. Inlustris itaque & magnifica auctoritas tua legem hanc edictis ex more propositis, ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. XI. kal. Octobr. Constantinopoli, Valentiniano A. V. & Anatolio A. COSS.

III. Idem AA. Cyro P. F. P.

Nos quidem cum maiestate Consulum, qua res Romana paulatim & totus vrbana ijsdem scimus etiam adquisita seruari. Quis debitat suis commodis veterea Reipublicæ commodo præferentes, modi finibus fines imposuisse Romanos? Sic nos in legibus maximè promulgandis non quid forté quibusdam separatim, sed quid vniuersis in commune prodest, diuinis sensibus ponderamus, sed nonnunquam ea quæ saluberrimè promulgantur, interpellatione quidam non recta deformare contendunt. Nuper * Tutis ciuitatibus, ipsis etiam prouinciis consulentes, sanximus lege perpetua, non debere prisum cinguli prærogatiua, vel illustrissimæ Præfecturæ, vel Rectorum prouinciarum declinari sententias, hanc etiam legem *de nostris militibus* quosdam comperimus dicere promulgatam. Ne itaque malè interpretandi sacra nostra quibusdam detur occasio, sciat sublimitas tua de scholaribus nostris, Comitibus etiam ac Tribunis militantibus consuetudinem obseruari velle nos hactenos obseruatam: de cæteris verò *militibus armatis*, vel de Tribunis qui numeros agunt, prorsus legem nuper promulgatam non loqui certissimum est. Cyre P.K AA. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua, legem perpetuò valituram edictis propositis ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. XV. kal. Ian. Constantinopoli, Valentiniano & Anatolio coss.

IV. Idem AA. *Arnuindi Magistri militum.*

Quæ de fori præscriptione nuper saluberrima lege decreuimus, ipsius legis definitionibus demonstrãtur. sed suggestione tuæ sublimitatis ammoniti, quosdam etiam de apparitionibus magisteriæ potestatis excipi postulante, ad eam quoque partẽ ordinandã diuinam moderatione peruenimus. Itaque, neque pulsantes ab aduersariis suis, vel in amplissimæ præfecturæ iudicio, vel prouinciis, ad præscribendum sufficiat apparitorem se dicere magisteriæ potestatis, exceptis quos obsequiis Magistri militum deputatos, ad alia iudicia, inconsulto suo Iudice, trahi non liceat. Per singula officia virorum inlustriũ Magistrorum militum, trecentos excipi lege pridem promulgata decreuimus, quos nec in prouincialibus, nec in Prætorianæ, vel Vrbicanæ Præfecturæ iudicio, sine permisso viri magnifici Magistri militum, litigare conuenier: cæteros omnes qui super prædictum sunt numerum, quasi nec militantes, & apud inlustrissimas præfecturas, & apud Vicarios Rectores prouinciarum de quolibet negotio pulsari & conueniri, & respondere, sine cinguli præscriptione decernimus.

Probati

Probati autem apparitores magisteriæ potestatis, neque Curiales, neque cohortales, neque censibus volumus adscriptos. Quò autem sit certum qui trecentorum numero continentur, in sententiis vel præceptis quæ apparitoribus magisteriæ potestatis exsequenda mandantur, vel in commeatibus, si fortè quis eorum ad sua reuerti voluerit, commeatui virum magnificum Magistrum militum subnotare sancimus, de numero trecentorum eum esse cui præcepta vel sententiæ mandatæ sunt exsequendæ, vel cui ad sua per commeatum reuerti concessum est. Si quis igitur conuentus ex sententia tuæ excelsæ sedis, vel vrbicariæ Præfecturæ, vel moderatoris prouinciæ apparitorem se magisteriæ potestatis dicat, nec Magistri militum talem subscriptionem protulerit, huiusmodi præscriptionem in eius personam cessare decernimus. Quod si qualem diximus Magistri militum subscriptionem protulerit, siquidem ille est cui neque à curia, neque à cohortali officio de statu mouetur controuersia, nec tributa, nec functiones debere firmatur, statim dimittendus est, vt pote fori alterius litigator. Quod si ab eo proferatur sæpedicta subscriptio qui à curia, vel officio cohortali de statu patitur controuersiam, vel ab eo qui vt tributa, vel functiones debens in prouincia detinetur, de eius persona & ad virum magnificum Magistrum militum, cuius se apparitorem dicet, & inlustrissimam Præfecturam referri decernimus vt si intra quatuor menses non fuerit à Magistro militum causa Rectori prouinciæ delegata, tunc ex sententia culminis tui negotium vel in tuo iudicio, vel apud Rectorem prouinciæ peroretur. Quod si apud inlustrem atque magnificam sedem tuam postulatio contra talem fuerit deposita ab ea quoque sede ad virum magnificum Magistrum militum iudicantem, causam ordine legum deriuari censemus. Sed & eo casu quo apparitor magisteriæ potestatis de statu supradicto in prouincia patitur controuersiam, si sententia vel interlocutio Rectoris prouinciæ fuerit appellatione suspensa, similiter vtroque amplissimo iudice cognoscente causæ iubemus merita ponderari, licet Magister militum Rectori prouinciæ causam delegauerit perorandam. In cognitionibus enim autem sumtis, omnes ea iure venientes actiones partibus inlibatas seruari sancimus. Atque inde Par. K AA. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua legem hanc edictis propositis ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. Prid. Non Mart. Constantinopoli, Cyro v. c. cons.

Eodem exemplo Aspari viro *inlustri Comiti, Exmagistro militum & Exconsuli in ordinario.*

Titvlvs XV.

De nauibus vltra duorum millium modiorum capacitatem non excusandis.

1. Impp Theodosius & Valentinianus AA. Florentio P F. P.

SEmina ferendis legibus fragilitas humani generis subministrat: *repetitio verò legum nostra est humanitatis iudicium.* Siquidem cùm priorum aculei aduersus temeratores earum sufficerent corrigendos, ammoneri tamen per legis repetitionem delinquentes volumus, quam pœnam exigi delictorum. Ideo calcatam legem quæ de nauigiis non excusandis olim fuerat promulgata, *suggestione* tuæ sublimitatis edocti, humanis sensibus saluberrima repetere scita compellimur, ac iubemus nullam nauem vltra duorum millium modiorum capacitatem *ante solitam embolam, vel publicarum specierum transuectionem*, aut priuilegio dignitatis, aut religionis intuitu, aut prærogatiua personæ, publicis vtilitatibus excusati posse subtractam: nec si cæleste contra proferatur oraculum, siue adnotatio, siue sit diuina pragmatica, prouidentissimæ legis regulas oppugnare debet. Quod etiam in omnibus causis cupimus obseruari, vt generaliter si quid huiusmodi contra ius, *contráve vtilitatem publicam* quolibet negotio proferatur, non valeat, cum haud dubiè subreptionem arguat precatoris. Sed ne præsentis iuris videatur impunita contentio, quicquid in fraudem istius legis quolibet modo fuerit ademptatum, in nauigij quod excusatur publicatione corrigimus. Florentii P. K AA. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua legem, perpetuò valituram ad omnium notitiam propositis edictis perferri præcipiat. Dat. VII. Idus April. Constantinopoli, Theodosio A. XVII. cons.

Titvlvs XVI.

De postulando & perpetuenda aduocatione.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Florentio P. F. Orientis.

PRouidentissime suggestis lege saluberrima subuenimus. Eneruasse curias vel prouinciarum officia effusam amplissimæ præfecturæ iudicio postulandi cupiditatem illecebris immunitatis accensam tui culminis suggestione comperimus. Dispositiones quoque sublimitatis tuæ in hoc quoque secuti negocio, perpetuò lege valitura decernimus, Curiales qui post sexagintaquatuor priores aduocatos contra licitum in amplissimo foro postulandi sibimet vsurpauere licentiam per substitutum munia suæ ciuitatis agnoscere, nullóque sacrarum Constitutionum quæ de aduocatis latæ sunt, beneficio frui, nisi ad fisci nostri peruenerint patronatum. Cùm verò aduocationem fisci susceperint, omnibus aliis perseuerantur substituto curiam non fraudandis viribus neque curiali, neque cohortali aduocatorum Præfecturæ consortio sociamus. Sed quò numerus, vt suggeritur, infinitus eorum qui post centum quoque & quinquaginta passim matriculis continentur, quadam valeat prouisione diminui, nullum ad aduocationem fori culminis tui post hos qui iam matriculis continentur, iubemus accedere, nisi ad centum numerus aduocatorum peruenerit. Hunc etenim numerum, vtpote sufficientem litibus amplissimæ præfecturæ, nec minui volumus, nec augeri concedimus. Sed ne dura illis qui supra numerum veniunt constitutum longi temporis expectatio videatur, liberam eis ad alia, si voluerint, fora migrandi tribuimus facultatem, nulla a minoribus iudiciis præscriptione pellendis. Superest non solùm fugiendi prouincias aduocatis necessitatem extinguere, sed etiam amplectendi eas *atque* in vocationis eatum officio perseuerandi ministrare materiam; quod ita credimus eueniturum si ipsis quoque aduocationis præmium securitas proponatur, si factiones eorum non timeant contra quos clientibus suis fideliter adfuerunt, si officio amplissimarum potestatum suas non videant subiacere fortunas. Quamobrem nihil aduocatis prouinciarum vel spectabilium iudicum quis existimet iniungendum, nulla eis inspectio, nulla ingeratur peræquatio, nulla operis extructio, nulla discussio, nullum ratiocinium imponatur, nihil denique aliud eis mandetur illud præter arbitrium in ea duntaxat prouincia vbi aduocationis exercetur officium: quinquaginta librarum auri pœna Officio feriendo quod regis illius regulas temerare tentauerit. Florentii P. K. AA. Inlustris itaque & magnifica auctoritas tua saluberrimam legem edictis propositis ad omnium notitiam peruenire præcipiat, quo præter aduocatos virorum inlustrium Præfectorum, quos ad finem aduocationis specialium priuilegiorum fructus proposita etiam palma dignitatis hortatur, sciant alij lege priore sublata postulandi sibi licentiam datam nullo tempore præscribendam. Dat. XIII. Kal. Maj, Constantinopoli, Cons. suprascript.

Titvlvs XVII.

De repudiis.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Florentio PF. P.

COnsensu licita matrimonia posse contrahi, contracta non nisi misso repudio dissolui præcipimus. *Solutionem enim matrimonij difficiliorem debere esse fauor imperat liberorum.* Sed in repudio culpáque diuortij perquirenda, durum est veterum legum moderamen excedere. Idcóque Constitutionibus abrogatis quæ nunc mulierem matrimonio soluto præcipiunt pœnis grauissimis coherceri, hac Constitutione repudia, culpas, culparum coherctiones ad veteres leges responsáque prudentium reuocari censemus, Florenti P. Karissime atque amantissime. Inlustris itaque & magnifica auctoritas tua quæ prouidentissimè constituta sunt, edictis propositis publicare præcipiat. Dat. VI. Id. Iul. Constp. Theod. A. XVII. & Festo v. c. coss.

Titulus XVIII.

De lenonibus.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Cyro & Alyppio PF. P. PM.

Fidem de exemplis præsentibus mereantur historiæ, & omni de ambiguitate liberetur antiquitas, quæ nobis, summos *præualisse Rempublicam*, facultatibus, indicauit. Virum inlustrem *Florentium præfectura Prætoriana* administratione subfultum cernamus, non iam cum maiorum laudibus, sed cum suis magnis in Rempublicam meritis præclari animi æmula virtute certantem, existimationem Reipublicæ non solum consilio suo ac prouidentia, sed etiam deuotione ac munificentia *pudenda turpitudinis* labe atque ignominia liberasse. Nam cum lenonum calliditate damnabili circumuentam veterum videret incuriam, vt sub *cuiusdam lustralis præstationis* obtentu corrumpendi pudoris liceret exercere commercium, & initiam sui ipsam quodammodo ignaram cohibere Rempublicam, pro circa omnium *verecundiam* proposito, mansuetudinis nostræ *more pudicitiæque* suggessit ad *iniuriam nostrorum temporum pertinere*, si aut lenones in hac liceret vrbe versari, aut eorum turpissimo quæstu Ærarium videretur augeri. Ac licet nos illud aduerteret exerceri etiam cessante *vicaria oblatione vectigalis*, tamen ne vllum ad *Ærarium* incommodum perueniret, propriam possessionem obtulit, ex cuius redditibus possit accedere quod prædictum *pessimum genus* consueuerat pensitare. Vnde prouidentiam & munificentiam eius libentius amplexi, hac mansura in æuum lege sancimus, vt si quis posthac mancipia tam aliena quàm propria aut ingenua corpora qualibet *taxatione* conducta pro iure sacrilegij temeritate tentauerit, in libertatem prius miserrimis mancipiis vindicatis, vel ingenuis personis conductione impia liberatis, grauissimè verberatus huius vrbis finibus, in qua vetitum nefas crediderit exercendum, ad exemplum omnium emendationémque pellatur. Cyre P. K. AA. Inlustris igitur auctoritas tua, ea quæ tuendæ *Honestatis* decernimus gratia, veneratione debita iubeat custodiri, officio amplitudinis tuæ viginti librarum auri pœnam, si præcepta nostra neglexerit, subituro. Dat. VIII Id. Decemb. Constantinopoli, Theodosio A. XVII. & Festo V. C. coss.

Titulus XIX.

De inuasoribus.

1. Theod. & Valent. AA. Pierio PF. V.

SI Diualium sanctionum nulla peruasorem pœna percelleret, nostris proculdubio remediis esset *temeritas* persequenda, ne alieni iuris vsurpator præsumptionis suæ fructu impunè potiatur, cùm ea quæ *disceptationis examinatione* decursa possit recuperare legibus, potentis *festino cupiditatis ardore peruaserit*. Monet siquidem serenitatem nostram *viri inlustris Auxiliaris* tam iusta quàm vindicanda conquestio, cuius querelis & subiectorum series fidem tribuit, & magna assertio victuris multis perennitati nostræ administrationibus comprobata, qui se domus suæ possessione intra vrbem venerabilem positæ nullius litis actione pulsatum *per illustrem virum Appollodorum* patefecit esse depulsum, *absentia videlicet* suæ *occasione* captata, dum si qua precario fuisset in causa non patuis temporibus Romæ in eadem domo consistens à memorato Inlustri viro actione proposita poterit conueniri: quando hoc quod in prædicto viro inlustri non perspicimus obseruatum, *possessorum prætermissa conuentio* est, quando domini * sunt denuociata litigia, & de cognito potius negotio expectata sententia: vt quæ *patrimoniorum potest esse securitas* si toties Insidietur inuasor, quoties possessores esse contingit absentes? Verùm quia inlicitis ausibus videmus quæ sunt pro possessorum *quiete* salubriter constituta calcari, & frequenter pro multorum negotiis specialis querela commouit omnibus profutura decerni, merito præcedentia inclitorum Principum Parentúmque nostrorum statuta renouamus. Idcirco mansura in æuum lege sancimus. Vt quisquis inconuento domino, non expectata vel aduersus præsentem vel in contumacem *definitiua* sententia, possessorem de *prædio rustico vrbanóque* depulerit, possessione protinus restituta, causæ totius, sicut dudum constitutum est, *amissione* multatus, æstimationem *rei occupatæ* mox cogatur *inferre*: Hoc etiam coniuncto vt si *Iudex* in huiusmodi negotiis hanc putauerit sanctionis nostræ dissimulandam ac non in executionem mittendam esse sententiam, quæ de inferenda æstimatione prolata est, iustitia statutam *taxationem*, cum fuerit, accepto successore, priuatus, exsoluat. In præsenti verò causa viro *inlustri Auxiliari* domum restitui iubemus inuasam, omni, si qua viro inlustri Apollodoro competere potuerat, actione consumpta, qui quod legibus debuerat postulari *inconuento* possessore peruasit: quem vlterius prosequi lites causásque non patimur carum rerum quas aliis possidentibus non debuit comparare, quique debet in acceptum referre quod et *æstimationem* eri de qua agitur nostræ pietatis humanitate concedimus, quæ potuit multiplicium *legum* securitate deposci. Eas verò mulieres quas aut vendendo litigium, aut inuasioni participando temeritatem constat negotium non habere, ne qua instaurandi litigij quæratur occasio, omni actione priuamus: non præiudicantibus contractibus, si quos occupatores fortasse cum quibuscunque personis de eadem domo in præiudicium domini inire voluerunt, quoniam res peruasa in alium transferri iure non potuit. Restitutorum quoque sancimus quæcunque de rebus eius illo expulsionis tempore a quocunque peruasa sunt. Neque enim ita remittimus vltionem, vt diripi aut occultari aliena patiamur. Pieri P. E. AA. Quare inlustris magnificentia sua ad traditionem ædium peruasarum *Marcianum* Agentem in rebus, vel Officium suum iubebit parere decretis, nec vllam saluberrimis præceptionibus nostris tarditatem sub impedimento cuiuscunque personæ patiatur afferri. Vt verò ea quæ pro possessorum omnium *quiete* sancimus in omnium possint notitiam peruenire, hanc legem nostram amplitudo tua propositis vulgabit edictis. Dat. V. Id. Ian. Rau. Valentiniano A. & Anatolio V. C. coss.

II. Idem AA. Auxentio PF. V.

Habet hoc insitum sollicita æquitatis examinatio, habet secundarum cogitationum subtilior exactiórque cura, vt siquid in legibus ferendis post imperium primum deliberatio prostrata reliquerit, hoc consilio propensiore renouetur. Permisit enim consuetudo ipsa rerum, adstipulantur immunima vetustatis exempla multas leges à suis latoribus adempta aut addita parte posse corrigi, multas Tractatu maturiore penitus abrogari. Quod nunc de abolenda Constitutione decernimus, quam non ante multos menses ad preces *inlustris viri Auxiliaris* promulgaueramus moti ingesta nobis peruasionis inuidia. Sed quia obsecratio viri inlustris Apollodori nuper attentiores ad æstimandam iustitiam fecit, ob hoc tractatis omnibus & plena æstimatione discussis, propter illa præcipuè quæ negotij modum de quo tunc actum est, supergressa fuerant, & immeritò *personas mulierum* pariter inligauerunt, suprà memoratam legem præsentis edicti auctoritate remouemus. Auxenti Parens Karissime AA. Vnde Inlustris magnificentia tua hanc qua præcepti superioris vacuatur incautior definitio, programmatis lectione euulgabit, vt agnosci ab omnibus possit, his quæ in illa displicent abolitis, id quod solum de vetustate repetitum probabile videtur, priscarum tantum legum definitione seruandum. Dat. VI. Kal. Feb. Rau. Post Consulatum Valentiniani A.

Titulus XX.

De reddito iure armorum.

I. Impp. Theod. & Valent. AA. ad Populum.

QVotiens *publica poscit* vtilitas vniuersitatis sollicitudinem ducimus aduocandam, vt omnibus profutura impleantur ab omnibus: *nec molestum esse id prouincialib. nostris credimus quod pro ipsorum Salute dispensatur, vt resistendi prædonibus cura subeatur. Gensericus* hostis Imperij nostri haud paruam classem de Karthaginensi portu nuntiatus est eduxisse, cuius repentinus excursus & fortuita deprædatio cunctis *est litoribus formidanda*. Et quamuis clementiæ nostræ sollicitudo per diuersa loca *præsidia* disponat, atque inuictissimi principis *Theodosij patris nostri* iam propinquet exercitus, & *excellentissimum virum Patricium nostrum Aetium* cum magna manu adfore mox credamus, cúmque vir inlustrissimus Magister militum *Sigisuuldus* tam militum atque *fœderatorum* tuitionem vrbibus ac litoribus non desinat ordinare, tamen quia sub æstiua nauigandi opportunitate satis incertum est ad quam oram terræ possint naues hostium peruenire, singulos vniuersósque nostros monemus edicto, vt Romani roboris confidentia *ex animo, quo debent, propria defensare*, cum suis aduersus hostes si vis exegerit; salua *disciplina publica* seruataque ingenuitatis modestia, quibus *potuerint, vtantur armis, nostrásque prouincias ac fortunas proprias fideli conspiratione & iuncto vmbone* meantur: hac videlicet spe laboris proposita, vt *suum* fore non ambigat quicquid hosti victor abstulerit. Et manu duunt, proponatur amantissimo nostro populo Romano, & ad latur. Dat. VIII. Kal. Iul. *Romæ*, Valentiniano & Anatolio V. C. coss.

Neque

Titvlvs XXI.

Neque domum diuinam neque Ecclesiam aut aliquam personam quolibet publico *munere* excusandam.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Maximo II. P. F. P.

CVm publicè priuatimque in omnibus rebus *ac negotiis iustitiam conseruari* oportet, tum præcipuè in his retinenda est, *quæ vectigalium neruos sustinent*, quæ adtenuatis deuotorum *viribus vis equitatum* succurrunt. Quod plurimi respuunt qui *domestica tantum compendia obsequentes, bonum commune* destituunt, *quæ vera ac solida vtilitas continetur*, melius planè ad singulos peruenientes cùm proficeret vniuersis, maximè exigente hac tributorum necessitate, *sine quibus nihil in pace aut bello curari potest*. Neque vltra valebit perpetuitas eorum manere, paucis atque defessis imposita sarcina quam *potior* detrectat, *locupletior* recusat, & validiore rei cedente solus agnoscit infirmior. Hanc itaque iniquitatem corrigentes primo capite huius sanctionis decernimus, vt omnes quicunque ex ipsa domus Regiæ, vel pietate nostra, vel a qualibet persona sacratum necessitudinum mearum prædia adepti sunt, siue fructuaria largitate, seu donatione directa, seu commutationis vel emptionis ratione quæsita, parem cum cæteris possessoribus subeant functionem: in hac sorte numerandis his quoque qui retento sibi vsufructu proprietatem iuris sui *venerabilium pignorum meorum*, vel pietatis meæ domui contulerunt: quos omnes ea conditione tributa volumus agnoscere, vt nihil sibi ex auctoritate vel superindictitiis titulis vindicent, quos ad similitudinem domus nostræ qualibet sacri præcepti impetrauerunt sanctione. Secundo gradu huius legis cauemus, vt quicunque census illustrium dignitatum, siue Ecclesiasticus, vel in vrbe *sanctissima*, vel in quibuslibet prouinciis ad exemplum domus nostræ quocunque præcepto diuersam sibi ab aliis ipsius census quem soluere videbatur, conditionem fecerat, priuilegij exceptione sustineant, nec in *arealibus* tantùm titulis, sed & his quos sacri vel priuati ærarij partibus deputauit vetustas, eademque difficultati expensarum exactionique inopum diuinam moderationem secuti, gemina salutaris constituti remedia porrigamus. Nunc iam non dissimile superioribus, immo cuius vtilitas penè latius patet, hac edictali lege complectimur sine vllo *honorum, personarum, priuilegiorum distinctione* generaliter sancientes, vt itinerum reparatio atque munia huiusmodi certante studio, quo cùm facilius tum firmius impleantur. Hæc enim superioris ætatis Principes & Diuorum parentum nostrorum liberalitas *illustribus titulis* redundantes opulentiæ seculi, minore aliorum possessorum pernicie conferebant. Quod quamuis & tunc iniustum, tamen inter initia leuius videbatur. Sub difficultate autem præsentis temporis non modò rei ipsius natura iniquum, sed impossibile paucis ac tenuioribus constat, qui multiplicato suæ alienóque functionis onere depressi procumbent penitus, nisi aliquando idoneorum societate respirent. An fortè contumeliosum putandum est inuentum contra rationem nomen munerum sordidorum, quo instauratio *militarium* virorum, quo armorum *fabricatio*, quo *murorum refectio*, quo apparatus *annona*, quo reliqua opera per quæ ad splendorem dispositionis publicæ perueniunt, praua appellatione censentur: sine *quibus nullus maximarum rerum procedit euentus, quorum adminiculo statum pariter & decus tuetur Imperij, ac, ne singula prosequamur, sine quibus nihil necessarij operis effici potest.* Quare reperta clementiæ nostræ præceptione sancimus, vt antiquatis omnibus priuilegiis quæ vel dignitatibus delata fuerunt, vel *diuersa militia collegia* meruerunt, aut nomine venerandæ religionis obtentum est, omnis vbique *census qui non personarum est sed agrorum, ad vniuersa* munia à nona duntaxat indictione vt suprà deffinivimus, absque vlla discretione cogatur in quarta parte. Quò quisque honoratior *aut opulentior est, eò alacriorem publicis necessitatibus animum debet, quarum sibi procurationem magis intelligit* profuturam. Maxime P. K. AA. Illustris igitur & præcelsa magnitudo tua hanc legem consuetæ sibi prouisionis vigore in omnium prouinciarum populorúmque notitiam perferre, & celeriter vniuersos diu expectati remedij salubritate iubebit potiri, vt sero saltem difficultati rerum deuotio locupletum pariter ac pauperum *iustis æquata partibus libentius abundet*. Dat. à a. il. Mart. Rauennæ. Accepta Prid. Idus Mart. Vbi sup. post Consulatum Valentiniano A. v. & Anatolio COSS.

Titvlvs XXII.

De pecunia Afris credita & de fideiussoribus eorum.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Albino II. P. F. P.

SI afflictis Afrorum fortunis, qui omnes facultates suas super acerbissima supplicia amittere sunt coacti, decet *Miserationem* publicam quocunque *potest humanitatis genere* vel singulis vel in *commune* consulere, quanto dignius est infortunia eorum contra molestias improbas creditorum *clementiæ* nostræ remediis subleuari? Quos enim constat pericula famis aliter non posse depellere, nisi ope aliena auxilioque recreentur, quam magnæ acerbitatis putandum est hos ipsos inopes omnium rerum, *& precario victu egentes*, compelli ad initium restituere ea quæ improuiso cladis impetu vis maior abstraxit, vbique hostes omnium spolia vindicabit? Et certè solet etiam salua re prodesse debitoribus si quid his calamitatis acciderit. Hic verò, vbi omnium *fortunarum diluuium*, vbi etiam, quod per ignorantiam dominorum latere potuit, intollerabilis *inquisitionum cruciatus extorsit*, quisquam dubitare poterit quin inhumanitatem superet hostilem, si quis quod integris & florentibus dederat, nunc ab spoliatis, egentibus & *exterribus* patriæ, *recuperare conetur, nec eos vereatur exigere quos erubescendum est non iuuare?* Albine P. K. AA. Ob hoc illustris & præcelsa magnificentia tua pragmaticæ nostri secuta præceptum, sciat moderatum circa Afros iustitia clementiam nostrã statuisse, vt nulli nomine chirograforum creditæ pecuniæ siue fideiussorum vsque ad *recuperationem rerum suarum quolibet* pulsante teneantur pro quibus neque fideiussores neque mandatores eorum quolibet genere obligatos inquietari volumus, qui plerunque à creditoribus nomine debitorum conueniri pro arbitrij sui interpretatione consuerunt. Quæ forma circa eos debitores seruabitur quos cum patria omnia sua amisisse constiterit, hoc est, exceptis qui alibi locupletes atque idonei non debent vti excusatione miserorum. De his quoque quæ intra prouinciam gesta sunt, in qua liberum modo non est sub quolibet causarum vel litium titulo solitum ius à quoquam *conuenticum* exigere, amissis aut relictis ibidem necessariis instructionibus nemo pulsabitur, nisi fortè alia euidenter approbatione doceatur. Quod obseruari volumus, sicut dictum est, vsque ad illud tempus quo qualibet ratione atque euentu patriæ vel propriorum recuperatio optata contigerit. Illud etiam pari *iustitia* ratione seruandum est, ne creditæ pecuniæ cuiuslibet temporis à persona quarum suprà infortunia expressa sunt, vsuræ penitus postulentur, cùm abundare debeat creditoribus, si postremum integrationem ad sortem poterint peruenire. Quæ vt inuiolata seruentur multa decem librarum auri dispendio ferietur quisquis contra statuta nominis nostri quæ circa Afros moti ærumnis protulimus, venire tentauerit. Quam rem & his ipsis *rationabilem* videri posse credimus, *æquitatem*, tramitem stimulis cupiditatis animum depranantibus vel nolunt tenere vel nesciunt. Data XIV. kal. Nouemb. Maximo II. & Paterio v. coss.

Titvlvs XXIII.

De tributis fiscalibus, & de sacro auditorio & de cæteris negotiis.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino PF. P.

NVmidarum & Maurorum Sitifensium *nuper alla legatio*, quàm Pallad...us v. c. Comes & Tribunus, & Maximianus *vir laud*...tis probabiliter executi sunt, huius legis præcep...ue nostra perennitate promeruit. Proinde quia æquum est ægris *prouincialibus & publica clade vexatis humanitatis nostræ beneficiis subueniri*, hunc tributi modum ab his magnitudo tua sperandum esse cognoscat, vt retractis septem partibus, octauam tam priuatæ quàm emphiteuticæ glebæ possessor agnoscat: Pro qua octaua omnibus titulis ad vnum redactis quos possessor vel ciuis quolibet nomine præstare consueuerant, quatuor millia ducentos tantum solidos & mille ducentas militares annonas & *ducentorum capitum Numidiæ* prouincialis exsoluat, aut prædia domus diuinæ quæ à perpetuariis detinentur simili modo octauam partem inferant etiam argentariæ functionis. De colone verò statuimus vt quinque centesimis dare rusticanenses & coloni

ciuitatibus tres sacris largitionabilibus inferantur, de salinis, alumine, charactere herba rubea, siue maceratura & claui vitrei tantum titul. à sacris largitionabilibus pro numero hominum & possibilitate poscantur, ob hoc acto vel cura Curialibus penitus remotis, quintam omnibus quæ iogis etiam domus pietatis nostræ vel necessitudinum nostrarum recedit superfunditur cunctis possessoribus sit promissa summa quæ ad arcam descendentes impleatur. Quæ omnis exactio per prouinciale procuretur officium à Curialibus submota molestia. Has autem militares annonas cùm prouinciales pro longinqua difficultate itineris in adæratione persoluerint, vnius annonæ adæratio quatuor per annum solidis æstimetur. Ne verò necessitatis occasione in expeditione, milite constituto carioris cuiquam vendere liceat pretia necessariarum rerum, sub hoc modo quo *annonam adæramus*, iubemus farris id est tritici ad singulos solidos Italicos modia quadraginta, & carnes pondus CCLXX. vini sextaria Italicos ducentos. *Mauri verò Sitifenses* seruatis omnibus priuilegiis dudum sibi à retrò Principibus indultis pro omnibus titulis suttus annonæ nomine quinque millia solidorum & quinquaginta capitum in annonis Ducis consuetu tempore annua functione dependant pro octaua portione soluturi quod tributum erit, exceptis prædiis diuinæ domus, quæ tamen ex templo *Numidia prouincia* conlatura sunt possessiones Desideriis verò quæ probabiliter insinuata sunt auribus nostris singillatim responsa præstamus, ne cuiquam passim titulos in prædiis propriis vel alienis, vel pietatis nostræ nomine, vel sacrarum necessitudinum nostrarum, vel cuiusli bet alterius fas sit adfigere. Itaque & si qui post recuperationem prouinciarum impositi reperiantur, statim à possessore prædij deponantur, eòsque hæc pœna teneat, vt si qui suo fundo adposuerit titulos, quinque libras auri fisco nostro cogatur inferre: si alieno, amisso secundum petitionem quæcumque ei competit, decem libras auri qui facris titulos adposuisse conuictus, exsoluat. Interest etiam publicæ commoditatis ne vexatæ prouinciæ an bitione extraordinaria subruantur. Ad has itaque prouincias præter Ducem vel Consularem & Præsidem (qui vetustatis priuilegio ordinariorum Iudicum nomen obtinent) *nec curiosos liceorum* nec quem quam sub alicuius actionis occasione ii ue dirigi sublimitas tua aspirare patiatur. Ne quis verò de hac ipsa veritate colonorum clericus vel militiæ priuilegio se existimet excusandum, superioris legis quæ hoc inlibet formam præcipites custodiri. Præterea *Constantiniensis ciuitatis* plebi vel Curialibus concessa dudum priuilegia debere seruari, ita vt aquam *ciuitatibus* deputatam ad priuatos vsus non liceat vsurpari. Loca quoque publica si sine legitimo præcepto ab aliquo teneantur, pristino iuri oportere restitui. Aduocatis verò intra *Africam* manentibus non debere imputari ad annorum num tum tempora incursionis interrupta *Barbaris* : quæ tamen cum expleuerint clarissimatus honore potiantur. Illud etiam permouentibus allegationibus libenter adnuimus vt quia publico infortunio ad paucos redactus est ordinum numerus, in municipalium confectione gestorum fit firmitas, si apud tres Curiales publico fuerint exceptore præscripti. Cautiones quæ expensarum nomine *viri Ostmunans emissa* sunt cognitis preces nostros causis earum, iusta ratione vacuamus. Quicunque etiam intra *prouinciam Africanam* ad ius nostrum pertinentes, à cuiuslibet Iudicis sententia prouocauerint (quoniam decreti antiquitus *cognitorem* cessat officium) *inlustris vrbis Præfecti* examine ea appellatione se nouerint iurgaturos. Sed ipsa transmarinæ regionis iure, inducias temporis annum [illegible] præstari. Illud etiam iustitiam petitionis secuti salubriter ordinamus, vt quoniam politatis opera tunc maximè necessaria est si in limite *constitutu Barbarorum discursibus sper unde* semper occurrat, euagandi ex domino locis licentia denegetur: ne tamen hi quibus *in Mediterraneo* familia est atque possessio à domicilijs proprijs penitus excludantur, per annum huiusmodi limitibus vnius mensis inducias debere concedi. Erit etiam sollicitudinis Ducis prouinciæ ne cuiquam ad occasionem vexandarum *prouinciarum armatos habere liceat, nisi fortè his qui sub periculo proprio laudabili animositate contra hostium manus suas vndique promiserint pro vtilitate communi, quorum animositatem mite regendam esse censuimus*, vt quicquid de præda hostium conquisierint sibi habeant, exceptis hominibus quos se prouinciales docuerint perdidisse. Iudicibus verò administratione perfunctis more exactos tres menses discedendi de prouincia licentia denegetur: ita vt *seram posteris* bene actæ rei fruatur laudibus, aut certè, si deceptionis alicuius docebitur conscius, discessus celeritate se non subtrahat. Albine P. K. A A. Inlustris & præcelsa magnificentia tua ad vtriusque prouinciæ legationem beneficia præsentia legis propositis vulgabit edictis, vt releuari concessa cognoscant, Iudices statuta custodiant, prohibiti interdicta non ambiant. Emissa Dat. XI. Kal. Iul. Romæ Valentiniano A. VI. & Nomo v. c. COSS.

TITVLVS XXIV.

De Episcoporum ordinatione.

I. Imp. Theod. & Valentinianus AA. Aetio vir. Inlust. Comiti & Magist. vtriusque militiæ, & Patritio.

CErtum est & nobis & imperio nostro vnicum esse præsidium in supernæ *diuinitatis fauore*, ad quem promerendum præcipuè Christiana fides & veneranda nobis religio suffragatur. Cùm igitur sedis Apostolicæ *Primatum sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis corona & Romana dignitas* ciuitatis, sacræ etiam *synodi* firmarit auctoritas, *Ne quid præter auctoritatem sedis istius inlicitum præsumptio adtemperare nitatur. Tunc enim demum Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si rectorem suum agnoscat vniuersitas.* Hæc cùm hactenus inuiolabiliter fuerint custodita, Hilarius Arelatensis (sicut venerabilis viri *Leonis Romani Papæ fideli* relatione comperimus) contumaci ausu *inlicita* quædam præsumenda tentauit, & ideo *transalpinas Ecclesias* abominabilis tumultus inuasit, quod *recens maximè* testatur exemplum. Hilarius enim, qui Episcopus Arelatensis vocatur, *Ecclesiæ Romanæ vrbis inconsulto Pontifice indebitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate vsurpans inuasit.* Nam alios incompetenter remouit, indecenter *alios inuitis & repugnantibus ciuibus* ordinauit. Qui quidem quoniam non facilè *ab his qui non elegerant*, recipiebantur, manum sibi contrahebat armatam, & claustra murorum in hostilem morem vel obsidione cingebat, vel aggressione reserabat, & ad sedem quietis, pacem prædicaturus per bella ducebat. His talibus contra imperij maiestatem & contra *reuerentiam Apostolicæ* sedis admissis, per ordinem religiosi viri vrbis, Papæ cognitione discussis certa in eum, ex his quos malè ordinauerat lata sententia est. *Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim Pontificis auctoritati in Ecclesias non liceret?* Sed nostram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, nec vlterius vel Hilario (quem adhuc *Episcopum nuncupari sola mansueti præsulis* permittit humanitas) nec cuiquam alteri, Ecclesiasticis rebus arma miscere, *aut præceptis Romani Antistitis* liceat obuiare. Ausibus enim talibus fides & reuerentia nostri violatur imperij. Nec hoc solum quod est maximi criminis, submouemus: Verùm ne leuis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hoc perenni sanctione decernimus, *ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum prouinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ auctoritate tentare. Sed illis omnibúsque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ sedis auctoritas, ita vt quisquis Episcoporum ad iudicium Romani Antistitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiusdem prouinciæ adesse cogatur*, per omnia seruatis, *quæ diui parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt. Aëti* P. K. A. Vnde inlustris & præclara magnificentia tua præsentia edictalis legis auctoritate faciet quæ sunt superiùs statuta seruari, decem librarum auri mulcta protinus exigenda ab vno quoque Iudice, qui passus fuerit præcepta nostra violari: Et manu diuina, Diuinitas te seruet per multos annos Parens karissime. Dat. VIII. Id. Iun. Romæ Valentiniano A. VI. CONS.

TITVLVS XXV.

De pretio solidi, & ne quis solidum integrum recuset.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Edictum ad Populum vrbis Romæ.

FRequens ad nos, *Quirites*, semetarij ausus querela peruenit, vt in Parentum nostrorum contumeliam, insignes solidi eorum *nominibus*, ab omni emptore recusentur. quod diu impunitum esse non patimur. Hoc ergo edicto agnoscat vniuersitas, *capitale manere supplicium* si quisquam vel domini *patris mei Theodosij*, vel sacrarum necessitudinum nostrarum, vel superiorum Principum solidum aureum integri ponderis recusandum esse crediderit, vel pretio minori taxauerit. Vir autem *inlustris* Præfectus vrbis eiúsque officium decem librarum auri dispendio subiacebit, si quemquã contra hoc statutũ venisse fuerit approbatum. Quo præcepto etiã illud in perpetuum volumus contineri, ne vnquam intra septẽ millia nũmũ solidus distrahatur, emptus à collectario

septem

ſeptem millibus ducentis. *Æquabilitas enim pretij & commodum* venditoris & omnium rerum venalium *ſtatum* cuſtodiet. De *ponderibus* quoque vt fraus penitus amputetur à nobis *aguntur exagia*, quæ ſub interminatione ſuperius comprehenſa ſine fraude debeant cuſtodiri. Ex manu diuina, Proponatur amantiſſimo *noſtri populo* Romano. & ad latus, Data xv. Kalend. Febr. Romæ, Valentiniano v. A. CONS.

TITVLVS XXVI.

De corporatis vrbis Romæ qui ad militiam vel ad clericatum tranſeunt, reuocandis.

1. *Impp. Theod. & Valentinianus AA. Auxentio P F. V.* 11.

QVæcunque vtilitatem *ſacratiſſimæ vrbis* reſpiciunt, oportet clementiam noſtram ſalubriter ordinare. Prouidentiam itaque amplitudinis tuæ & *geminis faſcibus* comprobatam ſuggeſtionem ſecuti, Auxenti P. K. AA. Inluſtris magnificentia tua pragmatici noſtri tenore comperto ſciat corporatorum vrbis Romæ qui non expleto ordine cœpti officij priuſquam ad primum iter fauos ad locum emeritus peruenerit, ad militiæ cuiuſlibet cingulum ſe crediderit transferendum, corporibus cui nomen ſuum antè dicauerat, oportere reuocari: ſiue etiam in *clericorum* numero reperitur vſque ad *diaconi* locum ſimilis præcepti conditio teneatur, quatenus neceſſitatibus vrbis venerabilis hoc ſalubri conſtituto reſtitutis miniſteriis conſulatur. Dat. XVIII. Kal. Maij, Romæ Valentiniano A. VI. & Nomo v. c. coss.

TITVLVS XXVII.

De negotiatoribus.

1. *Impp. Theod. & Valent. AA. Floriano.*

INter cætera queis perennitatis noſtræ manſuetum ſæculis ordinamus Imperium, hoc quoque & ærarij noſtri commoda tueri poſſe ſalubri ſuggeſtione probamus, quod maieſtatis noſtræ ſancimus oraculo, *ne vlterius furtiua negotiatio & vlarn vrbibus rarum faciat mercatorem; & obſcuris ac reconditis locis in damnum publicæ functionis lateat turba mercantum.* Floriane P. K. AA. Ideirco inluſtris auctoritas tua pragmatici noſtri tenore comperto ſciat iuxta ſuggeſtionem ſuam, omnes qui dreſinatis vrbibus per vicos portuſque quamplures poſſeſſioneſque diuerſas exercent negotiationis officium, pro ærarij noſtri commoditate retinendos, ſecundum modum quem iuſtitia ſuaſerit auratam functionem cognitor agnoſcere: grauis multæ condemnatione propoſita his qui huiuſmodi negotiatores in fiſcale diſpendium putauerint contuendos. Æquum enim eſt eum qui præceptis noſtris cediderit obuiandum facultatum ſuarum ſubire diſcrimen. Dat. VII. Kal. Maij, Romæ, Calepio v. c. CONS.

TITVLVS XXVIII.

De reſcindendis venditionibus rei dominicæ.

1. *Impp. Theodoſ. & Valent. AA. Eudoxio Com. R. P.*

AMorem circa Rempublicam ſublimitatis tuæ ſuggeſtio nuper oblata teſtatur. Quippe ſi obſeruatione diligenti fuerit cuſtodita, redditus noſtros inhiber à diminutione perpetua. Occupationibus etenim noſtris quibus pro mundi commoditatibus occupamur, abuti quorumdam noxia cupiditas non ſinit, qui paulatim canonem poſſeſſionum ad diuinam noſtri nominis domum pertinentium comparantes, ſub ſpecie contractus furtiua ſubreptione patrimonium noſtrum exhauriunt. Hac itaque perpetuò lege valitura ſancimus, nullum ad empto canone ad comparationem Dominicæ poſſeſſionis accedere. Quòd ſi quis poſt hanc legem ad interdictum contractum acceſſerit, eum volumus præperdere, fundos reddere, fructus re thibere perpetuos, nec expenſarum vel melioratæ rei fructu in exactione compenſationem opponere, nec temporis ſibimet contra commoda præſcriptione blandiri. Palatinum etiam officium ſi quo modo contractus eiuſmodi fuerit celebratus, vel ſi talem petitionem inſtruxerit, quinquaginta pondo auri pœnæ nomine inferre priuato noſtræ maieſtatis ærario, nulla liberalitate noſtræ clementiæ, nulla ſanctione contra tanta priuatæ rei commoda valitura, licet adnotatio vel diuina pragmatica ſit, quæ contra vetita canonem vendi concedet, vel pœnam Palatino terrtiet officio. Eudoxi P. K. A. Inluſtris itaque auctoritas tua legem bene editis propoſitis ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. XIII. Kal. Iun. Conſtantinopoli, Anatolio v. c. CONS.

TITVLVS XXIX.

De ſcolaribus, Comitibus ſcolarum & de domeſticis eorum.

1. *Impp. Theod. & Valent. AA. Florent. Magiſtro Officior.*

SColarium noſtrorum deuotio probata noſtris patribus, circa noſtræ maximè ſerenitatis affectionem meruit. Inde quicquid ad fouenda ſeruandáve eorum priuilegia poſtulatur, ſtatim credimus admittendum. Inde ſuggeſtionem tui culminis approbantes, v. v. s. Comitibus ſcolarum verberandi regradandíve Senatores ac ducenarios licentiam denegamus. Ea namque quæ tali commotione digna ſunt, ad tuæ ſublimitatis volumus deferri notitiam. Domeſticos etiam eorum à gradibus lege præterita deſignatis, fieri non Senatores vel ducenarios centenarióſve decernimus. Quam ſuper his obſeruandis pœnam circa temeratores ſtatutorum præmiſſa tua ſtatuit celſitudo, ut quinque librarum auri qui de gradibus ſupradictis ad indebitum domeſticatus accedit officium, decem librarum auri ſcrinium Barbarorum, ſi tale quid vel adtemptari paſſum fuerit vel adeptarum contra ſcolæ non ſuggeſſerit, quinque etiam librarum auri v. s. Com legem ſi quid aduerſum hanc legem vel commiſerit, vel committi conceſſerit, percellatur, firmam per iſtius quoque legis auctoritatem eſſe præcipimus: eum, qui contra vetitum ad domeſticatum quoquomodo temptauerit adſpirare, poſt quinque librarum auri condemnationem, militia quoque pelli non immeritò decernentes. Illud etiam obſeruari non ſine ratione conuenict, ne quis cui domeſtici officium per militiæ gradum quinquennij tempus interdicti cenſuimus, familiaritate Comitis ſimulata, rem prohibitam alieno nomine valeat vſurpare. Florenti P. K. AA. Inluſtris itaque auctoritas tua legem hanc perpetuò valituram ad deuotiſſimorum ſcolarium notitiam perferri præcipiat. Dat. XV. Kal. Maij, Conſtantinopoli v. c. CONS.

TITVLVS XXX.

De locis Reipublicæ quoquomodo poſſeſſis, ciuitatibus reſtituendis.

1. *Impp. Theod. & Valent. AA. Apollonio PF. P.*

CVm ſummo *ſtudio totiſque viribus nitamur ciuitates ditioni noſtræ ſubiectas in perfecta fœlicitate verſari, nihil tam iniquum eſſe neque à noſtræ temporibus diſſentiens arbitramur, quam ſi eas aduentitiæ quidem ſubſidiis adiuuari vellemus, propria verò* facultatibus nudari ſpoliarique pateremur. Quapropter cùm vocati cauſa per *Heracleotanam* ciuitatem tranſitum faceremus, petitionibus ciuium eiuſdem maxima ſumus cum miſeratione commoniti, *qui tam multorum ſuorum quàm aquæductus nec non etiam aliorum operum publicorum, vtpote longo tempore* neglectorum, curam fieri oportere noſtris prouiſionibus flagitarunt. Et quoniam ſæpe ab vna ciuitate vel homine poſtulatum remedium, generalem ſolet formam correctionis adferre, horum deſideriis annuentes, liberalitatem noſtram ad omnes prouincias ducimus propagandam *Tunc enim maximè vota proficiunt cùm ſtatui Reipublicæ, qua cauſa votum eſt, conſulatur.* Omnibus itaque conſiliis diu multo animo volutatis, nullam ſalubriorem cauſam reuocandæ priſtinæ beatitudinis inuenimus, quàm ſi prædia tam vrbana quàm ruſtica, nec non etiam tabernæ quæ ad ius ciuile pertinent, & à quibuſdam quolibet modo intra triginta annos abhinc verò numerandos, detentæ ſunt, vniuerſis ciuitatibus adſignentur: exceptis videlicet tantùm his quæ vel à Procuratore diuinæ domus, vel à viro inluſtri Comite reperta iuſſu noſtræ clementiæ, vel communi conſenſu ciuitatum cum interpellatione diſtractæ ſunt. Nemo igitur quodcunque memorati iuris, præter ciuitates quas ſui iuri volumus opibus frui, ſibi deinceps exiſtimet poſſidendum, ne propoſitum noſtræ pietatis offendat, quod diuinitus nobis in mentem veniſſe

confidimus, & credimus quidem nostris præceptionibus deuulgatis neminem iam incautum esse, vt dispositionibus nostris obuiam ducat esse veniendum. Verùm quia nulla penè res adeò tuta atque inuiolata est contra quam hominum naturalis audacia nonnunquam aliquid existimet moliendum, totius rei perfectionem amplitudini tuæ, cuius prouisionem amorémque circa Reipublicæ commoda ipsis rerum documentis sæpe sumus experti, vnà cum viro inlustri Magistro Officiorum, cuius administratio probatissima nobis est, delegamus. Appolonî P. K. A. Inlustris itaque auctoritas tua certo scitura quòd tam nobis hæc causa huiúsque rei efficacitas cordi est, vt omnibus eam penè aliis præponamus, quæ per hanc diuinam legem sancimus, ad omnium prouinciarum notitiam edictorum propositione peruenire constituat, quatenus summa cum celeritate modisque omnibus impleatur. Dat. 11. Kalend. Iul. Theodosiadæ Maximo 11. & Paterio vv. cc. coss.

Titvlvs XXXI.

De ambitu & locis limitaneis inibi redhibendis.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Numo Magistro Offic.

CVm nulla penè res adeò parua sit, quæ non plurimum prouisionis de nostra clementia consequatur, *præcipuam militibus curam impertiendam esse censemus, quibus maximè communitur vniuersa respublica. Hæc enim vna res diligentissimè* procurata militarum nos curarum sollicitudine relaxabit, *nec singulis cogemur adhibere medicinam, si generali remedio cuncta sanemus.* Inprimis itaque *Duces limitum* & præcipuè quibus gentes, *quæ maximè cauenda sunt*, appropinquant, iudicio nostræ clementiæ prouehi volumus, quorum integritatem, fortitudinem, vigilantiam, rerum documenta commendent, capitali pœna videlicet ambitus libidine restinguenda. Eos igitur quos nostra æstimatio sicut iam dictum est promouendos esse censuerit, in ipsis *plerunque limitibus commorari*, & milites ad antiquum redigere numerum, imminentibus magisteria potestatibus diuersisque eorum exercitationibus inhærere præcipimus: *castrorum* quinetiam *ipsis luxuriarúmque* pro antiqua dispositione curam refectionémque mandamus, quibus cum *principe castrorúmque præpositis pro laborum* vicissitudine *limitanei tantum* militia duodecimam annonarum partem, distribuendam videlicet inter eos magisteriæ potestatis arbitrio deputamus. *De Saracenorum verò fœderatorum aliarúmque gentium annonariis alimentis* nullam penitus eos decerpendi aliquid vel auferendi licentiam habere concedimus. Sciant planè, quod si quid amplius quàm eis ex nostra auctoritate statutum est, audeant vsurpare, vtpote super exactæ pecuniæ violatores & ipsi facultatibus suis & in culminis dispositione limitibus adsignandis pœnam gladij sustinebunt: & qui tanti flagitij, vel potius proditionis publicæ ministros participésve ediderint, pari supplicio subiacebunt, nullum effugium nec sacra adnotatione, nec lege pragmatica diuinísve mandatis, nullam spem salutis habituri. Viros autem inlustres *Magistros* militum priorem integritatem suæ administrationis imitaturos in posterum quoque ab omni limitaneorum militum ac fœderatorum gentium concussione temperaturos, suáque officia prohibituros esse confidimus. Quod si quid huiusmodi fuerit perpetratum, apparitiones, quæ his obsequuntur quadrupli solutionem agnoscere iisdem *limitibus* imperamus. Idem ipsis quoque viris eminentissimis magistris militum amicum esse non dubium est, qui semper omnia sua compendia *pro salute Reipublicæ* contempserunt. Quis enim dubitat *eos communem statum suis opibus prælaturos*, qui defensione *strenua bellicisque conflictibus imperium nostrum suo sæpe sanguini* prætulerunt: vniuersis videlicet, qui hoc nefandum atque inlicitum facinus perpetrare tentauerint, adeò tam sacræ adnotationis quàm legis pragmaticæ, mandatorúmque nostrorum subsidio, etsi aliqua forsitan obreptione meruerint, excludendis: vt neque intimatio licet admissa fuerit, penitus prosit, *& Duces seu Magistros militum*, vel cuiuslibet Iudicis, qui insinuationi annuerit officium, cum centenarum librarum auri damnatione vlterius quàm summam ad eorumdem limitum refectionem volumus, proficere. *Agros etiam limitaneos* vniuersos cum paludibus, omníque iure, quos ex prisca dispositione limitanei milites ab omni munere vacuos ipsi curare suo sito compendio atque arare consueuerant: & si in præsenti colantur, ab his firmiter ac sine vllo concussionis grauamine detineri: & si ab aliis possidentur, cuiuslibet spatij temporis præscriptione cessante ab vniuersis detentatoribus vindicatos, iisdem militibus sine vllo prorsus a sicut antiquitus statutum est, collationis onere volumus adsignari. In his etiam contra eos qui præceptionibus nostris obuiam venire tentauerint, eadem pœnarum acerbitate, quæ aduersus Ducum auiditatem prolata est valitura. Nam si quis fortè, quod minimè audere debuerat, emptionis titulo memorati iuris possidet prædia, competens ei actio aduersus venditorem intacta seruabitur. Id autem curæ perpetuæ tui culminis credidimus iniungendum, vt tam *Trachi quàm* Illirici nec non etiam Orientalis ac *Pontici militis*, *Ægyptiaci* insuper, Thebaici, *Lybici quemadmodum se militum numerus habet, castrorúmque ac lusuriarum cura procedat quotannis mense Ianuario in sacro* Consistorio *significare nobis propria suggestione* procures, vt vniuscuiusque tam industria quàm desidia nostris auribus intimata, *& strenui digna præmia* consequantur, & in dissimulatores competens indignatio proferatur. Credimus *namque quòd vt militari ad eum modum quem disposuimus obseruata, quocumque terrarum se hostis mouere tentauerit, victoria nobis propria secundi numinis voluntate nuntiabitur, antequam prælium.* Nume *frater A.* Inlustris igitur auctoritas tua, cuius integram fidem rebus ipsis experta est nostra perennitas, hanc generalem saluberrimámque nostræ clementiæ sanctionem obseruationi perpetuæ, effectuique mancipari præcipias, & edictis vbique propositis ad omnium notitiam venire perficias. Dat prid. Id. Septemb. Constantinop. Maximo 11. Paterio coss.

Titvlvs XXXII.

De metatis.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Numo Magistro Offic.

CVm inter multa priuilegia quæ militantibus detulit viris antiqua prouisio, habitaculis etiam eorum certæ portionis domorum sorte prospexit: nos à quibus familiare est vniuersa negotia competenti temperatione disponi, suggestione tuæ magnitudinis moniti ita hospitiis militantium volumus esse consultum, vt tamen honore præditis in exactionibus ædium debita dignitati reuerentia conseruetur. Meminimus quippe nos diuina promulgatione tam Consularium virorum quàm Præfecturæ infulis ornatorum cæterorúmque inlustrium, nec non etiam silentiariorum certas domos in hac sacratissima vrbe sitas metatorum præbendorum onere liberasse: cui nunc addi oportere censemus, vt his Consularibus qui auspiciis etiam patriciatus exultant, ternarum domorum excusationis licentia concedatur. In hæredibus etiam eorum quibus excusationis ius datum est, immunitatis ædium priuilegio pro tenore sacratissimæ Constitutionis quæ super hac re loquitur, firmiter valituro. Sed ne liberalitate nostra latius quàm oporteat propagata, vel hospitalis commoditas militantibus abnegetur, vel nihil emolumenti referatur in publicum, id inprimis statuendum esse censemus, vt si quis vel ius excusandarum ædium non habens, vel licet, in pluribus tamen domibus quàm ex sacratissima Constitutione concessum est beneficium excusationis ratione res, sit immunis, seu sacro oraculo, seu quocumque modo vel iam consecutus est, vel consequetur in posterum, tertiæ partis domus, super quem oportuit numerum, excusatæ pensionem arbitrio tui culminis in rationes publicas conferre cogetur, vt aurum ex huiusmodi titulo profligatum pro iusso nostri numinis cura tuæ sublimitatis, quo visum nobis fuerit, erogetur. Idque in omnibus huius almæ vrbis domibus custodiri decernimus: cæteris videlicet omnibus, qui metata in suis domibus præstant, siue hospitia præbuerint, metatoribus, seu quolibet pacto satis eis fecerint, nullam vel pensionis vel discussionis domus gratia molestiam sustinere cogendis. Deinde neminem volumus cuiuslibet loci vel ordinis in hac florentissima vrbe domum propriam excusantem, metatum sibi in alienis domibus priuilegio militiæ vindicare. Et his quidem quibus iam præbendi metati immunitatem inlustris fauor dignitatis indulsit, licet vacantis militiæ cingulo vsi sint vel vtantur, vel honorariæ prærogatiuæ potiantur insignibus, inuiolata, vt eatenus est, excusationis iura largimur. In posterum verò hi quidem quibus inlustrem dignitatem iniunctæ administrationis attribuit, domos suas pro modo quem sacratissima constitutio præfiniendum censuit, excusabunt: cæteris verò quibus inlustris dignitas cum cingulo vel citra cingulum pro solo honore delata est, excusandarum ædium licentiam penitus denegamus. Hoc iuris in his etiam præcipimus obseruari, quos ipsa quidem administrationis conditio spectabiles nouit, honor tamen additus à nostra liberalitate

liberalitate reddit illustrem: excepto videlicet viro spectabili primicerio notariorum, cui volumus in excusandis ædibus illustrium magistratuum priuilegium conuenire. Sed & si quis iam illustrem dignitatem iniet vacantes vel honorarios consecutus, domum postea in hac sacratissima ciuitate possederit, hunc quoque iubemus esse priuilegiorum excusatione alienum. Scituris omnibus, quod si quis cum singulo perfruatur, & excusationem ita propriæ domus impetrauerit, vt à pensione etiam portionis tertiæ sit immunis, & militiæ causa metatum in alienis domibus sibi crediderit vindicandum, siquidem honore præditus excusationis ius habeat, carebit legum priuilegiis, quas fraudare conatus est. Si verò inferiores eos, quibus nulla suffragatur dignitas, numeretur, centenarum librarum auri sacratissimis largitionibus pendendarum illatione mulctabitur. Nume sr. A. Illustris itaque auctoritas tua quæ per hanc diuinam legem duximus sancienda, solemniter ad omnium notitiam peruenire constituat. Dat. xvii. Kalend. Febr. Constantinop. Theod. A. coss.

TITVLVS XXXIII.

De reuelatis, adæratis vel donatis possessionibus.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. *Hermocrati PF. P.*

PErfecta est ac plena liberalitas, quam præsens munificentia communit: tuncque maximè vnusquisque tuto se confidit habere quod *meruit, si quod singulis specialiter indultum est, generali prouisione firmetur.* Cùm itaque multorum possessiones meminerimus nostro beneficio aliquatenus *tributorum munere subleuatas*, eisque postea certam concessæ quantitatis partem, *quia id necessitas flagitabat*, indictam, vt quod liberalitati nostræ derogatum *est non pœnitentia potius videatur fuisse quàm temporis*, summam quæ iam ex descriptione inlata est profligatione contentionis in posterum ab huiusmodi exactionis inquietudine liberamus: vt & præteriti temporis pro subleuatis prædiis reliquorum exactio concedatur, & in posterum nulla talis descriptio formidetur. Hoc enim necessariò nobis hac generali sanctione fuerat promulgandum, cùm multo sit *onerosius simul & in Aggere coaceruatam soluere quantitatem quàm particulatim reddere quod debetur.* Hæc tamen liberalitas nostra nihil *dispositioni amplissimæ recordationis Antiochi*, quæ certam quantitatem ante se releuatis possessoribus nomine canonis indixit, imminuit. Id enim quod iam in canonem cecidit, anniuersaria debet pensitatione persolui, nec in præteritum, nec in posterum patimur esse concessum: nullique deinceps copia relinquitur inspectores sibi specialiter expetendi, nisi secundum sanctionem nostram quæ ad viri illustris & consularis *Florenti I.* suggestionem emissa est, ex communi ciuitatis aut prouinciæ desiderio postuletur. Indulgentiam verò memoratæ descriptionis & in anteactum & in posterum tempus, non solùm in releuatis, verùm etiam in donatis, adæratis translatisque seu quodlibet aliud nomen nouæ descriptionis excogitatum est, volumus obseruari, nullámque super his vnquam exactionis molestiam formidari, quibus non tantùm reliqua præteriti temporis relaxamus, sed nec in posterum quicquam innouationis aut oneris addendum esse censemus. Quod & si quis innouatio post administrationem *illustris memoriæ Antiochi* facta est, aut aliquid eis indictum esse monstratur, hoc irritum fieri, omnémque innouationem aut indictionem viribus carere decernimus. Sufficere etenim nouimus illud quod *illustris memoriæ Antiochus* ante se releuatis, vel adæratis, vel donatis, vel translatis possessionibus nomine canonicæ solutionis indixit: quod suam firmitatem conuenit obtinere in possessionibus videlicet quæ ante eius administrationem huiusmodi beneficium meruisse noscuntur: post eius verò administrationem, nec innouationem quandam, nec adiectionem, nec excogitationem contra eos, nec aliquam dispositionem prolatam firmam esse concedimus. Verùm & si quis ex auctoritate nostri numinis vel præceptis amplissimæ Præfecturæ de fundis Patrimonialibus sterilea sub certi canonis pollicitatione susceperit, firmiter eum volumus possidere, vel eiusdem tantum canonis solutione quem nostræ maiestatis auctoritas, aut præceptum magnificæ tuæ sedis per annos singulos soluendum esse præscripsit, nullámque eis descriptionem, aut adiectionem, aut innouationem in posterum sustinere: quoniam nimis absurdum est eos, qui nobis hortantibus aut magnifica Præfectura, fundos inopes atque ieiunos magno labore impenso, aut exhausto patrimonio vix fortè meliorare potuerint, vt post decreptos impiuatum onus suscipere: illud quoque velut quadam circumuentione deposci, quod si se daturos præsciissent, fundos minimè suscipere aut etiam colere paterentur. Sed vt his qui ante legem datam ex suggestione viri illustris *Florenti I.* possessiones suas releuarunt, magnam libertatem prosperamus, omni timore in perpetuum, sicut conuenit, absolutis: ita eos, qui post memoratæ Constitutionis tenorem suas possessiones releuare conati sunt, nihil commodi experire volumus. Quapropter sciant omnes qui tale beneficium post huiusmodi Constitutionem meruerint, infructuosum sibi hoc esse: nullique licere deinceps contra Diualia statuta, aut releuatio suas possessiones, aut adærationem translationémque deposcere: quod & si subreptitiis precibus fuerit impetratum, nihil valere beneficium tale sancimus. Nouerit amplissimæ tuæ sedis officium, quod si vlterquando nobis vel suggestio huic nostræ sanctioni contraria porrigatur, vel si legi sacrisve mandatis (si qua fortè citra suggestionem his prius dispositionibus aduersa manauerint) obsequatur, & aliquos tanquam debitores ex huiusmodi titulo crediderit exponendos, ducentarum librarum auri se condemnatione mulctandum. Omnibus enim circa res proprias amputanda tristitia est, quibus ex salute nostra vera sensimus gaudia contigisse, vt non minus commoditatibus domesticis, quam hospitate lætentur. Hermocrates Parens karissime AA. Illustris igitur & magnifica auctoritas tua quæ per hanc saluberrimam legem pro multorum commoditate statuimus, sollemniter edictis vbique propositis ad omnium notitiam venire perficiat. Dat. iii. Id. Decembr. Constantinopoli, Theod. A. & Albino xrx. v. c. coss.

TITVLVS XXXIV.

De postulando.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Fausto PF. P.

GAudemus admodum hæc nobis amplitudinis tuæ insinuatione suggesta, quæ nostris concordare iudiciis priuilegia dudum causidicis delata testantur: quorum vt maior beneficiorum nostrorum cumulus augeret, etiam nouis insuper amplificamus indulgentiis. Quo enim imparea honores credimus eos quorum vitam, eloquentiam per tot officij huiusce annos non solùm priuatorum, verùm etiam publicorum iudiciorum explorat auctoritas? Fausto P. R. Illustris & præcelsa magnificentia tua laudabilium suggestionum suarum contemplatione hoc à nobis in admittendis retinentur honorandisque causidicis edictali lege nouerit constitutum, vt in eo qui se causidicorum numero optat adiungi, imprimis studia, mores, natales, vel si perfunctæ est muneribus quibus patriæ suæ nascendi generositas debet esse munifica, neque per calumniam neque perfunctoria examinatione quærantur. Etenim oportet eos quos semel adsciuerit in seminarium dignitatum, omnino ita ad omnia esse ædificaturos vt idcirco digni vniuersis honoribus habeantur, quod aduocati esse meruerunt: quibus ad agendum viginti annos (non vt adpropinquare vigesimum sed vt explere fas sit) legis huius auctoritate decernimus. In prouincialibus verò foris sedecim aut eo amplius numero aduocati sint, & vnum ea his qui in agendo annotum numero præstat, ad Prætorianum forum si hoc præfectura iubeat, auocari: atque omnes siue vtriusque Prætorianæ, siue vrbanæ præfecturæ causidicos expleto vigesimo, vel ad alium vitæ cursum maturius transeuntes, quinto decimo aduocationis anno Vicariæ dignitatis insignia potestatémque obtinere, ita vt in salutationibus nostris, in conuentibus publicis, omnibus qui post se Vicariæ potestatem adepti erunt, meritò præponantur. Neque enim perpetuandam putamus huiusmodi dignitatem in his qui aduocatione functi sunt imaginaria aut vacantiua videri, cùm eam non gratiæ singulorum, sed ipsi ordini & professioni iudicia nostra restituant, quamuis tam magno, tam necessario & tam sancto officio si seruetur reuerentia literarum, etiam hoc peruium esse videatur, nisi illis salutem esset sperare commune omnibus, quod optimus quisque ac sibi bene conscius de nostris iudiciis non frustra debet optare. Neque enim tali fine meritum professionis arctamus aut futuræ spei intercludimus viam: quin præterita interim remuneratione vt nullius ciuilium officiorum oneribus, aut exactionibus, aut operibus publicis, ad suggestiones numeratorum vel ad præceptum sacræ nostræ, huiusmodi hominum meritum, quod supra memoratos annos in quolibet Prætoriano siue vrbano foro studium probatæ defensionis impendit, post diutinum laborem solicitetur quies, prouidebis amplissimæ Præfecturæ debita & iusta commotio, quæ triginta librarum auri condemnatione ab officiis prouincialibus vel suo ilico iubebit exposci, si quemquam ea his qui prædicta obseruatione causis patrocinia præstiterunt, ad huiuscemodi iniuriam suggerendum esse crediderint. His hoc etiam literatæ militiæ contemplatione præstamus, vt si in familia fuerint constituti, quidquid quolibet titulo possit

siti in aduocatione quæsiuerint, tanquam peculium castrense defendant, ne præmium laboris alieni aut in alios transferat aut sibi vindicet patrum potestas. Hanc autem legem edictis amplitudinis suæ omnibus Iudicibus ac prouinciis facias innotescere. Proposita Id. August. Romæ in foro Traiani, Dioscoro Romæ v. c. CONS.

TITVLVS XXXV.

De lampandariis.

I. Imp. Valent. A. Opilioni Mag. Offic.

MErito amplitudinem tuam de statutis prædecessorum tuorum contrariis inter primicerium Lampadariorum & sequentes aut habitis videmus seruisse, vt quod pro verecunda moderatione ipse non poteras, nostris seruaret decreto Opilio PR. AA. Inlustris itaque auctoritas tua iuxta rationabilem suggestionem tuam perpendentes & breuia nimis & longiora tempora, hac edictali lege nos statuisse cognoscat, vt primicerius Lampadariorum tres annos in priuatos administratione consistat, quatenus hoc labore persunctos, sequentibus ad processum copia tribuatur, vt neque ille *diuturnitate posterioribus onerosus existat, neque sequentes nimia expectatione languescant.* De absentibus quæ amplitudinis tuæ suggestio patefecit, serenitas nostra confirmat, hoc est vt si biennium suis abfuerit, vnum ei, triennio duo, quatriennio tres meritò propter anteponi: si verò quinquennio, matriculis eximatur vt de sua pœna percellat, & sedulia obseruationis suæ compendia præmio concedantur. Dat. v. Non. Octob. Romæ, Valentiniano A. VI. & Albino.

TITVLVS XXXVI.

De nauiculariis amnicis.

I. Imp. Valent. Epitincano PF. V.

PVblicis commodis & sacratissimæ vrbis vtilitatibus amica suggestio magnitudinis tuæ, clementiam nostram mota salito prouisionis admonuit, vt nauiculariorum corpori per tot detrimenta lassato, remedia præstaremus: quorum priuilegiis sufficere constituta vetera potuerunt, nisi hæc temeritas inlicitæ vsurpationis infringeret. Epitincane P. K. AA. Vnde inlustris magnitudo tua hac nostri pragmatici actione cognoscat, iuxta suggestionem suam nauicularios qui munus proprium defugerunt, ad corpus suum cum *agnatione & peculiis reducendos, omni vel coniunctionis, vel obnoxietatis, vel cuiuslibet personæ priuilegio & defensione submota*: eorum qui sine hæredibus obierunt substantiam quolibet alienatam titulo ab his vindicari qui memoratæ seruiunt functioni. Nauem nec facere nouam nec instaurare intra capacitatem quadragiora cuparum liceat, quo hoc munus videtur esse susceptum: priuatorum naues legitimæ capacitatis necessitatem huius functiona singulis cursibus, minores verò binis solidis adiuuabunt: vt necessitatem huius functionis singulis cursibus, minores verò bonis solidis adiuuabunt: vt necessarium corpus saluberrimæ prouisionis auxilio subleuatum, deuotionem solitam redintegratis viribus possit agnoscere. Dat. VIII. Kal. Maij, Rom. Valentiniano A. & Auieno v. c. coss.

TITVLVS XXXVII.

De prædiis pistoriis Afris deputandis.

I. Imp. Valentin. A. Firmino PF. P. & Patricio.

AD auditores suos beneficia delata respiciunt, nec minus plenam gratiam meretur qui præstanda suggessit, quàm qui suggesta concedat: vnum prouidi Iudicis est, alterum munificentiæ principalis, & insinuatio beneuolentiæ titulo præstandi gloriam, cumulat insinuationis affectum. Censeo igitur vt iuxta suggestionem culminis tui honoratis Afris & possessoribus hostili vastatione nudatis isto remedio consulatur, vt quod fortunæ impressio sustulit ad quantum potest largitas Augusta compenses. Dulce est remedia fessis optata *largiri: & licet habeat inexhaustum dolorem atque* æterna inspiria propriatom *amissæ facultatum, tamen qua in tam tristi* fuerint forte *sanlatu, amissa* solantur. Igitur intra *Numidiam prouinciam* ex desertis locis de quibus, *sicut* celsitudinis tuæ suggestio loquitur, nihil emolumenti agnoscet, honoratis & possessoribus quos prædiximus XIII. millia fere centuriarum sub quinque annorum vacatione concedimus: duo millia præterea solidorum qui ex titulo vicinarum siliquarum, quæ per singulas centurias exiguntur, & superesse fisco perire dicuntur, exacta per officium magnitudinis tuæ ad aream, ad eandem summam, quemadmodum iuxta merita personarum per ordinem omnia singulis diuidi debeant, pro tua moderatione decernas. Et in Sitifensi & in Cæsariensi prouinciis, Mauritania & Numidia prædia *iuris emphiteutici* & domus diuinæ quæ à *Vaculis* post Vandalicam vastationem fuerant competita, & à diuersis hodie possidentur, auferri ab iisdem censeo, & sub eo *institutionis* modo quo nunc tenentur subsignatione cessante, honoratis Proconsulis prouinciæ *Abidiacena* potius conlocari, quos à Barbaris, sublatis patrimoniis etiam de sedibus propriis constat expulsos. De pistoriis autem prædiis statuo, quoniam his quos Barbaries adflixerat & ob alimoniam antè fuerant lege concessa, ad eos tantùm debeant peruenire quos ab hostibus certum est facultates captiuitatis infortunio perdidisse, iisdem pulsis quos ad hoc beneficium indecenter constat admissos: nec liceat quemquam amplioribus quam ciua loci ratio postulat remediis adiuuari. Æquum enim ast vt quos perculsis grauiori sorte consulimus, iuxta singulos distributione proficiat, penes quos saluo vrbis Romæ priuilegio, hæc humanitas permanebit, donec auspice Deo Africam redire contingat. Prædia obeuntium, eiusdem scilicet, ad filios eorum quibus data sunt, successionis iure perueniant, saluo tamen, vt dictum est, priuilegio vrbis æternæ: qui si defuncto fortasse non fuerint auctoritatem Iudicis huic dari præcipio cui magis consuli iusta necessitas persuade, maioribus enim debent beneficiis adiuuari quos dubium non est aduersa vehementiora perpessos. Firmine P. K. AA. Itaque inlustris & præcelsa magnificentia tua adsignatos Prouinciales sub progammate suo faciat peruenire, vt quanta nobis *deralium* cura sit præsenti lege cognoscant. Dat. III. Id. Iul. Romæ, Adelsio. v. c. CONS.

TITVLVS XXXVIII.

De successione curialium.

I. Impp. Theod. & Valent. AA. Maximo II. PF. P.

IN *augendo statu vrbium singularum, seruata Catholicæ religionis veneratione*, tam præcedentia veterum parentùmque nostrorum statuta renouamus, quàm nostris legibus obseruanda decernimus, ne passim imminutione municipum, cum numerositas ex abundanti clericatus augetur publica damna generentur. Non dubium est enim cum non expletis muneris ad obsequium venerabilis mysterij curialis admittitur, relisum in paucos publicæ functionis onus nequaquam posse tolerari: & sursus migrantibus patrimoniis curialium ad personas qui functionibus municipalibus non tenentur, propriam ciuitatis oritase substantiam. Propterea præsenti lege sancimus, vt quisquis ante huius sanctionis diem suscepit clericatus officium non expletis vrbis propriæ muneris ac muneribus, in ea quidem qua meruit religionis obseruatione perduret, sed omnia per suffectum tam personalia quam patrimonij onera cogatur agnoscere, facultates suas pro virili portione singulis filiis diuidat, sibimet simili parte seruata. Quod si filios non habuerit duas partes facultatum suarum, præter vllam alienationis fraudem, propinquis ad curiam pertinentibus tradat. Quòd si defuerint, easdem octo vncias ordini proprio proficere debere censuimus, quoniam non minor est affectio patriæ quàm parentum, tertiam sanè propriæ substantiæ seruaturus. Qui verò redditis patriæ muneribus dudum ad officium clericatus accessit, filiis, quos sibi proculdubio curia vindicat, facultatum suarum, sicut iam diximus, virilem singulis portionem tradere non moretur Qui si filios non habuerit ea quæ superius & de patrimonij distributione talis personæ constituta sunt, obseruare cogetur. Decet enim eum qui sacrosanctis desiderat inhærere mysteriis, fide magis diuitem quàm facultatibus adprobari. In futurum ad *Ecclesiastica ministeria curialem suscipi præsenti lege prohibemus*, vt fiscales necessitates *numerositate municipum facilius impleantur.* Si quis sanè ad clericatus obsequium etiam contra legum vetita, animi deuotione properauit, si propriæ non compleuerit onera ciuitatis vniuersa, per suffectum reddere compelletur. simili leges obseruatione facultates suas sicut suprà scriptum est, nec cum filiis aut cum propinquis, aut cum patria diuisurus. Quod si expletis muneris sacrosanctæ religionis fuerit ministerio contractus, facultates suas viritim filiis distribuere per iudicium non cogetur, sibimet virilem portionem *inter liberos seruaturus.* Qui si filios non *habuerit*, duas partes patrimonij

patrimonij sui propinquis (qui tamen curialitatis oneribus obnoxij sunt) absque vllo imminutionis commento, sicut superius dictum est, sciat protinus conferenda, omnibus in medium deductis quæ post hanc rem clericatus in fraudem legis alienanda crediderit: reliquum cui voluerit proprio dispensaturus arbitrio. Quæ nostram serenitatem temperasse humanitatis intuitu vetera legum constituta testantur, quibus omne patrimonium cedere indici proprio curialis præceptus est, quotiens ad ministerium clericatus eligitur. Illam quoque partem dispositio nostra non præterit, vt quisquis ciuis vel incola deinceps in nullo obnoxius (cuius tamen substantia trecentorum solidorum non exuperet quantitatem) fuerit repertus, habeat adipiscendi clericatus liberam facultatem. Eum verò cuius patrimonium in iore quam definiuimus æstimatione censebitur, liceat Curiæ secundum vetera statuta sociari: exceptis his qui sacris scriniis nostris & Agentium in rebus scholæ militant, & aliis qui continuatæ militiæ obseruatione desudant, vt multis prouisionum generibus ordinum numerus suppleatur, nec tamen desint ministri venerandæ religionis obsequiis. Maxime p. k. aa. Illustris & præcelsa magnificentia tua huius legis saluberrima constituta, sub edictorum promulgatione faciat in omnium notitiam peruenire, vt sacrilegij reatus inuoluat, viginti librarum auri multa percellat, quem non obedisse clarueris edictalibus Constitutis. Dat. v. kal. April. Rauennæ, Theodosio A. xv. & Festo v. c coss.

Titvlvs XXXIX.

In damnum publicum non valere rescriptum, nec specialia beneficia generalibus præferenda.

I. *Impp. Theod. & Valent. A.A. Maximo PF, P. II.*

Vsu rerum frequenter agnouimus specialibus beneficiis generalem deuotionem grauari recedente in reliquos *tributorum sarcina*, quæ singulis quibusque subducitur, Maxime P. K AA. Et ideo illustris & præcelsa magnificentia tua pragmatici nostri secuta decretum sciat secundum suggestionem tuam mandatibus his quæ dudum de remouendis specialibus beneficiis censuimus, omnia quæ specialiter contra vetitum impetrata sunt non valere, & functionem publicam æqualiter ab omnibus oportere cognosci, vt & quod in commune statutum salubriter fuerat, perseueret, nec denuo in h[illegible] ambitus redeat, quæ iterata præceptione remouemus. Dat. viii. Kal. Febr. Rom. Valentiniano A. v. & Anatolio. v. c coss.

Titvlvs XL.

De pantapolis ad vrbem Romam reuocandis, & qui à tironum præbitione excusantur.

I. *Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Edictum ad Populum.*

VRbis *Romæ, quam meritò caput nostri veneramur Imperij*, in tantum nos cura non deserit vt quieti eius atque *abundantiæ* modis omnibus consulamus. Græcos itaque negotiatores (quos Pantapolas dicunt) in quibus manifestum est maximam inesse multitudinem magnámque in emendis vendendísque mercibus diligentiam, vlterius non patimur sacræ vrbis habitatione secludi, licet eos dissensio & maximè inuidia tabernariorum, quàm *venerabilis Roma* vtilitas, à negotiatione submouerit. Idcirco hoc edicto singuli vniuersique cognoscant Pantapolis ad vrbem Romam redeundi negotiandique licentiam restitutam, vt cum peruigili *vbertas* populo ministretur, *& in rebus suspectis*, a maiore multitudine ciuitas possit habitari, ita vt si quis statuta pretia non seruauerit, in eum pro qualitate facti vindicta procedat, *nec ob vnius aut alterius delictum omne corpus liceat excludi.* Ita enim cura multorum nec abundantiæ deerit, & professa ciuitati augebitur multitudo. Ex illa sanè parte totam solicitudinem omnémque formidinem vestris animis censuimus auferendam, vt huius edicti serie cognoscat vniuersitas, nullum de Romanis ciuibus, nullum de corporatis ad militiam esse cogendum, sed tantùm ad *murorum portarúmque custodiam*, quotiens vsus exegerit, illustris viri vrbis Præfecti dispositionibus ab omnibus obsequendum. Cuius ordinatio etiam in muris, turribus, & portis quæ sunt labefactata restituat, ita vt reparatione mu-

torum vel omnium quæ suprà dicta sunt nullus penitus excuset. Illud quoque pro tuendo statu venerandæ vrbis decreuimus, vt à conlatione tironum & ab exsoluendis septem solidis per militem nuper indictis cespes Formensis, Æterinsis, Calestius & Victuarios habeant immunis, vt propitius deuotionem solitæ functionis agnoscant. Dat. vi. Non. Mart. Romæ, Valentiniano A. v. & Anatolio v. c. coss.

Titvlvs XLI.

De tironibus & occultatoribus desertorum.

I. *Impp. Theod & Valent. AA* Sigisualdo *Comiti & Magistro vtriusque militiæ.*

FRequentari sæpius constituta temeritas plectenda compellit, vt excusabilis culpa sit quam etiam recens prohibitio non emendat. Nulli enim concedi fas est si totiens vetita nunc quoque seuerius interdicta tentauerit. Reparandi feliciter exercitus cura, conferri debere tirones à possessore censuimus. Ne quis tamen damni publici abusus occasione lucrum capere se credat de fiscali dispendio, si personam semel insignitam militaris titulo ruris colendi causa, vel negotiationis exercendæ gratia, aut cuiuslibet ministerij occasione detinet, P. K. A. Ideirco illustris & præcelsa magnificentia tua hac nos sciat edictali lege iussisse, quisquis de tironibus aliquem, necnon prioris militiæ virum proprios numeros & signa deserentem, rustico vrbanóve prædio crediderit occultandum, & ipsum restituat quem celauit, *& tres alios* aptos militiæ pœnæ nomine cogatur inferre. Colonus, conductor actórve loci si id ætatis sit vt stipendia ferre possit, militiæ protinus adgregetur. Quòd si nesciente domino desertor in cuiuslibet ædibus latuerit, colonum conductorem, actorem, vel qui id sciens capitali supplicio esse feriendos. Veruntamen ne occasionem calumniis dedisse videamur, *si temporaliter* habitandi causa miles vel tiro cuiuslibet prædium forte successerit, id seruata moderatione sancimus, vt in trigesimum diem postquam in eodem loco esse cœperit, correptum, is quem superior legis pœna constringit ad ciuitatem quamque proximam deducat, officio publico ac primoribus ciuitatis tradat sub confectione gestorum, ad prouinciæ Moderatorem protinus perducendum, vt eius cura ad signa propria reducatur, & pœna competentibus subingetur. Iudicem sanè si *conhibentiam* in his exsequendis negligentiámque præstiterit, decem libras auri, eiúsque officium similem quantitatem pœnæ nomine fisco iubemus exsoluere. Quam legem nequis se ignorasse confingat per omnes prouinciarum ciuitates edictis solemnibus diuulgabis. Dat. xiii. Kal. April. Romæ, Valentiniano A. v. & Anatolio v. c. coss.

II. Idem AA. Quadratiano PP. P.

Dispositionem cunctis salubriter profuturam certatim debet omnium præuenire deuotio. Quid enim magis professis est desiderans experendum: quàm vt adiectis viribus, per dilectum roboris militaris Romanus augeatur exercitus? Quadratiane P. K. A. Vnde illustris magnificentia tua pragmatici priorις tenore quod de delicto nouo agitando datum est, Senatores vel vniuersos possessores oportere à se conueniri, vt auctores & conductores suos sine vlla tam necessariæ rei dissimulatione his repræsentandos nouerint, quibus per suburbicarias prouincias tironum congregandorum munus iniunximus, quò facilius ad effectum publicæ vtilitatis valeat perueniri. Quisquis verò contemtua ad eos qui id exequuntur deducere gubernatores agrorum suorum aliqua cunctatione distulerit, cognoscat se decem libris auri mulctandum, & tirones eius numeri qui deprehensus fuerit, nihilominus traditurum. *Aduersum quippe animum à communis defensionis* studio iure tali seueritas insequitur. Superest igitur vt nullus animus retardet iniuncta, *quia quisquis in hac parte cessauerit sese quodammodo confitetur non esse Romanum* Dat. viii. Kal. Iun. Rau. Maximo II. & Paterio coss.

III. Idem AA. Hisiodoro Com.

Cogit diuersarum rerum necessitas se quidem pro vtilitate communi vt suggestio sublimitatis tuæ prouida nimis pro qualitate temporis esse videatur. Paruo etenim vnusquisque contemptu sperare debet securitatem futuri. Nec enim graue esse credimus quod omnis contemplatione deposcitur Hisiodore P. A. Vnde illustris auctoritas tua sciat secundum suggestionem tuam pragmaticæ auctoritate firmatam, hoc nos præsenti tantùm tempore censuisse,

propter imminentium expensarum necessitatem, quibus sufficere ærarij vires nequeunt, id quod conferentes plurimum non grauet, nos parte aliqua valeat adiuuare. Ideirco *inlustres vacantes* per omnes nostras prouincias constitutos, ternos tyrones in adæratione debere persoluere. Comites quoque consistorianos, vel primi ordinis, necnon Tribunos & Notarios, sed & eos qui administrationes ordinarias in prouincijs gubernarunt, dare singulos oportere: Tribunos verò vacantes siue Comites secundi vel tertij ordinis omnésque clarissimos tertiam partem tironis agnoscere, ita vt vnius *tironis pretium triginta* solidis taxetur: exceptis Afris qui hostili necessitate sedibus suis *nuper* expulsi sunt. Pro excubiis autem præsentibus viginti consistorianos, Comites triginta, Notarios immunes esse debere. Gaudere enim debent quos labor suus & desudatæ vigiliæ probabili ratione commendant. Dat. prid. Id. Iul. Rau. Theodosio A. XVIII. & Albino V. C. COSS.

TITVLVS XLII.
De palatinis.

I. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. ad Maximum II. PF. P.

PAlatinæ exactionis enormitas deducta sæpius in querelam, necessitate nobis formandæ sanctionis imposuit: cuius obstinatio quæ resugere debuit, augere contendit, ad hoc præteritæ impunitatis præsumptione decepta vt continuato scelere grauiores *aculeos seueritatis* incurreret. Vnde magnificentiæ tuæ suggestionem *numerosis administrationibus* & virtutibus congruentem libenter accepimus, *quā possessoribus & negotiatoribus consuli generaliter postulauit*, quorum breui deuotio concidisset si quantum fisco inferendum est, aut tantum, aut amplius exigendum sibi auaritia vindicaret, non dissimulandam obiectionem *nostra sæcula generant*, cùm deuotum publico priuatis vtilitatibus, dispendia profutura comitantur. Quapropter sublimis excellentiæ tuæ saluberrimam suggestionem secuti, veneranda in æuum lege sancimus, nequisquam Palatinorum superíndicti vel aurariæ cæteráſque ad *vtrumque ærarium* pertinentes exigens functiones, vltra summam, tradita sibi iussa præsentem censum de seruio breuibus comprehensam, commodi nomine accipiendum aliquid oouerit aut petendum: cessantibus causarum titulorúmque instructionibus factis, quod odio calumniarum cessare præcipimus, & quos non in vtum publicum sed in auiditatis exemplum, calliditas compulsorum minatur: sacrilegij perecllendis reatu, proscriptionis etiam supplicio condemnandis, cùm huiusmodi vsurpationem probatio confirmarit. Quam examinationem atque vindictam si adiri inlustres *viri Comites vtriusque ærarij* fortasse neglexerint, amplitudinem tuam nobis oportet suggerere, vt neglectas iustissimas prouincialium querimonias vindicemus. Tantum autem nos licentia huius cupiditatis offendit, vt inueteratam vsurpationem resarcire cupientes, Moderatores prouinciarum rapinis ire obuiam censeamus, & ad magnitudinem tuam sine vllo metu suæ condemnationis referre. Præterea cunctis excusationibus aditus obstruentes quibus agenda necessaria aliquoties negliguntur, hoc Constitutioni nostræ adiicimus, *vt inlustres viri ærarij vtriusque Comites* à condemnationibus Iudicum & Curialium nouerint abstinendum, deſectionum vel dissimulationem tam clementiæ nostræ quàm sedi tuæ amplitudinis cum exciterint, ing-tenes, quo prædictæ sedis tantùm secreta correptio præsentia terreat, futura componat. Quam rem vetustatis & disciplinæ publicæ amore decernimus. Maxime P. K. A. Inlustris igitur & præcelsa magnificentia tua edictalem legem & functionibus publicis ingeret profuturam programmate suo in cunctorum prouincialium iubebit notitiam, vt agnoscat vniuersitas nostro seculo improbis abusibus nihil licere. Dat. Prid. Non. Iun. Rau. Valentiniano A. Anatolio V. C. COSS.

II. Idem AA. Paterio PF. P.

Cum pietas nostra ad *prouincialium quietem tuendam*, simul ad auaritiam Palatinorum, quæ cauta nuper fuerat ferendæ legis, vtendam remedia quæreret, data nuper lege censuerat, vt inlustres viri sacri ac priuati ærarij Comites facultatem condemnandorum Iudicum non haberent, similiter à desidia ordinum multanda eorum seueritas abstineret. Sed quia nunc suggestio magnitudinis tuæ indecorum hoc inlustribus viris, & inefficax publicis necessitatibus explicandis prouisione necessariæ suggestionis insinuat, & experiendo cognouimus nec satis prodesse ad possessorum commodis, & plurimum consuetis ærarij exactionibus obfuisse, abrogatam legem quam prius super his rebus obseruari statuimus, iure omne ad prædictos inlustres viros quos longo tempore iam tenebat, inlibatum pristinæ censuræ auctoritate reuocamus, ne quā illis moræ aut negligentiæ excusatio de expensarum destitutione tribuatur, quibus non solum multandorum Iudicum, sed & Curialium segnitiem condemnandi & à rationabilibus licet auferebatur facultas & tamen sub hoc præsepio nullum possessorum seu Curialium, Palatinorum mancipamus auiditati. De quorum fraudibus si quæ extiterint, aut si modum veri census sub occasione titulorum ad se pertinentium supergressi fuerint & aliquid commoditium præter id quod expressa fides chartarum contineret, studio deprædationis inuenerint, tribuimus grauatis petere accusandi eos liberam facultatem: sed ita vt ad proprios Iudices læsorum querela perueniat, iisque solis in eorum commissa permittatur inquirere, de quorum factis, si qua in reprehensionem venient, non modò præsentium querelis, sed & absentum relationibus instruentur. Sane si quid est quod vindictæ censuram exigat actionis, erit inlustribus viris Palatinorum Iudicibus conferendæ serenitatis nostræ copia, vt genus vltionis agnoscant, sed de his duntaxat criminibus quæ contra ius stimulo inlicitæ cupiditatis admiserint, Pateri P. K. A. Inlustris igitur & præcelsa magnificentia tua hanc omnibus innotescere sanctionem iubebit, remotáque ea quæ de his ordinem solitum commutauerat, huic legi, quam nunc statuimus, perpetuò valiturum sciat robur impositum, quippe moderatione & status prouincialium inuiolatus manebit, & decus potestatis suæ ad geminos Iudices reuertetur. Dat. V. Kal. Octob. Spoleti, Dioscoro & Eudoxio V. C. COSS.

III. Idem AA. Floriano Com. S. L.

Æquum est serenitatem nostra prouida oraculi nostri Constitutione sancire, ne aut impunè quemquam temerario contemptu deserta officij sui militia licuerit segnis otij elegisse desidiam, aut in posterum proposita interminatione cauere, ne quis audeat inconsulto Iudicis sui testimonio militiæ sacramenta deponere. Floriane P. R. A. Vnde inlustris auctoritas tua pragmatici nostri secuta præceptum, sciat secundum suggestionem tuam Palatinos omnes sacrarum largitionum, qui stipendiis non peractis, sine testimonio vel auctoritate Præsulis sui, ad Ecclesiastica obsequia & ad aliam transiere militiam, nomine clericorum & priuilegio cinguli superioris exutos Palatino officio ac militiæ, quam contumaciter reliquerunt, protinus esse reddendos. Atque hoc circa vniuersos oportere seruari quos intra tricennium post militiæ commutationem pragmatica huius sanctionis forma reperterit, cæteris verò non nouandam penitus quæstionem prolixioribus temporum spatiis muniuntur: hac in futurum præceptione seruata, ne cui liceat sine iussu & testimonio Præsidentis vel deserere vel commutare militiam. Prouincialium Iudices esse cogendos atque tabularios largitionalium titulorum ad amplitudinis tuæ eodem ratiocinijs instructionibúsque transmittant, nouerintque procurandis exactionibus, legibus se retineri. Dubium enim non est eum fore & nobis & legibus nostris obnoxium quisquis maiestatis nostræ præcepta lentauerit. Dat. VII. Kal. Maij, Rom. Calypto Aug. V. C. CONS.

TITVLVS XLIII.
Ne Duciani vel limitanei milites ad comitatum exhibeantur.

I. Impp. Theod. & Valent. AA. Florentio PF. P.

OPem atque auxilium nostræ clementiæ limitaneorum poscit vtilitas, qui adeo quorundam querimoniis, vel exhibitionibus diuersorum Iudicum dicuntur adflicti, vt inter priuatam vitam & militarem scientiam neutri noscantur. Adde quod *vsum armorum dediscere* compelluntur obseruatione fori ciuilis officij, *& in vita peregrinantur aliena*, expertes litium, actionum ignari, quos inuerecunda facundia & doctrina popularis instituit. Hæc suggestio viri sublimis *Anatolij Magistri per Orientem vtriusque militiæ* nostris sensibus intimauit. Quapropter non vlterius patimus tantæ commoditatis dissimulare iacturam, cùm constet dispositione maiorum *vallo limites ab excursione Barbarica defensari quicquid intra Romani nominis concluditur potestatem*. Quamobrem victura in omne æuum lege sancimus, neminem Ducianum, neminem limitaneum militem per totum tractum *Orientis* ex vltimis solicitudinibus qui exiguis solatiis vix ægrè miseram famem repellunt, penitus exhiberi ad nostrum sacratissimum comitatum, nec sacra nostri numinis iussione, nec diuino responso ad preces adeuntis subdito, non denique perennitatis nostræ mandatis, vel cuiuslibet sententia Iudicis: dispositionibus insuper integri viri magnifici custodientes in posterum, quas ad vtilitatem limitaneorum sedula inuestigatione constituit, remissis omnibus iam nunc ad propria sacramenta qui videntur exhiberi. Verùm ne conditionem militum in quandam arcem videamur quodammodo collocasse peccandi concessa licentia semel exhibitionis submota formidine, sub competentibus militaribus Iudicibus aduersus

con

eos agentibus ianuam aperimus, cum ea videlicet definitione, vt si limitaneus fuerit confutatus in contractus seu legibus deliquisse, sumptus litis dare cogatur, etiam si hoc sententia prolata non teneat, & negotium trecentorum solidorum summam excedat: eadem in actorem pœna seruata si limitaneus *calculum meliorem & victricem sententiam* reportarit. *Aliter quippe litigantium timores & execranda audacia iurgiorum compesci non poterunt, nisi animus exercitatus in litibus imminentis damni periculum pertimescat, vt correctionis metu compressus æterno silentio conticescat. Quem enim auaritia terminum fortietur, quam si laqueis cupiditatum suarum circundata intra septa propria damnatis calumniis comprimatur?* Et profecto aut hoc est remedium diu vexatis, aut si nec hoc quidem prodesse poterit, alia ratio commodorum, alia prouisionis flagitanda cautela est: si licet opertis, licet operari debemus ne liberæ audacibus exercere litigia, *vt liceat nostris militibus otiari, quos in extrema parte Romani sæculi sacramentorum legibus emendatos calumnia latentes inuenit.* Quamobrem Florenti P. R. A. Inlustris & magnifica auctoritas tua quæ statuta maiestatis Augustæ cura peruigili & congruo semper fine conclusit, nunc etiam edictis propositis ad omnium notitiam faciat peruenire. Dat. v. Kal. Mart. Constantinopoli, Theodosio A. XVI. CONS.

TITVLVS XLIV.

De competitionibus.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Florentio PF. P.

SVggestionem viri inlustris *Comitis sacrarum largitionum Marcellini, visam agentis viri inlustris Comitis rerum priuatarum* admodum comprobamus, quæ & pro nostro proposito conuenit, *& in commune* omnium subiectorum commoditatibus consulit. Felicissimis namque imperij nostri temporibus hæc nobis præcipuè cura est, *quemadmodum* liberalitatibus *nostris sine cuiusquam pernicie omnes possint diuitiis* abundare. *Imperatoria quippe prouisione mutuas esse censemus, vt omnes nostris dispositionibus gaudeant, nemo suis iniquè nudatus facultatibus defleat.* Quare hac perpetuò lege valitura sancimus, vt nemini liceat bona defunctorum caduca, vel quamlibet rem aliam ad fiscum nostrum pertinentem, vel eam quæ ex parte, actionem vllo modo à nostra serenitate *competere*, nisi anno ex die mortis defuncti excesserit, vel ex quo fiscus locum habuit, vel habere potuerit. Et si factum oraculum mansuetudinis nostræ secundum hanc legem ab aliquo fuerit impetratum, nullo modo competenti iudicio intimari, nisi prius officio productum in iudicio liberæ conditionis delatorem tradiderit, vel in hac alma vrbe, si res ad fiscum pertinentes hic inuentæ fuerunt competitæ, quorum interest periculo sub carceralibus vinculis obseruandum, vel Moderatori prouinciæ sub arctissima custodia transmittendum. Seruos namque nec ab initio, quasi nec personam habentes, in iudicium admitti iubemus, & si hoc ausi fuerint, continuò eos flammis tradi vel bestiis. Neque verò prædicti temporis præscriptionem neque delationis concessione, vel speciali donationis beneficio, aut sacra pragmatica iussione posse conuelli. Et si fortè quisquam, quod non credimus, huiusmodi quid per subreptionem elicuerit, id à nullo Iudice admittendum esse decernimus: quod si admiserit, non modò pœnæ sacrilegij eum esse obnoxium, sed etiam damna ei qui eius iniquitate læsus fuerit, sarcire. Illud etiam pro communi omnium commoditate censemus sanciendum, vt si ab aliquo quicquam petitum fuerit, & semel cuius interest, officij instructio præcesserit, nullus id possit à nostra deinceps clementia postulare, neque de eadem causa denuo fieri liceat instructionem: officio quod miserit, decem librarum auri pœna pro tali obreptione feriendo. Florenti P. R. AA. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua saluberrimam legem edictis propositis ad omnium notitiam faciat peruenire, vt sciant *prouinciales nostri pro eorum quiete serenitatem* nostram iugi sollicitudine vigilare. Proposita XIV. Kal. Nouemb. Constant. Theodosio A. XVII. & Festo COSS.

TITVLVS XLV.

De honoratis, & quis in gradu præferatur.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Storacio PF. V.

STudiosè nitî atque agere clementiam nostram decet, vt quidquid ad cumulandum Consulatum titulorum nomen proficit, sanctamus, quæ pro sui magnitudine ac reuerentia vetustatis, etiam nobis libenter adicimus. Et quoniam certum est lege Diuini Parentis nostri Gratiani cautum (quæ amplissimis dignitatibus definitum venerabilis Constitutio ordinem dedit) vt Patriciatus honor & infulæ Consulares si copulata sibi vnius personæ meritis iungantur, eum cui vtrumque contigerit potiorem fieri ac illo qui ex his alterius honoris tantum fulgorem consecutus videtur, plenum rationis & æquitatis putauimus, vt quisquis bis Consulatus adipisci meruisset insignia, præferatur his qui semel functi sunt hoc honore. Quòd alterius adiectio dignitatis hanc solam superat, quanto magis duplicatæ tanti suggestus infulæ, & curialium ornamenta gemmatum obtentu semel anteferenda sunt fascibus? Storaci P. V. A. Inlustris igitur & præcelsa magnificentia tua hac nos generali lege sanxisse cognoscet quam propositis edictis vulgare debebit, *vt quisquis consulare fastigium secundo consendere meruerit, illis etiam præferatur qui vno anno fastis nomen dederunt, quamuis anteriore tempore Consulatum cum Patriciatu pariter* sunt adepti. Ea enim dignitas quæ nomini quoque Augusto quoddam decus videtur adquirere, secundò delata priuatis personis absque superioris, iure vniuersis honoribus antecellit. Dat. III. Id. Mart. Rom. PP. in foro Traiani, Maximo II. & Paterio V. C. COSS.

TITVLVS XLVI.

De officio & numerariis Præfectorum P.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino II. PP. P. & Patricio.

IVstitiam suggestionis probamus, cuius omnis hæc mens est, ne quid *vnquam contra innocentiam malè* petentibus *lucro patiamur. Scimus enim quantis sæpe miseros vinxit inuidia, quos iniquitas iudicantum fastigio potestatis adfligit.* Officium sedis celsitudinis tuæ, sine quo necessitates publicæ nequeunt expediri, per infortunia multa iam saucium medicinæ nostræ curationes exposcit, quæ dudum potuisset adhiberi si suggestio similis antè manasset. Hac igitur mansura iugiter lege decernimus, vt quisquis ex officio Prætoriano prius quàm militandi finem consummatis per ordinem temporibus sortiatur, sub attestatione gestorum testimonio Præfecturam regentis honestam meruit missionem, seu quietis studio, siue alterius amore militiæ, nullam sustineat de non peractis stipendiis quæstionem, fiduciam perpetuæ securitatis habiturus. Præterea Numerarios Prætorianæ sedis, penes quos publicarum rationum notitia consistit, siue priuatos, siue aliàs militiam forsasse sortitos, post quinquennium discussionibus subiacere prohibemus. Intra hoc enim tempus vestigari facilè quamuis latens veritas potest. Et certè nullius tam grauis debet esse conditio, vt terminum non habeat sollicitudinis & timoris. Munimen vberius consideratio flagitat æquitatis. Officium Prætorianum expensarum colore in præiudicium cautionum vetamus vrgeri, in cuius perniciem nequitia creditorum frequenter excogitat, vt pecuniam publica necessitate numeratam priuatis simulent profecisse compendiis: quibus hanc pœnam præsenti constituimus sanctione, vt si quando pecuniam suam sub tali credendam putauerint esse contractu, eius protinus amissione mulctentur, nihilque vel ab his quos aduersum veritate deceperint, vel de publicis rationibus consequantur. Hæc officio Prætoriano salutis fortunarúmque præsidia tribuisse sufficiet, cui etiam mensores, quos pridem habere desiderat, pro mansionum suarum quiete concedimus Albine P. R. A. Inlustris igitur & præcelsa magnificentia tua iustissimam legem propositis vulgabit edictis, vt omnibus innotescat nostro sæculo Reipublicæ nihil aliud amplius esse præstandum, nisi quod deceat æquum. Dat. XIX. Kalend. Ianuar. Romæ Aetio III. & Symmacho coss.

Titvlvs XLVII.

1. Impp. Theodosius & Valent. AA. Albino P F. P. Illyrici.

EX affectu publico conuenit eorum necessitatibus subuenire, qui fatales miserias inciderunt. Imperatoriæ siquidem vis maior laudis est aliqua decreta mollire quando vis maior inopinatæ cladis fatale generarit incommodum Albine P. K. AA. Vnde inlustris & præcelsa magnificentia tua pragmatici nostri tenore comperto, sciat *Afros*, qui infortunio *hostilis cladis* expulsi eiectique fortunis omnibus, spem sui actus, & conuersationis *solida* perdiderunt, *& imbuti studiis literarum causas agere destinarunt*, siue agere iam cœperunt apud omnes Iudices, his aduocationis copiam remoto legis vinculo esse permissam, vt ærumnas in quibus nunc sunt, tali possint remedio subleuare, præter prætorianam togam forúmque vrbanum, in quo agendorum negotiorum licentiam tribui pietas nostra permisit, nec enim non eos oportet studiis fauorabilibus adiuuari quibus *hoc solum remansit quod sibi non potuit vindicare captiuitas.* Datum IIII. Kal. Sept. Rauennæ Maximo II. & Paterio coss.

Titvlvs XLVIII.

1. Impp. Theodos. & Valent. AA.....

CVm pietatis nostræ animo, *ad quærenda remedij publici adiumenta, perpetua cogitationes se ingerant, nihil tam necessarium cura serenitatis nostræ perspexit (sicut omnium sensibus non optamus occurrere) quàm vt defessis rebus afflictóque publico tantùm robur numerosi exercitus præparetur:* sed nec tam salubres (in qua omnium plenæ securitatis fundamenta ponenda sunt) per varia erogationum, *Erogatio* militaris annonæ clementiæ nostræ conatum odoraturus, vt ipso experimento, non modo his qui nouis sacramentis obligantur, sed ne veteri quidem exercitui, quæ ab exhaustis ægerrimè conferuntur, ad victum vel ad vestitum posse præberi, *quos nisi indigna & pudenda armato tamen negotiatio aleret*, vix possent à famis periculo & à frigorum pernicie vindicari. Quæ ergo his angustiis remedia prouidenda sunt mens nostræ serenitatis excitat, nam si à possessore super alia quæ præstat has expensas requirat, vltimas tenuésque eius vires compulsio talis extinguet: si à mercatoribus rursus hoc efflagitet, necesse est eos depressos tanti oneris mole succumbere. Inter hæc animo fluctuante hanc viam reperimus primùm cuius leuissima functio publici quæstus habeat magna compendia, deinde quæ ad vniuersos pertinens à paucis intollerabilia damna submoueat, atque ita sine sensu dispendiorum sit, vt cùm plus hinc publicæ vtilitati conquiri valeat, nullus se speciatim queratur affligi, & neque à tenuissimis possessorum reliquiis vel defectu miserabili negotiatorum quicquam impossibile postuletur. Placuit itaque vt omni venditione per solidum dimidia siliqua ab emptore, dimidia à venditore, per omnem contractum æqualiter publico conferatur in omnibus mobilibus immobilibúsque rebus, venditiones tantùm emptionésque duntaxat tali conditione tam bonus rei effectus aliter non poterit prouenire, nisi huic muneri certi qui præficiendi sunt eligantur communi procerum nostrorum consilio atque *tractatu*, quod electionis iudicium reseruabitur circa eos qui in aliorum locum adiectionis augmento voluerint subrogari. Per singula igitur negotiatorum genera singulos præponi oportere hac edictali lege decernimus, quos fides atque industria huic officio sustinendo idoneos comprobauerit, vtilius quippe est distributis procuratoribus mercium omnium, vt in talibus rebus fieri solet, *depulsa permixtionum caligine* apertius & liquidius declarare quid quisque pro conducta mercium *nundinatione* dependat. Omnis autem contractus qui clanculariò vel emente vel vendente in fraudem legis initus fuerit, careat firmitate, quod ne fiat ea ratione prospicimus vt gestis municipalibus immobilium rerum contractus constet initus, mobilium verò emissis *pittaciis* transigatur, & is qui præpositus fuerit huic muneri profiteatur se id quod per hanc legem compendiis publicis decretum est consecutum, ita vt post annum securitatis amissæ discussio minimè requiratur: quæ si à *tabellione* vel *contractoribus* conuentus ad gesta venire distulerit, inlato Curialibus quod huius edicti lege inserendum est, venditio perfecta stabilitate careat. Ille autem qui huic rei præpositus *spe lucri proprij publicum commodum putauerit differendum*, tali adficiendus incommodo est vt tantundem ipse fisci viribus inferat quantum de ipso contractu, cui conuentus præsentiam suam negauit à contrahentibus publico fuerit iniatum, quod ab eo magistratus & Curiales exigere curabunt, quam pœnam neque ordines effugiant neque Moderatores prouinciarum si qua ipsi fraude vel *conludio* publica emolumenta distulerint, sed hæc quæ iam salubriter ordinamus in omnibus prouinciis atque vrbibus vna eadémque volumus ratione seruari quod absque vllius erroris impedimento explicabitur, si certæ *nundinæ* ciuitatibus earúmque territoriis ordinentur. Iubemus enim & in oppidis & in regionibus certo loco ac tempore emendis atque vendendis rebus per honoratorum dispositionem necnon ordinum seu ciuium sub præsentia Moderatoris prouinciæ manifesta definitione constitui. Nulli itaque mercatori præter hanc obseruationem nisi ad designata loca temporibus præstitutis ad negotiationis suæ species distrahendas passim licebit accedere, vt certa ratio emendi atque vendendi ibi constare possit, vbi *nundinandi* ius prouincialium *tractatu* fuerit deputatum, & id quod præberi supra statuimus, facilius eorum qui præpositi fuerint valeat diligentia reperire: quæ verò ex his supplenda *& minutius ordinanda sunt*, amplissima, &c.

LEGVM NOVELLARVM Diui Valentiniani A.

LIBER I.

Titvlvs I.

De fructibus inter maritum & vxorem expensis, filiis, vel hæredibus minimè imputandis.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino PF. P.

AVctoritatis suæ memorem amplissimum Senatum grataner agnouimus, *cuius consilium* improbis *rebus semper* occurrit. Hinc est, quod nuper illustribus ac sublimibus viris, quos *euocari* ad sacratissimum comitatum vtilitas publicæ necessitatis exegit, nobis suggerenda mandauit, ne abhorrenda vsurpatio ab omni conuersatione honesta vires diutius obtineret. Comperimus enim quasdam post maritorum obitum filios suos proposita indecora actione pulsasse, cum ab iis patrimonij sui fructus quærerent, quos vtique stante matrimonio, in illa æqualitate viuendi in commune consumptos conuenit æstimari, quorúmque ratiocinium perplexum atque confusum ad veritatis fidem discuti posse non credimus. Cumque illud frequentiùs nouerimus accidere, vt maiores expensas flagitet matronalis ornatus, & cum numquam visi post vxorum obitum huiusmodi aliquid creditor communibus filiis opponendum, durum est muliebri tantùm licentiæ ista permitti. Et ideò Albine Parens Karissime, illustris ac præcelsa auctoritas tua hac edictali sciat nos lege sanxisse, ne de coniugij copula eorum alter superstes defuncti hæredes super hac repetitione redditurum æstimet lite pulsandos. Hac enim conditione & vxores teneri volumus & maritos. Siue enim intercesserit dos, seu oblata non fuerit, omne iurgium huiusce repetitionis & ratiocinij conticescat. Hanc autem legem *Vtilitati & concordiæ humani generis profuturam*, edictis per prouinciam propositis, Amplitudo tua in omnium notitiam faciet peruenire. Dat. III. Id. Sept. Rau. D. Theodosio A. XVII. & Albino V. C. coss.

INTERPRETATIO. *Si vir vxore superstite moriatur, fructum, quos constante coniugio constat expensos, nullam postea à communibus filiis, seu ab hæredibus mater repetendi habeat facultatem. Quod & si vxor viuo marito decesserit, maritum præcipit eadem lege constringi, vt & ipse à filiis vel hæredibus vxoris de ipsis fructibus, qui in commune expensi sunt, penitus nihil requirat.*

TITVLVS II.

De Manichæis.

1. *Impp. Theod. & Valent. AA. Albino PF. P. II.*

SVperstitio Paganis quoque damnata temporibus, inimica publicæ *Disciplinæ, & hostis fidei Christianæ*, ad excidium sui Clementiam nostram non immeritò prouocauit. Manichæos loquimur, quos execrabiles, toto orbe pellendos, omnium retrò principum statuta iudicarunt. Nec dissimulationem crimina nuper detecta patiuntur: Quæ enim, & quam dictu audituque Obscœna, in iudicio *Beatissimi Papæ Leonis*, coram Senatu amplissimo, manifesta ipsorum confessione patefacta sunt? Adeo vt eius quoque qui dicebatur *Episcopus*, & voce propriâ proderet, & omnia scelerum suorum secreta perscriberet. Quod notitiam nostram latere non potuit, quibus tutum non est negligere tam detestandam diuinitatis iniuriam, & impunitum relinquere scelus, quo non solùm corpora deceptorum, sed etiam animæ inexpiabiliter polluuntur. Vnde Albine Parens carissime Augustorum, illustris & magnifica auctoritas tua hac nos in æternum victura lege statuisse cognoscat, quam in *omnium prouinciarum* faciet notitiam edictis propositis peruenire. Vt vbicunque terrarum quispiam Manichæorum fuerit deprehensus, pœnas, quas in sacrilegos iura sanxerunt, auctoritate publicæ seueritatis excipiat. Sitque publicum crimen, & omni volenti sine accusationis periculo tales arguere sit facultas. Nec cuiquam tutum sit aut celare tales, aut talibus conniuere, cùm omnia de iis à nobis confirmata sint retrò principum statuta, vt nouerint vniuersi hac edictali lege proposita, Manichæos dignitate militiæ, & vrbium habitatione priuandos: *Ne quis innocens eorum conuersatione, aut societate capiatur.* Successiones nec capiant, nec relinquant, sed fisci nostri viribus adgregentur. Nec eis quod palam interdicimus vllâ fraude quæratur: Iniuriarum careant actione contractus liberos omninò non habeant. Primatus vniuscuiusque militiæ vel officij, mox exigenda per apparitionem vestram, x. librarum auri multa percellat, si quem hac superstitione pollutum sciuerit militare: neque enim aliquid nimium in eos videtur posse decerni, *quorum incesta peruersitas Religionis nomine lupanaribus quoque ignota vel Pudenda committit*. Dat. xiii. kal. Iul. Ro. Valent. A. vii. & Numo v. c. coss.

Ista Interpretatione non eget.

TITVLVS III.

De homicidio casu an voluntate facto.

1. *Impp. Theod. & Valent. AA. Maximo II. PP. & Patricio.*

CRiminosos quidem auersamur omnes, & præcipuè humano cruore pollutos. Quorum crescit audacia, cùm impunita per simplicia, vel etiam personalia rescripta donatur. Nefas dictu (Per ignorantiam facinora defensione vallamus. Sed quantum est, quod occupationibus nostris astutia plectendæ subreptionis illudis, cum rescripta huiusmodi etiam viro inlustri) quæstore nesciente procedant, *quem custodem statuimus esse iustitiæ*, qua nullum carere debet oraculum? Meritò ergo malè vsurpata prohibentes, hac edictali lege sancimus, vt homicidio quod tamen casibus imputauerit confessio supplicantis, non aliter indulgentia, nisi nostri *nominis adnotatione* præstetur: Quoniam tardiora erunt facinora, sub nostrum ventura iudicium, nec vlla, nisi discussis rebus venia contingit. Postquam tamen ad cuiuscunque Cognitoris tribunal adnotatio nostra peruenerit, examinari fidem precum diligenter iubemus, vt si *homicidium vel vitandæ mortis* necessitate constiterit admissum, venia tribuatur orantibus. Deprehensos vero in mendaciis illisò pœna percellat. Iis enim tantummodò volumus ignosci, in quorum *lapsibus sola potest fortuna culpari*. Homicidas autem, in hominum cædem nefaria voluntate grassatos, aliorumve capitalium criminum reos, nec per annotationes nostras licebit absolui. Vir spectabilis magister scrinij, qui *interdicta supplicantibus responsa prabuerit*, quinque auri librarum multam sacro ærario nostro cogatur inferre. *Memorialis quoque cuiuslibet scrinij, qui aduersus vetitum rescriptum fuerit executus*, spoliatus militia quinquennij relegatione plectatur. Quod enim *fas non est*, vel per adnotationes *nostras accurate mereri*, *multo magis* vetamus *rescriptis simplicibus impetrari*, Maxime Parens charissime AA. Illustris itaque & præcelsa Magnificentia tua *Necessariam humano generi sanctionem* cunctorum notitiæ publicari propositis iubebit edictis, vt salubria constituta nullus ignoret. Et manu diuina. Diuinitas te seruet per multos annos, Parens charissime Augustorum. Dat. vi. Id. Decemb. Romæ, D. Valentiniano A. vi. & Nomo v. c. CONSS. PP. pridie Id. Decemb. in *foro Traiani*. Subscripsi.

INTERPR. Lex ista præcipit, vt si quis ad principem conuolauerit, adserens casu homicidium à se fuisse commissum, & si per supplicationem à rerum dominis veniam potuerit impetrare, à Rectore prouinciæ, vbi casus iste commissus est, id specialiter debet inquiri, & si certa fuerit suggestio supplicantis, veniam mereatur obtentam. Cæterùm si voluntariè habita discussione conuictus fuerit homicidium commisisse, eandem pœnam excipiat, quæ de homicidiis legibus habetur expressa. Impetrata non valeant, & capitali sententia feriatur. Reliqua constituta lex ipsa declarat,

TITVLVS IV.

De testamentis.

1. *Impp. Theod. & Valent. AAA. Albino II. P F. P. & Patricio.*

IAmdudum quidem Diuus auunculus noster, testamentorum compendia generali lege complexus, formulam iuris antiqui, & inanem verborum conquisitionem non necessariam iudicauit, validissimam statuens voluntatem, cùm de nostris altaribus coniuges petunt, vt decedenti prius succedat superstes. Sed quoniam Leonius, vir Spectabilis, munitus veteribus constitutis, nostram supplex maluit expectare sententiam: occasionem nouandæ legis amplectimur, salubri definitione censentes: Vt siue inter se coniugum, seu quorumcunque consensus *oblatis Serenitati nostræ precibus* optauerit, morte præuenti hæredem superstitem fieri oportere personam, hoc ita ratum firmumque permaneat, vt nihil robustius æstimetur. Et in Augustam notitiam peruenisse sufficiat, etiam nullum processerit ex hac parte responsum. Nam cùm liceat suoctis iure ciuili atque prætorio, liceat per nuncupationem, liceat municipalibus gestis iudicia suprema componere, proculdubio manebit firmior hæc voluntas, quæ testimonio principis & subscriptione conditoris firmatur: Si tamen nullum defuncti posteriora eius extabit arbitrium Leonius verò & Iucunda vxor eius, sanis vicissim charitate certarunt, vt fusis simul precibus ius poscerent liberorum, & propter incertum sortis humanæ superstitem coniugem precarentur hæredem: licet superfluò illud addentes, vt intestatæ successionis ius ac licentiam tribuerentur, cùm hoc ipsum, quod Serenitati nostræ preces pariter obtulerunt, sit testamenti ordo præcipuus, præterea fisus supplicationi connexa monstrant, quamuis *in vnius charta volumine supremum vero paribus condidere iudicium, septem testium subscriptionibus roboratum. Cui nos æternam tribui firmitatem legis huius definitione censuimus. Quoniam nec captatorium dici potest, cum duorum fuerit similis affectus, & simplex religio testamenta condentium* cunctisque iam liceat quoquomodo, & quibuscunque verbis vltimum dictare iudicium, sicut eorum principum statuta declarant, qui remouere sanctionibus suis meliore prudentia vetusti iuris ambages. Idcirco quia minutiis priscæ consuetudinis, & obscuritate submota, solam defunctorum conuenit inspici voluntatem, cui multum roboris erit, si vel septem, vel quinque testibus muniatur, & virum spectabilem Leonium præter fiduciam precum pridem cum vxore communium, voluntas quoque alia, & subscriptionibus testium munita defendit, apud eundem solida successione Iucundæ coniugis suæ iugiter permanente, quisquis maluerit delata nobis supplicatione testari, liberam habeat facultatem. Cuius hæres ex edicto Diui Adriani hæreditatis corpora consequetur, nec bonorum possessionis petendæ sustinebit necessitatem, quam generaliter omnibus relaxamus. Ne tamen hoc testamenti genus plus iusto muniisse credamur, si quis sibi vel inofficiosi querelam, vel præteriti competere crediderit actionem, hanc vtramque secundum iuris & legum statuta seruamus, Albine Præfecte Karissime AA. Idcirco illustris & præcelsa Magnificentia tua saluberrimam sanctionem meam in omnium peruenire notitiam propositis iubebit edictis, vt possit facilè cognosci condendarum, conseruandarúmque legum curam esse nobis præcipuam. Dat. xii. kal. Nouemb. Rom. Aetio iii. & Q. Aurelio Symmacho vv. cc. coss. pp. in *foro Diui Traiani. Autelata edicto Albini iterum* Præf. præt. & Patricij.

INTERPR. Hæc lex de alio titulo testamentorum id amplius habet, vt in coniugio positi si filios non habeant, seu maritus vxorem, seu vxor maritum voluerit, relinquat hæredem, quod

ius dicitur liberorum: quia etiamsi vna charta sua condere maluerint voluntatem, aut inuicem se hæredes scribant, qui alter superstes extiterit, dimissam rem iuxta legis huius ordinem vindicabit: ita tamen, vt iis personis, quibus lex concedit, si fuerit de inofficiosi querela actio, reseruetur.

II. Impp. Theod & Valent. AA. Albino II. PF. P. & Patricio.

Cum sciamus & Diuos principes, & Clementiam nostram condendarum legum fomitem frequenter inuenisse de precibus, iuuat id facto quod nuper euenit, cunctis profutura sancire. Inlustrem fœminam Pelegiam cùm Marce illustris fœmina dicere vellet hæredem, sed testium copiam non haberet, per holographam scripturam votum circa prædictam supremæ prodidit voluntatis. Nam quod solùm poterat secretiùs licere morienti, indicem iudicij sui paginam *Cæsario viro spectabili, Tribuno & Notario fratris* sui filio secura commisit, quem natalium decus, & propinquitatis religio fidem cogeret seruare defunctæ. Nec sanè electionis suæ cura testatricem fefellit. Desideriis amitæ Cæsarius obsecutus chartam fidei suæ creditam, iuris & conscientiæ memor, eadem qua sumpserat simplicitate vulgauit. Sed illustris hæres ab ambitu cupiditatis aliena, nihil de successione præsumpsit, nihil de corporibus hæreditariis vindicauit intra hos modestiæ terminos manens, vt subdito petitus vltimæ voluntatis arbitrio, non priùs se putaret hæredem, nisi nos causæ iustitiam probaremus. Recensitis igitur omnibus, defunctæ iudicium roboramus, cui præter filium fratris, & literas suas, testes habere non licuit. Idcirco inlustris fœmina Pelegia, pro ea parte qua hæres scripta est defunctæ potiatur arbitrio. Ne tamen huius statuti salubritatem generi negemus humano, mansura iugiter lege decernimus, vt quisquis per holographam scripturam supremum maluerit ordinare iudicium, habeat liberam facultatem: multis enim casibus sæpe contingit, vt morientibus testium numerus & copia denegetur. Quibus erit de legibus nostris inter ipsa vitæ deficientis pericula causatio, si propriæ manus literis scribere, quos voluerint, non sinentur hæredes. Aliis testes *itinerum necessitas, aliis solitudo villarum, aliis nauigatio fessos tantùm* comitibus ex petita subducit. Aliorum testatas prohibent esse voluntates iy, *qui velut obsessos conclauibus suis solent custodire languentes.* Nostræ posthac beneficio sanctionis intellatus nemo morietur, cui fuerit sollicitudo testandi, latè viam supremis aperimus arbitriis, si holographa manu testamenta condantur, testes necessarios non putamus. Scripto enim satis est sufficiet hæredi, asserere etiam sine testibus fidem rerum, dummodo reliqua congruere demonstret, quæ in testamentis debere seruari tam veterum principum, quàm nostræ præcipiunt sanctiones, vt in hæreditariorum corporum possessionem probata scripturæ veritate mittatur. Cùm tamen testium præsentiam *testator elegerit, legitimum numerum semper oportebit adhiberi. Necessitatem quoque præcipitem* submouemus, quæ testatores hactenus compulit, sub vnius diei spatio supremum, festinato nimis ordiri & implere iudicium. Quibus nos licentiam, tempúsque largimur, vt voluntatem, quam de rebus propriis mente *conceperint, frequenter scribant, frequenter retractent, frequenter emendent, & quot voluerint diebus, in tanta præsertim causa meditatione, versentur. Hac enim deliberatio nihil immaturum relinquit, cui licebit sæpe dictata corrigere.* Testes autem subscriptiones suas vno die vel omnes pariter, vel si legitimus numerus exiguam *moram fecerit, horis prebere diuersis sub obtutibus testatoris iubemus.* Prætetea quoniam plerique deficientium, voluntates suas cupiunt esse secretas, nec ante vulgari, quàm luce priuentur, statuimus ac iubemus, vt si testes rogati, paginæ eius arcana nescierint, eorum testatore subscripserint, nihil ex ignoratione testium, testamentorum firmitatibus derogetur, Albine parens nostrissime Augustorum. Idcirco illustris & præcelsa magnificentia tua *iustissimam legem*, & cunctis generaliter profuturam in omnium celeriter ire notitiam propositis iubebit edictis, vt facile possit agnosci nostrarum salubritas sanctionum. Dat. VII. kal. Ian. Romæ, Aetio IV. & Symmacho VV. CC. CONSS. Acc. VI. kal. Iann. Romæ, PP. V. *Kal. Ianuar in foro Traiani Subscripsi.*

INTERPR. Hac lex licet alia replicet, quæ in aliis legibus habentur expressa, tamen hoc amplius obseruandum esse præcipit, vt si cui fuerit testandi voluntas, & testes forsitan defuerint, voluntatem suam propria manu præscribat, quæ prolata post defuncti obitum plenam obtineat firmitatem.

TITVLVS V.

De sepulchris.

I. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino II. PF. P. & Patricio.

Diligenter quidem legum veterum conditores prospexerunt *miseris & post fata mortalibus*, eorum qui sepulchra violassent capita persequendo. Sed quoniam nostræ *mentes cæco semper in facinus furore rapiuntur*, & se ad pœnas dudum statutas existimant non teneri, necesse est seueritatem nouari, quam videmus hactenus impunè contemptam: Quis enim nescit *Quietes* sollicitari funestis *ausibus manes*? & horribilem violentiam defunctorum *cineribus* inferri? Luce palàm sepulchra exduntur, & quicquid religio vetat, in vsum licentiæ trahit sacrilega præsumptio. Finis malorum nec iam mortuis datur in quorum suppliciis constructio miserandæ sedis eripitur. Scimus enim, *nec vana fides*, & solutas *membris animas habere sensum, & in originem suam spiritum redire cælestem.* Hoc libris veteris sapientiæ, hoc religionis, quam veneramur & colimus, declaratur arcanis. *Et licet occasus necessitatem mens diuina non sentiat, amant tamen animæ sedem corporum relictorum, & nescio qua forte ratione occulta sepulchri honore lætantur*: cuius tanta permanet cura temporibus, vt videamus in hos vsus sumptu nimio pretiosa montium metalla transferri, operosásque moles sensu laborante componi. Quod prudentium certè intelligentia recusaret, si nihil crederet esse post mortem. Nimis barbara est & vesana crudelitas, munus extremum, luce carentibus inuidere, & diruta per inseparabile crimen sepulchris monstrare cœlo corporum reliquias humanorum. Huius nefandi sceleris inter cæteros reos vehementius *Clericos* querela prosequitur, quos portentis talibus immorantes frequenter aspexit dies tristior. *Ferro accincti* vexant sepultos, *& obliti nominis*, cœlo ac syderibus *præsidentes, cinerum contagione* pollutas sacris altaribus manus inferunt: tanto in profundam caliginem conscientiæ suæ stupore demersi, vt reuerendis audeant interesse mysteriis, & post cædibus funestum credant Deum posse placari, *quem nocentes precantur incassum, quem vita melior exorat.* Commissorum talium fœditatem, ne diutiùs tempora nostra maculentur, hac edictali lege damnamus. Quisquis igitur sepulchra, *profunda* violator *quietis*, & lucis ipsius hostis effoderit, quisquis ex iis qualibet marmora, aut saxa sustulerit, pœnæ mox habeatur obnoxius. Seruos colonósve, in hoc facinore deprehensos, duci protinus ad tormenta conuenit. Si de sua tantùm fuerint temeritate confessi, luant commissa sanguine suo. Si dominos in-ter suppliciis nullo interrogante prodiderint, pariter puniantur: ingenui quoque, quos similis præsumptio reos fecerit, si fortasse plebeij, & nullarum fuerint facultatum, pœnas morte persoluant. Splendidiores autem, vel dignitatibus noti, bonorum suorum medietate mulctati, perpetua notentur infamia. Clericos verò, quos tam diri operis constiterit auctores, dignos credimus maiore supplicio: *vehementius enim coercendus est, quem peccasse miteris. Scelus omne grauius facit claritudo personæ.* Intolerandum, omnis execrabile, non ferendum, induere nomen & titulum sanctitatis, & abundare criminibus. Quisquis igitur ex hoc numero sepulchrorum violator extiterit, illicò clerici nomen amittat, & sic stilo proscriptionis addictus, perpetua deportatione plectatur. Quod ita seruari oportere censemus, vt nec ministris, nec Antistitibus sacræ religionis in tali causa statuimus esse parcendum. Facessant querelæ, nullius innocentiam sauciamus: Nocentes tantùm lex nostra persequitur. Sed quoniam plerumque statutis salubribus dissimulatione venalium iudicum negatur effectus, præsenti iubemus edicto, vt prouinciæ moderator, adminiculo municipum fultus, censuram nostræ legis exerceat. Et licet nemo reus possit fascibus ac securibus reluctari: si quis tamen extiterit, sit superbus, sit impotens, sit rebellis, in cuius nequeat ire supplicium, amplissimas potestates directa relatione mox instruat, ne seueritas iusta *lentetur*. Quod si violatores sepulchri, quos poterint secundum formam sanctionis huius punire, neglexerint, vel de superioribus referre distulerint, facultatibus & honore priuentur. Cuius quisque, siue adhuc in potestate positi, siue priuati, propter omissam pœnam violatoris sepulchri voluerit accusator emergere, habeat liberam facultatem. Nec delatoris *formidet* inuidiam, cum præmio magis dignus sit, qui se constanter improbum uidisse monstrauerit Albine Præfecte karissime Augustorū, illustris & præcelsa magnificentia tua legem,

quam

quam Pietatis & Religionis amore concepimus, provinciis, provinciarúmque rectoribus celeriter innotescere propositis iubebit edictis, ut commotiosa poena reddatur: Innocentes viventibus *gratulatio*, *Pax sepultis*. Dat. III. Id. Mar. Romae. Acc. VS. VII. Ad Kal. April. Romae, Callypio v.c. coss. PP. *in foro Traiani*, VIII. Id. April. *Antelata edicto* Albini viri inlustris P.F.P. II. & Patritij.

Ista lex interpretatione non indiget.

TITVLVS VI.

De libertis & successionibus eorum.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. ad Albinum P. F. P. II. & Patritium.

CUm iuris aequitas omnibus dominis in commune promiserit, fructu libertatis & praemio fortunam mutare servorum, nec manumissoris posteros eis graves esse conveniat, quos meliore iudicio tanti muneris auctor evexerit: duras nimis bene meritis sanctiones credimus, quae sic opprimunt sub ingrati actione libertos, ut ab haeredibus defunctorum praecipiant in servitutem vocari tanquam contra immutatum, vel superbiae reos, nulla nisi abrogandae libertatis poena sufficiat. Huius ergo statuti vigorem benignius corrigentes, mansura inter lege decernimus, ut si quis ex familia sua cuiuslibet sexus homines libertate donaverit, eius haeredes sive extranei, sive filij, sive filiae, sive nepotes neptésve fuerint, vel propinqui cuiuscunque cognationis & nominis, manumissos non teneant ad obsequiorum necessitatem nullámque contra ingratos habeant actionem. Sed, quod minime tenuit si contumeliam fortasse pertulerint, ad coercendos iniuriarum reos utantur iure communi. Nemo sibi nostrae legis obstacula credat opertere vindictam, late adversum noxios severitas patet. Hoc unum vivendi genus nostro seculo, venturisque temporibus nullis prorsus spectare permittimus, ut mutus vocati postulet servitutem. Iustitiam praesentis edicti, si bene sentiant, famae praestamus haeredum, *ne videantur non agere causam datoris, sed exercere potius cupiditatis ardorem*. De successionibus etiam, quas latiùs & obscuriùs veteres protulerunt, compendium lucidae definitionis adhibemus. Itaque libertus, qui civis Romani privilegium fuerit consecutus, sive unicum pignus, sive plures cuiuslibet sexus habeat filios, cum mori coeperit, soboli suae omnes proprias, si maluerit facultates, supremo secutus dimittat arbitrio. Quod si nulla prole gaudebit, quatuor uncias bonorum suorum manumissoris filio, vel si plures erunt, filiis derelinquat: aut si filiorum nullus extiterit, nepoti ex filio, vel nepotibus eandem deputet portionem. Filias verò manumissoris, earúmque filios & nepotes impunè praetereat, nisi forsitan aliud amor suaserit, voluntásque morientis. Ne quid autem saevis interpretationibus calumniantium moliantur insidiae, quod pro liberto statuimus, pari sibi munere etiam liberta defendat. Praeterea intestatis libertis, filius si ita, nepos neptísque, vel si plures superstites fuerint dummodo liberi cives que Romani, pro totius patrimonij soliditate succedant. Nam si nec filios habuerint, nec nepotes reliquerint, tamen patrem, matrem, fratrem, sororem, pari libertate gaudentes, medietatem sibi intestatae successionis haec de supradictis persona defendat, quae gradu potior invenitur. Aliam verò medietatem manumissorum reservamus haeredibus, quos tunc recipiet omnis haereditas, *si investimo expressa necessitudinum nomina defuisse constiterit*. Ipsis verò manumissoribus nihil penitus derogamus, quibus ius patronatus integrum semper manebit salvúmque durabit, quicquid vel prisci iuris auctoritas, *vel superiorum Principum sanctiones contra ingratos detulêre libertos*. Sed ne penitus sibi reverentiam cautentur posteri, neganiam statuimus & iubemus, ut adversum manumissoris filios & nepotes, liberti libertaeque in nullis omnino causis testimonium dicant. Quod si licet nihil valiturum dixerint, puniantur, Albine Praefecte Karissime Augustorum. Illustris & praecelsa magnificentia auctoritatis tuae propriis reverenter edictis cunctorum sensibus aequitatem nostrae legis insinuet, ut quanto studio & detestemur iniustos, & libertati tribuamus favorem, *totus, ubi noster est orbis agnoscat*. Dat. III. Non. Iun. Romae, Callypio & Ardabure vv. cc. coss. PP. *in foro Traiani*, V. Id. Iun. Antelata edicto Albini v. c.

INTERP. *Lex ista constituit, ut liberti qui cives Romani effecti sunt, ab haeredibus manumissorum, sive filij sint, sive extranei, praescripta iniuria actione qua se dicant laesos pro occasione ipsius ingratitudinis ad servitium nullatenus revocentur. Sed si talis causa emerserit quasi contra alios ingenuos sic de iniuriis apud iudicem actio proponatur. De successionibus verò libertorum, hoc est, civium Romanorum, id constat observandum, ut liberti, sive libertae, si unum filium seu plures habuerint, ipsis facultatem suam morientes si voluerint, integram derelinquant. Contra enim voluntatem nec filij ex patrono, nec nepotes ex filio ulla venire poterunt ratione. Quod si liberti libertáve, qui defuncti fuerint, filios non habuerint, & testari forsitan voluerint, tertiam facultatis suae manumissorum filiis vel nepotibus, qui ex masculis nati fuerint, derelinquant. Filias verò manumissorum, earúmque filios & nepotes ab hac haereditate, salvâ pagina testamenti, secreti si voluerint praetermittant quia foemina ad istas haereditates penitus non vocantur: nisi fortè illi liberti de duabus partibus pro gratia aliquid filiabus vel nepotibus ex filia patronorum suo voluerint tempore iudicio. Si vero liberti nec filios dimiserint, nec nepotes, si patrem, matrem, fratrem, sororem, & ipsos libertos cives Romanos factos esse constiterit, quos superstites dereliquerint, tunc medietatem sibi patroni haeredes vindicent, & medietatem suprascriptae personae de gradu defuncti liberti, qui proximior invenitur. Nam si liberti, qui cives Romani fuerint cives manumissi devenerint, si sine voluntate patroni condere voluerint testamentum, penitus non valebunt: quia auctoritati manumissorum omnia lex ista servabit. Contra filios verò vel nepotes liberti libertáve testimonium dicere in quacunque causa non praesumant. quod si fecerint, licet vox ipsa nulla laedat ratione, tamen quicunque liberti contra filios vel nepotes patroni contentiosum testimonium dederint, puniantur.*

TITVLVS VII.

De indulgentiis reliquorum.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Consulibus, Praetoribus, Tribunis plebis, *Senatui suo salutem dicunt.*

SI vos liberique vestri valetis, bene est: nos exercitúsque noster valemus. Licet aliae occupationes extiterint, ultra differri non potuit; *apud verecundam enim conscientiam mendacij genus est promissa tardare.* Sciamus licet devotionem possessorum fiscalia nulla vel parva debere: tamen quod in huius discussionis officio, *& nullius & modi i una eadémque conditio est*, evidenter exponimus, cui designatae *necessitati* placeat subveniri. Putabitur enim *connivientia*, nisi nostro studio *corrigatur*. Quantum ad propositum nostrum attinet, provincialibus undique voluimus esse consultum, & diversis fessos incommodis, sufficientibus beneficiis adiuvare. Verùm obstitit invida plerunque *subreptio*, quoniam iam non potest tantum quantumlibet intenta cogitatio non providere, ut improbis etiam latentes nocendi aditus obstruantur. *Discussores* ad provincias non electi, (sicut comperimus,) sed ambitiones ire dicuntur, quod nobis & proceribus nostris aliarum sollicitudinum mole constrictis, efficere inveniuntur otiosi. Hoc modo facultates possessorum miserabiliter conciderunt. *Et hinc maius incommodum, unde remedia certa debuere promitti.* Ubi trepidam provinciam talis discussor adierit, stipatus calumniarum ministris, superbit elatus inter obsequia sumptuosa, expetit adminicula provincialis officij, scholares etiam saepe coniungit, multiplicato & hominum numero, & officiorum, ut quantum avaritiae libuerit terror extorqueat. Prima sunt venienti exordia, ut proferat & revolvat super diversa numerosísque titulis terribiles iussiones, *praetendit minutarum supputationum caligines*, inexplicabili obscuritate confusas: quae inter homines versutiarum deditos hoc amplius agunt, quò minus intelligi possunt. Securitates expetunt, *aurorum ferro & vetustate* consumptas, quas *servare* nesciat *simplicitas, & fiducia nihil debentis*; Revera enim aut quoquo modo perierunt, aut quasi iusta contingit occasio depraedandi. Ita si extant, sed imminutum est, ut ferantur accepto. Ita fit ut apud improbum eius arbitrium meritò noceat, chartula cum periit, nihil proficiat, non perisse. Innumerae deinde clades, saeva custodia, suspendiorum crudelitas, & universa tormenta, quae interea laetus, & crudelitatis pertinax egregius quaesitor expectat. Collegia furtorum *Palatinus* hortatus, instat *apparitio* turbulenta, urget immitis executio *militaris*. Indignum facinus, haec de civibus velut inter hostes pecuniae placitis, & allegatorum iustitia, non miseratione finiri. Tota vexatio cum nonnunquam fisci utilitatibus prosit, tamen non desinit iterari, quasi aliquid efficaciter gestum, vixdum uno è provincia decedente, cum novis auctoritatibus alter excurrit. Si utilis publico esse non potuit qui ante perrexit, superfluum est iterum, aequè provincialibus obfuturum. Hunc nos P. C. *formidatum* pernitiosi ardoris extinguimus, nec patimur ulterius ad exhaustorum interitum desaevire. *Nobis prosit deterior possessor effectus, nobis proficit non gravatus. Vendantur indulgentia* iis qui non possunt esse solvendo, cum dilationis redemptio publicam magis attenuet functionem. Amittit sine dubio fiscus, quod commodo suo exactor augmentat. Superiorum igitur P. C. omnium temporum *reliqua* tam arcarum, quam utriusque aerarij, usque ad incipientem primam indictionem iubemus ad indulgentiam pertinere: nemo prorsus [quaelibet] usque ad designatum tempus transacta discutiat. *Sola est nunquam calumnianda securitas, quam aeternum nostra concedit.* Licet hanc *humanitatem cunctis ac Quietem* sciamus posse sufficere, tamen addimus, quo provisio nostra magis possit

grata

grata præstari,nemini deinceps licebit ad hoc negocium arbitrio suius iudicis adspirare. Verum mitti debeat *Inspector* publicus,tractatus ante deliberet sublimis viri parentis patritiique nostri,nec non magnificus vir Præfectus prætorio,qui communionis vtilitatem virtutum suarum magnitudine nobiscum peruigiles & cogitant & tuentur; cum aulicis potestatibus pro sua moderatione disponant , si iusta necessitas cogit , qualis persona mittatur. Nihil impudenter audebit, quem elegit talium virorum examinatus adsensus. Necesse est ab eo integritatis reuerentiam custodiri ,qui nouit tot se custodes habere , quot iudices. Aliter pergenti ad prouinciam, & fortunarum,& famæ iubemus esse discrimen,reuocetur publici timore periculi , quem occulta cupiditas festinare compellit. Similis conditio manebit officium eius potestatis,quæ *discussorem* mittere cupiens,non fideliter suggesserit *attestatione gestorum formam mittendi, quam statuimus debere seruari.* Sardiniam ab hoc excipi placuit , quoniam apud nonnullos calliditate quadam maxima pars *pecunia residea* , quam exactam publicis oportuit erogationibus applicari cum satisfecerit, ad ipsam quoque beneficia nostra peruenaiant. Illustris viri comitis rei priuatæ insinoatio patefecit , dudum nostram clementiam præcepisse , intra Africam, sicut per alias prouincias adiectione quinquennij pretium distractorum prædiorum ab emptoribus debere suppleri. Palatinos super hac re olim director, nec dum quid profecerit retulisse. Quare nolumus hunc titulum interpretationi huiusce iussionis adiungi,ne sub occasione rationis accepta consumanti:dici enim te iqua non possunt.Vnde non *residua pars*, sed omnis quæ sperari potest summa debetur. Et manu diuina , optamus vos felicissimos ac *florentissimos* nostrique amantissimos per multos annos bene valere , sanctissimi ordinis p.c.Et ad latus.Dat. III. Non. Mai. Romæ,Valent. A. & Anieno v. c.coss. recitata in Senatu per virum Inl.Postumianum, prid. Id.Mart.

INTERP. *De diuersis militantibus vel exactoribus, cum egressi fuerint,& præsentia principis, vt non præsumant exspoliare prouincias Quia per illos amittis aliquando sine dubio fiscus,quod commodo suo exactor augmentat.*

TITVLVS VIII.

De triginta annorum præscriptione omnibus causis opponenda.

1. *Impp. Theodosius & Valentinianus* AA. Firmino P. P. P. (*Italia*)

BOni principis cura vel prima vel maxima est , *Quietem Prouincialium* propitia sollicitiùs mente tractare, quibus quanto plus fuerit humanitatis impensum , tanto promtua amor deuotionis incumbit : Hæc est enim natura mentis humanæ, *vt quod admiserit ex commodi compenset ingratis* ,& animos præstitis largiores interiore quodam vinculo charitatis obstringat. Iuuat itaque iuris perpetui,emphyteutici,patrimonialis, *iuris rei, vagas æternásque calumnias*, & nullo temporum fine conclusas, certis & designatis terminis limitare. Quam nobis necessitatem ferendæ legis iusta imposuit querimonia plurimorum. Quis *ferat instituti iurgia,quæ aui ne proaui nescierunt ?* quæ alia improbum litigatorem tam valida defensio submouebit, si possessorem nec sæcula in infinitum transacta defendunt ? Præter tantæ ætatis iniuriam vehementer offendit,quod quibusdam nec militiæ suæ priuilegia suffragantur : Diuturno excubiarum labore perfunctis impingi contumeliosam status comperimus quæstionem , & quos verecunda strictatio natalium , splendor conspicuus, præclara scriniorum officia probauerunt , *nunc erubescenda obiectionis* vrgeri : Emeritos aulicis honoribus viros trahi ad laqueos vilissimi colonatus. Et tunc *perniciosiùs* laborare quando post continuos obseruationum labores residuo vitæ optata debeant quiete gaudere.Domini vernulas suos fideliter seruientes,cum libuerit iugo seruitutis absoluunt,& quod esse non poterant,qualitate nascendi , manumissionis beneficio consequuntur , Indignum facinus, deteriorem conditionem liberis esse quàm seruis:vt humilis abiectáque fortuna legibus, quod non habebat adquirat : nobilior quod habuit obtinere non possit. Absit à temporibus nostris vt id conscientia nostra permittat. Quinimo hunc nobis gloriæ titulum vindicamus, vt nostro studio grauissimæ consuetudinis licentia comprimatur, decet nostris specialiter remediis *veternosa valetudinis* aduersæ curare. Medicinæ huius laus æterna contingit, cum eius tam salubris æquitatis auctorem ætas & præsens & futura declarat. Ad quam beneuolentiam præcipuè nos hortata est lex *Domini patris Clementia meæ, Theodosij perennis Augusti*, qua virtutum suarum morem secutus,humano generi *profunda Quiete* prospexit Constituens post XXX. annos nulla penitus iurgia , quæ medio tempore mota non fuerant excitari. Cuius inuicti principis laudibus etiam præsentem legem necesse est applicari. Illa namque pia mente præstando, viam huic alteri præbuit,quia beneficia eius latiùs panderentur.Præcipimus itaque propter quorundam prauas interpretationes , quibus sanctio memorata non sufficit , *dum minutias iuris, & captiosa verba sectantur*, vt quæ specialiter iussa sunt, specialiter abrogentur: *cum generalitatis designatio vniuersa consumat, nec aliquid possit esse exceptum, quod non per illud venerabile constitutum hoc peremptorio vocabulo* concludatur : Dicendo enim , *omnia*, nullum penitus cuiuslibet litis aut causationis fomitem dereliquit.De originariis,& colonis,inquilinis,ac seruis vtriusque sexus,peculiis atque agnationibus designati iuris , id est perpetui,patrimonialis, emphyteuticarij, & reipublicæ post XXX. annorum curricula , nulla deinceps actio moueatur Et *negocium*,de quo per expressa tempora nemo pulsauit solenniter , nouum nemo proponat. Quod in omnium consummatione causarum iussum est debere seruari. Aequum est enim , tot annos sine interpellatione decursos,nullo nomine, nulla prorsus occasione subuerti, ac si constiterit memorati temporis intercessisse silentium,etiam has causas, quæ sub fiducia legum præsenti sanctione ablatarum motæ sunt nec finitæ,huius sacræ præceptionis auctoritate volumus abolere quia sicut tales inchoari nolumus actiones, ita malè inchoatas haberi oportet extinctas.Intra hæc sanè tempora, si cœpta lis fuerit de originariis vel agnatione cuspitis designati hanc formam erga possidentes seruari præcipimus, quæ lege Diui parentis nostri Honorij, de colonis vtriusque sexus iuris priuati euidenti definitione conscripta est:scilicet vt à persona fœminea XX. annor. à virili triginta repetentem præscriptio obiecta submoueat. Quod & in illa parte obseruari conuenit , quæ statuta est de agnatione talium personarum. Et licet tem omnibus causis generaliter profuturam à nemine temerari posse credamus : tamen ne quos sacrilega temeritas ad subreptionem quacunque compellat audacia præsumentes triginta librarum auri pœna percellet Eadem manebit Palatinum officium vtriusque ærarij,nec non officium culminis tui,vel cunctorum iudicum prouinciarum , vt pedi sorte quæ salubriter constituimus, periculo etiam salutis suæ illibata conseruent, Firmine parens carissime & amantissime. Illustris & præcelsa magnificentia tua , per quam nouimus *Vniuersitatis Quietem* studiosa diligentia custodiri , legem cunctis prouinciis , vniuersis litibus adplicandam,propositis vulgabis edictis. Vt post triginta , sicut dictum est annos, perniciosa diuersarum causarum propositio conquiescat. Dat. XV. kal. Iul. *Rauenna* , *Asturic.* & Protogene vv. cc. coss. PP. *in foro Traiani* XIII. kal. Aug. sub edicto Firmini viri inlustris pfō.

Ista lex ideo interpretata non est , quia sequens sub titulo, De episcopali iudicio & diuersis negociis , & de tricennio loquitur , & omnia quæ hic comprehensa non sunt , euidenter habet expressa.

TITVLVS IX.

De colonis vagis vel agnatione eorum, & de aduenis.

1. *Impp. Theod. & Valent.* AA. Firmino P.P.P. *& Patritio.*

CVm purè & fideliter obseruari debeant, quæ cauentur in legibus,latam dudum de colonis originariis, fucum pati quorundam maligna mente cognouimus Nam cum is,à quo discesserit obnoxius triginta annorum repellatur obiectu, is eum sibi vindicat apud quem triginta annos probatur impleſſe,si verò æqualiter habitet per diuersos, is eum sibi vindicat , penes quem triginta annorum tempora concluduntur, aliàs huic competit cum quo maximam tricennij partem habitanis eundem per hos atque alios designatum tempus adsumit,ita contingit , vt cum illi pereat a quo fugit.nec huic ad quem venit possit acquiri,mansionum permutatione desinat esse quod natus est:libertatem, quam nascendo non habuit,fugæ sibi assiduitate defendens.Nulli vnquam nisi colono fugitiuo culpa sua præmium fuit. Ea causa incipit melior esse quæ pœnam meretur. Quod tamen sufficit hucusque licuisse. Nam cum prior dominus obiice legis excluditur,illi eum iubemus acquiri,apud quem eosdem annos statuti temporis probatur impleſſe Quod si propter conclusionem tricennalium, & ad vim præscriptionis eludendam æqualiter habitet per diuersos,is eum vindicet iure colonatio seruitorum penes quem à die primæ fugæ XXX annorum posteriora tempora concludantur,aliàs huic loco cedat,cum quo maxima tricennij parte vagus & infidus habitator efficit,quod etiam de mulieribus originariis æquè vagantibus præcipit custodiri.Colona verò quæ petitori post XX annorum curriculo denegatur,si quem partū ante designatum tempus edidit,priori domino conuenit non perire. Aequum est vt ad eum soboles redeat susceptarum temporis,cū adhuc mulier cōpetebat,vt damnū amissæ matris,quod processu contingit annorū prolis

saltem

saltem vindicatio consuletur, quem casum iubemus vicariorum compensatione finiri. Ne (quod impium est,) *filij à parentibus diuidantur*. Item placet, vt pars cuius maritum esse constiterit, pro sexu eiusdem mariti vicariam reddat quæ secus praua forsitan dominorum obstinatio à faciendo diuortio conquiescat; *quia & in eiusmodi personis salua & inconuulsa debet coniunctionis affectio permanere*. Sane sicut colonas commutari posse priora statuta iusserunt, ita etiam de viris licentia fit. Igitur commutationes factas lex nostra confirmat, ac si aliqua cessio siue personarum commutatione processit, vel deinceps facta fuerit non valebit: ne ad alterum coloni, ad alterum possessio exhausta peruenisse. Aduenæ plerunque tenues abiectæque fortunæ quorundam se obsequiis iungunt, vt simulatis laboris & obsequiorum patientia accepto sumptu ac vestitu, illuuiem & squalorem egestatis euadant. Vbi de angustiis cladis suæ, & humanitate & miseratione colligentes fuerint liberati, iam repleti, iam nihil de miseria cogitantes eligunt fœminas ad patrem familias pertinentes solertia, forma, vtilitate meliores, cum satiare se cœperint, derelinquunt, non statu priore perpenso, non adsuetudine coniunctionis, non dulcedine filiorum, nulla lege prohibente discedunt. Itaque si nulli quolibet modo obnoxius ciuitati, ad prædium se cuiuscunque rusticanum, vrbanúmque collegerit, & mulieri obnoxiæ sociari voluerit gestis municipalibus profiteatus habitandi, sibi elegerit voluntatem. Vt hoc vinculo præcedente, nec habitaculum, quod placuit, deserat, nec consortium mulieris abrumpat. Qua professione deprompta, salua ingenuitate, licentiam non habeat recedendi. Pari lege mulieres ingenuas iubeo detineri, a quibus coniunctio appetita est & electa seruorum vel colonorum, vt iis abire non liceat. Filij earum si denuntiatio non præcessit, iu eorum iure & dominio, apud quos creati sunt vel creantur, colonario nomine perseuerent. Post denuntiationem verò editos, secundum scita diualia seruos esse censemus, vt illos necnon, sicut dictum est, colonarius semper teneat obnoxios sua conditio seruitutis Firmine Parens karissime atque amantissime, Illustris & præcelsa magnificentia tua huius generalis constitutionis formam, edictis propositis, ad omnium faciat notitiam peruenire. Dat. prid. kal. Febr. Romæ, Acc. III. Non. Feb. Romæ PP. in foro Traiani: Adelphio v. c. coss.

INTERPR. Lex ista constituit, vt si colonus proprium dominum fugerit, & xxx. annis per diuersorum domos aut agros fortasse latuerit. & nonnisi completis xxx. annis à die fugæ suæ prædictum colonum dominus potuerit inuenire, ab eo apud quem inuentus est, tricennali annorum præscriptione dominus, qui colonum fugum sequitur, excluditur. Secundo iterum cautione currente, vt si forsè apud tres personas deum annos colonus ipse habitauerit ille eum vindicet, apud quem posteriori tempore inuenitur. Tertia conditio est vt si inter eos apud quos per tricennium habitauerit, fuerit orta contentio, ipsi prædictus colonus addicatur apud quem per illos xxx maiori annorum numero dinoscitur habitasse. De colona verò fugitiua apud quoscunque habitauerit forma seruetur ea tamen cõditione seruata, vt sicut de colono iure proprius dominus xxx. annorum præscriptione excluditur, ita & completo xx. annorum numero de repetitione colonæ domini petitio repellatur. Ita tamen, vt filij qui infra xx. annos nati fuerint, quando adhuc colona domino competebant, à domino qui colonam præiudicio temporis perdidit, secundum Constitutionem quæ sub titulo, De Episcopali iudicio præcessit debeant reuocari. Post xx. autem annos nati, illius domini sequuntur, cui colonam tempus addixit. Iubetur etiam vt de talibus personis commutatio non negetur, ita vt vicaria mancipia tam pro colono quàm pro portione filiarum dare colani dominus mox procuret, quod etiamsi contenuerit, & pro colono is cuius colona est, pari constitutione debebit implere. Aduenæ ingenui, qui se colonæ iungi voluerint alienæ: quia sæpe fit. vt contubernia electa contineant, gestis profiteantur se de domo domini coloniæ, cui iunctus fuerit, nulla ratione discedere, & ingenuitate manente, nullam habeat licentiam euagandi, aut cui coniunctus fuerit, deserendi. Ingenua itémque mulier si contubernium coloni elegerit alieni, si ei denuntiatum non fuerit colani fiat domino profuturi, quoscunque eius partus ediderit. Post denuntiationem verò quoscunque ediderit, non colonos, sed seruos nouerit esse futuros.

TITVLVS X.

De confirmandis iis, quæ administrantibus, vel publicum officium gerentibus distracta sunt, vel donata & de aduocatis, & cæteris negociis.

1. Impp. Valent. A. Firmino PF. P. & Patritio.

QVæ plerique in legibus constituta dissimulant, necesse est præsenti iussione sanciri, vt omni ambiguitate submota instauratione solidiora reddantur. In administratione enim & in militia positis, emendi licentiam denegatam, superstitio nonnullorum dicitur esse persuasio, cum lex Diui Honorij ad Palladium Præfectum Prætorio missa, *in Theodosianum redacta corpus*, hanc copiam talibus negarit dedisse personis. Quem non tædeat aliqui ista conditio, iis solis qui ad honores aliquos euehuntur, libertatem in contractibus non patere? Et cum huic obstaculo nulla fortuna subiaceat, non mediocris, non nobilis, non plebeia, *vniuersitatis vsus & commodum solis militantibus* negari. Censeo igitur, vt in quibuslibet administrationibus, officiis, in quocunque militiæ gradu positis, emendi quæ cæteris copia sit, dummodo emptio & venditio celebretur iure communi. Neminem volo *potestatis iussu & impressione* compelli Volenti vendere, definitam & conceptam pecuniam oportet inferri. Videat instrumentorum scriptos, sciant ei apud quos venditionis documentum necesse est allegari. *Nihil refert quis emat, cum publica fide pretium venditor consequatur.* Quod si emptor officio, & administratione perfunctus, intra anni metas, aut super illa violentia lege conscripta, carceris, catenarum, custodiæ publicæ vel priuatæ, vel in quolibet genere factionis, aut non sufficientis pretio, euidenter fuerit confutatus: vel se de iudicio tergiuersatione subtraxerit, & agat ne gestæ rei series possit agnosci, venditori solidorum numerum inferat, qui tabulis continetur, possessionem nihilominus perditurus, vt ad dominum redeat, cui taliter probatur ablata. Item si venditor nihil horum sustineat quæ posuimus, sed callida tergiuersatione causetur, manente contractu, perpetua firmitate, & pecuniam reddat emptori, quam eum in pretium constiterit accepisse. Hac sanctione eos quoque iubemus esse munitos, quos administrantes, & vlla gerentes officia, prædia rustica vel vrbana certum est dato pretio comparasse. Donationes quoque habitas & commutationes, circa eas personas, quarum immeritò hactenus emptio fluctuabat, similiter roboramus. *Ita fit, vt in actu publica posita fideliter laborare delectet, cum videant seu emptione, seu commutatione, quæ instar obtinet emptionis, seu donatione, seu alio quolibet titulo venientia, apud se posteróque suos inconuulsa mansura.* Non patimur præterea nonnullorum alio genere iura turbari. Notum est post fatalem hostium ruinam, qua Italia laborauit, in quibusdam regionibus & causidicos & iudices defuisse, hodiéque gnaros iuris & legum, aut rarò, aut minimè reperiri. Nam hæc necessitas fecit perpetuitatem dari prouincialibus aduocatis. Si quis curiali venditori aliqua laboranti necessitate subuenit, cum modò ad exactores fiscalium functionum, modo à creditoribus vrgeretur, & sine cautela vendidit, quam premente, iniusta quærere non vacabat, ne diutius suspendiis, squalore custodiæ, sponte & concussione, vsuris in maiorem cumulum crescentibus, vexaretur, cur non maneat venditio; quæ præstitit obnoxium à dispendiis & suppliciis liberari. Alij destituta & inculta propterea vendiderunt, quia ieiuni cespitis onerosam pensionem non poterant sustinere. Iniquum est, tam iustis præcedentibus causis, confectæ venditioni ob hoc solum, quia decreti interpositio defuit, adimi firmitatem. Statuo igitur à tempore, quo Ita iam Alaricus intrauit, nullam moueri quæstionem iis, quæ Curiales taliter de facultatibus propriis vendiderant. A die sanè latæ huius saluberrimæ iussionis, cùm prædia sua distrahunt Curiales, primates etiam Curiæ, qui vendendi necessitatem ignorare non possunt, in collegæ venditionem subscribant. Hoc ordine omnis cautio impletur, nec emptor iis auctoribus quicquam de resultatione formidat, nec venditor potest sub tali assertione fraudari. Quem si deceptum oppressúmve claruerit, ab ipsis etiam subscriptoribus reddi iubemus indemnem, vt vtilitati eius cum emptore improbo pariter addicantur. In diuersis prouinciis vacuas Curias derelinquunt, qui certatim ad priuilegia, Causidicis illustris prætorianæ sedis atque vrbanæ deesse festinant: cùm meliores natalibus suis effici volunt, non curant vrbes proprias spoliatas ministeriis & officiis debitis interire. Nos neque meliora desideria volumus impedire, neque passim destitui ciuitates. Quisquis ergo ad hoc officium venire contendit, non ante sibi sciat esse permissum, quàm vniuersa munia, quæ patriæ suæ debet, exoluat. Cuius tamen indulgemus arbitrio, vt si ad togam properat, suffectum Curiæ præstet, cuius studio perficiat vniuersa, quæ per ipsum fuerant procuranda. Nec absolutum statim credat, appositione subiecti: quia si inefficax vllo debito actu fuerit, recursum ad ipsum præbemus auctorem. Nihilominus ad eos concuriales, qui minus idoneum susceperint. Professurus igitur, gesta, secum deferat apud moderatorem confecta prouinciæ, vt & officio iudicis notum sit, locum absentisque personæ susceperit, quæ possit publicis necessitatibus sufficiens dare responsum, hac prouidentia nihil negligens in totum potest vrbibus euenire. Iubeo sanè, vt si in prouinciali foro quatuor constat esse causidicos, quorum

†††† patrociniorum

patrocinium in controuersiam parti possit vtrique sufficere, cum voluerit, si qui vltra memoratum modum potuerit inueniri, veniat ad prædictas sedes ob negocia peroranda. Alioqui licentiam non habebit, si illic non fuerit numerus designatus. Prouidere enim decet, ne prouinciales tenues homines defensionis inopia ad requirenda auditoria sumptuosa venire cogantur. Is ergo, illustribus iudiciis ad actionem causarum debebit admitti, qui probat relatione iudicis competentis tantus intra prouinciam sibi creditam esse causidicos, qui possint controuersiæ sustinere conflictum. Firmine Præfecte Karissime AA. Illustris itaque & præcelsa Magnificentia tua hanc saluberrimam sanctionem programmate suo ad vniuersorum faciet notitiam peruenire. Dat. prid. kalend. Febr. Rom. Adelphio v. c. coss.

*INTERP. Hac lex præcipit, vt quia in administratione positis, vel in quolibet officio militantibus leges anteriores id specialiter præscribebant, vt nihil aut comparare, aut commutare, aut donatum suscipere tempore militiæ, vel administrationis ulla ratione liceret. Sed nunc Valentiniani Imperatoris hac lege præceptum est, vt omnes administrantes, vel militantes, aut in quocunque officio constituti sunt publice, & comparandi, & commutandi, & accipiendi donationis titulo habeant liberam potestatem. Solum est, vt nullus probet huiusmodi scripturas, aut per metum, aut per fraudem supposita persona, aut violenter extortas, id est, aut in carcere constitutum, aut in quibuslibet vinculis positum, aut aliquod se tormentorum genus suppliciorúmque perpessum, aut forsitan pretium se, quod instrumentis inscriptum est, non decuisse percepisse. Tunc verò non solum instrumentum, si fuerit, vacatur, sed salo emptor & possessionem reddat, & pretium venditori quod instrumenta continetur in certum cogatur implere. Si verò nihil horum venditor, vt dictum est forsasse protulerit, & contra venditionem hanc voluntarie factam, sub tali obiectione venire tentauerit, cum proposita pœna qua non valuerit comprobare, meritò durante possessione in iure illius, à quo fuerat comparata pretium venditor emptori, cui calumniam intulit, absque vlla dilatione restituat. Curiales etiam, quibus hucusque sine decreti interpositione res suas vendere aut alienare à corpore Curia non licebat, si certa fuerint necessitate constricti, vt debitum, quod pro vtilitate publica contraxit, dum creditorum pœnas metuit, supplere festinet. Quicquid sub tali necessitate vendiderit, omni firmitate subsistat. Nec interpositio decreti quæratur, sed tantùm concuriales sui, quos necessitas eius poterit non latere in ea venditione subscribant, & nihil emptori de empta re calumnia penitus opponatur, sed rem comparatam emptor perpetuo iure possideat. Ita tamen, vt si forsitan aliqua fraude, intercedentibus concurialibus suis, qui subscriptores iubentur accedere, venditor se probauerit fuisse deceptum, eam emptoris, quàm subscriptorum dispendio venditor reddatur indemnis Curiales verò si ad aduocationem venire voluerint, aut aliquam militiam sperare, prouideant huiusmodi personas, qua munia ipsorum debeant expedire, promissuri vt nihil per eos reip. possit imminui; nam ad se omne dispendium nouerint pertinere, & se ad locum in quo alium substituerat, reuocandum Reliquum verò huius legis ideo interpretatum non est, quia hoc in vsu prouincia ista non habent.

Titvlvs XI.

De parentibus qui filios suos distraxerint per necessitatem, & ne ingenui Barbaris venundentur, neque ad transmarina ducantur.

1. *Imp. Valent. A. Aetio Patritio.*

CVm diebus omnibus & momentis, studium Celsitudinis tuæ, & sollicitudinem peruigilem circa vtilitatem publicam comprobemus: etiam præsenti insinuatione monstrasti, quàm nullum pateris benigna & salubri prouidentia addictæ per necessitatem ingenuitati præiudicium prouenire. Ostendis non *omnia sinistra licere* fortunæ, vt status, quem illa voluit, inopia cogente, mutare, ad splédorem suum humanitatis nostræ beneficio reducatur. Notum est proximè obscœnissimam *famem per totam Italiam* desæuisse, coactosque homines filios & parentes vendere, vt discrimen instantis mortis effugerent. Tantum vnicuique miseranda macies, & letalis pereuntium pallor extorsit, vt totius, quem natura concessit, amoris obliti alienare suos pietatis genus putarent. *Nihil est enim ad quod non desperatio salutis compellat. Nil turpe, nil vetitû credit esuriens. Sola cura est, vt qualicunque sorte viuatur.* Sed iniquum iudico ideo libertatem perire, quia vita non perit, & agi horrore vilissimæ seruitutis, vt exitium poteat euasisse. *Cui non ingenuo mori satius est, quàm iugum seruile perferre?* Illa sunt dura, quæ præstita non deformant, quæ accepisse delectat, quibus vti non turpe sit. Dici beneficium non potest, si pereat quod seruis pro summa remuneratione præstatur. Igitur libero statui, cui specialiter sapientissimi conditores iuris, legésque voluerunt esse consultum, nullum præiudicium patior irrogari: renouant statuta maiorum. Venditionem censeo submoueri, quam *prædicta* fames de ingenuis fieri persuasit. Ita sanè, vt emptor pretium sub quintæ adiectione recipiat, hoc est, vt quinto solido vnus addatur, decem, duo. Similiter crescente numero, quamcumque summam venditio facta designat. Ita fit vt neque illum rebus afflictis ac desperatis emisse pœniteat, qui amplior recipiat, quàm ad pretium dederat: Nec pereat sub tanta clade distracta libertas. Si quis sanè *Barbaris* venditionem prohibitam fecerit, vel emptum ingenuum *ad transmarina* transtulerit, sciat se sex auri vncias fisci viribus illaturum. Quam saluberrimam legem, Aeti Parens karissime atque amantissime, illustris & præcelsa Magnificentia tua notitiæ omnium propositis vulgabit edictis. Dat. pridie kal. Feb. *Romæ*, Adelphio v. c. cos.

INTERPR. Hic præcipit hac lex: Quicumque ingenui filios suos in qualibet necessitate, seu famis tempore vendiderint, ipsa necessitate compulsi, emptor si v solidis emit, sex recipiat, aut si amplius, secundum suprascriptam rationem augmentum pretij consequatur. Nam si huiusmodi personam aliquis aut ad extraneas gentes aut transmarina loca transferre, aut venundare præsumpserit, ipse qui contra statuta venit, vi. auri vncias fisco se nouerit illaturum.

Titvlvs XII.

De Episcopali iudicio, & diuersis negotiis, & ne quis clericus inuitus ordinetur.

1. *Imp. Valent. A. Firmino P. F. P. & Patritio.*

DE Episcopali iudicio diuersorum sæpe causatio est. Ne vlterius querela procedat, necesse est præsenti lege sanciri. Itaque cum inter *Clericos iurgium vertitur, & ipsis litigatoribus conuenit, habeat Episcopus licentiam iudicandi*: præeunte *tamen vinculo compromissi*. Quod & de *laicis*, *si consentiat, auctoritas nostra permittit*. Aliter eos iudices esse non patimur, nisi voluntas iurgantium interposita, sicut dictum est, conditione præcedat. Quoniam constat Episcopos & Presbyteros *forum legibus non habere*, nec de aliis causis (secundum Arcadij & Honorij diualia constituta, quæ *Theodosianum corpus* ostendit) *præter religionem posse cognoscere*. Si ambo eiusdem officij litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus & iure cõmuni. Sin verò petitor laicus seu in ciuili seu criminali causa cuiuslibet loci Clericum aduersarium, suum si id magis eligat, per auctoritaté legitimam in publico iudicio respondere compellat. Quam formã etiam *circa Episcoporum* personam obseruari oportere censemus. Vt si in huiuscemodi ordinis homines actionem *peruasionis*, & atrocium iniuriarum dirigi necesse fuerit, per Procuratorem solemniter ordinatum apud iudicem publicum inter leges, & iura confligant: iudicati exitu ad mandatorem sine dubio reuersuro. Quod nos religionis & sacerdotij veneratione permittimus. *Nam notum est procurationem in criminalibus negotiis non posse concedi.* Sed vt sit vlla discretio meritorum, Episcopis & presbyteris tantùm id oportet impendi. In reliquis negotiis criminalibus, iuxta legum ordinem, per se iudicium subire coguntur. Si ab executore conuenti, parere detrectent, seruato iuris ordine sententia teneat contumaces. In clerico petitore consequens erit, vt secundum leges pulsati forum sequatur, si, vt dictum est, aduersarius suus ad Episcopi vel Presbyteri audientiam non præstat adsensum. Pœna defensoribus negocij, qui in eodem extraordinario iudicio adfuerint atque egerint, huiusmodi constituta, vt *causidicum officij amissio, iurisconsultum existimationis & interdicta ciuitatis damna percellant*. Nullus originarius, inquilinus, seruus, vel colonus, ad clericale munus accedat, neque monachis & monasteriis aggregetur, vt vinculum debitæ conditionis euadat. Non corporatus vrbis Romæ, vel cuiuslibet vrbis alterius, non curialis, non *exprimerio*, non *aurarius*, cuius collegiatus sit vir *aut publicus forum*. Iubemus, vt Clerici nihil prorsus negociationis exerceant. Si velint negotiari, sciant se iudicibus subditos, Clericorum priuilegio non muniri. Defensores Ecclesiæ de expressis vrbium ministeriis non liceat ordinari, acquiescentes huic officio. rerum suarum amissio committerent: quas Curiæ vel corpori suo præcipimus applicari. Si custodire hæc & exequi neglexerint iudices competentes, facultatibus suis & statu priuilegiis exuantur, primoribus officij capitali discrimine constituto, ipsis nihilominus a tali officio repellendis, vt ab vrbis suæ competentibus obsequiis non recedant. Ii autem, qui intra decénium tractatum à declaratæ huius legis Diaconi

ordinat

ordinati sunt, Suffectos pro se dare debebunt. Si non habeant unde sibi hac ratione prospiciant, ipsi ad nexum proprium reducentur. Cæteris inferioris gradus ad competentia ministeria retrahendis: exceptis Episcopis atque presbyteris: seruatis tamen quæ de patrimonio tantum personarum legum præcedentium statuta sanxerunt. Originarij sanè vel seruus, *qui iugum natalium* declinantes, ad Ecclesiasticum se ordinem transtulerunt, exceptis Episcopis, ut dictum est, & presbyteris, ad dominorum iura recedant, si non in eodem officio *annum tricesimum* compleuerint. Ita vt huius conditionis Diaconus domino pro se vicarium reddat, omni pariter peculio restituto. Circa quem nihilominus si copia vicarij dandi non suppetat, quæ de ministeriis vrbium superius sunt statuta, seruentur. Vniuersis Clericis, præter Ecclesiasticos actus nihil omnino cum aliis causis decet esse commune. Nec enim locis iuris publici, quæ quasi destituta plerumque, & non necessaria clericis supplicationibus, velut ad vsum quendam religionis euertunt, pœna xx. auri librarum seruitoribus proximis interposita, si aditus huic supplicationi fuerit. Opportunum duximus, occasione legis ea de successione decernere, quæ anterioribus constitutis non sint euidenter expressa. Itaque si vir sine liberis, vxore superstite moriatur sponsalitium quæ mulier accepit obeuntis patri matríve medietatem restituat portionem, sibi residuam reseruatura. Si desint personæ quas loquimur, ipsi vniuersa proficiant pro pudoris percepta, quæ non extantibus tam charis religiosisque nominibus imminui non oportet. Similis erit de dote conditio, quam dati præsentis oraculi decernit auctoritas, vt si nullis interpositis conditionibus viro fuerit attributa, quæ lucratiua esse potest, vxoriæ mortis euentu patri matríve defunctæ maritus acceptæ dotis medietatem restituat quantitatem. Pars verò fœminæ tanta dari debebit, quantam in sponsalibus maritus intulerit: vt dantis & accipientis sit æqua conditio, ne placita fiiturâque coniunctio, vni lucrum, alteri faciat detrimentum. Muliere in matrimonio intestata deficiente, superstitibus filiis derelictis pater vsusfructus totius patrimonij habeat potestatem, vsque ad vicesimum filiorum ætatis annum: Post medietatem restituat filio filiæve, sibi in diem vitæ suæ medietate detenta. Si expleto filiorum vicesimo anno medietatem portionis suæ vtrique dare noluerit, soboli quæ medietatem ex bonis maternis à patre non fuerit consecuta, post obitum patris à successoribus æstimatione habita iubemus exolui, vt quod in familia quia constitutus amisit, futura saltem compensetur ætate. In ipsorum autem matrimoniorum reuerentia & vinculo, ne passim & temerè deserantur, antiquata Nouella lege, *quæ solui coniugia sola contraria voluntate permiserat*, ea quæ à Diuo *patre nostro Constantio* decreta sunt inuiolata seruentur. Tricennali temporum definitione concludi ea præcipimus, quæ perpetuis aut infinitis seculis seruabuntur: Exceptis *Afrorum* negotiis, qui se probauerint necessitatem *Vandalicam* pertulisse: vt de eorum causis illa tempora præsenti tricennio subtrahantur, quæ claruerit sub hostilitate consumpta. Cæterum alia intra expressa metarum suarum censemus spatia contineri. Sanè sicut non cœptam intra tricennium quamlibet causam vetuimus inchoari, ita quæ contestatæ litis sumpsit exordium, excepto *priuilegio pupillaris ætatis, quod Diuæ memoriæ patris nostri Theodosij lege concessum est, intra eadem tempora terminetur*: Nisi fortè post vicesimum quintum annum, ex eo quod competere actio cœperat, contestata lis fuerit. Cui si is casus euenerit, emenso hoc tricennio quod statutum est, aliud quinquennium prorogamus, intra quod debeant negotia vniuersa consumi: ne à maliciosis ingeniis calumniando legem priorem contestatæ litibus aliud tricennium vindicetur. Abundè enim sufficiet quinquennij adiectio: qua euoluta, nulli penitus actionis copia tribuetur. Quæ autem intra vicesimum quintum annum contestata lis fuerit, statuto tricennio modis omnibus consumatur. Petitorem iubemus, postquam edito *actionis genere aduersarium* suum tenuit, & ad respondendum coegit, propositæ litis probationibus imminere: quoniam ad damnosam iudicij obseruationem quenquam prius non debet vllus attrahere, quàm omnia documenta præparauit, quibus exhibitum in disceptatione conuincat. Quod & scitis veterum principum continetur. Aliàs si quis ad iudicium quem venire compulerit, & in eodem officio vel fideiussionis titulo constituto non vrgeat, quo intra *quatuor menses* institutas peragat actiones, & constiterit iudicem causas alias cognouisse, petitor qui *secretarium* suo vitio noluit introire, sumptus expensásque restituat: quoniam actoris tergiuersationem esse non conuenit impunitam. Pulsatus iis receptatis, ab obseruationis necessitate integro petitoris negocio liber abscedat. Quod si pulsatus quis adesse neglexerit, conuentus secundum ordinem iuris sententiam excipiat contumacis. Exhibitus sanè si de foro pulsatus fuerit, cessante fideiussionis necessitate, periculo negocij obseruationem se subiturum promittat. In pecuniaria autem causa, non nisi pro quantitate debiti, quòd fuerit postulatum, præsentiæ suæ fideiussorem dabit, si maluerit subire conflictum, si tamen eum in iis locis, in quibus pulsatus fuerit, patrimonium petitæ summæ conueniens constiterit non habere. Si quis à suspecto iudice illustri viro, Præfecto vrbis Romæ, propter aliquas domesticas & priuatas simultates vocem appellationis emiserit, apud successorem eius sequentem mox quas ante timuit exerat actiones: vt relationibus difficultatum, ac moratum, quas intercedere ad respondendum volumus necessitas auferatur. Nec quisquam prouocet à præfato Cognitore in causa cuius meritum intra aureum solidos continetur. Si fortè dominum prædiorum vnus dominus atque possessor ex referto originariis & colonis agro, ad alterum rus aliquos homines propria voluntate & ordinatione transtulerit, ita id maneat, vt siue venditione, seu donatione, seu quolibet alio modo ad diuersos dominos res vtraque peruenerit, translatos originis iure & titulo reuocari non liceat. Indecorum est, autumet facta conuelli, quæ pro consilio suo & tractatu necessaria iudicauit. Cum magis deceat id eius reuerentiam, quæ illi visa sunt, inuiolata seruari. Quod autem antehac promulgata lege censuimus, amissæ temporibus originariæ sobolem priori domino non perire, id in argumentum trahi aperta definitione prohibemus. Scilicet vt secundum legem ad Palladium datam sobolem diuidi censeamus, quæ de originario suscepta fuerit alieno, *Fœmine Parens Karissime* atque amantissime. Quare illustris & præcelsa Magnificentia tua hanc saluberrimam edictalem legem, etiam pendentibus in foro negociis, profuturam, propositis vulgabit edictis: vt quanta nobis disponendæ quietis publicæ cura sit, omnibus innotescat. Dat. XVII. Kal. Maij. Romæ, Herculano v. c. cos.

INTERP. *Lex ista de diuersis rebus multa constituit sed imprimis de clericis quod dictum est, vt nisi per compromissi vinculum iudicium Episcopale non adeant. Posteriori lege Maioriani abrogatum est De reliquis præcepit vt si quis laicus Clericum siue in ciuili, seu in criminali negocio per auctoritatem iudicis ad publicum prouocauerit, pulsatus sine dilatione respondeat. Episcopi etiam siue pro peruasione rei alicuius, siue pro quibuscunque grauibus iniuriis ad iudicium fuerint prouocati, licet in criminalibus causis per alium nulli liceat respondere, Episcopis tamen & presbyteris hac lege præstatur, vt in talibus causis misso Procuratore respondeant, sine dubio vt ad eos redeat sententia iudicati. In reliquis verò criminalibus causis, vbi de scelere persona conuincenda est, suam in iudicio præsentiam exhibere procurent. Quod si tertiò conuenti per executorem ad iudicium venire noluerint, sententiam excipiant contumacis. Clericus si aliquem lite pulsauerit, in foro illius quem in iudicium prouocat, audiatur: si tamen pulsatus non acquieuerit ad Episcopi vel presbyteri venire iudicium. Quod si aliud fecerit ille qui pulsat, defensores causæ ipsius taliter notare præcepit, vt ab omni officio & persecutione causarum habeantur extranei. Nullum etiam originarium, inquilinum seruum, siue colonum ad clericatus officium iubet accedere, neque in monasteriis recipi, ne per hanc occasionem debitam conditionem possint euadere. Nam nec corporatum ciuitatis alicuius, qui publicum seruitium debet, nec Curialis vel collegiatus Clericus esse præsumat. Clericos quoque præcepit, vt negotiationes nullatenus exercere præsumant: quod si fecerint, velut alij negotiatores à iudicibus emendentur. De corporibus namque publicis nullum fieri defensorem Ecclesiæ lex ista constituit. Quod si quis ex Curia adquisierit, vt fiat defensor Ecclesiæ, nouerit res suas omnes Curiæ, aut illi corpori vnde discesserat applicandas, & se ad seruitium ciuitatis in suo corpore reuocandum. Nam & iudicem, & officium eius prouinciæ, si eos non reuocauerint, graui, sicut ipsa lex loquitur, dicit pœna feriendos. Diaconus, qui ex Curialibus vel ex quolibet corpore publico facti sunt, præcepit, vt pro se ad agenda quæ vtilitati publicæ debentur, Suffectos dare debeant. Quod si non dederint, ipsi ad conditionem debitam reuocentur. Nam Episcopos atque presbyteros non iubet hac lege constringi, nisi tantùm vt de patrimoniis suis, quæ sunt Maioriani lege constituta euidenter obseruent. Originarios verò vel seruos, qui ad honorem Ecclesiasticum adspirauerint, debere intra xxx. annos à dominis reuocari. Ita tamen, vt diaconus pro se vicarium si habuerit reddat, & omne peculium suum dominus eius vsurpet. Quod si vicarium non habuerit vnde reddat ipse ad conditionem propriam reuocetur. Nam omnes Clericos iubet, vt nullas causas, præter actus tantùm Ecclesiasticos agant, & vt publicos locos pro Ecclesiarum reparatione non destinaret. De successione coniugis quoque hoc specialiter credidit inserendum, vt si vir vxore viua moriatur, & filios non habeat, sed aut patrem, aut matrem dimittat de sponsalitia donatione quam fecit medietatem sibi vxor vendicet, medietatem patri aut matri defuncti mariti, qui superstes eorum fuerit, sine difficultate restituat. Quod etiamsi vxori talis casus euenerit, de dote quam ab vxore maritus accepit, simili ratione, id est, medietatem parentibus, aut si vnus eorum superstes fuerit, se nouerit redditurum. Quod si nec parentes superstites fuerint nec filij, persona coniugis quæ alteri superuixerit, & dotem, & donationem sibi iure*

perpetuo vindicabit. Ita vt faciendi de iis quicquid voluerit habeant liberam potestatem. Mulier verò quæ filium derelinquet, si marito superstite intestata defecerit, maritus eius, hoc est pater eorum, facultates ab vxore dimissas vsurpet, & pro vsufructu in sua habeat potestate: Ita vt cum vnusquisque filiorum ad vicesimum ætatis suæ annum peruenerit, medietatem portionis suæ sine dilatione percipiat, & medietatem sibi pater in diem vitæ suæ ad vsumfructum retineat. Quòd si alicui transacto vicesimo anno medietatem portionis suæ dare noluerit, fructus eius medietatis, quam daturus erat, post mortem patris filius de paterna hæreditate à successoribus eius habita æstimatione recipiat, quos patri exigere pro sua potestate non valuit. De diuortiis verò inter coniuges sublata Nouella lege, quæ sunt à Diuo Constantio ordinata præcepit obseruari. Tricennalem verò legem in omnibus negotiis ita iubet euidentius custodiri, vt omnia tempora, quæ in infinitum negotia extendebant: quia diuersi in quadraginta annos, diuersi iurisconsultores de aliquibus rebus perpetuam fecerant actionem: specialiter censuit, vt omnia de omnibus causis infra xxx. annorum metricula concludantur, præter, sicut de postliminio dictum est, vt illi anni saluo triennio captiuis imputari non debeant, in quibus hostium dominatione detenti sunt. Quæ tamen lex tricennalis sicut illa tempora ad xxx. annos reuocat, quæ amplius lites fecerant propagari, ita reliqua, quæ infra xxx. annos suis quibusque locis euidenter iussa sunt obseruari, in omnibus præcipit custodiri. Nam etiamsi lis infra tricennium inchoata fuerit, & non definita, quasi nec incœpta fuerit habeatur extincta: Excepta pupillari causa quibus pro ætatis fragilitate, sicut lex Diui Theodosij continet constat esse consultum: vt ea tempora in triennio non imputentur, in quibus minores sub tutorum iubentur potestate consistere. A quibus tamen si post xxv. annum, ex eo quo competere actio cœperat, lis fuerit contestata, quintum tantummodo annum supra tricennium pupillis iubet augeri. Ita vt completis xxx. & quinque annis, sicut reliquorum causa infra xxx. annos, ita & eorum infra xxx. & quinque spatium concludantur. Pupillorum verò causæ vel lites, quæ antequam ad xxx. & v. annum perueniant, contestatæ fuisse probantur, intra tricennium sine adiectione quinquennij modis omnibus consumantur. De petitoribus verò constitutum est, vt si petitor aduersarium suum pulsatum in iudicio deferre voluerit: quem aut sub fideiussione, aut cautione fecit adduci, & non festinet infra quatuor menses, in quibus tamen iudex ad audiendas reliquas causas vacare cognoscitur, vt actionem quam proposuit debeat expedire. Ille, quem compulit ad audientiam, obseruare sumptus & expensas litis à petitore accipiat, & liber abscedat: Salua tamen integritate negotij illius petitoris qui ad præsens pro tarditate sumptuum vel expensarum damna sustinuit. Nam si quis pulsatus in iudicio adesse noluerit, post trinam conuentionem sciat se contumaciæ sententiam subiturum: id est, vt quicquid si adfuisset in iudicio ad dicendum erat, petiti litigatori quasi victus exsoluat. Quicunque autem siue de domo, vel de agro fuerit pulsatus, sine fideiussione alicuius caueat adfuturum se esse in iudicio. Nam si pecuniam quis ab eo repetit, & fideiussionem pro quantitate pecuniæ, vnde pulsatur, dare debet, si de hoc debito voluerit parare conflictum: tunc tamen ab eo fideiussor requiri non debebit, quando pulsatus in his locis, in quibus audientia est, non minoris debiti ipsius possessiones habere probatur. Si quis iudicem pro quibuscunque causis aduersum sibi senserit, aut habuerit fortasse suspectum, vocem appellationis exhibeat, vt cum ei successum fuerit, integro negocio apud alium Iudicem amotis dilationibus possit audiri. In ea verò causa iudiciariæ potestati id est, inlustri appellari non debet, in qua vsque ad centum solidos fuerit iudicatum. Si quis dominus duorum fuerit prædiorum, & de vna possessione ad aliam, quæ iuris sui est, mancipia originaria vel voluntaria transtulerit, & ad diuersos dominos fundus vterque peruenerit nihil contra ordinationem domini prioris aliunde translata mancipia repetere aut pulsare præsumat: sed cui aut venditus, aut donatus, aut dimissus ager fuerit, in eo eam statu possideat, in quo ab auctore constat fuisse dimissum. De colonarum verò agnatione id remota ambiguitate constat esse præceptum, vt secundum legem, quæ ad Palladium *data est de colono & colona; inter duos dominos diuidatur agnatio, id est, vt coloni dominus duas partes filiorum, tertiam colonæ dominus sibi debeat vindicare. Quæ verò actiones perpetuæ fuerint, & ad tricennium reuocatæ sunt placuit adiecti, id est, hæreditatum petitio, si tamen ab auctore cui competebat fuerit inchoata finalis actio homicidij, furti, tutelæ gestæ, de fugitiuis, de curialibus, vel de collegiatis reuocandis empti, venditi, locati, & conducti, negociorum gestorum, mandati pro socio.*

TITVLVS XIII.

De confirmatione legum Nouellarum Diui Theodosij.

1. *Impp. Theod. & Valent.* AA. *Albino pp & patricio.*

CLementissimus principum dominus Theodosius, clementiæ meæ pater leges a se post Codicem nutu suo latas nuper ad nos sicut repetitis constitutionibus cauerat, prosequente sacra præceptione direxit, Albine parens Karissime Augustorum. Industria & præcelsa magnificentia tua nostrorum quoque apicum tenorem secuta perferre eas in notitiam omnium cum supradicta venerabili iussione simul missa, (quod nihil dubitationis relinquit,) tam suis quàm prouincialium iudicum decernet edictis, *vt sicuti vterque orbis indiuiduis ordinationibus regitur, iisdem quoque legibus temperetur.* Dat. Non. Maij. *Rau.* Postumiano & Zenone cons.

TITVLVS XIV.

De principibus agentium in rebus.

1. *Impp. Theod. & Valent. AA. Opilioni magistro officiorum.*

LIbenter accipimus quotiens necessaria subgeruntur. *Tantum enim laudis est veteram statuta seruare, quantum necessaria prouida mente sanxisse; Eadem ratio est præstare beneficia & præsentia custodire.* Igitur sublimitatis tuæ, quæ magnimitate sua nostris temporibus proficere quidquid rationabili sollicitudine prouiderit suggestionem sequendam

* vigiliæ tanta *

hac edictali lege consulimus, vt quæ vetustas pro remuneratione sui præstitit, *& intercepta iam diu fuerant*, consequantur, scilicet vt inconsulto principe (qui ex eadem schola) qui ad obsequia præfecturæ prætorianæ post infinita discrimina *& consumpta ætatis parte meliore peruenit*, primoses designati officij nihil vsurpent: neque præfectianorum aliquis suæ præsumat militiæ sacramenta, neque matriculis eximatur eius conscientiam atque consensum, ita vt eadem matricula officij prætoriani in principis potestate consistat, & annonis atque emolumentis principibus nihil per iudicum auaritiam subtrahatur. *Debent enim plurimis remediis adiuuari, quos nouimus, vt ad hoc veniant, plurima pericula sustinere*, Opilio p. k. a. Inlustris itaque auctoritas tua, hæc quæ meritò constituta sunt, præcipies pro sua æquitate seruari, vt spe certa recuperandi prædij antiquitus deputati in necessitatibus publicis fidelius elaborent; *Quoniam vbi certus fructus est, illic studiosius laborare delectat*: mulctam decem librarum auri statuta, si quis legis huius obuiauerit constitutis. Dat. III. Id. Sept. Rau. Asturio & Protogene cons.

TITVLVS XV.

De suariis, boariis & pecuniis.

1. *Impp. Valentinianus & Marcianus* AA. Firmino p. p. [*Italiæ*]

NOn miramur inter bellicas curas & obstrepentes litum *ordinatione viri magnifici parentes patricijque nostri Aëtij* formam publicæ dispositionis in meliorem statum fuisse mutatam, cuius sollicitudini facillimum effectum præstitit amplitudinis vestræ in æternum consulens laudanda prouisio, quæ sacræ vrbis priuilegiis & administrandis prouidentiæ & optimis eius affectioni subuenit & iamiamque *occidui corporis iunctionem* ita salubri dispositione constituit, vt remotis dispendiis *numquam defectam virium deuotio inseruientis incurrat*, quippe cui per imitationem prouinciarum exactionis qualitate ex pretij moderata adærationes prospexit, Firmine p. k. a. Inlustris & præcelsa magnificentia tua pragmatici nostri tenore confectis, sciat secundum saluberrimam suggestionem suam quæ ex magnifici viri parentis patricijque nostri *Aëtij* dispositione processit, patronis & corpori suariorum intuitu sacræ vrbis Romæ imprimis hoc beneficium debere præstari, vt delegatio quæ his intra prouinc. *

* prouinciis sub refusionem vniuersorum titulorum, qui dispersi antehac plurimum in reliquis habere probatur de vicinis prouinciis, i. Lucanis Aemiliæ quadringentorum, Campania M. D C C C C. L. solidorum debita emolumenta oportet decerni; de boariorum etiam vel pecuariorum præstatione nongentos quinquaginta solidos exacto sibi nouerit profuturos, centum millia æqui ponderis portionem de interpretiis iuxta priora constituta præbeant, ducentena quadragena pondus ad solid. secundum promissionem suam inlaturi; quoniam certa emolumenta amota solita dubitatione percipiunt: ita vt centum quinquaginta dierum obsoniorum præbitionem sine vlla causatione singulis annis à se nouerint procurandam, quæ quantitas in tricies sexies, centies viginti octo millibus libris cum duarum decimarum ratione

ne colligitur. In ipsorum autem patronorum sit arbitrio constitutorum, vtrum per prætorianum officium adiuncti ei, quique de corpore suo quos elegerint, quibus ducenariam militiam præberi iubemus, an per suos tantummodò ne fortè onerosi sint apparitores idipsum munus velint exactionis impleri, non expectata deinceps prætorianæ sedis annua delegatione quæ hactenus seruabatur, nec ante quicquam *de Lucania Samoque* prouinciis arca prætoriana deposcat, quàm suariis exigentibus debitum omne soluatur. Moderatores prouinciarum eorúmque officia sub periculo facultatum suarum diligentiam & efficaciam huic operi commodabunt, vt ea ipsa quæ prouidimus faciliùs impleantur. *Baenio priori corporis* cum dignitate lege concessa etiam ciog ,lum militiæ iubemus adiungi, quo in rebus ordinandis sub priuilegio militari maior huic auctoritas subsistat, quod circa successores eius venientes per ordinem volumus custodiri: quos ad nullum præterea onus conuenit deuocari, nisi huic officio vacantes à cæteris habentur immunes. Suarios ipsius apparitionis neque iniuriæ neque dispendiis subiacere, manentibus circa eos, quæ superiora scita sanxerunt. Obnoxias sanè Suario, Boario, & Pecuario corpori personas ad debita præcipimus cum agnatione, peculiis & prædiis onera reuocari, remotis omnibus quæ sibi contra legem præsumptio vindicauit, in quibus exequendis memoratur *Baenius* prior corporis eius fideliter præstetur affectus. Deuotos enim ob hoc non solùm prouisione, sed etiam honore duximus adiouandos, vt splendidiores in ministerio vrbis æternæ semper inuigilent. suísque compendiis æstiment adgregari, quicquid iugis procurarit inlatio. Dat. III. Kal. Iul. Romæ. Herculano v. c. cons.

TITVLVS XVI.

De aduocatis non perpetuandis.

Impp. Valent. & Mart. AA. Stauratio pp.

MVlta in sanciendis legibus non solùm sibi vindicat, verùm & temporis ratio persuadet, non quod *præceptorum diuersitas placeat, sed quod euentuum qualitas pensius facit esse iudicium, & firmius constituto robur est, quotiens priori sententia magis magisque probata succedit.* Dudum lata lex (exceptis illustribus foris) cæteris ac prouincialibus perpetuitatem concesserat *actionis*; Sed nunc adolescente pube *& litteraria* indolis iuuentute, aditi cautumque sancimus ne sub aliorum perpetuitate, *succedentium studiorum* feruor euanescat. Quis enim se ei officio nouus professor inferat quòd veteranus insedit, vt non sit tam actor quàm obseruator alterius: & quia hæc quæ ab *homine caduca sunt, fiunt subrogatione*, perpetua, ne *intercidentibus* studiis ipsa pariter officia conquiescant, hac generali constitutione decernimus vniuersa fora tam illustrium Præfectu[illegible] prætorij ac præfec. vrbi quàm reliqua omnia.

TITVLVS XVII.

De Afris, Vandalis, Alanis.

Impp. Theod. V. Valent. AA. Albino PP. Illyrici.

EX *adfectu publico conuenit eorum necessitatibus subuenire qui in fatales miserias inciderunt. Imperatoria siquidem vis maior laudis est aliqua decreta mollire, quando vis maior inopinatæ cladis fatale generarit incommodum*, Albine P. K. AA. Vnde illustris & præcelsa magnificentia tua pragmatici nostri tenore comperto, sciat *Afros* qui infortunio hostilis cladis expulsi eiectique fortunis omnibus opem sui *actus* & conuersationis solitæ perdiderunt, & imbuti studiis literarum causas agere destinarunt, siue agere iam cœperunt apud omnes iudices, his aduocationis copiam remoto legis vinculo esse permissam, *vt ærumnas in quibus nunc sunt, tali possint remedio subleuare* præter prætorianam togam forumque vrbanum, in quo agendorum negotiorum licentiam iisdem pietas nostra permisit. *Nec enim non eos oportet studiis fauorabilibus adiuuari, quibus solum remansit quod sibi non potuit vindicare captiuitas* Dat. XIII. kalend. Sept. Rauennæ, Maximo II. v. Paterio cos.

TITVLVS XVIII.

De siliquarum exactionibus.

Impp. Theod. & Valent. AA. PP.

CVm pietatis nostræ animo ad quærendum remedij publici adiumenta perpetuæ cogitationes se ingerant, nihil tam necessarium cura serenitatis nostræ perspicit (sicut omnium sensibus optamus occurrere) quam vt defessis rebus afflictóque publico tantum robur numerosi ex[illegible] itus præparetur, sed nec tam salubris, in qua omnium *plene* [illegible] *ritatis fundamenta* ponenda sunt, per varia erogationum nostræ con[illegible]um odoramus, vt ipso experimento non modò his qui nouis sacramentis obligantur, sed ne veteri quidem exercitui quæ ab exhaustis ægerrimè conferuntur ad victum, vel ad vestitum posse præberi, quos nisi indigna & pudenda armato nomini negotiatio aleret, vix possent à famis periculo, & à frigorum pernicie vindicari. *Quæ ergo his angustiis remedia promouenda sunt, mens nostra serenitatis exæstuat* Nam si a possessore super alia, quæ præstat, has expensas requirat, vltimas tenuésque eius vires compulsio talis extinguerit: si a mercatoribus ciuibus hoc efflagitet, necesse est eos depressos tanti oneris mole succumbere. Inter hæc animo fluctuante hanc viam repperimus, primùm enim leuissima functio publici quæstus habeat magna compendia, deinde quæ ad vniuersos pertinent a paucis intollerabilia damna subinoueat, atque ita sine sensu dispendiorum fit, vt cum plus bene publicæ vtilitati conquiri valeat, nullus se speciatim queratur affligi. & neque à tenuissimis possessorum reliquiis, vel defectu miserabili negotiantum quicquam impossibile postuletur. Placuit itaque vt omni venditione per solidum dimidia siliqua ab emptore, dimidia à venditore, per omnem contractum æqualiter publico conferatur, in omnibus mobilibus immobilibusque rebus, venditiones tantùm emptionésque duntaxat. Tali conditione iam bonus rei effectus aliter non poterit prouenire, nisi huic muneri certi qui præficiendi sunt eligantur communi procerum nostrorum consilio atque *tractatu*, quod electionis iudicium reseruabitur circa eos qui in aliorum locum adiectionis augmento noluerint subrogari. Per singula igitur negotiationum genera singulos præponi oportere, hac edictali lege decernimus, quos fides atque *industria* huic officio sustinendo idoneos comprobauerit. Vtilius quippe est distributis procurationibus mercium omnium (vt in talibus rebus fieri solet) depulsa permixtionis caligine apertiùs & liquidiùs declarare, quid quisque pro conducta mercium nodinatione dependat. Omnis autem contractus qui clanculariò vel emente, vel vendente in fraudem legis initus fuerit, careat firmitate: Quod ne fiat, ea ratione prospicimus vt gestis municipalibus immobilium rerum contractus constet initus, mobilium verò *emissis pittaciis* transfigatur, & is qui præpositus fuerit huic muneri profiteatur se id, quod per hanc legem compendiis publicis decretum est, consecuturum, ita vt post annum securitatis amissæ discussio minimè requiratur, qui si à tabellione vel contrahentibus conueniens ad gesta venire distulerit, inlato curialibus quod huius edicti lege inferendum est, venditio perfecta stabilitate nitatur. Ille autem qui huic rei præpositus, spe *fuerit* proprij publicum commodum putauerit differendum, tali afficiendus incommodo est, vt tantondem ipse fisci viribus inferat, quantum de ipso contractu eius conuentus præsentiam suam negauit à contrahentibus publico fuerit inlatum, quod ab eo magistratus & curiales exigere curabunt, quàm pœnam neque ordines effugiant, neque moderatores Prouinciarum, si qua ipsi fraude vel conludio publicè emolumenta distulerint. Sed hæc quæ tam salubriter ordinamus, in omnibus prouinciis atque vrbibus vna eadémque volumus ratione seruari. Quod absque vllius erroris impedimento explicabitur, *si certè nundina ciuitatibus earúmque territoriis* ordinentur. Iubemus enim & in oppidis & in regionibus certo loco ac tempore emendis atque vendendis rebus *per honoratorum* dispositionem, nec non ordinum seu ciuium sub præsentia moderatoris prouinciæ manifesta definitione constitui Nulli itaque mercatori præter hanc obseruationem, nisi ad designata loca temporibus præstitutis, ad negotiationis suæ species distrahendas passim licebit accedere, vt certa ratio emendi atque vendendi ibi constare possit, vbi nundinandi ius prouincialium tractatum fuerit deputatum, & id quod præberi suprà statuimus, facilius eorum, qui præpositi fuerint, valeat diligentia reperire: quæ verò *ex his iussienda & minutius ordinanda* sunt, amplissima.

LEGVM NOVELLARVM
Diui Martiani A.
LIBER III.

TITVLVS I.

Neminem exhiberi de prouincia ad Comitatum, nisi ad relationem, à quo fuerit appellatum.

1. *Impp. Valent. & Martiani AA. Edictum.*

MVLTA remediorum genera, nostræ Clementiæ prouincialibus fuit prospicere gestienti, & crebra cogitatio suppetit, & ipse rerum vsus apportat. Nam cùm *venalem iudicum ambitum radicitus* amputasset, & ad res priuatas vel publicas syncerissimè gubernandas, homines spectandos *atque consultos struxisset multos*, sciens quippe felicem fore remp. si à nolentibus, *& vltro publicos repulsantibus*, *cogitanti nostræ pietati statim occurrit* quonam modo possint longi itineris interuallo, & enormibus sumptibus legitimo egentes auxilio liberari. Videtis enim agmina, videtis *cateruas aduenientium* infinitas, non solùm à finitimis prouinciis, verùm extremo orbis Rom. limite confluentes, & aduersum suos aduersarios conquerentes. Quod profectò nullatenus accidisset, si in locis integritas vel seueritas iudicum floruisset. Et ne igitur huiusmodi flagitia etiam vlteriùs porrigantur, ne quia desertis *laribus* suis, aut certè *dulcibus pignoribus*, per inenguitas mundi partes diutiùs peruagetur, hoc consultissimo edicto statuendum, pariter & omnibus declarandum, pietas nostra decernit. Quicunque ciuilem actionem, vel certè criminalem accusationem aduersariis suis intendere moliuntur, viros clarissimos adeant prouinciarum Rectores, & expositis querimoniis, insinuatisque desideriis suis, paratissimum promptissimùmque posthac subsidium iuris expectent. Illi nouæ potentiæ, vim legum benignam opponant. Illi diuitiis integram mentem obiiciant. Non illum *supercilium*, quod hoc tempore nullum est, terrebit: non *effœminabit* mentem seueram quilibet census oblatus: sed vnicuique non altiore suspecta, non despecta humiliore fortuna, nostræ mandatorum non immemores pietatis, & antiquo, & nostro iure succurrent, & querimonias suas probantibus, aut indemnitate seruata, aut legitima vindicta consulent subsecuta. Has ergo ob causas nullum aduersarium suum à prouinciis, vel longinquis partibus, non per sacras adfatus, non per magnificentissimorum vel illustrium iudicum sententias volumus exhiberi: nisi forsitan aut *propter potestatem aduersary, aut ipsius rei difficultatem, aut publici debiti, molem*, deficiente Rectore prouinciæ, spectabilis iudicis, qui in locis, vel proximo degit, vel amplissimæ potestatis, vel aliorum maiorum iudicum auxilium postulerint. His pro *commodo vestro*, & pro nostri imperij humanitate dispositis, vnusquisque vestrum, cum sint in locis iudices legum custodes, & earum peruigiles defensores, prout quisque possit sine peregrinatione, sine sumptibus super dubiis rebus & adire Iudicem *& auxilium amicum legibus* indipisci, hæc quæ dicta sunt obseruare debebit. Si vero vel ab aduersario, tanquam excedente prouinciale præsidium, fuerit contemptus, vel à iudice non auditus, hócque in amplissimæ potestatis, vel alio maiore, competenti tamen examine, per relationem iudicis contra aduersarium emissam, seu ipsum iudicem documentis quibusdam neglexisse nostræ maiestatis edicta, *sui periculi memor*, se promiserit probaturum, tunc post indemnitatem ei legibus seruatam, etiam vindicta iuri congrua in conuictum protinus subsequetur. Quod si appellatio apud iudicem fuerit subsecuta, ea quæ super prouocationibus legibus antiquitus statuta sunt, diligentiùs modis omnibus complebuntur. His additur aliud maius, quod innocentes præcipuè hactenus conterebat: Nonnulli namque suis allegationibus diffidentes, vexare suos aduersarios tantummodò cupientes, *non vero cum iu, sed arte pugnabant, & per sermonem fucatum, & phalerata verba nonnunquam legibus aurâ* confusis ad aliena eos iudicia pertrahebant, ita vt hinc sæpius eueniret, vt & miles in ciuili, *& priuatus in militari, sed sibi incongruo peregrinaretur iudicio.* Ergo hanc quoque partem, ne ad læsionem nobis subiectorum patiamur iuris, & legum contemptum vlteriùs perdurare, hoc prouidentissimo edicto nostra Pietas censuit emendandum. Iubemus namque omnes pro priscis ac saluberrimis institutis, suos aduersarios, satisfactionem forsitan differentes, in proprio, non in minimè competenti fictis quibusdam occasionibus exposcere litigatorem. Actor rei forum sequatur. Quod sine celesti sententia non constat esse decretum, intactum inuiolatúmque seruetur, nemo a nostra Serenitate postulet: nec enim impetrabit non rescriptum, non mandatum, vel iussum (quod dicunt) sacrum, suos aduersarios in minimè competenti iudicio respondere, maximè cum hoc tempore, quod superiùs dictum est, vnusquisque clarissimorum, vel spectabilium iudicum, si tamen propter causas prædictas ita vsus tulerit *& integras adeuntibus aures* præbere, & omni postposita inuidia, omni spreta gratia recto proposito poterit iudicare. Quam formam etiam in militari parte volumus obseruari. Nec passim aliquem armatæ militiæ sociatum longinquis partibus trahi, sed in locis apud competentem iudicem pulsari nisi tamen super maximis & necessariis causis & militarem iudicem in locis excedentibus fuerit accusatus, non ignorante eo, cuius ex interpellatione aliquis secundum datam formam in longinqua fuerit protractus examina: quòd si culpa sui fuerit dilata cognitio, vel minimè actioni suæ adfuerit, vel delata probauerit, pro calumnia quidem pœnam luat legibus constitutam. Pro verò pecuniaria causa, post dispendia, post sumptus considerata quantitate postulatorum, vel medij itineris interuallo, condemnationem pro æstimatione Iudices sustinebit. Nam dignum est, eos, qui maiorum nostrorúmque legum, *auaritia stimulante vel inuidia incitante fines perturbare, seu castra perfringere conabuntur*, habitantium saltem intentato, quo magis puniuntur, dispendio refrenari. Ergo consulite vestris commodis, nostris saluberrimis parere præceptis. Nemo à nostra pietate maioribus occupata, vel à magnificentissimis, seu illustribus iudicibus, nisi in maximis ac necessariis, quod superiùs cautum est, rebus, publicisve debitis exhibitionis subsidium poscat. Nam si quis aliter quàm dicta continent petulanti animo iis despectis, maiorem iudicem, vel nostram primum contra ordinem legum adierit maiestatem, sciat se non solùm litis iacturæ, atque *plus petitionis periculo*, verùm etiam competenti motui fore subdendum. Dat. v. Id. Octob. Constantinop. Valent. A. IV. & Auieno v. c. conss.

INTERP. *Si quis aduersarium suu repetitione, aut criminis obiectione pulsauerit, in prouincia, in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerat actiones, nec æstimet aduersarium suum alibi aut longiùs ad iudicium protrahendum: ille verò qui pulsatus fuerit, si iudicem suspectum habuerit, liceat appellare. Similiter etiam & militantes ordine teneantur; vt & ipsi apud competentes iudices, quas competere sibi credunt, exerant actiones: quia omnibus legibus constitutum est, vt actor rei forum sequatur.*

TITVLVS II.

De indulgentiis reliquorum.

1. *Impp. Valentinianus & Martianus AA. Palladio PF. P.*

CVræ nobis est vtilitati humani generis prouidere: Nam id die ac nocte prospicimus, vt vniuersi, qui sub nostro imperio viuunt, & armorum præsidio ab hostili impetu muniantur, ac in pace libero otio ac securitate potiantur. Ideóque mirati sumus laudabilem suggestionem Celsitudinis tuæ: quæ præter alias virtutes, quibus sublimitas tua plurimùm pollet, etiam humanitatem tui Culminis, euidenter ostendit. Nam debitorum, quæ in reliquis trahuntur, exactionem molestam testatur esse obnoxiis. ac meritò postulauit, vt prædicti debitores sacra nostra indulgentia liberentur. Quapropter admirabilem insinuationem tuam probandam esse censuimus. Cesset igitur, pro securitate prouincialium exactio reliquorum, & sextæ indictionis initio, vsque ad finem quintæ decimæ nuper elapsæ, debita deleantur, siue ea possessionibus liberati, vel patrimonialis, templorúmve, aut ciuilis fiscalisve iuris, seu in auro, seu in argento, seu in speciebus, vel in metallica quacunque materia, alióve quolibet collationis titulo in publicis calculis residere noscuntur. Et siue arcæ sublimitatis tuæ, siue thesauris, siue sacro debentur ærario, siue cellariis, siue priuatæ rei nostræ, aut dominicæ domui, siue operibus, huius inclytæ vrbis, omnia collatoribus, necnon Curialibus, seu cohortalibus, seu prouincialibus officiis, & aliis quicunque reperiuntur obnoxij, remittimus. Et ne quis liberalitatem nostram caligo fraudis possit impedire, etsi in priuatum contractum, vel in cautionem debitum publicum transisse, vel nouatum esse dicatur, aut si quis Curialis exactor, vel cohortalis compulsor, pro obnoxio se

ſe intuliſſe commemoret, nihilominus liberalitas noſtra firma permaneat. Curialibus etiam & cohortalibus nulla ſuper exactionis aduerſus optiones vel actuarios, vel deuotiſſimos milites querelæ permittatur occaſio, ita vt optiones & actuarij & deuotiſſimi milites inuicem taceant, & nullam aduerſus Curiales, ſeu cohortales vel collatores, ſeu officia prouincialia, ſeu Decuriones moueant pro debitis publicis actionem, etiam ſi quas expenſas ſe pro aliis intuliſſe contendant. Præterea quicquid ex titulo Senatorij follis in prouinciis debetur, hoc quoque remitti iubemus. Si quid autem ex quintæ decimæ indictionis, vel ſuperiorum temporum debitis ad expenſas primæ indictionis, ſeu poſteriorum temporum deputatum eſt, & ſi quid ex naulis ac pretiis mancipiorum, & releuatis vel donatis, aut tranſlatis atque adæratis, vel ab arca ſacratiſſimæ Conſtantinopolitanæ vrbis debetur, id huius donationis beneficio non tenebitur. Sed & ſi quid in auro, vel in ſpeciebus, vel in mœniis ciuitatum operibus deputatum eſt, & hoc erogatum non eſſe monſtratur, eius quoque ratio ſeruetur intacta. Nec poſſint debitores huius donationis auxilio niti, ſed compellantur ij qui noxij reperiuntur, implere ſuſcepta opera, & ſumptuum reddere rationes. Nec enim oportet hanc liberalitatem noſtram eouſque protendi, vt in aliorum lucra iniuſte proficiat, quod ornatui vrbium delegatum eſt. Sentiant vniuerſi, quantum ſibi pietas noſtra profuerit, & in poſterum deuoto animo penſitationes publicas ſoluant, qui ſe ſciunt præteritis debitis liberatos. Palladi Præfecte Kariſſime AA. Illuſtris itaque & præcelſa Magnificentia tua huius ſaluberrimæ pragmaticæ legis moderationem, per vniuerſos populos ac prouinciarum iudices edictis propoſitis diuulgari curabit: vt ſecuri & beneficium noſtræ pietatis & ſecuritatis ſuæ fructum libenter agnoſcant. Scripta *Palladio viro illuſtri, Præfecto prætorio Orientis. Hermogeni viro illuſtri, Comiti ſacrarum largitionum. Gennadio viro illuſtri, Comiti rerum priuatarum, Maximino viro illuſtri, Comiti & præpoſito ſacro cubiculi.* Domino Valent. A. VII. & Auieno V. C. COSS.

INTERP. *Lex iſta hoc continet, vt per prouincias relaxato beneficio Principis tributorum reliqua non quærantur, tamen quod exactum eſt, ſi apud exactores reſediſſe conſtiterit, id præcepit, vt publicis debeat vtilitatibus non perire, ſed quod exactum eſt, à retentatoribus theſauris inferatur, & à prouincialibus vel à poſſeſſoribus quod ſolutum non fuerit non quæratur.*

TITVLVS III.

De prædiis ciuitatum omnium.

1. Impp. Valent. & Martian. AA. Palladio PF. P. Orientis.

AVaritiæ ſuæ culpam arguit, qui pro poſſeſſionibus quas detinet debitas functiones inferre cunctatur. Itaque inter cæteros egregios actus, quibus ſeip. tua Sublimitas prodidit, etiam ſuggeſtionem de prædiis iuris ciuilis oblatam iure laudamus, per quam poſtulatum eſt vt ſi qui memorata prædia dempto ciuili canone conſecuti ſint, veterem canonem in poſterum cogantur agnoſcere. Celſitudo itaque tua id nobis placuiſſe cognoſcat, vt ſi qui vel ex titulo donationis, vel ex emptione ſiue ex alio quolibet titulo poſſeſſiones iuris ciuilis tantummodò, & cuiuſlibet ciuitatis, & præcipuè huius æternæ vrbis, cui maiorem debemus fauorem, tam ciuilis, vt dictum eſt, iuris, quàm etiam *Agonotheticas poſſeſſiones ex conſulatu Antonij & Olybrij*, dempto ciuili canone acceperunt, impoſitum prædiis canonem, iuxta fidem publicatum monumentorum, ciuitati, ad quam prædia pertinuerunt, præbere iubeantur. Ex præſenti quoque quarta indictione, ceſſante præteriti temporis canonis exactione, manente penes eos ſucceſſoreſque eorum, & detentatores illibato dominio. Nam ſi priuati iuris debita nõ patimur denegari, multo magis præbenda ſunt ciuitatibus, quæ iure debentur: cùm ſufficiat poſſeſſoribus, quod apud eos dominium in perpetuum ex noſtra liberalitate permaneat. Si quæ tamen poſſeſſiones iuris ciuilis canonem priuatis largitionibus in præſenti præbent, vel nunquam ademptum, vel poſtea impoſitum, ad hanc pragmaticam iuſſionem non pertinebunt, ſed priuato ærario canonem, quem nunc agnoſcunt, inferre ex more debebunt, dominio firmiter apud eos ſucceſſoreſque eorum, & detentatores pari modo permanente. Illud etiam diſpoſitionis culmini tui probamus atque firmamus, vt ſi qui cuiuſlibet iudicis commotione mulctati ſunt & partem, ſeu totam multam adhuc debere noſcuntur, ij quoque indulgentia noſtræ Clementiæ, perfruantur & nullam ſuſtineant exactionem, Palladi Præfecte Kariſſime AA. Celſitudo igitur tua hæc, quæ per hanc pragmaticam legem ſancimus, Rectoribus prouinciarum declarare non differat: vt & ciuitates & poſſeſſores, & cæteri, de quibus hoc conſtituimus, vtilitati ſuæ conſultum eſſe lætentur. Dat. XV. Kalend. Feb. Conſtantinop. Martiano A. I. COS.

INTERP. *Si quid de fiſcalibus agris vel adſcitiis, donatione principis, vel venditione, vel qualibet ratione ad priuatos fortaſſe peruenerit, id lex iſta conſtituit, vt ſoluto canone à poſſeſſoribus in perpetuum teneatur, & impletis fiſcalibus debitis, illi qui poſſident hæredibus ſuis relinquendi, aut quibus voluerint donandi habeant poteſtatem.*

TITVLVS IV.

De matrimoniis Senatorum.

1. Impp. Valentinian. & Martianus AA. ad Palladium PF. P.

LEges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt omnium vitas, intelligi ab omnibus debent, vt vniuerſi, præſcripto earum manifeſtius cognito, vel prohibita declinent, vel permiſſa ſectentur. Si quid verò in iiſdem legibus latum fortaſſis obſcurius fuerit, oportet id imperatoria interpretatione patefieri, vt omnis ſanctionis remoueatur ambiguum, & in ſuam partem iuris dubia deriuare litigatorum contentio alterna non poſſit. Negotiorum quoque cognitores, ac tribunalium præſides, apertam definitionem legum ſecuti, ſuſpenſis nutantibuſque ſententiis inter ſerta incerta non fluctuent. Plana enim & facilis ad pronunciandum via patet iudici, quoties non eſt illud ambiguum iuxta quod neceſſe eſt iudicari. Magnificentia tua, in cauſis omnibus terminandis rectum ſemper tramitem ſtudens tenere iuſtitiæ, conſuluit clementiam noſtram, ſupra Conſtantinianæ legis ea parte, in qua aliquid exiſtere videtur ambiguum. Nam cùm ſanciret, Ne Senatori, Perfectiſſimo, Duumuiro, *Flamini municipali, Sacerdoti prouinciæ* habere liceret vxorem ancillam, ancillæ filiam: libertam, libertæ filiam: etiam Romanam vel latinam factam: ſcenicam, vel ſcenicæ filiam: tabernariam, vel tabernarij filiam, vel lenonis aut arenarij filiam, aut eam quæ mercimoniis publicæ præfuit, vetitis interdictiſque perſonis, adiecit *etiam humilem abiectámque perſonam.* Ex matrimonio magnam dubitationem in iudiciis naſci tua adiecit Celſitudo, verùm ne hæc nomina etiam ad pauperes ingenuas fœminas referri debeant, eáſque à matrimonio Senatorum præſcriptum legis excludat. Abſit, vt hoc *nefas vllis putemus temporibus, vt credatur cuiquam dedecori data eſſe paupertas: cùm ſæpe plurimis multarum parauerint gloriæ opes modicæ, & continentiæ fuerit teſtimonium cenſus anguſtior.* Quia arbitretus inclytæ recordationis Conſtantinum, *cùm generoſos Senatorios thoros contaminari polluta rum mulierum fato prohiberet, fortuno munera* bonis *naturalibus prætuliſſe*. & diuitiis quam varietas caſuum tam poteſt adimere quam tribuere, poſtpoſuiſſe ingenuitatem? quæ auferri non poteſt, ſi ſemel nata ſit. *Ille verò honeſti amantiſſimus, & morum ſanctiſſimus cenſor*, eas humiles abiectáſque iudicauit eſſe perſonas, & matrimoniis Senatorum duxit indignas, quas aut naſcendi decolor macula, aut vita probroſis quæſtibus dedita, ſordentibus notis polluit, & vel per originis turpitudinem, vel obſcœnitate profeſſionis infecit. Ideóque omnem dubitationem, quæ quorundam mentibus inſecta fuerat, auferentes, mentibus, & ſoliſſima in perpetuum firmitate durantibus cunctis his, quæ ſuper matrimoniis Senatorum ſanxit conſtitutio diuæ memoriæ *Conſtantius*, humilem vel abiectam fœminam minimè eam iudicamus intelligi, quæ licet pauper, ab ingenuis tamen parentibus nata ſit. Sed licere ſtatuimus Senatoribus, & quibuſcunque ampliſſimis dignitatibus præditis, ex ingenuis natas, quamuis pauperes in matrimonium ſibi adſciſcere, nullámque inter ingenuas ex diuitiis & opulentiore fortuna eſſe diſtantiam. Humiles verò abiectáſque perſonas eas tantummodo mulieres eſſe cenſemus, quas enumeratas, & ſpecialiter expreſſas copulari matrimoniis Senatorum lex prædicta non paſſa eſt, hoc eſt, ancillam, ancillæ filiam: libertam, libertæ filiam: ciuem Romanam vel Latinam factam: ſcenicam vel ſcenicæ filiam: tabernariam vel tabernarij vel lenonis aut arenarij filiam, aut eam quæ mercimoniis publicè præfuit. Quod quidem haud dubiè credimus ipſum diuæ memoriæ Conſtantinum, in ea quam promulgauit ſanctione ſenſiſſe. Ideóque huiuſmodi inhibuiſſe nuptias, ne Senatoribus harum fœminarum, quas nunc enumerauimus, non tam connubia quàm vitia iungerentur. Cætera etiam quæ ab inclytæ recordationis Conſtantino, vel ab aliis poſt eum Diuis principibus, ſuper naturalibus filiis eorúmque matribus, de concubinis quoque ingenuis, & de his quæ poſt vxoris obitum in nuptias conuenerunt, quæcunque ſacris conſtitutionibus definita ſunt, iubemus inuiolabiliter cuſtodiri. Ita tamen, promulgatas prius

priùs leges hæ quæ postmodum istæ sunt auctoritate præcedant: *& quæcunque ex ipsis est posterior tempore sit validior sanctione*, Palladi præfecte Karissi. Augusto um. Illustris igitur & magnifica auctoritas tua, hanc Serenitatis nostræ legem perpetuò in æuum omne valituram, Edictis ex more propositis, ad omnium notitiam faciat peruenire. Dat. prid. Non. April. Constantinop. Aëtio & Studio vv. cc. c o s.

I n t e r p. *Hac lege permissum est, vt exceptis vilibus infamibúsque personis, quas lex ipsa commemorat, pauperes, & sine vlla dignitate natalium, dummodo honestas & honestis parentibus procreatas, Senatores, si voluerint vxores eligendi & ducendi habeant potestatem. Quod & omnibus exemplo legis huius sine dubitatione permittitur.*

T i t v l v s V.

De testamentis clericorum.

1. *Impp. Marcianus A. Palladio P F. P.*

SÆpe materiam scribendis ferendísque legibus negocia inopinatò exorta suppeditant, & aut nouas constitui sanctiones, aut duriùs & asperiùs latas faciunt abrogari. Æqualis enim in *vtroque æquitas est, vel promulgare quæ iusta sunt, vel antiquare quæ grauia sunt*. Nuper cum de testamento clarissimæ memoriæ Hypatiæ, quæ inter alios virum religiosum *Anatholium presbyterum in portione* manifesta bonorum suorum scripsit hæredem, *amplissimo Senatu præsente, tractaret Pietas mea*, & dubium videretur, an verè esse deberent hæ voluntates viduarum, quæ testamento suo aliquid his clericis relinquunt, qui sub prætextu religionis huiusmodi fœminarum domus adeunt. Cùm lex Diuæ memoriæ, Valentiniani, & Valentis, & Gratiani, Ecclesiasticos, vel eos qui *continentium* se volunt nomine nuncupari, nihil quacunque liberalitate viduarum extremo iudicio permittat adipisci. Contra hæc autem Diuæ memoriæ Valentiniani, Theod. & Arcad. constitutio legeretur, Inspicientibus & æstimantibus nobis *latoris animum*, visum est iusta ac rationabili pœnitentia priorum constitutionum vigorem antiquare voluisse. Nam cùm in primâ *viduarum* tantummodo mentio facta sit, in secunda autem tantummodò *diaconissarum*, intelligitur eam constitutionem, quæ viduarum & diaconissarum meminit, de lege vtraque dixisse. Quòd cùm de voluntate latoris, & de sanctione legis nobis videretur, memoratum testamentum iussimus relegi atque repliceari, & cùm repertum fuisse alias quoque partes eiusdem voluntatis ita iustè ac prudenter institutas, vt nullum benè de se meritum neglexerit, multa sacrosanctis Ecclesiis, multa pauperibus, multa Monachis religione intuitu, multa captiuorum redemptioni, commota miserabili eorum sorte, contulerit: multa libertis suis eadem latorum sibi obsequiorum contemplatione præstiterit: alteram quoque partem institutionis, in qua Anatholium presbyterum reliquit hæredem, adnectimus ordine fuisse dispositam. Ea enim mobilia, quæ plurima iustè ac piè reliquit, per hunc voluit vniuersa compleri: vt non solùm hæredis, sed penè etiam *dispensatoris fungatur* officio. Idcòque huiusmodi prædictæ clarissimæ memoriæ Hypatiæ voluntatem, etiam in ea parte, qua Anatholium presbyterum instituit hæredem, ea auctoritate firmaui. Sed ne in posterum, vt ex prioribus constitutionibus, quarum superiùs fecimus mentionem, & quas nunc præcipio penitus abrogari, vel ex præsentis negocij dubitatione aliquid fortè relinquatur ambiguum. *Securitati vel fiduciæ morientium* prouidentes, generali perpetuóque victura hac lege sancimus, *vt siue vidua, siue diaconissa, seu virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier siue quocunque alio nomine religiosi honoris vel dignitatis fœmina nuncupetur, testamento vel codicillo suo, (quod tamen alia omni iuris ratione munitum sit,) Ecclesiæ, vel Martyrio, vel Clerico, vel Monacho, vel pauperibus aliquid, vel ex integro, vel ex parte in quacunque re vel specie crediderit relinquendum, id modis omnibus ratum firmúmque constat: siue hoc institutione, siue substitutione, seu legato, aut fideicommisso per vniuersitatem, vel specialiter, siue scripta siue non scripta voluntate fuerit derelictum, omni in posterum de huiusmodi negocio ambiguitate submota, donationibus etiam vel qualibet libertate tam viduarum quàm diaconissarum siue virginum quæ Deo dicatæ sunt*, vel sanctimonialium quæcunque in Ecclesiam, vel *martyrium*, vel clericum, vel monachum, vel pauperes conlata fuerint, pari robore firma esse præcipio. Palladi P. K. A. Inlegitur & magnifica auctoritas tua, ea quàm generali legis huius sanctione decreui, edictis ex more propositis, ad omnium notitiam faciat peruenire. Dat. † Kal. Maij. c. P. Anthem. c o s.

I n t e r p. *Sanctimonialibus, viduis, diaconissis, omnibúsque religiosis matronis hac lege permittitur, vt seu testamento, seu fideicommisso, seu per nuncupationem, seu per codicillos, vel quibuslibet aliis scripturis, quod voluerint, Ecclesia, Episcopis, presbyteris, vel diaconibus, & omnibus clericis relinquendi habeant potestatem. Et voluerint hæredibus suis quoscunque post eorum obitum substituere, habeant potestatem.*

LEGVM NOVELLARVM
Diui Maioriani A.
LIBER IV.

T i t v l v s I.

De curialibus, & agnatione vel distractione prædiorum, & de diuersis negociis.

1. *Impp. Leo & Maiorianus AA. Basilio PF. P.*

CVriales, seruos esse reip. ac viscera ciuitatum nullus *ignorat, quorum cœtum rectè appellauit antiquitas minorem Senatum*, huc redegit iniquitas iudicum exactorúmque plectenda venalitas, vt multi patrias deserentes, natalium splendore neglectu, occultas latebras, & habitationem eligerent iuris alieni. Illud quoque sibi dedecoris addentes, vt dum vti volunt patrocinia potentum, colonarum se ancillarúmque coniunctione polluerint. Itaque factum est, vt vrbibus ordines deperirent, & prope libertatis suæ statum nonnulli per contagionem consortij deterioris amitterent. Quod nec vlterius potest lisere, saluberrima lege sancimus, præteritæ præsumptionis supplicium relaxantes, vt præter illos qui patrias suas aliquam munerum conlatione iuuerint, ac propterea nulla ordinibus præsumptione deperierint, vbicunque intra triginta ab hinc retrò annos inuenti fuerint curiales, constrictis procuratoribus, vel conductoribus prædiorum, dominísque conuentis, ad vrbes quas deseruerant, cum vxoribus reducantur. Quod ingratum esse agrorum dominis non oportet: cùm debuerint pœna seueriore percelli, amittant mulieres quas inclitis consortiis iunctas esse quæsierunt. A quo constituto nec domum nostræ Serenitatis excipimus, quorum progeniem ita diuidendam esse censemus, vt quotquot fuerint masculini sexus filij, patrem sequantur: fœminis prædij domino relinquendis. Illa discretione seruata, vt si ex colonabus nati sunt, Curiæ inserantur. Si ex ancillis editi, collegiis deputentur: ne maternis sanguinis vilitate splendor ordinum polluatur. De collegiatis verò illa seruanda sunt, quæ præcedentium legum præcepit auctoritas. Quibus illud prouisio nostræ Serenitatis adiungit, vt collegiatis operas patriæ alternis vicibus pro curialium dispositione præbentibus, extra territorium ciuitatis suæ habitare non liceat. Hoc de pendentibus sanxisse sufficiat. In futurum verò hæc obseruanda censemus: vt si quis actor procuratórve, domino nesciente susceperit curialem, aut non intra annum propriæ restituerit ciuitati, si ingenuus probatur, collegiis applicetur. Si seruus est, fustuario supplicio interficiendum se esse cognoscat. Quod si id sciente domino, aut volente factum esse doceatur, & non intra statuti temporis metas etiam cum vltione correctum ipsius prædij, in quo hoc admissum fuerit, amissione multetur. Similiter si seruo suo actori procuratorique vllius filiam iunxerit Curialis, aut certè iunctam esse permiserit, & non intra præscriptum temporis terminum natalibus suis vbique reddiderit, illa quidem Curiæ restituenda reuocetur: quam iubemus ab intestatis parentibus æqua cum cæteris lance succedere: quia per eius quoque progeniem ordo reparandus est. Ille verò si originarius erit, qui sibi frustrà se temerè mariti nomen contra interdictum legis indiderit, collegiis nihilominus deputetur. Si famulus seruilibus pœnis peribit. Filia curialis si genetalis soli amore neglecto, in alia voluerit nubere ciuitate, quartam mox omnium facultatum suarum ordini sonferat, à quo se alienare desiderat: illi vrbi, ad quam migrauerat Curialis, sine dubitatione paritura. Et quoniam vsquequaque obuiandum est eorum dolis, qui nolunt esse quod nati sunt, Quicunque se sub nomine clericatus, seu quodam religionis obtentu Curialis vel corporatus fortasse subtraxerit, secundum præcedentium legum statuta, si intra diaconatus gradum locatus probatur, ad originem suam sine dilatione reuocetur. Si verò iam Diaconus, aut presbyter, aut Episcopus latæ huius legis tempore repertus, siue adhuc obnoxiis

functionibus

functionibus, siue muniis persolutis, nihil de patrimonio suo alienaturum se esse cognoscat. Cui si masculini sexus prolem seu propinquos esse contigerit, qui vtique Curiæ necessitatibus obsequantur, mox medietatem omnium facultatum eis tradere non desistat, sibi ad vsumfructum sex residuas vncias retenturus. Si defuerit sexus virilis, eadem in filiabus sine dubio seruaturus: si tamen Curialium connubiis copulentur. Qui si in totum, fortasse defuerint, ad ordinē vrbis suæ prædicti patrimonium pertinebit. Si qua sanè huiusmodi persona originis suæ vinculis obligata, ex iis quos ad ordines iubemus reduci, sub diuini mysterij occasione intra Ecclesiam se crediderit occulendam, eam constrictus Archidiaconus repræsentet. Hic etiam eorum nequitia comprimenda est, qui locum principalitatis adepti, vendunt defugas Curiales, & obnoxios corporatos: cùm eos occulta deprædatione concusserint, quos vtique si honestatis memores patriæ suæ aliquid affectionis impenderent, reuocare deberent. Quod ne deinceps existiment se impunè facturos, quicunque in tam sceleratis nundinis fuerit quocunque accusante conuictus, capitalem pœnam subibit. Prædia vel vrbana, vel rustica, non aliā sine interpositione decreti curialis alienet. Quod ne forte prouincialis iudex facilè aut gratificanter indulgeat, ad eminentiam Præfectorum sub relatione notitiam dirigatur. Quibus solis æstimare permittimus, verum ineluctabilis necessitas venditorem faciat Curialem. Aliter contractus super iis rebus initi non valebunt. In mancipio tantummodò distrahendo non est decreti quærenda solemnitas, si quinque primorum Curiæ subscriptio atque consensio adiecta monstretur: Inter quæ iustum est, vt iis quos reduci volumus consulamus, ne iniuriis corporalibus pro ciuilis plerumque iudicis commotione subdantur. Vnde quoties aut culpa grauis, aut aliquod curialis crimen arguitur, censeat iudices eo sub fideiussione ordinis constituto ad magnificos viros Præfectos prætorio esse referendum, vt in ipsorum sit arbitrio constitutum, qualiter quod admissum probabitur vindicetur. Nunquam Curiæ à prouinciarum rectoribus generali condemnatione multentur. Cùm vtique hoc & æquitas suadeat, & regula iuris antiqui, vt noxa tantùm caput sequatur, ne propter vnius fortasse delictum alij dispendiis adfligantur. Strenarum, Kalendarum *ac pulueratici nomine à curialibus nihil petatur.* Si quis horum aliquid poposcerit, aut etiam offerentem contra interdicta susceperit, singulas libras auri per singulos curiales à se nouerit exigendas. Nec hanc partem duximus negligendam, in qua & ordinibus, & possessorum compendiis prouidetur. Itaque prouinciali iudici non solùm faciendarum euectionum nulli tribuatur facultas, verùm ne ipse quidem, cùm ad alteram pergere cœperit ciuitatem, plus quam vnam sibi angariam, & duos parauerdos, alterámque angariam officio suo, & parauerdos duos liceat postulare. Si quisquam amplius æstimauerit præsumendum, octo equos constrictus exoluat, publicis mox mutationibus adgregandos. Compulsori tributi nihil amplius à curiali nouerit exigendum quàm quod ipse à possessore susceperit. Qui ad hoc tantummodò peragendus est vt pariter exigat & publicum debitorem ostendat atque conuincat. Præterea nullus solidum integri ponderis calumniosæ adprobationis obtentu recuset exactor, *excepto eo Gallico*, cuius aurum minore æstimatione taxatur. Omnis concussionum remoueatur occasio, nihil mutaturæ nomine postuletur, ita vt quisquis hoc postbac vsurpandum esse crediderit, siue prætorianus sit miles officij, seu palatinus, vel sacri ærarij, vel priuati, seu professionem negotiationis exercens, fustuariæ subditus pœnæ, seruilibus suppliciis periturum se esse cognoscat. Illis quoque fraudibus obuiandum est, quas in varietate ponderum exactorum calliditas facere consueuit, qui vetustis caliginibus abutentes, Faustinæ, aliorúmque nominum nescientibus faciunt mentionem. Quibus penitus amotis, atque in perpetuum hac lege damnatis, à prætoriana sede ad singulas non solùm prouincias, sed etiam ciuitates pondera examinata mittantur: quibus iam omnis exactor quàm negotiator vtatur, capitale sibi sciens vnusquisque supplicium, si constituta transcenderit. Inter hæc etiam officiorum pro laborum merito non est commoditas negligenda. Et quia per Rectores prouinciarum exigi omnem canonem, tam ad arcam præfecturæ pertinentem, quàm sacris vel priuatis largitionibus inferendum, sed & binos per iugum, vel millenos solidos remunerationibus deputatos compelli debere præcepimus possessori non putamus onerosum, quem à multis molestiis & sportularum, & numerosis mutaturæ dispendiis liberamus, si semissem solidi per iuga singula millenas amplius iubeamus inferri, qui pro ordinatione nostra inter diuersa officia diuidatur. Ita ergo prædicta summa inter compulsores, vt diximus, partienda est, vt Palatinus siliquam mediam pro siliquatico solidi remunerationis binorum solidorum, exactor siliquam: quatuor autem siliquas tam curialis quàm officium prouinciale percipiant: officium sanè præfectorum sex semisiliquas consequatur. Quisquis vltra aliquid aut exigendum, aut accipiendum esse crediderit, subditus verberibus, & cingulo priuabitur, & facultatibus exuetur. Illud quoque onus à ciuitatibus, vel præcipuè curiarum ordinibus ac negotiatoribus submouendum est, quibus non parua dispendia prouinciarum iudicum infligit aduentus, vt cùm in ocio plerumque residentes, deliciis exquisitis alere, quasi quadam lege cogantur. Contra quam iniquitatem remedium prouidentes, hac euidenti præceptione decernimus, vt Rectori prouinciæ totius anni tempore non plus quàm triduo vna ciuitas alimoniam subministret, ita vt si diutiùs voluerit commorari, de proprio sibi sciat esse videndum. Sed ne vaga interpretatio eorum, quæ pro humanitate præbenda sunt, nihilominus prædictos fatiget, quid inferri diurnum debeat eminentissimæ præfecturæ pandetur edicto, quod instar nostri volumus esse præcepti. Hac conditione sociata, vt si supra hunc modum quicquam à curialibus seu negotiatoribus iudex putauerit postulandum aut sub nomine oblationis acceperit, quod magis extorsisse credendum est, mox administratione depulsus priuilegio, dignitatis amisso proscriptione feriatur, Basili Præfecte carissime AA. Illustris sanè & præcelsa magnificentia tua omnium prouinciarum Rectores suis auctoritatibus admonebit, vt principales vel seniores vrbium singularum, tam curiarum, quàm reliquorum corporum albos, quos conscripsit vetustas, proferre compellat, obnoxiorum familias sub confessione gestorum capitis sui periculo detegentes, ita vt quæ statuta sunt edictis propositis in cunctorum notitiam perferantur. Dat. vi. Id. Nouemb. Rau. Leone & Maioriano AA. COS.

INTERP. *Lex hæc Maioriani de Curialibus, quæ custodienda sint euidenti obseruatione constituit, vt infra triginta tantummodò annos, sicut lex de omnibus dudum lata testatur, ad ordinem suum quem deseruerint Curiales debeant reuocari. Nam de Collegiatis illa specialiter custodiri confirmat,* quæ lex in Theodosiani Codicis corpore scripta declarat. *Itaque præcepit, vt si Curialem cuiuscunque possessionis actor domino nesciente susceperit, & non transacto anno ad ciuitatem Curiæ, cui debetur, fecerit reuocari, si ingenuus fuerit is ipse actor, in collegio deputetur. Si seruus, fustibus verberetur. Nam si cum conscientia domini Curialem vltra anni spatium tenere præsumpserit, & non ordini suo, sicut dictum est, post annum sine mora reddiderit, nouerit ipsum prædium, in quo inuentus fuerit Curialis, se dominus prædij perditurum. Filia verò Curialis si aut seruo, aut actori, aut procuratori se coniunxerit, aut dominum agri iunctam esse permiserit, & non post anni spatium Curiæ fuerit restituta, illa quidem continuò parentibus Curialibus in hæreditate successura reddatur: quia per eam si se Curiali iunxerit, ordo poterit reparari. Ille verò cuius contubernio Curialis filia fuerit maculata, si colonus est, Collegio deputetur: Si verò seruus fuerit, inter tormenta deficiat. Filia verò Curialis, si in ciuitate sua curialem accipere noluerit maritum, & suam deserens, ad aliam se contulerit ciuitatem, quartam portionis ordini Curiæ suæ, quem despexit, de facultatibus suis cogatur inferre, ad illam ciuitatem sine dubio in quam se transtulit, curiales filios, si curialem maritum acceperit, sine dubio paritura. Si autem curiales vel corporati, nolentes esse quod nati sunt, Clerici esse voluerint, & in quocunque officio ante diaconatum fuerint constituti, ad originis suæ officium sine dilatione aliqua reuocentur. Si verò iam Diaconus, aut Presbyter, aut certè Episcopus fuerit ordinatus, siue munia soluerit siue non soluerit, de patrimonio suo nihil alienare præsumat. Qui si masculini sexus filios vel propinquos habuerit, quibus tantum personis Curiæ necessitas vt obseruari possit imponitur, illis statim medietatem, de facultatibus suis dare non differat, medietatem sibi ad vsumfructum retineat. Quod si aut filios aut propinquos virilis duntaxat sexus non habuerit sed filias habebit, quas lex à necessitate publica fecit alienas, tunc eis sex vncias bonorum suorum tradat, si tamen curiales maritos acceperint, per quos & necessitas publica possit impleri, & ex quibus nati Curiales meritò appellentur. Quod si Curialibus non fuerint copulatæ, Curialis prædicti patrimonium ad ciuitatis suæ ordinem pertinebit. Si quis verò de his, quos superiùs diximus sine excusatione honoris debere ad suum ordinem vel originem reuocari, ad Ecclesiæ septa confugerit, Archidiaconus tenentur, vt eum debeat præsentare. Sanè si quis curialem latentem sub aliqua commodi intercessione vendiderit, qui eum magis debuit re-*

uocare, nouerit se capitali supplicio puniendum. Iubetur qui etiam Curiales, ut prædia urbana vel rustica sine decreti interpositione non vendant, nisi potestatibus asferatur: quia vendendi arcta necessitas imminet curiali. Mancipia autem distrahendi sine decreto habeat liberam potestatem, dummodo quinque priores Curiæ testes in ea venditione subscribant. Nam & hoc Curialibus voluit esse consultum ne aut ij qui reuocantur ad curiam, aut illi qui in graui culpa tenentur obnoxij, tam facilè tormenta sustineant, nisi ad potestatem dignissimam sub fideiussionis vinculo dirigantur, ut ipse de eorum facto possit ferre sententiam, nec ordo Curiæ pro unius culpa multam excipiat nisi tantùm is qui probatur obnoxius. Nam nec in his rebus, unde aliqua iudici per sportulam conferuntur, Curiam præcepit sentire dispendia. Reliqua verò pars legis interpretata non est, quia hæc quæ continet, usu carent, & certè ad intelligendum non habetur obscura.

Titvlvs II.

De Episcopali iudicio, & de cæteris negociis, & ne quis inuitus clericus ordinetur.

1. *Impp. Leo & Maiorianus AA. Ricimero viro inlustri, Comiti & magistro utriusque militiæ, atque Patricio. De re necessaria*, ad locum.

AD suscipiendum Clericatus officium vnicuique nos optionem dedisse, non legem: quia quamlibet sanctum onus, vt volentibus patimus imponi, ita ab inuitis iubemus arceri. Nonnullorum enim persuasio sacerdotum reluctantibus onus istud imponit, vt improuidas mentes violentiæ intercedentis offensa ad odium piæ religionis instituat. Eò ergo licentiam huius præsumptionis excludimus, vt si quispiam probatus fuerit vi coactus, sub *contumelia* publica clericatus officia suscepisse, sponte suis accusatoribus, vel si ipse voluerit allegare perpessa, licentiam commodemus apud iudices competentes huiusmodi admissa damnare: vt si inter leges obiecta constiterint decem libras auri *Archidiaconus* cogatur inferre ei qui pertulerit easoluendas: dehinc si ille desistit, accusatoris censibus & ciuitatis ordini profuturas. Illo suæ reddito voluntati, qui coactus non potuit consecrari. Et quia ab huiusmodi actu nec Episcopum à verecundia esse conuenit; alienum ad *Apostolicæ sedis deuocetur Antistitem. In illa reuerendissima sede notam illicitæ præsumptionis incurrat.* Sanè quia non iniusta suspicio est, huic operi parentum colludia plerumque misceri, *dum liberis alijs amore nimio gratificantur, & alios iniusta sententia persequuntur, æquè patres ac matres si comprobati fuerint, inuitos filios prafata oneri subdidisse, bonorum suorum tertiam iubemus adfligi, ipsius filij censibus profuturam.* Si qui sanè Episcopus inuitus fuerit ordinatus, hanc consecrationem nulla violari accusatione permittimus. Illud quoque nobis eodem suspectu religionis occurrit: vt hominem, qui ad Ecclesiæ profugia recurrit, quicunque temerator ausfactis altaribus conatur auellere, aut pro eo in humana dispendia sustinere ex abundantia, & multo minùs pœnæ obnoxios quoque *foribus sanctis* ad mortem vel cruciatum conatur eiicere, cum reis instituta hæc consueuerint esse profugia. Quòd si quis statuti nostri temerator emerserit, aut homines intra Ecclesias constitutos ad pœnam *non reprehendus* adducere, capitali supplicio subiacebit. Dat. v. Kal. April. *Arelate* Magno & Apollonio cos.

Interp. *Hæc lex adeo ad integrum scripta non est, quia iam quæ de diuersis negotiis loquitur, in reliquis legibus euidentè interpretatione habentur expressa. Sed hoc amplius habet, quod ad locum scribi fecimus de his, qui inuiti clerici ordinantur, quod per se sine interpretatione intelligi potest.*

Titvlvs III.

De ritu imperij diui Maioriani.

1. *Imp. Maiorianus A. ad Senatum.*

IMperatorem me factum P. C. vestræ electionis arbitrio & fortissimi exercitus ordinatione agnoscite. Adsit ordinationi omnium propitia diuinitas quæ regni nostri augeat pro vestra vtilitate & publicâ, successus, qui ad sustinendi principatus apicem non voluntate mea, sed obsequio publicæ deuotionis accessi: ne aut *mihi soli vixerim*, aut ingratus Reipub. cui natus sum, sub hac recusatione iudicares. *Dicatis quoque Iano Kalendis suspici* feliciter consulatus *ornaimus fasces, vt præsens annus nascentis imperij nostri incrementa suscipiens, nostro etiam nomine signaretur. Fauete nunc Principi quem fecistis*, & tractandarum rerum curam participate nobiscum, vt imperium quod mihi vobis adnitentibus datum est, studiis communibus augeatur. Præsumite *iustitiam nostris* vigere temporibus, & sub innocentiæ merito proficere posse virtutes. *Nemo delationes* metuet, [quas & *priuati* in aliorum moribus condemnauimus], & nunc specialiter persequimur. Nullus calumnias reformidet, nisi quas ipse commouerit. Apud nos, cum patre patricióque *nostro Ricimere*, rei militaris peruigil cura. Romani orbis statum, quem communibus excubiis, & *ab externo hoste & à domestica clade liberauimus*, propitia diuinitate seruemus. Puto institutionis nostri vobis inesse notitiam, quam mihi amore vestrum vitæ & periculorum quondam socius indubitanter expandeo: erit tamen rebus communibus, si superna concesserint, auctoritate Principis & obsequio collegæ, vt vestrum in me vobis non possit displicere iudicium. Ex mano diuina. *Optamus* vos felicissimos & florentissimos per multos annos. Bene valete sanctissimi ordinis patres conscripti. Dat. Id. Ian. Rau. Maioriano A. I. cos.

Titvlvs IV.

De indulgentiis reliquorum.

1. *Imp. Maiorianus A.* Palladio *PP.*

VT primùm mundo sacri principatus nostri rudimenta fulserunt, has potissimum salubres Reipub. cogitationes, quibus vniuersitati remedia impendenda complectimur, sibi regni nostri nouitas vindicauit. *Fessas prouincialium* varia atque multiplici tributorum exactione fortunas & extraordinariis fiscalium *solutionum oneribus atteritas* soluta inlationes amissæ substantiam & defectum sui etiam *in his* quæ meritò fuerant soluenda sensisse superindictitiis quidem titulis in præteritum possessor: exaustus dum ægræ solutionis istic sub impossibili deuotione reliquias & pro temporis cursu nouis subinde peruigetur vrgentium indictionum tributis & in redimendis attenuatur indiciis, coaceruata in vnum sarcina obnoxietatis obruitur, & præcedentibus diuturnis neutiquam sufficiens ad futuram quoque inlationem minùs idoneus inuenitur. Quapropter tribuendæ *sunt manu: tres enim clementia nostra pia mandare defersi.* & subiectorum angustiis in tempore subuenire, vt inueteratis nexibus libertati ad hæc quæ in posterum publicis secundum morem compendiis inferenda sunt, possibilitatem incipiant habere soluendi: ideirco mansura in æternum lege sancimus vniuersorum fiscalium titulorum, vel ad arcam magnificentiæ tuæ, vel ad vtrumque ærarium pertinentium reliqua vsque ad præsentis vndecimæ indictionis initium à possessoribus non petenda, quæ sub generalis indulgentiæ beneficio relaxamus obnoxiis. Atque hoc ita pro cunctorum remedio constitutum sub aperta volumus definitione seruari, vt quidquid ex præteritis indictionibus vsque in præsentem vndecimam reliquorum est, quod vel apud possessorem residet, vel in priuatum, vt fieri interueniente versutia adsolet, nomen emissa curialibus vel canonicariis, vel quibuslibet aliis cautione migrauit, penitus non petatur: vt exactione careat stipulatio, quam pro fiscalium calculo contempta nostræ mansuetudinis relaxauit humanitas, excepta suarij canonis ratione, cui propter vrbis venerabilis copiam nihil volumus indulgentia interueniente decerpi. Ad illam quoque dispositionum partem augustæ mentis prouidentiam sensúmque conferimus, vt prouinciales nostros quos immunes à reliquis fecimus, deinceps in posterum & semper idoneos remota fiscalium compulsorum acerbitate faciamus. Præfectiani si quidem atque Palatini, vel aliarum potestatum apparitores competentium titulorum exactione suscepta contra veterem morem per prouincias discurrentes, nimiosibus exactionibus possessorem curialémque concutiunt, & ita omnia pro arbitrio suæ depredationis extorquens, vt vt cum aliqua pars certa vel minima publicis compendiis inferatur, duplum, aut amplius sportulis auidus, & præpotens executor accipiat. Hoc est,

quod

quod vetus prouidentia dispositióque maiorum, quam in omnibus sequimur atque reparamus, prouincialibus iudicibus exequenda commisit, quibus & ostentibus per singularum municipes ciuitatum moderatione tractabili fiscalium tributorum celebretur solatio, quam si acerbiùs humilis notúsque compulsor pro sui compendij vtilitate tractarus, & confestim deprædationibus veratorum aditu audiúque fiscalium prouinciæ cognitus tribueniret. Nunc verò canonicarios superioris militiæ auctoritate terribiles & in prouincialium viscera & damna sæuientes, nec arguere quisquam apud prouincialem iudicem potest, potest, cum resupina apparitoris & totum sibi de superioris cinguli fastidio blandientis potestas prouincialis eximini subiecta famuletur, nec de longinquis prouinciæ regionibus cum magno sumptuum expensarúmque detrimento ad comitatum nostrum venire audeat ille qui queritur, cui sub lucum patientiæ gemitum tolerabilior videtur deprædatio sæuientis, quàm sub magno obseruationis incommodo tiiit dendus impetrandæ vltionis euentus. Hinc est, quòd iniuriam compulsorum destitutæ ordinibus ciuitates idoneum nequeunt habere curialem, quòd exigentium auctoritate perterriti possessores propria iura destituant, cùm non iam amissio fortunarum, sed sæua custodia & suspendiorum crudelitas formidatur, quæ inimicitiis apparitor & executio militaris pro commodo tuæ cupiditatis exercet, ac ne vlteriùs canonicatio nisi venalis improbitas publicis fortunis inferat, priuatisque dispendium vet ii more reuocato prouinciarum rectores celebrandæ exactionis summa respiciat, per quorum officia profligari iubemus annuas functiones, ita vt à duodecimæ indictionis initio, nullus palatinus nullius armatæ potestatis minister, accedat, sed vniuersa fiscalia, quæ de prouinciis spetanda sunt per locorum iudices inferantur, quos aut negligentiæ cura respiciat, aut laus manebit industriæ, ita vt ipsis moderatoribus ad admonendum tantummodo directur executor tantum at, & quia totum pro remedio possesso is feremus nostra constituit, quem tributorum gratia soluendorum fruges suas sub opportunitatibus vendemiem volumus per temporis internalla refouetri, trina per annum vice singulari iudicii onum quantitas speranda soluitur, & quadrimenstruis illationibus annuæ functionis celebretur sactio, cuius summa ita vt distinctum est moderatores admonentes diligentiam ad arcam volumus congruè exactionem tran mitti. Habenda sanè ratio est potentium personarum, quarum actores per prouincias solutionem fiscalium negligunt, dum pro sui terrore fastidij minimè perurgentur, ac se in prædiis tenent contumaces, ne ad eos præceptum iudicis possit aut conuentio peruenire, & Merico clarissimarum domorum, vel potentium iubemus actores fe e procuratores in his ciuitatibus iudici per prouinciam discurrenti sui facere & exhibere præsentiam in quarum territoriis prædia sunt, sciant esse patronorum etiam diu publicis minatæ te conspectibus, quamdiu in eodem oppido morari videtent cognitorem quod etiam sacræ domus nostræ obseruare iubemus actores. Nam si quis ex memoratis defuerit, ac se per totum annum pulsando conuentióque subtraxerit, raptus ad supplicium, id quod exacto indictionis tempore minùs intulisse conuincitur, duplum cogatur exsoluere. Sicut enim vexari longinquæ exactionis incommodis deuotos volumus, ita rebelles iustæ leueri atis vigore persequimur. Illud quoque prouidendum est, ne prouinciales iudices falsò in obiurgationem apparitorum suggestionibus commentisque deducantur: quia ad eos hac exactione translata cœpta, immanium commodorum prælamè suis fraudibus lugent, ac propterea hoc eis tribuimus dignitatis, vt de industriæ actibus, & de suæ adiectione diligentiæ referendi ad mansuetudinem nostram habeant facultatem, vt nos potissimùm de eorum administratione iudicemus, quorum suggestiones inter quaslibet publicas curas sacræ prouidentiæ attentione dignamur, Basili præfecte Karissime Augustorum, Inl. & præcelsa magnificentia tua huius legis saluberrima constituta propositis diuulgabit edictis, vt ad prouinciales remedia concessa perueniant, & iudices ex nostra præceptione cognoscant, ita industriæ ac vigilantiæ suæ exactionum publicarum redditam potestatem, vt non leuiter attendendi sint si neglecto non incertem dissimulatione nequiuerint respondere iudicibus. Dat. vii. Idus Matt. Rau. ipso A. coss.

Titvlvs V.

De Defensoribus ciuitatum.

1. *Impp. Leo & Maiorianus AA. vniuersis rectoribus prouinciarum.*

DE ciuitatum per omnes prouincias positarum raritate cogitantes, quibus fugientibus incolis defensorum auxilio destitutis, *qui vnumquemque cui iam ab improbitatibus insolentum antiqua* ordinationis studio vindicare consueuerant, solitudo nostris ordinationibus submouenda possidendi priscæ consuetudinis morem reuocandum esse censuimus, vt prouisi moribus, honestate, prouidentia, viri iudicio vniuersitatis electi auctoritatem tuendæ in ciuitatibus suis plebis accipiant, & quæcunque publicam respiciunt concessæ per leges priuilegia dignitatis, vel exequendi, vel insinuandi auribus mansuetudinis nostræ habent potestatem, hoc enim modo fieri potest, vt repressis per eos insolentiæ vitiis quoque, qui accidentia in prouinciarum nostrarum parte tractarum internei curis maioribus ignoramus, eorum ad emendandum suggestionibus instruamur, & qui per iniuriam compulsorum rurales habitationes & solitudines capetunt sub defensorum tuitione degentes publicis se vrbium conspectibus repetiti domicilij habitatione restituant. Quapropter præceptionis nostræ tenore præcepto, vniuersarum ciuitatum quæ sunt inhabitantium frequentia, celebres in tuæ potestatis arbitrio constitutæ municipes honoratos plebemque commoneat, vt adhibito tractatu atque consilio sibi eligant defensorem, factúmque demarutent, vt sub hac solemnitate desideria vrbium singularum ad nostram mansuetudinem dirigant: quia ipsos prouinciales propter expensas, vel itineris laborem ad comitatum venire non patimur, vt compertis eorum moribus atque personis, quos præter ambitum dignos tali ministerio & honores iudicemus, idoneos defensores confirmatio constituat. Dat. viii. Id. Matt. Rauennæ, Maioriano A. i. cos.

Titvlvs VI.

De ædificiis publicis.

1. *Impp. Leo & Maiorianus Æmiliano PP.*

NObis Rempublicam moderantibus volumus emendari, quod iamdudum ad *decorandam* vrbes venerabilis faciem detestabamur admitti. Ædes *siquidem publicas* (*in quibus omnis ciuitatis consistit ornatus*) passim diruit plectenda vrbani officij suggestione manifestum est, dum necessaria publico operi saxa finguntur, *antiquarum ædium dissipatur speciosa constructio, & vt parum aliquid reparetur magna diruuntur.* Hinc iam occasio nascitur, vt etiam vnusquisque *priuatum ædificium* construens per gratiam iudicum in vrbe positorum præsumere de publicis locis necessaria & transferre non dubitet, cum hæc quæ *ad splendorem vrbium* pertinent affectione ciuica debeant etiam sub reparatione seruari. Idcircò generali lege sancimus cuncta ædificia, quæ vel in Templis, aliisque monumentis à veteribus condita *propter vsum vel amœnitatem* publicam surrexerunt, ita à nullo destrui atque contingi, vt iudex qui hoc fieri statuerit, quinquaginta librarum auri illatione feriatur apparitores verò atque numerarij, qui iubenti obtemperauerint & sua neutiquam suggestione restiterint, *fustuario supplicio* subditos, manuum quoque amissione truncandos, per quas seruanda veterum *monumenta* temerantur. Ex iis quoque locis, quæ sibi *competitorum* hactenus vindicauit reuocanda subreptio, nihil iubemus auferri, quæ ad ius publicum nihilominus redeuntia ablatarum rerum volumus reformatione reparari, submota in posterum licentia competendi. Si quid sanè aut propter publicam alterius operis constructionem, aut propter desperatam *reparationis* vsum necessaria considerarione deponendum est, *hoc amplissimo venerandi Senatus ordine* congruis instructionibus præcipimus allegari, vt cùm ex deliberato fieri oportere censuerit, ad mansuetudinis nostræ conscientiam referatur, vt quod reparari nullo modo viderimus posse, in alterius operis nihilominus publici transferri iubeamus ornatum. Æmiliane Parens carissime Aug. Quapropter illustris magnificentia tua saluberrima sanctione propositis diuulgauit

††††† 2 edictis,

edictis, *vt quæ pro vtilitate vrbis æternæ prouidè* constituta sunt famulatu congruo & deuotione seruentur. Dat. vi. Idus Iul. Rauennæ ipsis AA. coss.

TITVLVS VII.

De bonis caducis, siue proscriptorum.

1. *Impp. Leo & Maiorianus AA. Ennodio C. R. P.*

SVblimitatis tuæ insinuationem probamus quâ fisci compendia supprimi per prouincias plerumque iudicum venalitate commemoras. Cùm enim caduca bona vel proscriptorum, sed & eorum quos in scelere deprehensos sine legitimo hærede iuris rigor insequitur priuato ærario competere videantur, occultata quibusdam fraudibus ærarij nostri commoda abnutantur, quod specialiter factum, nuper in damnatione Seuerinæ mulieris quæ peregisse adseritur necem mariti in Piceni prouincia indiscussum præterire non debet, Ennodi frater amantissime. Vnde auctoritas tua, cuius suggestiones prouidas comprobamus pragmaticè nostri lecturæ præceptum ordinatis in articulo palatinis antelatu nostræ serenitatis oraculo prouinciarum iudices in terminatione proposita auctoritatibus propriis admonebit, vt ab huiusmodi fraudibus temperantes, venalitatis studium æstimationis suæ periculo anteferre non debeant, curaturi posthæc, vt vbi similis casus occurrerit, palatinum instruatur officium. Ad *Piceni verò consularem* districtior præceptio dirigatur, vt omni sensu prædictæ mulieris disquisito, vestigatis quoque vel in tuam substantiam reductis, quæ ex eo intercipi, aut perire potuerunt à tempore quæstionis vel pœnæ qua nocens periit, fructus quoque vel pensionum emolumenta discussi, ac si qua etiam apud diuersos retentatores sunt, conuentis his quibus non poterit iure conqueri, ad vtilitatem fisci reducta, ac de omnibus missa relatione instruat amplitudinis tuæ iudicium, sicuti fisco commoda prouisione repertum est, quid latebat ærario profuturum nulla fraude, aut dissimulatione deperat. Dat. pridie Non. Septemb. Rauennæ, Leone & Maioriano cos.

TITVLVS VIII.

De sanctimonialibus & viduis, & de successionibus earum.

1. *Impp. Leo & Maiorianus AA.* Basilio *pp.*

SVsceptæ regendi imperij gubernaculis cogitare debemus quemadmodum nostra Respub. & armis & legibus & integra religionis reuerentia conseruetur atque proficiat, cui plurimum sub hac emendatione confertur, si nobilium fœminarum amplectenda generositas procreatis liberis multiplicata subcrescat, stirpiæ necessitudines inter parentes & filios nullis insidiarum vitiis immutentur, & verum Dei cultum mens non inuita suscipiat. Hoc enim quamprimum nostri egere maiores, vt Rempublicam armis & religione fundarent, cuius sacrosanctæ venerationem lædi commentis mortalium figmentisque prohibemus. Quis enim ferat parentes filias quas oderunt his non tam dicare quàm damnare consiliis, vt eas in annis ad minoribus constitutas necessitati continuæ virginitatis addicant, ac ne adolescentibus animis aliud velle sit liberum capitibus inuitarum sacrum velamen imponant, *cum huiusmodi obseruatio philosophiam religiosa mente suscipiant non cogentis imperia, sed spontanea, & matura deliberatione capiatur.* Vitandæ etenim sunt & magis adtentionibus, transeundæ humanæ cupiditatis illecebræ, in quas præcipuè primæ ætatis ardor impelli, vt iuuentutis calore sedato Dei dicata virginitas præter illum pœnitentiæ vitium ad senectæ annos & cœlestis militiæ palmam peruenire mereatur: Quid enim prodest si cupidine virginalis patria potestate compressa subdolam voluntatem nubendi arte concipiat, & à legitimo reuocata consortio ad illicitas trahantur illecebras? Vnde ne per huiusmodi impietatem parentum egestas & opprobrium personis nobilibus irrogetur, & quod præcipuè submouendum est meritionibus execrandis omnipotentis Dei contrahatur offensio, edictali lege sancimus, filias, quas patet maturè à seculari permistione translatas Christ. fidei seruare præcepta continuata virginitate conducunt, in beatæ vitæ proposito permanentes, non ante suscepto honorato capitis velamine cõsecrari quã 40 annis ætatis emensæ talibus insulis inoffensa meruerunt obseruatione decorati, & multi tẽporis seriet, & cælestis consuetudo seruitij ad perfidam voluntatem nouis desideriis aditum non relinquant, qui ante definitum temporis spatium sanctimonialem puellam aliis adulti feans sui votis calentem memoratorum quisquam parentum velari fecerit atque permiserit, tertia bonorum parte mulctetur, eadem pœnâ constringi etiam quæ illa parentibus destituta vt totta prædictæ ætatis annos voluerit consecrari. Diaconi quoque, qui huic rei ministerium contra interdicta præbuerint proscriptione plectantur, & quia earum cœpit causa tractari, quas ad diuinæ religionis cultum cupientes demigrare volumus non coactas, si qua parentum odiis obiecta propositum seruandæ virginitatis induerit, quæ à fratrum consortio parricidali quodammodo arte subtrahitur, ne aut copulæ trahenda maritali patris matrisve congrua largitione, aut eorum decedentium æqua cum reliquis filiis successione potiatur, parentum obeuntium mortem iam liberam, needum quadraginta annos quibus velari nequiuerit ætatis egressa nubendi, ex quo suæ potestatis esse iam cœperit, licentiam sortiatur. Neque enim sacrilega iudicanda est, quæ se hoc ante noluisse, aut certè non posse complere adpetiti coniugij honestate prodiderit, cum Christianæ religionis instituta, atque doctrina meliùs esse censuerit virgines nubere, quàm impatientiæ ardore naturali professæ pudicitiæ non seruare virtutem. Cùm itaque in matrimonium nuptias secura conuenerit, exhæredatio illi ob hoc à parentibus vehemens, aut sola *Falcidia* quantitas relicta non noceat, sed scriptis hæredibus, vel suis in virilem portionem, vel extraneis in dimidiam tanquam præterita secundum normam veteris iuris adcrescat. Dignam siquidem tali præmio & successione censendum est, quæ procreationem liberorum professa *generositatem familiæ suæ ab interitu nititur vindicare.* Illis autem quæ spontaneo laudabilique proposito sanctimoniæ obseruantiam virginitatis amore susceperint, in tantùm fauemus, vt si fortè profana cupiditas improborum deuotam Deo mentem per crimen raptus violare tentauerit, non solum diualium constitutorum, qui ad amisere sub acerbas vltioni, verùm etiam cuiuslibet accusationi reddatur obnoxius: ita vt qui pollutum tanto scelere hominem rebus probatis post hæc constituta pertulerit, addictis censu facultatibusque potiatur, quod nos vsque adeò à religiosis fœminis iubemus arceri, vt etiam si quis simile aliquid in quamcunque tentauerit pari se nouerit supplicio esse feriendum. Viduarum sanè obstinationibus permouemur, quæ nulla prole suscepta fœcunditatem *suam reparationemque familiæ* repudiata coniugij iteratione condemnant, & solitariam vitam, non colligunter religionis pudicitiæ amore famulentur, sed potentiæ ambitum *orbitatis* suæ casibus viduitatisque captantes lasciuam viuendi eligunt libertatem, quibus ad omnem licentiam vsum, aut solicitantium ficta religio personarum, aut fauore callidi captatores blandè, has ad honestioris vitæ tramitem prisca dispositione reuocantes, æternali lege sancimus, *vt maritali obitu destituta mulier quadragenaria minor, donec procreare per ætatem liberos potest intra quinquennium nubat*, cui ideirco currentis lustri largimur inducias, vt per spatium legitimis temporis luctus mœrore deposito eligendi honestiores nuptias habeat potestatem. Sin verò sæcularem vitam & coniugales tædas perosa damnauerit, emenso, vt dictum est quinquennio in viduitate persistens, mox cum germanis fratribus vel sororibus, eorúmque filiis, vel parentibus propinquis, per quos familiæ origo reparatur, suas diuidat facultates: aut si his fortasse defuerit cum fisco patrimonium partiatur, nihil intra lustrum temporis illius quod luctui deliberationique deputauimus alienaturam de prædictis sex vnciis se esse cognoscens, quas parentibus, vel propinquis statuæ serenitas nostra proficere vsufructu tantùm contentata viuendi quæ tum se probare potuerit studio castitatis secundas nuptias re'puisse cum liberalis fuerit in propinquos. Illarum verò ratio diuersa est, quæ suscepta prole gaudentes ob hoc ad secundas nuptias non demigrant vt affectuosam decedentis viri memoriam malendis & locupletandis filiis sollicita pietate conseruent, quas nubendi, si hoc maluerint, libertate suscepta à conditione superiùs enarratæ definitionis absoluimus. Ita vt filiis ex matrimonio priore susceptis, si hoc tamen pars voluerit, filiorum datos fideiussores prospiciant, qui salua fore corpora omnia sponsaliciæ largitatis euidenti sponsione promittant. Opinionem sanè continuæ viduitatis matribus earenus relaxamus, vt filio in gremio indulgentiæ suæ posito vel donationibus pro merito prosequantur viuentes vel hæredes suprema voluntate constituant. Illud sanè

latus

latus diualis constitutionis abolemus, quo videbatur matribus fuisse permissum vt ex quantitate sponsalitiæ largitatis in vnum filium si vellet portionem maximam conferendi habeant liberam facultatem, in quam nos filios æqua iubemus lance succedere: si quidem rectè illa donatio inter bona paterna numerabitur, quàm in vxorem maritus contulit tempore nuptiarum. Si verò matri contra religionem sanguinis propositumque pietatis exterous hæres insidiatorque subrepserit, quidquid ab ea, non iustis causis exhæredationis extantibus quas sine dubio probaturus est qui videtur filius anteferri, donatum fuerit vel relictum aut in religioso alienatum translatúmque commento, id totum ab eisdem filiis vindicetur: & quia studiosè tractatur à nobis vtilitas filiorum quos numerosiùs procreari pro Romani nominis optamus augmento procreatis competentia commoda perire non patimur, hoc necessariò putauimus præcauendum, vt marem fœminámque iungendos copula nuptiali par conditio vtrunque constringat, id est, vt nunquam minorem quàm exigit futura vxor sponsalitia largitate dotis titulo se nouerit collaturam, scituris puellis ac parentibus puellarum vel quibuscunque nuptiaris ambos infamiæ maculis inurendos qui fuerint sine dote coniuncti: ita vt nec matrimonium iudicetur, nec legitimi ex his filii procreentur. Sanè quoniam quorundam cupiditatibus obuiandum est qui genitorum exhauriunt facultates, ac sibi vel filiabus suis vel subornatis quibuscunque personis, priusquam aliquid de nuptiarum pactione constituant ab iocantis iuuenibus & futuri coniugij desiderio concitatis multa faciunt occulta fraude conferri, quæ secuta solennitate votorum filiabus refundant, aut fortè maiore amore perfidiæ sibi existimant adquisita: vnde eius callidi friuolique commenti ita nullum esse iubemus effectum, vt infirmato talis colore contractus sui iuris posteà gener vindicet, vel actione proposita securus reposcat quidquid per illiciti posthac contractos imaginem alienare compulsus est. Inter cætera captatorum etiam auditas comprimenda est, qui nonnunquam ignotorum penè lectulis adsidentes animos ipsa corporum ægritudine fatigatos, & syncera iam iudicia non habentes simulata affectione deprauant, vt plerique consanguinitatis & necessitudinum suarum frequenter obliti extraneos scribere videantur hæredes, *cum insidiosa munuscula diriguntur, cum subornantur medici qui praua per nudeam & neglecto medendi studio fiunt alienarum cupiditatum ministri.* Quibus omnibus serenitas nostra diligenti examinatione perpensis hac præsenti lege decernit, vt si is qui nulla testatori propinquitate coniungitur, neque ex iis personis est quibus etiam ab intestato deferri quocunque gradu vel titulo poterat, antiquo iure successio hæres fuerit institutus, legatum fideicommissumve perceperit, ex relictis rebus atque corporibus tertiam publico inferat portionem. quatenus hoc saltem metu & testatorum iniquitas & captatorum cesset improbitas: quæ omnia constituta in futurum à die latæ legis valere præcipimus Basili P. K. A. Iul. igitur & præcelsa magnificentia tua saluberrimam sanctionem propositis diuulgabit edictis, vt omnes intelligant remotis irreligiosarum mentium fraudibus impiíque mentis hoc constitutum fuisse quod emendatione morum vtilitatique publicæ reducta in *terras iustitia* votum omnium socia pietate proficiat. Dat. VII. Kalen. Nou. Rau. Leone & Maioriano AA. COSS.

INTERP. *Hæ sex sententiæ præcedentes propterea non sunt desloratæ, quia in aliquibus libris non inueniuntur, in aliquibus tamen inueniuntur.*

TITVLVS IX.

De adulteriis.

1. *Impp. Leo & Maiorianus AA. Ragatiano Consulari Tusciæ suburbicariæ.*

AGitandam legibus adulterij quæstionem imminente nostræ quoque perennitatis oraculo te exercuisse commemoras, atque, *vt relatione testaris*, conuictum confessúmque Ambrosium in nefario crimine, relegatione dignum temporaria censuisti, non solùm legum immemor esse & negligentes *pensasti alieni doloris iniuriam*, vt maculam pudoris extincti & eius summam criminis *in qua quicquid vero indignum est, continetur*, elaui vita superstite iudicaris. Eum tamen ipsum temerasse sententiam & confestim locum perhibes exilij defugisse, nósque consuluisti quid fieri sanciamos. Quoniam tam exercitandæ indicationis formam perpeti mansura debere aspitate, seueritatem quippe res ipsa flagitat. Vnde Ragatiane Kar. nouetis ad rigorem *veteris disciplinæ hanc* potentatem nostram obseruationis adiecisse mensuram, vt secundum legem Diuorum retro Principum, qui in simili crimine talia censuerunt, relegationem probrosi ac nefandissimi rei, deportatio adiecta continuo & bonis suis omnibus fisci vtilitatibus vindicatis, cúmque à congressu totius Italiæ submouendum, edictorum propositione denunciata omnibus perimendi licentia, qua passim ita insequendus est qui sententiæ abusus est lenitate, vt si comprehensa vrbis nostri parte repertus fuerit, *casus iure videatur quatenus sanctione procedente censura, ab incursu* flagitiorum tutam *genialis* tori perstemus imposterum castitatem, vt exemplo competenti luxuria castigata ab *expugnatione pudicitia, qua sub publica quodammodo videbitur esse custodia*, libido & proteruitas arceatur, manifestumque sit generaliter ita nobis cordi esse violatum pudorem, vt edictali decreto iusta coherceitione proposita, intemperanter futuris quoque temporibus plecti commissum simile censeamus. Dat. XV. Kal. Mai. Atelato, Richomere & Clearcho VV. CC. COSS.

NOVELLARVM DIVI Seueri Augusti.

LIBER V.

TITVLVS I.

De Abrogatis capitibus iniustis legis Diui Maiorani A.

Ad locum, id est, de sanctimonialibus, viduis, de hæreditatis tertia, vel de cæteris negotiis.

1. *Impp. Leo & Seuerus AA.* Basilio P. FP. & Patritio.

ILLVD tantùm ex eadem lege retinentes, quod veterum legum commendat auctoritas, scilicet vt post viri obitum sponsalia in vsumfructum tantùm mater habeat, & à filiis alienare non possit, siue in alias nuptias venerit, siue non venerit. Et vt omnibus ex eodem matrimonio filiis ex æquo communis in vnum aut alterum matri conferre non liceat. Nam quid est aliud à filiis alienare, si hoc non est, xam proles numerosa contigerit prætermissis cæteris, vni vel alij praua velle intentione largiri? Sint sanè matres, si ita libuerit, pro impensis obsequiis in filiorum electione liberales, vsumfructum suum cui voluerint largiantur, proprietatis commoda cunctis pariter filiis deputata non minuant. In illa tamen parte matribus salua filiorum vtilitate consulimus, ne eas necessitas dandæ fideiussionis astringat. Quia & factu difficile est, & sæpe hoc filiis abundè, vel prioribus constitutis vel præsenti lege prospicitur, quibus & alienorum vindicatio competit, & ex maternis bonis perditarum redintegratio facultatum, Basili Præfecte karissime AA. Quare inlustris & præcelsa magnificentia tua huius Constitutionis *oraculum* edictorum faciet solemnitate proponi, relegis asperitas, quæ ad amplitudinem tuam primæ præfecturæ administratione data est, per te correcta atque emendata vulgetur. Dat. X. kal. Mart. Rom. Basil. v. c. coss.

INT. *Hac lex Imperatorum Leonis & Seueri, ea qua Maioriani lex de diuersis rebus, quas ipse testator obseruanda esse præceperat, specialiter vacuauit, & id tantùm quod rationabile & pristinis legibus congruum fuit, credidit reseruandum, quod ipse sua constitutione firmat, dicens: Illud tantùm ex eadem lege retinentes quod veterum legum confirmat auctoritas, itaque vt post viri obitum relicta vxor vsumfructum tantùm sponsalitiæ donationis habeat, & nihil exinde alienare præsumat, siue alias ad nuptias venerit, seu certè non venerit, neque aliis nisi tantùm omnibus filiis suis ex eodem patre genitis, cuius donatio est hac ipsa sponsalitia largitas, æqualiter dimittatur. Nec liceat matri cui voluerit de filiis aliquid exinde amplius pro sua voluntate donare. Sanè de vsufructu suo quod ei lege concessum est, donandi cui voluerit liberam habeat potestatem. Nam ea quæ omnibus tantùm filiis æqualiter iussa est seruare, nec minuat, ne inter filios pro suo arbitrio dividere vlla ratione præsumat. Hoc tamen matribus hac lege præstatur,*

ſtatur, vt ſalua filiorum vtilitate fideiuſſores pro retinenda hac ipſa ſponſalitia donatione dare non debeant. Quia talis petitio grauis eſt, & ſufficit filiis, quod vel hac lege, vel prioribus ſtatutis conſtat eſſe proſpectum, vt etiamſi matres eorum ſecundo nupſerint, earum maritorum facultates loco pignoris obligentur: & ſi quid ipſæ matres exinde præſumpſerint, de facultatibus eorum illata ſibi filij damna reſarciant.

TITVLVS II.

De corporatis.

1. *Impp. Leo & Seuerus A A. Baſilio PP. & Patricio.*

CVm per virum illuſtrem Auſonium conctorum ad nos prouincialium querela peruenit, eo quod * ** antáque corpora publicis obſequiis deputata quorundam ſe colonis vel famulis ignorantibus dominis ſociaſſent, & nunc ſub ſpecie publicæ corporationis procreatos liberos conantur iugo ſeruitutis abſoluere, ideirco agnoſcat ſublimis magnificentia tua diuali nos in æternum lege ſanxiſſe, ſi qui vel quæ ex corporibus publicis vel ex corporatis vrbis Romæ ſeruis vel colonis ſe crediderint copulandos, agnationem eorum ad eos dominos pertinere, quorum inquilinus vel colonus fuiſſe conſtiterit, exceptis iis qui ante eam legem non taliter latam ſeſe iunxiſſe noſcuntur. Dat. VII. Kalend. Octob. Hermenericho & Baſiliſco COSS.

INCIPIT LIBER LEGVM Diui Anthemij Auguſti.

TITVLVS I.

De mulieribus quæ ſe ſeruis propriis vel libertis iunxerunt, & de naturalibus filiis.

1. *Impp. Leo & Anthemius A A. Luperciano PF. P.*

HVMANO generi & fluctuantibus rebus mortalium vna poſt Deum ratione conſulitur, ſi aduerſorum ingruentium procellis occurrat ſæpius noſtra Serenitas, nec dubium eſt imminui materiam conuerſationis humanæ, niſi componat prouidentis regentis imperium, quicquid per ſe non poteſt impetrare mortalitas: eritque ita magis florida ac tranquilla ciuilitas, ſi circa prouidos hominum caſus excubet circumſpecti Principis fauor. Iulia quædam preces noſtris *fundit altaribus*, adſtruens cum eo ſibi matrimonium contigiſſe qui familiæ quidem ſuæ ſeruus exiiterit, ſed libertatem morum claritate meruerit. Exorat quoque noſtri nominis maieſtatem, ne ſibi noceat quod venerabilis ſanctio Conſtantini, dominam ſeruorum ſuorum complexibus inflammari diſtrictiſſimo rigore non patitur: incongruum quippe exiſtimans in ſuo caſu de ſeruorum coniunctionibus conſtituta tractari, cùm ipſa non ſeruo nupſerit, ſed liberto: præcipuè nuptias ſuas in culpa venire non poſſe, quòd de libertorum conſortiis prohibendis, euidens nihilominus æſtimari quicquid ante hoc lex vlla non vetuit. Geminatam igitur cauſam huiuſmodi caſibus conſulendi reperit noſtra Serenitas, vt nec confirmatio ſubtrahatur de ſuſcepto quaſi errore nutantibus, & honeſtè ac probabiliter conſtituta ſine aliqua deinceps ambiguitate ſeruentur. Primùm igitur edictali decernimus ſanctione, vt quæ vſque ad ſecundum nominis noſtri Cõſulatum ſimilia probabuntur iniiſſe connubia, legitima firmitate non careant, ſed hanc quoque munificentiam noſtri numinis ſecuritati ſuæ adfuiſſe lætentur, vt ſi quæ ſunt feminæ quæ pro nobilitate natalium de eiuſmodi forſitan conſortio quicquam verentur, ſuperfluum pondus iniuſti timoris abiiciant, nec ſe non licito quaſi feciſſe formident, vt nulla nunc vſque ad liquidum iura vetuerunt ita vt cum libertis ſuis iuſtas nuptias contraxiſſe videantur, natique & naſcendi ex his liberi nullam vnquam de parentum ſuorum coniunctione ſuſtineant quæſtionem, ſed matris ac patris hæreditaté legum more percipiant. Ipſi quoque inter quos huiuſmodi eſt contractus ſocietas, teſtandi in ſe inuicem, vel ſuccedendi ſibi iuxta formam iuris licentiam non amittant, neque quicquam matrimonij gratia à cæteris diſcrepare credantur, de quibus ante hanc noſtri nominis ſanctionem nihil legum ſcita præſcripſerunt. Et reuera principalis gratiæ eſt eruere ſuis caſibus ſuſpicaces mortalium mentes, ne ſibi non licuiſſe quod nemo prohibuerat, arbitrentur: vniuerſorum quoque notitiam euidenter inſtituere ne ſibi fas eſſe quiſquam exiſtimet, vt fas eſſe non patimur. Ex hoc ergo noſtræ clementiæ Conſulatu decorem publicum agere cupientes, *cum ſeruis & libertis dominas & patronas ineundi matrimonia facultatem habere prohibemus*, ne inſignium familiarum clara nobilitas indigni conſortij fœditate vileſcat, & quod ſplendore forſitan ſenatoriæ generoſitatis obtinuit, contactu viliſſimæ ſocietatis amittat, aut vnde tantum ingenuæ libertatis fulgore perſpicuum genus in femina imprudentior complexus inquinet: ea ſine dubio cautione valitura *vt de conſortiis ſeruorum perpeti firmitate* ſeruetur quicquid Diuus Conſtantinus venerabili ſanctione conſtituit. Circa eas verò quæ in libertos ſuos vota conuerterint, cuſtodiri in æternum duratura lege ſancimus, *vt coniunctio vestra ne nomen quidem matrimonij ſortiatur, ſed ad* illicita conſortia exſecrabiliter aſpirantes publicatione *omnium facultatum & perpetua deportatione* plectantur: his qui ex huiuſmodi ſocietate naſcuntur non ſolùm iure, ſed & vocabulo liberorum priuandis, ſeruili quoque conditione probabiliter addicendis, ita vt his dominium ſibi noſter fiſcus vſurpet. De coniunctionibus ſanè ancillarum & libertarum, necnon de naturalibus liberis quomodo procreatis procreandiſve, inter omnes decernimus cuſtodiri, quod Diuorum retro Principum ſaluberrima conſtituta ſanxerunt Lupercíane P. E. AA. Inluſtris igitur & præcelſa magnificentia tua ſaluberrimam ſanctionem ad omnium notitiam peruenire edictorum deuulgatione præcipiat, ne cui ſuperſit ignorationis auxilium quominus cauta quæ ſunt decreta ſeruentur. Dat. X. kalend. Mart. Romæ. DN. Anthemio A. CONS. Accepta Id. Mart. Romæ, ipſo A.

TITVLVS II.

De confirmatione Legum DN. Leonis Auguſti.

Impp. Leo & Anthemius A A. Luperciano PF. P.

AD conſultationem clementiæ noſtræ Dominus & pater meus Princeps ſacratiſſimus Leo, ſuper his quæ indulgentia principalis in diuerſos iam contulit vel procella temporis largietur, rerum ius venerabili ſanctione conſtituit, quod ſub ſacris ſuæ perennitatis apicibus ad noſtram quoque ſententiam deſtinauit. Quumque mundanis compendiis proficit vt circa regendum vtrumque orbem id præcipuè cuſtodiendum credamus quod deliberatio communis elegerit, legem directam libenter amplexi quod ad omnes tam ſaluberrima conſtituta perueniant ſub hac pragmatica iuſſione ad amplitudinem tuam cenſuimus dirigendam. Lupercíane P. E. AA. Inluſtris igitur & præcelſa Magnificentia tua venerabilia conſtituta propoſitis deuulgabit edictis, ne vllius prætereat notionem quod in æternum valere Serenitas noſtra decreuit. Dat. ſub die XIV. Kalend. April. Romæ, DN. Anthemio A. CONS. Actum ſub die eodem.

TITVLVS III.

De bonis vacantibus.

Impp. Leo & Anthemius A A. *

IMperatoriæ maieſtatis eſt ex præſentibus cauſis etiam futuris prouidere temporibus, & reſerata ambiguitate ſequenda decernere. Nam cunctorum cenſus vocatur in dubium ſi per licentiam principalem iura dominorum ſuam non habeant firmitatem. Itaque nos quibus totius mundi regimen commiſit ſuperna prouiſio, & iuris regulam & æquitatis rationem volumus cuſtodiri. Pius ac triumphator ſemper Auguſtus filius noſter Anthemius, licet diuina maieſtas & noſtra creatio pietati eius plenam imperij commiſerit poteſtatem, tamen prudenti & cauta, qua pollet, æquitate per ſacros adfatus

fatus nos credidit consulendos adserens in Italiæ partibus multa exorta negotia ex donationibus quas de alienis rebus Principes contra Legum cauta fecere (nam vt quisque vel meruerit vel precatus est de imperatoria veluti largitate plurima & magna decerptant: Emergunt autem personæ quæ plerumque prædia vel res aliquas sui iuris adserant esse, quas ex Principis munificentia diuersi inlicito titulo quæsierunt. Nam sæpe ea quæ caduca dicebantur & donata sunt, consanguineus eius qui sine hærede putabatur, emergens reposcit, vel de captiuitate liberati iure postliminij quæ sua vel propinquorum fuerant, & aliis à Principe concessa sunt, reddi sibi iure desiderant, adstruentes secundum sacratissimas Constitutiones legitimum sibi auxilium suffragari: vel cùm res aliqua vindicatur à possessore cui domus venerabilis aut donatione contulit aut venditione, vel commutatione, aut vltima voluntate transfudit, scilicet qui in iustè aut minus idoneè contractam forsitan possidebat) vtrum iure communi quod petitor probauit suum recipiet, an præter Leges quibus omnes vtuntur circa donationem regiam pronunciandum erit, vt factum Principis vel aliena re donata aut vendita comprobetur. Nam cùm de huiusmodi controuersiis ab *amplissimis cognitoribus* tractaretur, prolata est Constitutio de *Codice Theodosia. sub titul. de vacantibus*, qua Diuus Constantinus cauet, vt si rem quam Princeps donauit suam quisquam poruerit approbare, non eam recipiat, sed eo cui donata est firmiter possidente, Princeps petitori eam in secus quia voluerit, ratione succurrat. Hæc cum nostris insinuarentur sensibus, relectis gestis quæ ad nos à filio nostro serenissimo Principe sub prædicta consultatione directa sunt, *habitis inter Procuratores Dominæ & Fortunati* inlustrium personarum, serenitas nostra, cui cordi est in dies singulos consultiore tractatu & meliore deliberatione generi humano prospicere, satis putauit incongruum vt tanta rebus negotiisque confusio vel iniquitas conectatur, & vtrumque suis vti non liceat, neque pro suorum defensione legitimum habere tutamen, sed in arbitrio sit fortè subripientis facilis & inuicta nonnunquam regiæ donationis auctoritas, & vt aliis iusta possessione fraudatis ab aliis liberalitate iniustè detineatur, cùm & ipse titulus supra prædictæ Constitutionis vnde consulta est nostra clementia, de vacantibus tantùm non de omnibus bonis atque substantiis euidenter loquatur. Hac igitur in perpetuum valitura lege sancimus, vt siquidem de bonis vere vacantibus Imperator aliquid pro sua liberalitate donauerit, hoc perpetuam obtineat firmitatem: & nemo calumniam patiatur de re quam principalis in eum liberalitas iure contulerit. Si autem aliquis rem suam siue tanquam vacantem, siue alio quolibet titulo donatam cœpit repetere, eamque sui iuris esse vel ad se deuolutam ex legitima successione monstrauerit, communi legum fruatur auxilio, nec ex illa, licet imperiali donatione seu commutatione, vel ex aliqua cuiuslibet contractus specie, contra generale præsidium omnino lædatur, siue etiam à retro Principibus hoc beneficium asserat sibi esse delatum, siue post aliquid tale fuerit subsequutum. Hanc igitur Constitutionem in causa etiam, Dominæ & Fortunati inlustrium personarum quæ huic legi præstitit occasionem valere præcipimus, vt communi iure Cesiana *massa* de qua queritur, prædictæ Dominæ inlustri feminæ restituatur. Neque enim aliud imperatoriæ maiestati, cui semper debet æquitas inhærere & vigere iustitia, videtur ad commodum quam commune ius omnibus reseruare subiectis, *& nihil amplius bonis licere Principibus nisi quod liceat priuatis*, & hanc liberalitatem prætendere quæ legibus & æquitate subnixa est, vt nemo sit alienis & inlicitis ditatum lætetur, nemo bonis propriis defleat esse priuatum. Lupercianæ P.K. AA. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua quæ hac saluberrima lege serenitas nostra constituit obseruari, ad omnium notitiam edictis ex more propositis iubeat peruenire Dat. XIV. kalend. April. Rom. DN. Anthemio PP. Aug. II. CONS.

F I N I S.

